8. 44. D. 13

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
44 D
13
ROMA

Digitized by Google

8. 214. D. 13

Digitized by Google

Digitized by Google

VERITATES PRACTICÆ,

EX VITA DOMINI IESV, SANCTORVMQVE GESTIS, IN SINGVLOS ANNI DIES.

LEGENDÆ, CONSIDERANDÆ, PRÆDICANDÆ.

OPVS QVADRIPERTITVM.

PARS TERTIA, PARS ÆSTIVA.

A Dominica SS. Trinitatis, ad Dominicam decimamquintam poſt Pentecoſten.

Authore P. IVLIANO HAYNEVFVE, Societatis IESV Sacerdote.

ROTHOMAGI,
Sumptibus RICHARDI LALLEMANT, Illuſtriſſimi Archiepiſcopi & Collegij Societatis IESV Typographi.

M. DC. LIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBATIONE DOCTORVM.

COL. S. BONAVENT

Digitized by Google

Priuilegium Regis, Approbatio Doctorum, & Facultas Superiorum habentur in prima parte, poſt Præfationem.

Digitized by Google

INDEX VERITATVM
IN SINGVLOS DIES, TERTIÆ PARTIS.

DOMINICA SS. TRINITATIS, Quæ eſt prima poſt Pentecoſten.

Peruerſa quædam eſt in mundo Trinitas, quæ niſi caueatur, Diuinam in nobis peruertit Trinitatem. pag. 1.

Sicut negando potiùs quàm affirmando Deus cognoſcitur, ita & diligitur. 10.

Non minùs peccat, qui non ſatis, quàm qui nimis Deum ſcire vellet. 19.

Duabus ſequentibus Hebdomadis, de ſanctiſſimo Sacramento renouante memoriam vitæ ac mortis D. N. quam repræſentat.

FERIA 2. De Incarnatione Domini conſideranda in SS. Sacramento.

Sic Deus dilexit mundum, vt quod Deo totus debet mundus, tu totum vnus debeas. 31.

Quò minùs potes reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere quæcumque potes. ibid.

FERIA 3. De Natiuitate Domini renouata in ſanctiſſimo Sacramento.

Reuocata quotidie noua Chriſti Natiuitas, noſtram in Chriſto quotidianam prouocat nouitatem. 36.

FERIA 4. De abſcondita Chriſti D. vita, exhibita in SS. Sacramento.

Nemo manifeſtiùs cum Chriſto viuit, quam qui occultiùs. 41.

Digitized by Google

Feria 5. Solemnitas SS. Sacramenti, *De Conuerſatione Domini, manifeſtata in SS. Sacramento.*

Quibus amarum eſt conuerſari cum Chriſto, delicias eius conuertunt in amaritudinem. 46.

Qui cum fiducia non adeunt ad Gratiæ Chriſti thronum: & ſe à throni ſecludunt gratia, & Chriſtum excludunt à throno gratiæ. 50.

Diuina licet magis timenda ſint quàm humana: in Diuinis tamen minùs timenda eſt familiaritas quàm in humanis. 55.

Vel neutro, vel vtroque ſimul oportet eſſe humilem, interno ſcilicet & externo actu.

Quæ Sacramento debetur humilitas, velut ipſum Sacramentum, ſit indiuiſa neceſſe eſt. 61.

Quæ hodiernum Chriſti triumphum Res vna magis illuſtrare debuerat, hæc vna magis obſcurat. 69.

Sicut ab igne cera, ſic deberent hodie peccatores à Chriſti perire facie. 76.

Feria 6. De Euangelica Doctrina ſummatim contenta in SS. Sacramento.

Sacra Chriſti ſchola, Sacro-ſanctum Sacramentum.

Hìc totum diſces Euangelium, breui compendio, nullo impendio. 80.

Sabbato. De miraculis Chriſti D. rurſum editis in SS. Sacramento.

Niſi Chriſto reſiſteres, ſic te Chriſtus in ſe, ſicut Panem conſecratum, conuerteret. 86.

DOMINICA INFRA OCTAVAS. Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocauit multos.

Qui ſe excuſat inuitatum, accuſat inuitantem. 92.

Sat frequens multis Cœna eſt, quibus magna Cœna eſt infrequens.

Quos à Cœna videlicet res humanæ non auocant, hos à Cœna magna ſæpe impediunt.

Feria 2. De virtutum Chriſti exemplis in SS. Sacramento exhibitis.

Ad Sacramentum vnde Virtutes exeunt, reuertuntur. 109.

Feria 3. De beneficiis quæ olim mundo Chriſtus D. & quæ modò confert in SS. Sacramento.

Si quando pretioſa quæque pro cibo corporis danda ſunt, ſemper pro cibo animæ ſunt donanda. 110.

Ne forte fingas te nihil habere pretioſum quod Chriſto dones, da quod eſt in te vilius, & Chriſto dabis quod eſt ipſi pretioſius. ibid.

Feria 4. De perſecutionibus Domini dùm viueret, quas iterum ſuffert in SS. Sacramento.

Sicut tolerandis injuriis Menſa nobis parata eſt, ſic toleratæ injuriæ nos parant ad illam Menſam. 116.

Feria 5. De Chriſti D. Paſſione, morte & ſepultura in SS. Sacramento.

Satius eſſet nullo die velle viuere, quàm non omni die, velle cum Chriſto mori. 120.

Feria 6. De Chriſti D. reſurgentis, aſcendentis in cœlum & ibidem regnantis, vita glorioſa quæ apparet in SS. Sacramento.

Gloriam Chriſti vertimus in ignominiam, ſi aliam à Chriſto quærimus gloriam. 125.

Sabbato. De Iudiciaria poteſtate quam Chriſtus D. exercet in SS. Sacramento.

Digitized by Google

Agni vel maxime formidanda ira. 130.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

De oue perdita, quæſita & inuenta.

Qui ſibi palpat quod non longe erret, periculoſiùs ſæpe is errat quam qui aberrat longiùs. 138.

Quanta eſt Chriſti quærentis animam cura, tanta eſt animæ Chriſtum fugientis incuria. 148.

Quod vnius conuerſi peccatoris eſſe videtur, hoc eſt totius vniuerſi negotium. 152.

In quatuor ſequentibus Hebdomadis exponitur Sermo Domini in monte.

Feria 2. De prima Beatitudine, quæ eſt Paupertas ſpiritus.

Beati pauperes ſpiritu. 159.

Feria 3. De 2. Beatitudine quæ eſt Manſuetudo.

Beati mites. 163.

Feria 4. De 3. Beatitudine quæ eſt Lugentium.

Beati qui lugent. 167.

Feria 5. De 4. Beatitudine quæ eſt Eſuries & Sitis Iuſtitiæ.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam. 172.

Feria 6. De 5. Beatitudine quæ eſt Miſericordia.

Beati miſericordes. 176.

Sabbato. De 6. Beatitudine quæ eſt Munditics cordis.

Beati mundo corde. 180.

DOMINICA IV. De mira Petri piſcatione, humilitate, & perfecta Conuerſione.

Niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt. 186.

Feria 2. De 7. Beatitudine quæ eſt Pacificatio.

Digitized by Google

Beati pacifici. 191.
Feria 3. De 8. Beatitudine quæ eſt tolerantia perſecutionum propter Iuſtitiam.
Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam. 193.
Feria 4. De eadem 8. Beatitudine quæ ſpectat maledictiones aut benedictiones mundi.
Beati eſtis cùm maledixerint vobis. 198.
Feria 5. Vos eſtis ſal terræ, lux mundi, Ciuitas ſupra montem. *De cura propriæ perfectionis & proximorum, ſecundum triplicem perfectionis gradum.*
Qui non gradatim procedit in via virtutis, non in via virtutis incedit, ſed vitij. 202.
Feria 6. Sic luceat lux veſtra, &c. *De bono exemplo.*
Sicut humanæ aſpectu gloriæ non eſt opus ponendum, ita nec eius deſpectu deponendum. 206.
Sabbato. Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, &c. Jota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.
Cura rerum minimarum, rem procurat omnium maximam. 210.
Sæpe in minimis non eſt minima culpa. 213.
DOMINICA V. De ira reprimenda. *Ego autem dico vobis quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, &c.*
Hoc ipſo ira eſt injuſtior, quod nulli vmquam iraſcenti, ſua ira videtur injuſta. 216.
Feria 2. De oculo, manu, & pede amputandis.
Qui non ſeruat conſilia quia non ſunt præcepta, nec ipſa etiam præcepta ſeruabit. 221.

Feria 3. De triplici hominum genere ſub illis expreſſa ſymbolis, diligenter cauendo.
Solum pietatis genus eſt, in re ſaluti aduerſa, ſuis eſſe crudelem. 225.
Feria 4. De perfecta mortificatione triplicis Concupiſcentiæ, in illis etiam verbis comprehenſa.
Quò minus concupiſcentiæ mortificabis, eò magis à concupiſcentia mortificaberis. 228.
Feria 5. De ſublimi perfectione Euangelica, quam Chriſtus D. proponit in ſuo ſermone.
Si quid videtur difficile quod dixit Chriſtus, hoc ipſo facile redditur, quod Chriſtus dixit. 233.
Feria 6. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.
Si naturæ humanæ durum eſt obedire Chriſti præcepto, longè eſt durius Gratiæ, naturam humanam non obedire Chriſto. 237.
Sabbato. Attendite ne Iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c. De reſpectibus humanis fugiendis.
Qui ſuam Iuſtitiam facit vt videatur, maximam quæ fieri poſſit, injuſtitiam videtur facere. 242.
DOMINICA VI. De multa turba ex paucis piſciculis & panibus, à Domino ſaturata.
Non quod times, timendum eſt, ne deſit tibi Deus: ſed ne tu deſis Deo. 247.
Qui nimis timet ne ipſi deſit Deus, non ſatis timet quod eſt magis timendum, ne ipſe Deo deſit. 253.
Ars omnium artium quæſtuoſiſſima, eſt Eleemoſyna. 257.
Niſi pauper affectu ſis, vix ſatis affectus eris in pauperes. 264

Digitized by Google

Feria 2. De prima petitione Orationis Dominicæ cui Superbia opponitur. Sanctificetur nomen tuum.

Primæ petitioni prima ſe opponit ſuperbia. Quod Illa petit, hoc iſta impetit. 269.

Feria 3. De 2. petitione cui Auaritia opponitur: Adveniat regnum tuum.

Qui terrena nimis deſiderat, timet potius quàm reuera deſideret, ne adueniat regnum Dei. 274.

Feria 4. De 3. petitione: & de Ira quæ illi opponitur. Fiat voluntas tua, &c.

Nihil Iracundi minùs volunt, quàm quod magis patet Deum velle. 278.

Feria 5. De 4. petitione, & de vitio Intemperantiæ illi oppoſito: Panem nostrum quotidianum, &c.

Ipſa Intemperantis oratio qua panem orat, intemperans eſt & temeraria. 283.

Feria 6. De 5. petitione cui opponitur Inuidia, odium, &c. Dimitte nobis debita nostra, &c.

Sicut pauci dimittunt ſuis debitoribus, ita & paucis ſua dimittuntur debita. 288.

Sabbato. De 6. petitione cui repugnat Impudicitia. Et ne nos inducas in tentationem.

Hanc ad cæteras impudentiam Impudicus adjicit, vt Deum orando irrideat. 294.

DOMINICA VII. De 7. petitione cui Acedia opponitur. Sed libera nos a malo.

Et de Euangelica Lectione: Non poteſt arbor mala fructus bonos facere, &c.

Vult & non vult piger. 299.
Qua ratione ſit vt plures dici poſſint malæ quam bonæ arbores: eadem prorſus fiet, ni caueas, vt mala potius quàm bona ſis arbor. 304.
Hac Hebdomada, quidquid poſt Sermonem Domini proximè dictum vel factum eſt, refertur ad ſeptem præcipuas virtutes. Id eſt, Thelogicas & Cardinales.

FERIA 2. De fide Centurionis à Chriſto D. commendata: NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL.
Majoris eſt animi ſe Diuinæ fidei ſupponere quàm ſe Illi opponere. 313.

FERIA 3. De ſuſcitato Viduæ Filio in ciuitate Naim: Et de ſpe retinenda in deploratis rebus.
Non certiùs in ſpem itur, quàm contra ſpem. 319.

FERIA 4. De Muliere peccatrice quæ dilexit multum. Et de Charitate in Deum.
Quæ Charitas dicitur, vniuerſa delicta operire, ea prius dicenda eſt vniuerſim aperire. 324.
Amantis lachrymæ eò ſuauiores quò amariores. 328.
Amori nihil eſt amarius quam quod ſentitur ſuauius. ibid.
Nihil eſt ad amorem augendum magis appoſitum, quàm quod amori fuit aliquando magis oppoſitum. 329.
Amanti Deum animæ magis mirum eſt, quod non à mundo ſic ametur & colatur Deus, quam ſit mirum Mundo non amanti quod ab Amante ſic ametur. ibid.
Si ſcires quid ſit Deum offendiſſe, non minus forte fleres quàm hæc peccatrix mulier. At vero non excuſaris quod illud neſcias. 330.
Amor Dei, mors eſt ſui. ibid.

Feria 5. De fugato Dæmonio cæco & muto : Et de noſtra per Chriſtum Fortitudine contra Inimicos.
Qua facilitate vincimur, eadem vincere poſſumus. 331.
Feria 6. De Verbis otioſis in die Iudicij condemnandis ; Et de vſu Temperantiæ in continenda lingua.
Quæ eſt Regula Temperantiæ in edendo, eadem eſt in loquendo. 335.
Vel ſic :
Eadẽ eſt oris Intẽperãtia in loquẽdo, quæ eſt in edendo. ib.
Sabbato. De injuſta petitione ſigni cæleſtis quod Iudæi quæſierunt à Domino : Et de iuſta eiuſdem negatione.
Niſi diligenter aduertas, quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod petis injuſtiùs. 340.
DOMINICA VIII. De prudenti Villico Iniquitatis : Filii huius saeculi prudentiores, &c.
Indigni ſunt ſua luce, lucis filij, qui minùs clarè vident in ſuis, quàm filij huius ſæculi. 345.
Filij huius ſæculi quò prudentiores in generatione ſua ſunt, eò ſibi majorem ingenerant imprudentiam. 350.
AD HÆC VERBA : *Redde rationem Villicationis tuæ.*
Qui ne terreatur, non cogitat reddendam rationem, magis terrendus eſt quia non illam cogitat. 358.
Qui ſe interrogat ante Iudicium, interrogatus in Iudicio facilius reſpondebit. 363.
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.
Importuni, opportuni.
Id eſt, quos modò habes magis importunos in petendo, poſſunt eſſe aliquando tibi magis opportuni, te apud Deum adjuuando. 368.

Hac Hebdomada, ſex Parabolæ quæ profectum in via ſpirituali deſignent, proponuntur.

Feria 2. Parabola ſeminis ſeminati in terram, triplici ex parte infælicem.

Verbum Dei non redit vacuum: aut proſit neceſſe eſt recipienti, vel obſit. 375.

Feria 3. Parabola Zizaniorum. Cum dormirent homines, &c.

Ne putes te benè ſemper excuſatum, cum dicis, non putabam. 380.

Feria 4. Parabola ſeminis paulatim germinantis & increſcentis, vbi exprimitur

Progreſſus ſpiritualis in quo quies & ſolicitudo ſimul iungendæ ſunt.

Neque quies niſi ſolicita. Neque ſolicitudo niſi quieta.

Vel ſic:

Quæ ad progreſſum ſpiritualem ſolicitudo valet, ſit quieta; vel non valet. 385.

Feria 5. Parabola grani ſinapis, & fermenti fermentati. De paruis magnifaciendis.

Nec magna benè, ſi parua malè. 389.

Feria 6. Parabola theſauri abſconditi in agro pro quo emendo dantur omnia.

Non tam ſpectatur quid dones pro Diuinis, quàm quid non dones. 394.

Sabbato. Parabola pretioſa margarita.

Quantùm peritus & prudens eſt Euangelicæ margaritæ Negotiator, Tu tantum imperitus es & imprudens, niſi proſpicias. 400.

DOMINICA IX. De lachrymis à Chriſto D. fuſis

ſuper Ieruſalem.
Niſi cor tuum moueatur ad Chriſti verba lachrymantis, Cor illud eſt de quo Sapiens: *Cor durum habebit malè in nouiſſimo.* 408.
Si te cognoſſes, hoc in te flendum noſſes quod deflet Chriſtus. 414.
Hac Hebdomada. De noſtris Concupiſcentiis Chriſto D. ſubjiciendis, exemplo poſito ex variis quæ occurrunt conſideranda.
Feria 2. De triplici hominum genere qui videntur velle ſequi Chriſtum, nec tamen Eum ſequuntur.
Affectum probat effectus. 418.
Feria 3. De ſedata maris tempeſtate, imperio Chriſti. Tace, obmuteſce.
Vox illa vox Chriſti eſt dum commoueris, Tace, obmuteſce: Nec tamen taces aut obmuteſcis. 424.
Feria 4. De legione Dæmonum imperio Chriſti ejecta ex poſſeßis corporibus.
Obedientia Dæmonum, noſtræ eſt condemnatio inobedientiæ. 428.
Feria 5. De ſanata Muliere Hæmorrhoiſſa.
Iniquè multùm agunt qui tam multa agunt ſanando corpori: tam pauca ſeruandæ animæ. 431.
Feria 6. De filia principis Jairi reſſuſcitata.
Quam Chriſto debet anima ſubjectionem, debet ita in corpore reddere, ac extra corpus. 435.
Sabbato. De duobus Cæcis à Chriſto D. illuminatis.
Quo magis oculata eſt Concupiſcentia, magis eſt cæca. 439.
DOMINICA X. De Pharizæo & Publicano.

Omnes inſipientes & infœlices ſupra modum, ſuperbi. 443.
Hac Hebdomada, De Miſsis ad prædicandum Apoſtolis, & de his quæ ſpectant ad Miſſiones.
FERIA 2. De oratione quam exigit Chriſtus D. vt mittantur Operarij in Meſſem.
Sic pium eſt orare Deum pro ſalute proximi, vt ſit impium non orare. 450.
FERIA 3. De diſcretione adhibenda iuuando proximo, & ſaluti animarum procurandæ.
Non plus vltrà. 454.
FERIA 4. De pace procuranda cum ſalute.
Pax in pugna. 460.
FERIA 5. De ſimplicitate iungenda prudentiæ.
In ſpirituali pugna fortior eſt ouis lupo. 463.
FERIA 6. De magnanimitate neceſſaria operariis Euangelicis: DICO VOBIS AMICIS MEIS, NE TERREAMINI, &c.
Plus eſt quod Chriſtus monet ne terreamur, quàm quod mouent Inimici vt nos terreant. 468.
SABBATO. De mala pace quam Chriſtus ſuis vetat.
Optabilius eſt bonum bellum quàm mala Pax. 473.
APPENDIX AD MISSIONES FRVCTVOSE OBEVNDAS. 478.
Præter Inſtructiones familiares certis horis habendas, ad vitam recte inſtituendam: Triginta proponuntur Capita, vnde materia Concionum deſumi poteſt, ad aſſequendum finem Miſsionum, qui eſt vera Conuerſio animarum: quibus adduntur quædam de Sacramento Confirmationis.
DOMINICA XI. De ſurdo & muto ſanato à Chriſto D.

Qui non audit, non audietur. 542.

Hac Hebdomada, De muliere Samaritana, ſiue de Anima peccatrice quæ in illa repræſentatur.

Feria 2. De ſiti Chriſti Domini loquentis Samaritanæ. Da mihi bibere.

Quod vel Inimico numquam negares, ſæpiſſimè recuſas Chriſto. 550.

Feria 3. De Cognitione ſui quam Mulier Samaritana, & Anima noſtra haurit à Domino.

Quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, omnem in nobis exhaurit faſtum. 553.

Feria 4. De Illuſtri Cognitione Chriſti Domini manifeſtantis ſeipſum Samaritanæ, & cuiuis peccatrici animæ.

Numquam illuſtriùs ſe manifeſtat Chriſtus quàm dum animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam, & peccatum latens ipſi manifeſtat. 559.

Feria 5. De ſublimi Cognitione Dei quam Chriſtus Samaritanæ communicat, & animæ ſibi addictæ, ſiue de Cultu Dei in Spiritu & Veritate.

Sicut Spiritus & Veritas ſunt indiuiſibiles, ita ſi in Spiritu & Veritate velis Deum adorare, oportet te toto indiuiſim Dei eſſe. 564.

Feria 6. De continua Communicatione Chriſti cum anima quauis gratioſa & fideli, ad benè ſemper agendum: Ego ſum qui loquor tecum.

Quod Chriſtus ſemper vellet nobiſcum loqui & agere, ſi vellemus: ſic certe volendum eſt. 568.

Sabbato. De zelo qui ex cognito Chriſto ſentitur, ad

Digitized by Google

Eum aliis manifeſtandum, exemplo Samaritanæ.
Rape ad Eum quos potes. Nam ſi potes & non rapis, tot cœlo perdis, quot Chriſto lucrari poteras. 575.
DOMINICA XII. Parabola Samaritani qui hominem à latronibus caſum curauit.
Si vis curari, cura. 584.
Hac Hebdomada poſt ſanatum in piſcina paralyticum, multa de Magnanimitate & Humilitate ſimul iungendis.
FERIA 2. De ſanato paralytico iuxta piſcinam, Vis ſanus fieri.
Quod videris tibi velle, velles quidem, ſed verè non vis. 593.
FERIA 3. De Humilitate Chriſti D. quæ poſt ſanatum paralyticum eminuit.
Hæc eſt maximè laudabilis Humilitas, quæ ſic laudes fugit vt laudanda non omittat. 597.
FERIA 4. De magnifica Chriſti humilitate, ſeu, de humili eius magnificentia; ex his eius verbis, Non poteſt filius à ſe facere quidquam niſi quòd viderit Patrem facientem.
Nullus eſt diues, humili quantumuis paupere, magnificentior. 602.
FERIA 5. De ſublimi & humili poteſtate iudicandi homines quam Chriſtus ſibi datam dicit.
Superbo maximè formidandum Diuini Tribunal Iudicij. 607.
FERIA 6. De Claritate Chriſti quam non accipit ab hominibus.
Claritas quæ ab hominibus accipitur, mera eſt obſcuritas. 612.

SABBATO

SABBATO. De Repugnantia & Incompatibilitate Fidei cum vana gloria.

Ne Diuina pereat Fides, pereat potius humana gloria. 616.

DOMINICA XIII. De decem Leproſis mundatis à Domino, quorum vnus duntaxat acceptum agnouit beneficium.

Verè paucorum eſt vera Gratitudo. 620.

Hac Hebdomada, De multiplicatis panibus, & de SS. Sacramento cuius figura quædam fuit illa panum multiplicatio.

FERIA 2. De ſeceſſu Domini & Diſcipulorum eius in deſertum.

Chriſto non ſeruit, qui Chriſto quidem laborat, ſibi verò quieſcit. 627.

FERIA 3. De multiplicatione panum quibus quinque hominum millia ſaturantur.

Quod præſertim ſpectat Chriſtus, non eſt quid ad ſe afferas, ſed quid à te auferas. 630.

FERIA 4. De ſubmerſione Petri ambulantis ſuper aquas.

Res aduerſæ non poſſent quemquam dejicere, niſi ſe his priùs vellet ſubjicere. 635.

FERIA 5. De ſanctiſsimo Sacramento, vt eſt panis vitæ. Ego ſum panis vitæ.

Quàm pretioſus eſt Panis vitæ, tanto in pretio eſſe deberet vita, cuius eſt Panis.

Vel ſic:

Quàm parùm pretioſus tibi ſit Panis vitæ, apparet ex paruo pretio, in quo illam habes vitam. 639.

FERIA 6. De Sacratiſſ. Sacramento vt eſt Panis de cælo,

Qui cœleſti pane ſic viuunt vt cœleſtes fiant, ita viuunt in ſuis corporibus, ſicut Cœlites in aſſumptis. 643.

Sabbato. *De Diuiniſsimo Sacramento in veteri Manna figurato.*

Qui oblatam expellit Sacramenti gratiam qua Diuinus eſſe poſſit, non minùs forte peccat quàm qui olim Manna repulerunt. 646.

DOMINICA XIV. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, &c.*

Vel Domino Deo, vel libidini renuntiandum. 652.

Solicitudo animi tantò minus probanda eſt, quantò magis probat Chriſtus, ſeu quantis demonſtrat rationibus, ne ſimus ſoliciti. *Octo afferuntur in textu Euangelij.* 659.

Niſi primùm quæras regnum Dei, quantumuis aliter illud quæras, non acquires. 662.

Sic primò quæri debet regnum Dei, vt ſecundo nil ita quæri poſſit. 667.

Hac Hebdomada, quidquid capite 15. Matthæi continetur de accuſatis Diſcipulis, quod non lauarent manus, & ſimilia quæ repræſentant Illuſiones quaſdam occurrentes in via ſpirituali, quibus proſpicitur.

Feria 2. *Queruntur Scribæ & Phariſæi apud Dominum de Illius Diſcipulis.*

Nec propter alios à bono te excuſabis, nec quemquam alium propter te accuſabis. 673.

Feria 3. *Reſpondet Dominus Phariſæis.*

Nemo ſui boni vel mali, bonus Iudex. 677.

Feria 4. *Populus hic labiis me honorat, Cor autem eorum longe eſt à me.*

Quò ſæpe vehementiùs Deum oras, ore quidem Illi adſtas propiùs, ſed corde diſtas longiùs. 683.

Digitized by Google

Feria 5. Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.
Humana Conſilia eò ſæpe pejora, quò meliora. 687.
Feria 6. De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem.
Etſi in aliis hominibus Concupiſcentia ſæpe peccatum minuit: In te tamen ſæpiùs auget. 692.
Sabbato. De muliere Cananæa.
Sicut non ſatis fidit Deo qui nimis ſatagit: ſic qui de ſuo non ſatis agit. 696.
Die 11. Iunii. De ſancto Barnaba. Erat vir bonus & plenus Spiritu ſancto.
Tantò vnuſquiſque eſt magis aut minùs verè bonus & ſanctus, quanto magis minuſue participat de Spiritu ſancto. 701.
Die 21. Iunii. De B. Aloyſio Gonzaga Societatis Iesv. Conſummatus in breui, expleuit tempora multa.
Mendaces filij hominum in ſtateris, ſi res non pendunt cœli pretio. 705.
Die 24. Iunii, In Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ. Quis putas Puer iſte erit?
Sicut prima & puerilis ætas, index eſt ſecuturæ vitæ præſentis, ita hæc vita præſens, indicium eſt futuræ pòſt æternitatis. 709.
Sanctus Ioannes Electis eſt, ſicut ſagitta electa. 715.
Die 29. Iunii. In Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.
Sicut fide, ſic moribus, veri probantur ſubditi tantorum Principum. 718.

De S. Petro. *Et ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini.*
Cui ſanctus Petrus petra viua non eſt, petra eſt ſcandali. 725.
De S. Pavlo. *Imitatores mei eſtote, ſicut & Ego Chriſti.*
Licet Pauli magnitudo vix ſit imitabilis: vix tamen alius eſt magis imitabilis quàm magnus Paulus. 732.
Die 2. Ivlii. *In Feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis.*
Diuinæ Viſitationes rarò conueniunt cum humanis, niſi hæ raræ ſint. 739.
Die 22. Ivlii. *In Feſto S. Mariæ Magdalenæ. Vides hanc mulierem?*
Tantum à perfecta pœnitentia deficies, quantum à pœnitente Magdalena diſcedes. 745.
Magdalena ſeu Anima verè pœnitens, verus eſt Chriſti triumphus. 752.
Sicut Amor de Chriſto triumphat in Cruce: ita Chriſtus de amore, in anima peccatrice Cruci ſubjecta. ibid.
Quem non perfectè pœnitet, Chriſti triumpho inuidet. ibid.
Die 25. Ivlii. *In Feſto S. Iacobi Apoſtoli, Poteſtis bibere Calicem, &c.*
Sicut poſſumus, ſic debemus.
Qua ratione tenemus nos poſſe bibere Calicem Domini, eadem tenemur bibere. 753.
Die 26. Ivlii. *In Feſto S. Annæ. Dominus mortificat & viuificat.*
Qui non vult mortificantem Dominum, non vult viuificantem. 759.

DIE 31. IVLII. *De S. Ignatio Fundatore Societatis* JESV. *Ad majorem Dei Gloriam.*

Nulla operando poteſt eſſe major Gloria, quàm quærendo majorem Dei Gloriam. 763.

Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Pſ. 67.

Qui excellentior mentis exceſſus eſt, ſic ad exemplum noſtrum excellit in vita S. Ignatij, vt tota ſit Eius vita ſimul ecſtatica, & tota exemplaris. 772.

Ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Iſ. 49.

Quanto ſalutem omnium ſtudio procurauit ſanctus Ignatius, tam ſtudioſi omnes Illius eſſe debent, quibus eſt curæ ſua ſalus. 794.

DIE 4. AVGVSTI. *De ſancto Dominico Ordinis FF. Prædicatorum Fundatore.*

Nec lucere tantum, nec ardere: ſed vtrumque ſimul. 796.

DIE 6. AVGVSTI. *In Feſto Transfigurationis Domini: Hic eſt filius meus dilectus, &c.*

Nullus eſt Chriſtianus qui non credat Chriſtum eſſe filium Dei: & vix eſt vllus Chriſtianus, qui hoc verè credat. 802.

DIE 10. AVGVSTI. *In Feſto S. Laurentij Martyris. Noli timere, cum ambulaueris in igne, non combureris, &c.*

Quò à ſuis Chriſtus abeſſe putatur longiùs, hoc ipſo propiùs ipſis adeſſe putandus eſt. 810.

DIE 15. AVGVSTI. *In Aſſumptione B. Mariæ Virginis. Porrò, vnum eſt neceſſarium.*

Digitized by Google

Quod vnum eſt in Aſſumpta Virgine glorioſius, hoc eſt Aſſumptum ex Illo Vno neceſſario de quo Chriſtus. 816.

Stellam è Corona Virginis extrahis qui humilitati tuæ partem detrahis.

Reginam ſine regno dicimus, cum B. Virginem dicimus huius præcipue regni Reginam, nobis non Illi ſubjectis. 835.

Quàm Chriſtus in Matrem pius eſt, concedendo Illi omnia: tam ſumus impij, negando quod poſtulat. 838.

Quò te minùs ſentis amare Chriſtum, hoc ipſo magis amore mori poteris. 846.

DIE 20. AVGVSTI. *In Feſto S. Bernardi Abbatis. Homo ſanctus manet in Sapientia ſicut Sol.*

Vera Deuotio inter varietates locorum & temporum, inuariabilis. 846.

DIE 25. AVGVSTI. *De S. Ludouico Rege. Certamen forte dedit Illi vt vinceret.*

Ille inter potentes Potentiſſimus, qui contra magnam peccandi potentiam certat & vincit. 856.

DIE 28. AVGVSTI. *De S. Auguſtino Epiſcopo & Doctore. Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.*

Sagittæ Diuini amoris quanto magis lethiferæ, tantò magis viuificæ. 862.

DIE 29. AVGVSTI. *In Feſto Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.*

Mors Ioannis, Vox clamantis in deſerto cordis eſt, contra proprias Concupiſcentias. 872.

De VOTIS RELIGIOSIS. *In die profeſſionis. Holocauſta tua in conſpectu meo ſemper.* 877.

Digitized by Google

Profeſſus idem ac profitens.

De voto Paupertatis. Quò quis pauperior, eò ditior. 884.

De voto Castitatis. Major eſt voluptas voluptatem nolle, quàm velle: voluptatem viciſſe, quam cæpiſſe. 887.

De voto obedientiae. Quàm glorioſa eſt ſimilitudo Chriſti, tam glorioſa eſt Obedientia. 893.

De Renovatione Votorum. Prima die Recollectionis antecedentis. De ficu infructuoſa.

Religioſus infra vel ſupra regulam ſuam viuens, ficus eſt ficum non ferens. 899.

Die 2. Quod te imparatum magis reddit ad ferendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere. 905.

Die 3. Quantò minùs puniri timet infructuoſus, tantò iam magis punitus eſt.

Fruſtra tibi Cultor ſi culturam non pateris. 913.

In die Renovationis.

Vota non rectè renouas, niſi te vota renouent. 914.

ERRATA TERTIÆ PARTIS.

Pagina.	*Linea.*	*Erratum.*	*Correctio.*
17	26	eſſe, ſed quid	eſſe, quid
30	20	vnaquoque die	vnaquaque
48	29	Qui moleſtiæ	Quid moleſtiæ
113	19	pretioſa quæ que	quæque
142	35	deſitetiam	deſit ticam
159	10	Beatitu dine	Beatitudine
276	25	Sacramento Dei	Sacramenta
278	27	magis pater	patet
295	29	omiſſum	Sabbato
309	25	ſupora regulam	ſupra
341	25	nobis occidit	accidit
385	7	afferque illud	affertque
410	27	quodammoda	quodammodò
440	30	occulatos	oculatos
6 4	6	deinde eſt quando	deinde, quando eſt
702	4	quanti quemeriti	quantique meriti
760	27	hoc eſſe petere	hoc eſſet

DOMINICA

Digitized by Google

DOMINICA SANCTISS. TRINITATIS, QVÆ EST PRIMA POST PENTECOSTEN.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum. Iſ. 6. Apoc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Peruerſa quædam eſt in Mundo Trinitas, quæ niſi caueatur, Diuinam in nobis peruertit Trinitatem.

RATIO EST, Quia tunc diuina in nobis Trinitas peruerti dicenda eſt, quando vel errore in intellectu, vel concupiſcentia in voluntate, tria hæc quæ ſunt præcipua myſterij capita violantur; Vnitas eſſentiæ, Trinitas perſonarum, & æqualitas perfectionum.

Sed triplex concupiſcentia de qua dicitur; Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; *Peruerſa quædam eſt in mundo Trinitas quæ niſi caueatur, tria hæc præcipua capita in noſtra violat voluntate.* 1. Ioan. 2.

Digitized by Google

Ergo & diuinam in nobis peruertit Trinitatem. Quod cum ſit ſummopere deteſtandum, apparet quàm ſit cauenda triplex illa concupiſcentia.

PRIMVM PVNCTVM.

QVOD vniuerſim Scriptura monet ne de rebus diuinis & ſublimibus ſermones & diſcurſus multiplicentur, hoc particulatim de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis ſancti Doctores dictum volunt; *Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes.* 1. Reg. 2.

Non vetat omnino loqui, ſed *multiplicare loqui*, id eſt, nimis multa & plura quàm neceſſe ſit ad fidem & cultum Diuinitatis; Et certe neceſſe eſt omnino loqui de hoc Myſterio, cùm primum ſit quod loqui & audire debeamus, quia primum eſt & magis neceſſarium quod credere & colere teneamur: ſed cùm tam multa ſint in eo ſublimia, recondita, ſingularia, & ſingulariter excedentia noſtram intelligendi facultatem, periculoſum eſt ne ſi plura quàm par ſit multiplicentur, ſit potius curioſitatis & vanitatis, quàm religionis & obſeruantiæ quæ ſumma tamen adhiberi debet in hoc recolendo Myſterio.

Eccleſi. 3. Hoc ipſum eſt quod commendabat Sapiens: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus*; Quæ quidem curioſitas ſi timenda eſt in operibus Dei quæ dicuntur *ad extra*, quantò magis cauenda eſt in iis quæ ſunt *ad intra*, quæ venerationem atque admirationem magis poſtulāt quam diſcurſum?

Nec leuiter prætereundum eſt quod ibi dicitur, *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*; nam perinde eſt ac ſi diceretur, quando de Diuinitate cogitas, cogita ſemper ſeu potius de excolenda voluntate tua per veram obedientiam & charitatem, quam de colendo intellectu per multam ſcientiam & cognitionem; neque enim minus obeſt ad debitum Deo cultum exhibendum, deprauata per concupiſcentiam voluntas, quàm corruptus per errorem intellectus: Vnde grauiter ſanctus Leo; *Virum Catholicum ſicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari.* Cur enim vitandus eſt error niſi quia repugnat veritati quæ neceſſaria eſt

Digitized by Google

credendis & colendis myſteriis? Sed nonne Charitas æque neceſſaria eſt colendo Deo, ac Veritas? & nonne Charitati æque repugnat praua cupiditas, atque error veritati? Nonne ergo æque cauenda cupiditas? Nonne ergo æque cogitandum de illa cauenda vbi de diuinis myſteriis agitur, atque de errore vitando?

Quamobrem ad Diuini cultus praxim ſic eſt propoſita Veritas quæ modo expendatur, vt in ea expendenda ſimul intelligamus quod ſicut in intellectu ita in voluntate noſtra, conſtituitur aut euertitur Diuinitatis cultus; ſicut in intellectu per errorem euertitur, ita in voluntate per cupiditatem; ſicut denique in tribus quæ ſunt præcipua Myſterij hodierni capita verſari poteſt error, ita in his ipſis peruerſa ſiſtit cupiditas, quæ cum ſit triplex triplicem quandam in mundo facit Trinitatem quæ diuinam in nobis plane peruertit, niſi diligentiſſime caueatur.

Ac primo quidem tria illa quæ dicuntur præcipua Myſterij ſanctiſſimæ Trinitatis Capita vide quam commodè comprehendantur verbis allatis, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Sabaoth ſeu exercituum*. Quod enim in ſingulari numero dicitur *ſanctus*, vnus eſſe Deus & Dominus intelligitur; Vnus vnitate eſſentiæ, ſubſtantiæ, & naturæ; Nec vllo modo poſſunt eſſe plures. *Non eſt ſanctus vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te*; Eſt quidem alius *intra* ſed non *extra*; *& ita eſt alius intra vt non ſit aliud*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus. *1. Reg. 2.*

Quod vero ter repetitur *ſanctus*, Trinus eſſe in perſonis Deus denuntiatur, vt alibi paſſim ſcripturæ declarant diſtinctius: *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*, Pater ſeipſum intuens perfectam ſui generat imaginem, qui Filius eius eſt eiuſdem prorſus ſubſtantiæ; Non eſt enim otioſus & infœcundus Ille qui dat omnibus creaturis vim producendi ſimile. *Numquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? ſi ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Hic autem Filius ſic à Patre diligitur vt Patrem ſimiliter diligat, atque ex hac mutua dilectione producitur Tertia Perſona quæ Spiritus ſanctus dicitur, eiuſdem etiam cum Patre & Filio naturæ & ſubſtantiæ, non creatus nec genitus, ſed procedens ex vtroque. *1. Ioan. 5.* *Iſ. 66.*

Nihil quidem in creatis eſt ſimile, ſed tamen à creaturis poſſunt deduci quædam ſimilitudines quæ hanc Trinitatem Perſonarum repreſentant; vt in ſole, ſubſtantia eſt ſolis, radius, & ca-

Digitized by Google

lor. In anima, tres ſunt facultates, memoria, intellectus, & voluntas. In fonte reperitur ſcaturigo, fons & riuus. In arbore, radix, truncus, rami. In ſpeculo, materia ſpeculi, ſpecies rei repreſentatæ per ſpeculum, & eiuſdem reflexio ad oculum. In ſermone ſeu verbo, res concepta, conceptus, & expreſſio: ſicque in aliis pluribus.

Quod denique ſanctus & ſimili prorſus modo ter ſanctus dicitur Dominus, ſic perfectus in ſubſtantia & æqualiter in perſonis & attributis perfectus eſſe agnoſcitur; Nam licet innumeræ ſint aliæ perfectiones, vna tamen omnes comprehendit Sanctitas, & idcirco præcipue memoratur quia nobis præcipuè proponitur imitanda; non Potentia, non Altitudo, non Scientia, non Inde-

Leuit. 11. 1. Pet. 1. pendentia quam peruerſè rebellis angelus & primus homo ambierunt; ſed ſanctitas quæ omnibus commendatur: *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.*

Hæc ſunt itaque tria præcipua quæ de Patre, de Filio, & de Spiritu ſancto ſine differentia diſcretionis ſentienda proponuntur, *vt in confeſſiona veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas, quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non ceſſant clamare quotidie vna voce dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth.* Sic adora, ſic venerare, ſic conclude: Quandoquidem in his tribus ſumma credendorum de myſterio Trinitatis conſiſtit, ſi quid contra in intellectu per errorem, aut in voluntate per concupiſcentiam opponatur, plane in nobis deſtrui & peruerti diuina Trinitas dici poſſit & debeat, quia ſic fides per errorem perit, & Charitas per concupiſcentiam: pereunte autem fide & charitate, perit aut peruertitur diuinus ſanctiſſimæ Trinitatis cultus qui in illis maxime virtutibus ſitus eſt, ac tandem vbi peruerſus eſt Trinitatis cultus, nonne ibi peruerſa dici poteſt & ipſa diuina Trinitas?

O altitudo diuitiarum non modo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ſed & bonitatis & potentiæ qui ſic patitur à nobis ſua in diuinitate & natura violari, & offendi!

SECVNDVM PVNCTVM.

SED *triplex concupiſcentia de qua dicitur:* omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, &

Digitized by Google

ſuperbia vitæ, *peruerſa quædam eſt in mundo Trinitas, quæ tria illa præcipua diuini myſterij capita in noſtra violat voluntate.*

In noſtro quidem intellectu tres eſſe poſſent errorum ſpecies quæ veram eorum trium capitum fidem euerterent; vt primo Atheiſmus, & paganiſmus qui vel Deum negant aut plures deos faciunt. Deinde Iudaiſmus, Arrianiſmus, & Sabellianiſmus qui vel negant Trinitatem perſonarum, aut diſtinctionem, aut diuinitatem. Denique blaſphemiarum horrenda monſtra quæ vel Diuinam Prouidentiam & Scientiam vel Bonitatem & Iuſtitiam diffitentur. Sed in his non immoramur quia contrà per Dei gratiam, *fide ſtamus.*

Verùm non ita forte credimus aut intelligimus quæ de Cupiditate dicuntur; ac proinde illa fuerunt expreſſius diſtinguenda quæ modo ſingillatim & accurate expenderentur per tria illa capita, quorum primum eſt de Vnitate Dei, quam concupiſcentia tam verè deſtruit & peruertit quàm verum eſt per concupiſcentiam committi peccatum mortale, & in quolibet mortali peccato poni vltimum finem.

Non ſemper quidem mortale eſt quod parit concupiſcentia, ſed quoties tale parit peccatum, ſemper ita conſtans & verum eſt quod in eo ponitur vltimus finis, vt id de fide ſit; hoc autem poſito quid ſequitur niſi Vnitatem Dei deſtrui? Nam cùm ſit ita proprium Deo, eſſe vltimum noſtrum finem vt niſi talis eſſet non eſſet Deus, certe peccator qui hanc à Deo tollit perfectionem, quantùm in ipſo eſt, tollit ab eo Diuinitatem à qua inſeparabilis eſt illa perfectio; & dum illam ipſam perfectionem attribuit creaturæ quæ eſt obiectum ſui peccati, ponit in ea ſimul quandam diuinitatem ſeu quandam Idoli & Idololatriæ ſpeciem, non quidem iudicio & cogitatione, ſed affectu & æſtimatione, vt loquuntur Theologi conformiter ſacræ Scripturæ ſanctiſque Patribus.

Confitentur ſe noſſe Deum, inquit Apoſtolus, *factis autem negant*, Tit. 1.
Id eſt ſpeculatiuè & intellectu, fatentur eſſe Deum vel illum eſſe Deum qui credendus & colendus proponitur: ſed voluntate & affectu illum negant, quatenus id omne faciunt in praxi circa obiectum ſui peccati quod ſoli Deo debetur; nempe ſic toti cogitant, ſic laborant, ſic afficiuntur, ſic mouentur, ſic eò intentiones & affectus omnes dirigunt quaſi illud quod concupiſcitur eſſet Deus; quod erat ſoli Deo dandum negant, & quod erat negan-

Digitized by Google

Rom. 1. dum creaturæ, concedunt; *Commutauerunt*, inquit idem Apoſtolus, *veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quam Creatori.* Quod & ſanctus Petrus appoſitè exprimit, dum vno verbo ait, *Eum qui emit eos, Dominum negant:* quaſi diceret, licet fateantur ſe ab eo emptos & ſe eius eſſe ſeruos, tamen id verbo tenus dicunt, nam reipſa, non ei ſeruiunt, ſed ventri, vel honori, vel pecuniæ, ſeu potius concupiſcentiæ, quæ fertur circa illa obiecta, vnde & vocat illos *ſeruos corruptionis*, & addit rationem, *à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Sic & rurſum Apoſtolus: *huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt ſed ſuo ventri.* Quod vt manifeſtius ſignificet quàm ſit oppoſitum vnitati Dei, addit alibi: *Quorum Deus venter eſt:* Et de cupiditate pecuniæ, *Idolorum*, inquit, *eſt ſeruitus*; Iterumque alibi quod videtur propius dicere de auaritia, de omni alia concupiſcentia facile eſt intelligere, dum ait: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus*; quaſi diceret; tot ſunt ſimulachra & idola quibus tanquam Deo ſeruitur quot ſunt malæ concupiſcentiæ. Quod diſertis verbis affirmat ſanctus Hieronymus in illum pſalmi verbum, *non erit in te Deus recens*; QVÆCVMQVE, inquit, *habemus vitia & peccata, tot recentes habemus deos; vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus eſt; Et quoties vitiis vincimur, Deum negamus.*

2. Pet. 2.

Ibid.

Rom. 16.

Phil. 3.
Eph. 5.

Coloſſ. 3.

Pſ. 80.

Sanctus quoque Cyprianus aut quiſquis eſt author tractatus de duplici martyrio qui apud eum habetur, ſic præclare; *Cùm Tyrannus dicit, abnega Chriſtũ, & immola Ioui, ſæpe lingua negat, corde reclamante; quanquam hoc grauiſſimum crimen, tamen aliquam impietatis culpam eleuat humanæ naturæ imbecillitas. Tibi Satanas loquitur per tuam concupiſcentiam: abnega Chriſtum & eſto diues; ſacrifica Mammonæ, & Chriſto nuntium remittito; Nec dicit, morere, ſed potius oblecta oculos. Et tamen hic ſponte ſubmittis genua Satanæ, & abnegato Chriſto, te totum illi mancipas!* In quibus verbis & aliis quæ plura de hoc argumento habet, aduerte non aliter illum velle peccatorẽ Chriſto renuntiare quàm dum concupiſcentiæ ſatisfacit; hoc enim ipſo quo illi ſatisfacit, ſtatuit ſibi nouam quandam diuinitatem, & veram deſtruit; *Verterunt ad me tergum & non faciem!* ô prauitatem concupiſcentiæ, ô animi praue concupiſcentis dementiam!

Ier. 2.

IAM verò quod ſecundum eſt caput, Trinitatem perſona-

Digitized by Google

rum multis modis expugnat Concupiſcentia ſeu peccatum. Primo quidem eâ fœdatur anima in triplici ſua potentia quæ eſt Trinitatis imago, vnde in peccatorem ſic grauiter S. Ambroſius: *Tu qui accepiſti imaginem Dei, qui habes ſimilitudinem eius, noli eam irrationabili fœditate conſumere.* Deinde quia ſingulis perſonis, peccatum ſingularem quandam infert iniuriam: nempe Patri vt Creatori; Filio vt Redemptori; Spiritui ſancto vt Sanctificanti animam; ſicque creatura perit quodammodo Creatori; perit Redemptionis pretium, tot pereunt gratiæ quot receperat vel recepiſſet anima ſi ſine peccato eſſet! ô quæ perditio! *In caput 15. Lucæ.*

Tertio denique vel maximè quia vnicuique Diuinæ Trinitatis Perſonæ, ſic vna ex tribus illis prauis concupiſcentiis directe opponitur, atque vt eſt illis oppoſita ſic à mundo adoratur & colitur, vt verè quidam poëta ſcripſerit apud Cornelium. *In ep. 1. Ioan. c. 2.*

Ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas.
Hæc tria pro trino Numine, mundus habet.

PATRI opponitur auaritia ſeu concupiſcentia diuitiarum, quia cùm Prima Perſona ſit origo bonitatis, & omnium bonorum quæ effusè communicat ſiue ad intra vt vocant, ſiue ad extra: vt pote *à qua deſcendat omne datum optimum & omne donum perfectum,* vt ait ſanctus Iacobus, nihil illi magis oppoſitum eſſe poteſt quam illa concupiſcentia quæ nimis cupide rapit aliena, & nimis auide retinet ſua. *Iac. 1.*

FILIO cuius generatio diuina & humana tam pura eſt vt Pater fœminam neſciat, & Mater virum non cognoſcat, nefandè opponitur concupiſcentia carnis; ac proinde *ex iniquis omnibus quos nouit Dominus in diem iudicij reſeruare cruciandos, magis autem eos reſeruat,* inquit ſanctus Petrus, *qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant.* *2. Pet. 2.*

SPIRITVI SANCTO qui ſuper humilem & trementem ſermones ſuos, requieſcit, & qui vt ait ſanctus Auguſtinus, *maxime ab humili recipitur, & à ſuperbo reiicitur,* aduerſatur illa concupiſcentia quæ dicitur ſuperbia vitæ, & quæ tumentes & inflatos ſpiritus in homine mouet, tam oppoſitos Spiritui ſancto, vt propterea dicatur, *quem mundus non poteſt accipere, quia non videt, nec ſcit eum.* *Ioan. 14.*

RESTAT tertiũ de Perfectionibus diuinis conſiderare; primò

quidem quàm fœde & procaciter peſſundentur omnes à concupiſcentia ſeu peccatore: Cum enim peccando nullam prorſus rationem habeat Diuinæ Immenſitatis & Præſentiæ quam reuereri deberet, nullam Sapientiæ aut Sciẽtiæ cui nihil eſſe poteſt occultum, nullam Bonitatis à qua ſuſtentatur, nullam Iuſtitiæ quæ peccati pœnas repoſcet, nonne quoties peccat, tùm in diuinas illas inſurgit perfectiones? Deinde vero conſidera quàm virtutis & perfectionum inæqualitatem in Deo ponat pro ſua quiſque concupiſcentia; facile enim auarus credet Deum odiſſe ſuperbiam aut luxuriam alterius, ſed non ita ſuam cupiditatem, quam vocat prudentem ſolicitudinem. Contrà verò ſuperbus aut carnalis, in auarum quidquid aduerſus peccatores ſcribitur, intorquebit: & quæ diuina ſunt dicta contra ſuperbiam quam vocat animi celſitudinem, irridebit. *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis?* *Pſ. 49.*

Denique quod ait ſanctus Bernardus de voluntate propriâ, propriè de concupiſcentia concupita ſeu volita debet intelligi: *Nunc autem & ipſum* inquit, *quantum in ipſa eſt, Deum perimit. Omnino enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quæ quantum in ipſa eſt vult eum aut impotentem, aut iniuſtum eſſe, aut inſipientem. Crudelis plane, & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.* Id quidem horribile eſt dictu: ſed facto quàm longe eſt horribilius? *Serm. 3. de reſur. Dom.*

TERTIVM PVNCTVM.

HINC *ergo patet quàm verè triplex illa quæ in mundo eſt concupiſcentia ſit velut peruerſa quædam in mundo Trinitas, quæ niſi diligentiſſime caueatur, Diuinam in nobis peruertit Trinitatem.* Sic enim in re concupita peccator acquieſcit vt in ea ſuum ſummum bonum ſuamque beatitudinem videatur ponere. Probe ſcit impius, aut profecto ſcire debet, ex peccato, cœleſtem illam & æternam perire fœlicitatem, nihil tamen curat, ſatis ſe beatum putat ſi quod concupiſcit poſſideat; vellet nullam aliam eſſe fœlicitatem præter concupiſcentiam, aut ſe aliam ſimul facile conſequuturum ſibi fingit: atque interim quod pro ſola Diuina & beata Trinitate fruenda deberet facere, facit pro ſua triplici concupiſcentia,

Digitized by Google

concupiſcentia, quod facere quid eſt aliud quam ſe velut Deum habere, proh nefas! & vnum illum ac trinum Dominum quem columnæ cœli pauent, & ad cuius nutum contremiſcunt abnegare, deſpicere, aſpernari! *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer*! fierine poteſt vt homo hæc ſciat, vt Chriſtianus hæc credat & cupiditati peccando cedat! *Ier. 2.*

Multum refert in hac materia probe illud intelligere quod de vltimo fine & ſummo bono in re concupita poſito, atque à Diuinitate ſublato dicitur; Hinc enim tota peccati grauitas & tota concupiſcentiæ pernicies. Quàm ſint autem vera quæ dicta ſunt ſic vniuerſim confirmat ſanctus Auguſtinus vt quæ de vna dicit concupiſcentia diuitiarum ſeu de auaritia, de aliis facile intelligatur. *Peruerſi*, inquit, *& auari, frui volunt nummo, vti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt, quia nimirum licet Deum agnoſcant, & reuereantur tamquam rerum omnium parentem, immoderato tamen affectu quo in ſordibus pecuniæ inhæreſcunt, Eum vltimum & ſummum bonum eſſe re & facto negare videntur, itaque in pecunia conquieſcunt, ac ſi nulla Dei cura & prouidentia egere deberent vnquam.* *Lib. 2. de Ciuit. Dei. c. 25.*

Hæc declarari poſſent fuſius, ſed ad praxim, illud Tobiæ tibi tuiſque familiare ſit, atque in ore aſſiduum: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato conſentias.* In mente habeto, Deum vnum eſſe, & Trinum & Sanctum; & hanc vnitatem & Trinitatem & Sanctitatem per peccatum violari! Si nolles errorem in intellectu, noli cupiditatem in voluntate: ſi nolles negare intellectu Deum, noli eum voluntate & factis negare. Si nolles credere plures Deos, noli plures peccando facere: ſi nolles veram & diuinam Trinitatem non credere, noli falſam illi & mundanam opponere. *Poſt concupiſcentias tuas non eas & à voluntate tua auertere; Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius; ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo.* Quid æquius? aut quid contrà iniquius? *Tob. 4.* *Eccli. 18.* *Rom. 6.*

Vide in 4. parte, Fer. 2. Hebd. 16. vbi hæc declaratur veritas:

Niſi ab omni cupiditate voluntas, ſicut ab omni errore intellectus verè conuertatur, vix vlla eſt vera conuerſio.

Digitized by Google

EODEM DIE.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Sicut negando potiùs quàm affirmando Deus cognoſcitur, ita & diligitur.

SENSVS EST, Quòd ſicut ex duobus modis quibus cognoſci poteſt Deus, nempe negatione & affirmatione, melius negatione quàm affirmatione cognoſcitur: ita ex duobus præceptorum generibus, nempe negatiuis & affirmatiuis ſiue poſitiuis, qui ſunt duo etiam modi quibus diligi poteſt Deus, melius negatiuis diligitur quam affirmatiuis, quod eſt apprime ſciendum, ad veræ Charitatis praxim.

RATIO magis vniuerſalis quæ alias in ſe continet, ſiue pro cognitione, ſiue pro dilectione Dei, hæc eſt, quia tunc Deus dicitur melius in hac vita cognoſci & diligi, quando minus imperfectè cognoſcitur & diligitur.

Sed minus imperfectè cognoſcitur & diligitur negatione quàm affirmatione.

Ergo & ſic melius cognoſcitur & diligitur: ac propterea modus iſte negationis eſt perquam neceſſarius ſcitu & factu.

I. PVNCTVM.

QVOD in Sacratiſſimo Diuinæ Trinitatis Myſterio magis conſiderandum eſt, hoc in eius Religioſo cultu, nobis eſt etiam magis obſeruandum.

Quid porro magis conſiderandum eſt in hoc Sacro ſancto Myſterio, quàm quòd Deus intellectu ſuo ſe perfectè cognoſcens, Verbum ſuum, id eſt, ſui perfectam imaginem generat: & voluntate ſimul cum ſuo Verbo ſeſe diligens, Spiritum Sanctum

ſpirat ac producit? Hæc ſumma dicendorum omnium, ſed ſumma quæ dicendo nunquàm conſummabitur. *Non eſt inuenire magnalia Dei: Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet.* Eccleſi. 18.

Atque hoc eſt etiam quod in Sancto eius cultu, quem potiſſimum hic ſpectamus, nobis præcipuè venit obſeruandum, vt ſcilicet intellectum exerceamus ad Diuinas perfectiones cognoſcendas, & voluntatem ad illas ex æquo diligendas. Hi ſunt duo pedes quibus ad Deum ambulatur; hæ ſunt duæ alæ quibus ad ipſum volatur, & duo brachia quibus eum amplectimur. Ambulatur ab incipientibus in via purgatiua; volatur à proficientibus in illuminatiua via; & qui dicuntur perfecti, dicuntur in Vnitiua præſertim illum amplecti. O quis ſuaues illos amplexus explicet? quis vel alas quibus volatur, aut greſſus quibus ambulatur?

Ex multis duo ſunt magis generales modi quibus id agitur & declaratur, negando ſcilicet & affirmando; Quod vt fructuoſius, & ad praxim accommodatius fiat, ſic ipſos explicandos ſuſcipimus, vt iam ex ipſo intelligamus limine, *Negando potiùs quàm affirmando Deum poſſe à nobis cognoſci & diligi.*

Ratio producetur commodiùs, quando de duobus illis modis, quantum ſatis eſt ad eorum intelligentiam, ex ſanctis Doctoribus aliquid delibatum erit. Primus qui ad Deum cognoſcendum illos propoſuit, ſanctus Dionyſius, ſic vtrumque paucis expreſſit, dicens, *Deum eſſe* πάντων θέσιν καὶ πάντων ἀφαίρεσιν, *omnium poſitionem & omnium ablationem:* quia videlicet cùm eminenter omnia contineat, ſic dicitur omnia ponere: At cum illa longe alio modo contineat quàm quo concipimus, ſic dicitur illa formaliter excludere ſiue auferre. Quod ſancti Dionyſij dictum, qui deinceps de cognoſcendo Deo ſcripſerunt, dilucidant duplici ſimilitudine ſculptoris & pictoris. Sicut enim ſculptor non niſi detrahendo & auferendo ſubiectam elaborat effigiem; ita qui negando contemplatúr Deum, vel quod contemplatur explanat. Contrà verò ſicut pictor non niſi varia multiplicique colorum additione propoſitam format imaginem, ſic qui affirmando præclara quæque de Deo prædicat. Lib. de diu. nom. c. 2.

Qui duo certè modi multùm valent ad concipiendam aliquam Dei notitiam, ſed multùm etiam deficiunt, & niſi admodum imperfectè quantùm ex parte noſtra, poſſunt eam exprimere no-

Digitized by Google

tionem, non modò quæ Deo digna ſit, ſed quæ de Deo, quid ſit, aliquid dicat. Nam primus cum ſit negatiuus, apertè patet quod nihil de Deo aſſerat; Alter verò qui affirmatiuus dicitur, affirmat quidem aliquid, ſed cùm illud aliquid nihil omnino ſit quod Deus eſt, perinde quaſi nihil diceret, non magis notificat quid ſit Deus poſt affirmata omnia quàm ſi de illo nihil affirmaſſet. Nam quod à creato quouis intellectu non poteſt capi, quomodo poteſt exprimi? Quid facient multiplicata verba, cùm omnia ſimul collecta nil faciant? *Multa dicemus,* inquit Sapiens, *& deficiemus in verbis: conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in om-*
Eccleſi. 43. *nibus. Gloriantes ad quid valebimus! ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum & enarrabit? & quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio?*
1. Cor. 13. Sic quando Apoſtolus ait nos ex parte tantum cognoſcere, ac velut in ſpeculo & in ænigmate, nihil aliud ait quàm imperfectè nos cognoſcere.

Quod & idem prorſus eſt de affectu voluntatis in Deum, qui vel negatione vel poſitione cuiuſdam actus exercetur; ideſt, cum propter Deum declinamus à malo, & facimus bonum. In quo duplici actu exercendo, quantumcumque perfecti ſint, qui dicuntur in Vnitiua eſſe, non niſi tamen imperfectè Deum diligunt, propter cupiditatem naturalem qua vix omninò exuuntur, & donec plenè defecerit, non eſt totum cor hominis Deo diligendo, ſicut meretur diligi & ſicut in cœlo diligitur, vt expreſsè
22. q. 44. a. 6. docet S. Thomas ſequutus ſanctum Auguſtinum.

Atque his ita expoſitis, iam euidenter patebit ratio Veritatis propoſitæ, quantum ad primam illam præcipue partem qua dicitur tunc Deum melius cognoſci & diligi, quando minus imperfectè cognoſcitur & diligitur. Nam ſi, vt dictum eſt, non aliter quàm imperfectè, quàm ex parte cognoſci poſſit Deus & diligi, quamdiu hic ab illo peregrinamur, quid euidentius quàm quod proponitur, tunc melius & perfectius illud eſſe quod eſt minus imperfectum; ſicut vniuerſim dici poſſet de quauis animi vel corporis naturali dote, quæ cùm raro perfecta reperiatur, perfecta tamen dicitur quæ ad alias comparata minus imperfecta cen-
Ibid. ſetur? Quod particulatim & expreſsè ſanctus Thomas refert de primo mandato, quo iubemur ex toto corde Deum diligere, nam poſtquam dixit, *Deum intendere hoc præcepto vt homo totaliter Deo*

Digitized by Google

vniatur, quod non impletur plenè & perfectè, niſi quando in patria Deus erit omnia in omnibus; hæc addit, *Et tamen in via tanto vnus alio perfectiùs implet, quantò magis accedit per quamdam ſimilitudinem ad patriæ perfectionem.* Vbi & probat illud ſancti Hieronymi docentis in expoſitione Catholicæ fidei, *Quod maledictus qui dicit Deum impoſſibile aliquid præcepiſſe:* Nec enim Deus præcepit aliud hic agendum quam quod homo poſſit: vnde ſi non poſſit quàm imperfectè, ſatis eſt vt quantum poſſit, minus imperfectè agat; Et hoc vnum ad perfectionem illi reſtat, vt quid poſſit cum gratia videat, & quod poſſe viderit, enitatur. Vnde inerti animæ præſumenti Deus hoc vel præſertim exprobrat: *Ego ſcio, ait Dominus, iactantiam eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata ſit facere.* Iere. 48.

Numquid animæ tuæ, Lector, numquid hæc tibi competunt? Reſponde & proſpice, priuſquàm alios idem interroges.

II. PVNCTVM.

S*Ed minus imperfectè Deus cognoſcitur & diligitur negatione quàm affirmatione.*

Primò de cognitione patet: quando enim per modum negatiuum profiteor me nihil plane poſſe de Deo dicere vel cogitare, longè profiteor aliquid quod eſt ſublimius & excellentius quàm quicquid de illo dixero. Nam quicquid affirmatiuè dixero, totum finitum eſt, & tam anguſtis circumſcriptum limitibus, quantæ ſunt intellectus humani anguſtiæ: Cùm verò dico me nihil omnino poſſe dicere, tunc profiteor Deum eſſe ineffabilem, inconceptibilem, illimitatum, & non minus incomprehenſibilem omni creato intellectu, quàm vel loco vel tempore; quod certè tantò eſt aliquid dignius aut tantò minus indignum aliquid & minus imperfectum, quanto Diuinam clarius infinitatem exhibet.

Sic Diuinus Dionyſius cùm de Deo multa ſublimiter, tum ſe nihil dixiſſe putat ſublimius, quàm cum dixit, *Deum eſſe non ſubſtantiam, non vitam, non lucem, non ſenſum, non mentem, non ſapientiam, non bonitatem, non Deitatem, ſed quoddam his omnibus eminentius & præſtantius.* l. de Myſt. Theol. c. vlt.

Sic Diuus Auguſtinus: *Excedat*, inquit, *cor veſtrum omnia viſa;* In Pſal 26.

Digitized by Google

& excedat intentio vniuerſas cogitationes veſtras ſolennes ex carne eductas à ſenſibus carnis, & imaginatus neſcio quo phantaſmate. Totum ab animo rejicite, quicquid occurrerit, negate. Cognoſcite infirmitatem cordis veſtri: & quidquid occurrerit, quod cogitare poſſetis, dicite, non eſt illud, non enim ſi illud eſſet, mihi iam occurriſſet.

Psal. 85. Idemque rurſum apertius ad illum Pſalmi verſiculum, *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine. QVANTVM autem*, inquit, *ſit diſſimilis Deus, non dixit, quia dici non poteſt. Intendat charitas veſtra, Deus ineffabilis eſt: facilius dicimus quid non ſit, quàm quid ſit. Terram cogitas, non eſt hoc Deus: mare cogitas, non eſt hoc Deus. Omnia quæ ſunt in terra, homines & animalia, non eſt hoc Deus. Omnia quæ ſunt in mari, quæ volant per aërem, non eſt hoc Deus. Angelos cogitas, Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non eſt hoc Deus. Et quid eſt hoc? ſolum potui dicere quid non ſit. Quæris quid ſit? quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit? non eſt ſimilis tibi in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.* Sic paucis denique ſanctus Gregorius: *Omne quod de Deo dicitur, eo ipſo iam indignum eſt, quo potuit dici.* 20. Mor. 24.

Deinde verò de affectu voluntatis in Deum, quòd religioſius exhiberi poſſit negatiuis quàm affirmatiuis præceptis, hæ ſuadent rationes. Prima, cùm modus volendi ſequatur modum cognoſcendi, ſit autem modus Dei cognoſcendi aptior ille negatiuus quem vidimus, quid ſequitur, niſi vt affectus etiam ſe illi modo conformet, & tantò affectus voluntatis ſit nobilior, quantò ſe magis intellectui conformabit? Hinc fortè propterea demonſtratum Prophetæ, *Quod manus hominis eſſet ſub pennis illorum animalium quæ volare cernebat*, quaſi diceretur, vt interpretatur S. Gregorius, affectus & effectus voluntatis ſequi volatum ſeu contemplationem intellectus. Ezech. 1.

Secundò, cùm multò ſint plura præcepta negatiua quàm affirmatiua, quis dubitet, quod in illis obſeruandis maior ſit fidelitas & probatæ virtutis exercitatio? Percurre Decalogum, vel ſi quæ alia ſunt præcepta Diuina, & videbis omnia præter vnum aut alterum, eſſe negatiua. Rationem reddit ſanctus Thomas, quæ hunc noſtrum diſcurſum ſeu inſtitutum probandum valde confirmat, quòd ſcilicet *negatio ſeſe ad plura extendat quàm affirmatio*; plures ſint perſonæ quibus non eſt inferenda iniuria, quàm

Margin: 2. 2. q. 100. a. 7.

Digitized by Google

quibus debita ſint præſtanda, Denique quod in ipſis etiam affirmatiuis ſemper eſt oppoſite negatio, non ita verò in negatiuis continetur affirmatio; quamobrem, vt dicebam, qui ſe in illis negatiuis conſtanter obſeruandis Religioſum præbet, Religionem ſuam & fidelitatem probat apertiùs. Sic probatos ipſe Deus ſuos declarat, non tam in bonis quæ faciant, quàm in malis quæ caueant. *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo? BENEPLACITVM quippe eſt Domino, recedere ab iniquitate*, quaſi diceret Sapiens, hoc eſt quod præcipue placet Deo; Qua de re fuſius in prima parte.

Iob 1. *Eccleſi. 35.*

Nunc autem tertiò quod declarandum ſuſcipitur, corroboratur firmius ex difficultate naturali, quæ in negatiuis ſentitur grauior quàm in aliis: Nam cùm illa præcipuè natiuam exacuant cupiditatem, quanta eſt huius omnino reprimendæ difficultas, tanta eſt in illis adimplendis præceptis. Da mihi hominem qui nulla rei cupiditate teneatur, hunc ipſum tibi dabo rerum ſuarum largitorem munificentiſſimum. *Sit diues ſine macula*, ideſt ſine praua cupiditate, *qui poſt aurum non abeat, nec ſperet in pecunia & theſauris*, inquit Sapiens, *tunc eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum*, quaſi diceret, nulla reſtat difficultas in affirmatiuis, ſi quæ in negatiuis eſt, fuerit ſuperata: Quapropter ad hanc peruincendam, nonne & vis maior eſt adhibenda, & nonne maius inde colligi poteſt meritum?

Eccleſi. 31.

Quartò denique, quod rem attingit propiùs, quantò minus aliquid in operibus noſtris intercedit de inordinato noſtri amore, tantò minùs illa ſunt imperfecta, ſicut quantò minùs de inferiori metallo permixtum erit auro, tantò erit aurum purius. At quis neſcit in affirmatiuis, ideſt in præſtandis bonis quæ iubentur vel conſuluntur, plus ineſſe vanitatis, gloriolæ, iactatiunculæ, & eorum neſcio quæ, priuatus noſtri amor progenerat vitiorum; quàm in negatiuis, id eſt in cauendis duntaxat malis, ſiue peccatis; quod vix humanis patet oculis ac ne vix quidquam ipſe qui malum cauet ſibi quod placeat, reperit; cùm totus ſit in continenda natura quæ in illa propendet mala blandientia. Nonne idcirco Fortitudinis illa pars potior ſemper viſa eſt, quæ in ſuſtinendis quàm quæ in aggrediendis periculis exhibetur; quia ſcilicet minus eſt quo ſibi naturaliter complaceat qui ſuſtinet,

22. q. 123. a. 6.

Digitized by Google

quàm qui aggreditur; ac proinde minus imperfectè Deum diligit in tota fortitudine qui ſuſtinendo diligit & diligendo patienter ſuſtinet, quàm qui audacius propterea vellet arduum aliquid aggredi. Vnde in Sacris Prouerbiis, *melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Quo in ſenſu etiam ſanctus Iacobus ait, *Patientia opus perfectum habet*; id eſt minùs imperfectum, quia minùs eſt illius cupiditatis ſiue amoris proprij, vnde imperfecta & manca redduntur opera. O quàm multi falluntur in ſuis quæ putant bona, nec tamen ſunt: & in ſuis quæ non putant, & tamen mala ſunt.

Prou. 16.

III. PVNCTVM.

Sicut igiter negando potius quàm affirmando Deus cognoſcitur, ita & diligitur. Quod vtrumque ſimul egregiè videtur complexus Sanctus Auguſtinus, cum ipſe Deo ſic loquebatur: *quid autem amo cùm te amo? Non ſpeciem corporis, non decus temporis, nec candorem lucis, ecce iſtis amicum oculis: non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum, non florum & vnguentorum & aromatum ſuaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus, non hæc amo cùm amo Deum meum; & tamen amo quandam lucem & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum; lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi ſonat quod non rapit tempus, & vbi olet quod non ſpargit flatus, & vbi ſapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit ſatietas. Hoc eſt quod amo, cum Deum meum amo. Et quid eſt hoc? Interrogaui terram, & dixit, non ſum: quæcumque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare & abyſſos, & reptilia animarum viuarum, & reſponderunt, non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuerſus aër cum incolis ſuis: fallitur Anaximenes, non ſum Deus tuus. Interrogaui cælum, ſolem, lunam, ſtellas, neque nos ſumus Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus his quæ circumdant fores carnis meæ: dicite mihi de Deo meo, quod vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid: & exclamauerunt voce magna, Ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea: & reſponſio eorum, ſpecies eorum.*

l. 10. Confeſſ. c. 6.

Quæ

Digitized by Google

Quæ quidem ſancti Doctoris verba, quantum ad negatiuum cognoſcendi Dei modum plana ſunt & expedita: ſed quid contineant ad praxim diuinæ dilectionis, quia non ita forte obuium, expendi debet attentius. Primò illud quàm piè, quàm fideliter; quamcunque de Deo cognitionem habet, ſtatim ad eum diligendum transfert, non ſola cognitione paſcit intellectum, ſed affectum ſimul, ac præcipue mouet atque inflammat, quia ſtudioſè didicerat ab Apoſtolo, *Etſi nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* 1. Cor. 13.

Secundò, cum tantò verius diligatur Deus, quantò verius cognoſcitur, vide quàm aptè veriorem cognoſcendi Dei modum vſurpet, nempe negatiuum, quo quidquid bonorum eſt optimum, ita de Deo negatur, vt ſimul intelligatur illi aliquid ineſſe melius; vnde ex veriore illa quæ haberi poterit, diuinarum perfectionum intelligentia, conformis generatur dilectio, quæ hoc ipſo magis perfecta cenſenda eſt, quò magis vera. Congaudet quippe Charitas Veritati. *Ibid.*

Tertiò diuinam dilectionem cùm in primis ita puram & defœcatam eſſe oporteat, vt non ſolum vnus ametur Deus, ſed vnum in Deo diligatur quod Deus eſt; quo id tandem modo intelligi & perfici tutiùs poterat, quàm agnoſcendo, nihil aliud in Deo eſſe quàm ipſum Deum? vnde autem id agnoſco, niſi cum audio, ſic de Deo negari omnia, vt cum tamen in illo ſunt omnia, non ſint aliud quàm ipſe Deus? Sic enim audiens Deum eſſe lucem & non eſſe, ſed quid clarius, ſed quid nobilius, ita inardeſco ad amandum Deum ex amore lucis, vt non ſit alius amor lucis & amor Dei; ſed in luce Deum, & in Deo lucem quæ Deus eſt, vnicè diligam. *Non ſunt prunæ quibus caleſiant,* ait Propheta, *nec focus vt ſedeant ad eum.* Quaſi diceretur; In ſolo Deo verus igneſcit amor, & verè cor inardeſcit. Iſ. 47.

Nam quod quartò præſertim aduertendum, non eſt tantùm in eo ponenda puritas diuinæ dilectionis, vt nihil in Deo præter Deum diligamus, ſed vt eorum etiam quæ ſunt in nobis & circa nos præter ipſum Deum, qui rebus in omnibus eſt ſpectandus & amandus, nihil prorſus velimus diligere, quod eſt profectò longè difficilius, & tantò magis propterea laborandum, vt à creaturis ad Creatorem penitus animum abſtrahamus, atque illius

ſoli ſimus voluntate, cuius nos eſſe totos intellectu agnoſcimus. At quo tandem modo id agnoſci datur luculentiùs, quàm quo S. Auguſtinus creaturas interrogat, an ſint Deus ſuus, reſpondentque negatiuè omnes, non ſumus Deus tuus: Quod perinde eſt ac ſi dicerent, non ſumus principium tuum, non ſumus finis tuus, non ſumus bonum tuum; Quod in nobis quæris, quære illud ſupra nos, ne ſi nos ſimul ames, minus purè Deum ames. O vox amabilis!

Quintò denique, quod ad praxim dilectionis apprimè facit; ſicut illa eſt ad modum facilis ad Deum cognoſcendum via, cùm id ſolum negatur eſſe, quod reuera non eſt: ſic planè ad eum diligendum, nihil accommodatius, quàm vt creaturis negetur affectus qui negari debet. Interroga te ipſum quid ames? ſi reſpondere poſſis, non terram, non aërem, non aurum, non honorem, non quicquid creatum eſt, tunc profectò Deum faciliùs diliges, nam ſine amore non potes viuere, vnde ſi Creaturis amorem negaueris, tunc quem ames, ſolus Creator ſupererit, diceſque cum Dauide, *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Pſ. 72.

Quòd ſi te à creaturis amandis illectum ſentis, dic illis, dic audacter, nos eſtis Deus meus, non eſtis bonum meum, non eſtis mea requies, non hoc eſtis quod quæro, cùm quæro diligere. Quid procliuius? quid expeditius? ſi quid diceretur poſitiuè faciendum, excuſare forſan poſſes; ſed cum in negatione totum ſit poſitum, quid excuſabis? Neque verò putes hac praxi ſolum euitari malum & nullum agi bonum: Nam ſic, vt dictum eſt, Creaturis negando affectum, amoris ille actus eſt quem appretiatiuum dicunt, & qui tanti eſt pretij, vt valore & merito cæteris etiam præponderare dicatur actibus. Hoc eſt vno verbo rectè amare, hoc eſt quod ſe ſerò feciſſe deplorabat S. Auguſtinus, hoc eſt quod ſe tandem ſingulari Dei dono aſſecutum prædicabat: L. 10. c. 27. *Sero te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, ſerò te amaui: Ecce intus eras, & ego foris te quærebam, & in iſta formoſa quæ feciſti, deformis irruebam. Mecum eras & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent. Vocaſti & clamaſti & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam. Fragraſti & duxi ſpiritum & anhelo tibi. Guſtaui & eſurio & ſitio. Tetigiſti me & exarſi in pacem tuam.* Quaſi di-

Digitized by Google

ceret, vtrumque ſimul, ex diuino munere accidit, vt cùm negarem ſenſibus quod ex cupiditate appeterent, Deus omni ſenſu ſuauior ſeſe tum mihi ſic communicaret, vt qui hanc velit participare ſuauitatem, id præſertim contendat vt neget ſuis ſenſibus quod hîc cupidiùs appetunt. Quod & paulò priùs non minùs gratè dixerat, *Quàm ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas: ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed & omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.* l. 9. c. 1.

Vide in 1. parte, Feria 5. Hebd. 3. in Aduentu. & die 2. Ianuarij.

EADEM DIE.

AD HÆC, AVT SIMILIA SCRIPTVRÆ VERBA.

Exaltate illum quantum poteſtis. Ecclesi. 43.

Huius rei gratia flecto genua ad Patrem D. N. Ieſu Chriſti, vt poßitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum. Epheſ. 3.

VERITAS PRACTICA.

Non minùs peccat qui non ſatis, quàm qui nimis Deum ſcire vellet.

RATIO EST, quia qui nimis Deum ſcire vellet, idcirco peccare diceretur, quia ſtatutum ſciendi modum ſiue regulam non ſeruaret.

Sed qui non ſatis Deum ſcire vellet, non ſeruaret etiam ſtatutam ſciendi regulam.

Digitized by Google

Ergo non minùs peccat qui non ſatis, quàm qui nimis Deum ſcire vellet. Quod quam ſit commune multis & damnoſum, patebit ex diſcurſu.

PRIMVM PVNCTVM.

Pſal. 75. CVM Pſaltes Regius apertè dixerit, *notum in Iudæa Deum, & in Iſraël magnum nomen eius:* quid eſt quod ille Pro-
Oſee 4. Propheta Oſeas qui ex primis prophetaſſe memoratur, hinc potiſſimum Iſraëlitas arguit, & futurum cum illis iudicium Domino vehementer denuntiat, *quod non ſit veritas, & non ſit ſcientia Dei apud illos?* Nonne hoc mirum dictu & auditu, cùm apud illos ſolos eſſet Dei ſcientia? Reſponderi forte poſſet Prophetam alloqui ſeparatim Iſraëlitas qui ad Idola defecerant: ſic enim ait, *audite Verbum Domini filij Iſraël,* Sed cum paulo poſt dicat vniuerſim in terra non eſſe Dei ſcientiam, manifeſtè patet non ad ſolos Iſraëlitas, ſed ſimul ad Iudæos omnes ſermonem facere, vnde & apud Prophetam alium, hæc eſt Dei
Iſ. 5. vox conquerentis, *propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.*

An verò dici poſſet, quæ Dauidis & primorum Iudaïci regni temporum vigeret ſcientia, ſic paulatim extinctam vel ſopitam eſſe, vt vix ſcintilla reſtaret vlla? Sed id cogitare vetat,
Mal. 2. quod nondum deeſſent ſacerdotes *quorum labia cuſtodirent ſcientiam, & ex quorum ore lex requireretur.*

Dicendum itaque videtur aptius, quod non eſſet ſcientia Dei practica, non eſſet in praxi ſcientia quam de Deo haberent, non ſicut Deum nouerant, ita glorificarent & timerent, quod ex eo vel maximè patet, quia ſtatim ad defectum ſcientiæ Propheta iungit hanc peccatorum congeriem: *maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt,* Quaſi diceret, hoc eſt neſcire Deum, ſic peccare: quod expreſsè de filiis Heli dicitur, qui cum ſacerdotes eſſent, quia tamen praui
1. Reg. 2. erant & impij, dicuntur *filij Belial & neſcientes Dominum.* Nonne hoc ipſum eſt quod euidenter ſignificat Apoſtolus, qui poſtquam dixit *nos omnes habere ſcientiam,* mox paucis interjectis, *ſed non in omnibus,* inquit, *eſt ſcientia.* Quaſi diceret, quod
1. Cor. 8. his præſertim nimis patet temporibus, Quam multi ſunt qui

Digitized by Google

de Deo ac Diuinis nimis ſcire appetunt, tam pauci ſunt qui ſatis ſcire velint, quo ſcilicet modo & fine ſciendum eſt. Peccant illi exceſſu, defectu iſti; Nec minùs forte peccatum eſt iſte defectus, quàm ille exceſſus; quod quia vix credi poſſet, idcirco præcipuè propoſita Veritas in id incumbit, vt demonſtret, *non minus eum peccare qui non ſatis, quàm qui nimis de Deo ſcire vellet.*

Sic autem facilè demonſtratur, ſi aduertas quid ſit quamobrem peccet qui plus nimio de Diuinis ſcire velit. Nonne hinc peccatum oritur, quòd ſtatutam vnicuique de Diuinis ſciendis regulam ac præſcriptum modum non ſeruet? Nam cum habendæ de re quauis ſcientiæ ſit virtus aliqua moderatrix, quæ nimium diſcendi appetitum temperet; quantò id magis exigitur in Diuinis, vbi facilius eſt labi, & vbi lapſus eſt pernicioſior? *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum*, inquit Sapiens, *ſic qui ſcrutator eſt Maieſtatis opprimetur à gloria*. Quod & alibi ſic apertius: *altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Quod & ſerio grauiterque ſanctus Apoſtolus: *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut diuiſit Deus menſuram fidei*; Quid clarius? vnde ſanctus Auguſtinus, *ſapite ad temperantiam; temperantia autem*, inquit, *eſt modus & temperamentum quo quiſque vti debet, vt inter ſuos terminos ſe coërceat.*

2. 2 q. 165. De ſtudioſitate. Prou. 25. Eccleſi. 3. Rom. 12. Ep. 47.

Quapropter qui hos excedit terminos, peccat; quia diſcedit ab illius virtutis medio, cuius erat ipſum ſuis continere terminis, quos extra non niſi præceps in vitium ruat. *Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes*, id eſt, tantum ſcire de Deo nos oportet quantum ipſe velit; Temeritatis eſt plura ſcire velle, quam velit: peruerſus ille eſt diſcendi & ſciendi appetitus, quo primi noſtri progenitores eluſi ſunt. Quàm longè ſapientior noſter Apoſtolus, qui de ſe ac de ſuis: *Nos autem*, inquiebat, *non in immenſum gloriabimur: ſed ſecundum menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus.* Audi curioſe perſcrutator rerum diuinarum; Audi Apoſtolum profitentem ſibi ſtatutam eſſe regulam, imo & menſuram regulæ quam non ſit auſus prætergredi: Tu verò nullis te coërceri ſines limitibus, ſed quo te feret impetus, audebis arcana illa quæ non licet homini loqui, quæ ſoli Deo nota ſunt, velle

1. Reg. 2. 2. Cor. 10.

Digitized by Google

Eccleſi. 37. ſcrutari! *O præſumptio nequiſsima, vnde creata es operire aridam malitia!*

SECVNDVM PVNCTVM.

SED qui non ſatis etiam de Deo ſcire vellet, non illam ſeruaret regulam & menſuram ſciendi.

Nam quid eſt non ſatis ſcire velle, niſi non velle quod te Deus ſcire velit, niſi non velle quod poſſis & quod debeas ſcire? Sicut enim nimis velle non aliter intelligitur quàm velle pluſquam poſſis & debeas, ſeu pluſquam Deus velit: ſic planè non ſatis velle dicendus eſt, qui non velit, quod velit Deus, qui non velit quod

Iob. 21. poſſit & quod debeat: *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Cum enim diuina voluntas ſit regula ſiue menſura, qua ſe quiſque metiatur, vt de Deo diſcat & ſciat quod ſibi ſciendum eſt, profecto non minus illam violat regulam quiſquis infra diuinam voluntatem agat, quàm qui ſupra ſe efferat: defectus enim eſt, quo à menſura ſeu à medio & à regula perinde diſceditur, atque exceſſu. Vnde iam ſupra S. Hierony-

In Iſaiam c. 52. mus: *In virtutibus*, inquit, *nec hyperbaſes nec ellipſes, nec plus nec minus, ſed omnia temperata. Et ſi à recta via paululum declinaueris, non intereſt vtrum ad dexteram vadas an ad ſiniſtram, cùm ve-*

Orat. 26. *rum iter amiſeris*, Et ſanctus Gregorius Nazianzenus, *Virtutem exceſſus & defectus peræque labefactant, non ſecus ac regulam additio aliqua vel ſubtractio.*

Quamobrem vnicuique particulatim attendendum quid ſibi forte deſit ex illa diuina Scientia, cuius defectu non modo fides in credendis, ſed fidelitas in obſeruandis Dei mandatis langueat, vnde grauiores in peccatum lapſus manifeſtè contingant. Nam

1. Ioan. 2. 3. ſicut dilectus ait Diſcipulus, *Qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt:* Et rurſum *omnis qui peccat non cognouit eum:* Sic plane qui noſſet Deum ſicut poteſt & debet noſſe, non peccaret tam abruptè ſaltem, tam frequenter & obſtinatè. Nam qui Deum nouit, nouit quid ſit peccatum, nouit eius grauitatem, ſentit eius pondus, pertimeſcit eius perniciem, & tandem illud diſcit fugere quaſi à facie colubri.

Diſcendum itaque diligentius peccatori quid ſit Deus quem offendit, qualis quantuſque ſit in quem tam audacter peccat: &

diſcendum non more Philoſophico, non modo Metaphyſico & abſtracto à ſenſibus, qualis ſolet in Schola tradi: ſed faciliori quadam & ſenſibili diſciplina quam ſubminiſtrat Apoſtolus: *Vt poſſitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum:* Per has enim quatuor quas vocant poſitionum differentias ſatis vulgo notas, ſic Inuiſibilis & Immenſus exhibetur, vt ipſis propedum oculis cerni & manibus attrectari videatur: Vnde Apoſtolus non timuit verbum illud vſurpare, quod alioquin liberius & audacius crederetur, quomodo enim poſſimus illum *comprehendere* qui comprehendi non poteſt? At reſpondetur non poteſt quidem Deus perfectè vt in ſe eſt, comprehendi; ſed quantum poteſt à nobis, tunc comprehenditur, ſi per illa quatuor conſideretur.

Eſt verò aliud in illo verbo *comprehendere* non minus obſeruandum: nam intellectum non ita proprie ſpectat quàm voluntatem: non tam ad nudam & ſimplicem de Deo referendam cognitionem, illo excitamur verbo, quàm ad affectum ex illa Dei cognitione permouendum, & ita totum animum perſuadendum, vt effectus inde tandem ſequatur: atque id comprehendatur & teneatur quod tanquam finis quæritur, nempe cultus Dei & ſalus animæ, vel quiduis particularius eò ſpectans. Sic expreſsè S. Bernardus: *Aſcendamus quadrigam iſtam, vt pote infirmi & imbecilles, indigentes tali vehiculo, ſi fortè vel ſic apprehendamus in quo apprehenſi ſumus, ideſt, huius ipſius vehiculi rationem. Nam hoc monitum habemus ab ipſo auriga & primo currus huius exhibitore, vt ſtudeamus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum. Comprehendere dixit non cognoſcere, vt non curioſitate contenti ſcientiæ, tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione eſt fructus ſed in comprehenſione, alioquin ſcienti bonum & non facienti, ait quidam, peccatum eſt ei. Et ipſe Paulus alio loco; ſic currite,* inquit, *vt comprehendatis.* Quod & paulò poſt fuſiùs explicat, vt tertio puncto videbitur.

Lib. 5. de conſid. c. 13.

Iac. 4.

1. Cor. 9.

Neque verò etiam putandum eſt, quod quæcumque quaternario illo Apoſtolico recenſebuntur, ſint vnicuique omnia perdiſcenda, ſed ex multis quæ proponentur, ſatis fuerit illa vt quiuis aſſumat, quæ ſibi aptiora videbuntur, vt cum Diuina gratia diſcat à malo declinare & bonum facere. Iſte eſt finis inſtituti de Deo noſtri diſcurſus, & hic eius ordo, vt quem ipſe Apo-

Digitized by Google

ſtolus exhibet ordinem religioſè obſeruantes, diuinam prius Eſſentiam, tum notiora eius Attributa in ſingulis quatuor gradibus pari adoranda cultu conſideremus.

Prima eſt Latitudo, & prima quæ in conſiderationem venit, diuinæ Eſſentiæ Latitudo, ipſa eſt Immenſitas qua vbique locorum præſens exiſtit; *Numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Deinde verò, ſi ſancto Bernardo credimus, *immenſa eſt illa charitas quà nihil odit eorum quæ fecit; qua ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: quæ non modo animi affectionem ſed & cognitionem excedit, adjiciente Apoſtolo & dicente, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Denique tanta eſt Diuinitatis latitudo, quanta eſt omnium perfectionum infinitas. Contemplare quidquid vbiuis eſt eximium & ſingulare, quidquid admirandum & illuſtre, quicquid perfectum & in quouis genere abſolutum, ſic totum plenè Deus poſſidet, nihil vt prorſus quod rationem boni habeat, illi deſit, creataque omnia cum illo comparata, quæcumque ſint, quaſi non ſint. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus; omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.*

Ier. 23.

l. 5. de conſid. c. 13.

Iſ. 40.

Quod ſi ad ſingulas deſcendere velis Perfectiones, ſic dices, Omnipotētiæ latitudinem non aliis circumſcribi terminis, quàm omnium planè rerum, quæ cum non ſint, poſſunt à Deo fieri, aut quæ cum ſint, poſſunt ab eo deſtrui. Sic dices Sapientiam tali parem potentiæ, cùm quidquid Potentia faciat, conſeruet Sapientia. Nec minorem dices Scientiam, quæ quidquid poteſt eſſe, intelligit; & quidquid poteſt intelligi, comprehendit. Sicut verò ad Sanctitatem nihil addi poteſt, ſic neque detrahi. Et ſicut ad omne mali genus depellendum ſeſe diffundit Miſericordia, ſic ad omne largiendum bonum ſe diuina protendit Bonitas, qua ſi fortè peccator abutatur, vbicumque tandem peccet, ibi Deus, ibi Iuſtitia tam integra, tam incorrupta, tam inuiolabilis, vt nullum quantumuis leue piaculum non ſit expiandum. Denique Pulchritudo tanta, cuius vnius viſio Beatos reddat; cuius vnius priuatio, pœnam quam damni vocant, inuehat.

Pſ. 47. Nonne reuera *Magnus Dominus & laudabilis nimis?* Nonne is re-
Pſ. 144. uera eſt, cuius *Sapientiæ non eſt numerus, cuius magnitudinis non eſt*
Pſ. 146. *finis?* Et tamen hunc peccator non vereris offendere: tantæ tu

audes

audes Magnitudini te opponere; tantam aſpernari Bonitatem, tantam deridere Iuſtitiam! Vndenam putas dicitur; *latum Dei mandatum nimis,* niſi quia diuinam latitudinem ita quodammodo participat, vt quantus huic debetur cultus, tantus diuinis obſeruandis mandatis eſſet adhibendus, aut quanta eſt mandatorum Dei deſpectio, tanta diuinæ magnitudinis ſit violatio. Pſ. 118.

Latitudini porro Longitudinem proximè iungit Apoſtolus, de qua hoc vnum ſufficit dicere, quòd quanta quanta eſt æternitas, tanta eſt diuinæ Lõgitudo Eſſentiæ, tanta eſt diuinarum omnium perfectionum Longæuitas, tanta eſt Omnipotentia, tanta Sanctitas, tanta Miſericordia, Bonitas, Iuſtitia, Pulchritudo; nullum vt vnquam ſit temporis aut loci ſpatium quo vel Deus inceperit eſſe quod eſt, vel quo deſinat eſſe quod ſemper eſt, ſemper magnus, ſemper bonus, ſemper iuſtus, *A ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.* Pſ. 59.

Quàm longè peccator falleris, cum vno tibi licere loco vel tempore peccatum putas, quaſi Deus non illo tam præſens & iuſtus eſſet loco vel tempore! ſunt iſta maximè quæ prouocare dicuntur oculos Maieſtatis eius, vt ſciant omnes omni Deum colendum ſpatio; *Dixerunt enim, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Igitur & meus non parcet oculus, neque miſerebor: viam eorum ſuper caput eorum reddam.* Ezech. 9.

Tertiò ſequitur Altitudo quæ ſi tamen attentè conſideretur, prima videri poſſit quæ nos à peccando deterreat: Ipſa eſt enim diuina Majeſtas, ipſa eſt abſoluta ſumma, ſuprema, independens, & à qua omnes neceſſario creaturæ pendent, Dominatio. *Ecce ego Dominus Deus vniuerſæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum?* Dominus eſt, Dominus inquam tanti tamque alti & ſupremi dominij, vt cum de cunctis hominibus vel Angelis quidquid libuerit ordinarit, hoc vnum dici poſſit: *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. Quis enim dicet tibi,* ait Deo Sapiens, *Quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum, aut quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Ier. 32. 1. Reg. 3. Sap. 12.

Habent vero ſingulæ perfectiones Sublime proprium aliquid quod miremur. Potentia talis eſt, nulli vt liberæ creaturæ vim inferat, nulla vt illi etiam creatura poſſit obſiſtere. Sapientiæ mundum moderantis ea eſt ſuauitas coniuncta fortitudini, vt ſuis

Digitized by Google

omnia relinquat motibus, quaſi nil ageret; ſic tamen agat cum omnibus, quaſi non requieſceret. De perfecta Dei Scientia dubitarunt Pagani, ne ſi facerent Deum ſcientem omnium, facerent eum malum, vt qui non arceret mala quæ præſciret. Verùm in hoc vel maximè mirabilis diuinæ eſt Altitudo ſcientiæ, quòd ita quæuis futura mala præuideat, vt neque humanæ libertati ſicut iam dictum eſt, neque diuinæ Sanctitati poſſit officere talis

Rom. 12. præuiſio. Hæc eſt videlicet *altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, quam potiſſimum mirabatur Apoſtolus. Nonne verò in Sanctitate oportet ineſſe aliquid altius & ſublimius quàm cogitari poſſit, cum in ea demiranda toti ſint nobiliores Spiritus, neque

Iſ. 6. vnquā ab illo ceſſent triſagio celebrando, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum?* Quid porrò altius illa Bonitate & Miſericordia, quæ dat omnibus affluenter, cùm nulli quidquam debeat; quæ cùm omnia dederit, nihil improperat; quæ ſua compenſat dona; cui tardius videtur dare, quàm peccatori recipere; quæ ſe denique totam tam multis effundit donis & modis, quàm quiſque velit frequentius in apertis & palam obuiis illam haurire Sacramentis? Ac tandem ſicut diuina fruitione nihil homini poteſt contingere beatius, nihilue altius, nonne hinc euidenter patet quàm ſit ſublimis corona Iuſtitiæ quæ cuiuſque meritis redditur, quàm ſit excelſa illa iuſtitia, quæ noſtra hæc exigua promerita tanti æſtimat talique compenſat præmio, qualis eſt ipſius Dei poſſeſſio.

Denique quod in tanta diuinarum perfectionum altitudine ſingularem habet admirationem, ſic altus & ſublimis eſt Deus, vt humilia & demiſſa potiſſimum reſpiciat, ſeſeque quodammodo his adiungat; excelſa verò & tumentia peccatorum corda, quaſi

Ser. 175. de Temp.] non videat, ſic aſpernatur. *Videte*, inquit S. Auguſtinus, *videte magnum miraculum: Altus eſt Deus, erigis te, & fugit à te: humilias te & deſcendit ad te. Quare hoc? quia excelſus eſt & humilia reſpicit, & alta de longe cognoſcit. Humilia de proximo reſpicit vt attollat; alta id eſt ſuperba de longe cognoſcit vt deprimat.* Hocne peccator intelligit, hocne ſuperbus cogitat, qui toties contra Deum intumeſcit? Nollet profecto nollet ſic deprimi, ſi Deum ita noſ-

Prou. 21. ſet ſuperbos deprimentem, vnde apte Sapiens in Prouerbiis: *Superbus & arrogans vocatur indoctus*; Neſcit quippe de Deo quod ſi ſciret, non ita fortè ſuperbus eſſet & arrogans.

Digitized by Google

Sed quod quartum reſtat, proſequamur. Profundum eſt, quod in diuina Eſſentia dicitur ipſa eius Incomprehenſibilitas. In Potentia, poteſtas operandi quidquid velit ex nihilo, & ex tanta facilitate quanta id velit, Dixit & facta ſunt. In Sapientia, diuinorum illa eſt abdita iudiciorum abyſſus, quam nullus poſſit creatus penetrare intellectus. *Iudicia tua, abyſſus multa.* In Scientia, *viuus eſt ille ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt in oculis eius*, quaſi qui rerum omnium anatomen & diſſectionem faciat, hoc Græca innuit dictio. Sed cur ſermo Dei dicitur diuina hæc ſcientia? Quia nempe ſolius Dei eſt de his loqui prout reuera ſunt, quia magis profunda ſunt quàm vt poſſint intelligi vel exprimi; vnde ſapienter Dauid; *Non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine, tu cognouiſti omnia, nouiſſima & antiqua; mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

Pſ. 35. *Heb. 4.* *Pſal. 138.*

In Sanctitate verò Profundum eſt ipſa Diuinitatis natura quæ ſola ex ſe tanquam ex fundo ſuo habet vt ſit ſancta & perfecta, cùm ex cæteris omnibus Sanctis nullus ſit cuius natura ſit Sanctitas, & cuius proinde Sanctitas non aliunde proueniat, nempe ex illo diuinæ Sanctitatis profundo, vnde quantumcumque deriuetur in alios, nunquam tamen exhauritur. *Deus ſolus iuſtificabitur*, aït Sapiens, ideſt, ille ſolus expers per ſeſe totius probri & vitij. In Iuſtitia porrò quale tandem illud punitionis æuiternæ profundum, quo ab vna culpa tot abſorbentur Angeli, & vnde vt poſſent homines erui, Deum oportuit fieri hominem, dira pati & mori! quo certè in profundo Iuſtitiæ, latet & patet Profundum Bonitatis ac Miſericordiæ circa humanum genus ita redémptum. Latet quidem quantum ad cauſam quæ nulla poteſt eſſe præterquam ipſa diuina Bonitas; patet porro quantum ad effectum, qui tam profundus eſt & intimus, vt quidquid eſt animarum penitius, eò ſe magis inferat. In diuina denique Pulchritudine quæ beatos facit, Profundum quidem dici poſſet quod beati vident, quia ſic illud vident, vt ſine vllo faſtidio videntes ſaturentur: Sed verius dicas, illud eſſe profundum quod Beati non vident, quia quantumcunque de Deo videant in ipſo Deo, tale tamen hoc eſt Dei

Eccleſ. 18.

Digitized by Google

profundum, vt reſtet ſemper infinitum videri quod ſolus videt Deus. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* Pſal. 30.

Hæc ſunt ex multis pauca, quæ cum de Deo ſciri poſſint & debeant, ex illa ſaltem parte, quæ refrænandis cupiditatibus & cauendis peccatis eſt vnicuique particulatim neceſſaria, nonne qui nolit ea ſcire, non ſatis de Deo ſcire velit? Et nonne is qui non ſatis de Deo ſcire velit, non ſeruat regulam & menſuram ſciendi, quam ſtatutam vidimus, vt quantum velit Deus, ſeu quod idem eſt, quantum quiſque poteſt & debet, tantum ſcire velit?
1. Par. 28. *Fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſeruito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnium enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.* Quaſi diceret Dauid, ſcito Deum, non vt illum ſcias, ſed vt ei ſeruias; & quantum neceſſe eſt ſcire, vt ei ſeruias; tantum neceſſe eſt illum ſcire. Neque tibi fingas te ſatis illum ſcire, niſi ei ſeruias, nam ille nouit omnia; & quidquid dicas, probè intelligit an verè dicas. Vel ſic interpretare: Vt Deo ſeruias, hoc in primis de Deo ſcire debes, quod omnium corda ſcrutatur & vniuerſas cogitationes intelligit: ſic enim à peccando deterreberis; aut niſi hæc de Deo ſcias & cogites: quidquid aliud noris, non ſatis de Deo ſcies, quia non illud ſcies quod eſt tibi maximè opportunum vt ei ſeruias. Hoc eſt quod dolebat
Ioan. 17. Chriſtus Dominus: *Pater iuſte, mundus te non cognouit.*

III. PVNCTVM.

HInc ergo manifeſtè patet, *Quòd non minus errat, non minus peccat, qui non ſatis, quàm qui nimis Deum ſcire vellet.* Nam ſi propterea peccet, qui nimis ſcire deſideret, quod menſuram ſciendi violet, nonne ab illo etiam violatur qui non ſatis ſcire curat? Nonne in medio ſiſtit illa menſura? Nonne ex æquo medium deſeritur, ſi non ſatis coneris vt attingas, aut ſi ſupra quam oportet, efferaris? Nonne dextra perinde cauenda eſt ac ſiniſtra volenti medium tenere iter? hoc vtrumque videtur Sapiens ad rem no-
Prou. 17. ſtram opportunè complexus, cum dixit, *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam; & qui euitat diſcere, incidet in mala.* Nam quocumque modo quis ſupra ſuum ſtatum molitur aliquid grandius, is altam dicitur facere domum ſuam; quod profectò is facit, qui de diuinis Myſteriis plura & ſublimiora quàm ferre poſſit hu-

Digitized by Google

manum ingenium diſceptare aggreditur, neque alium ſuæ temeritatis exitum expectare poteſt quàm ruinam fidei, pietatis, & ſalutis. Qui autem cuitat ea diſcere quæ diuinum timorem & amorem pariunt ſeu nutriunt, manifeſtè incidet in ea mala & peccata quæ non niſi timore vel amore Dei cohibentur. *Nonne qui ſine timore eſt non iuſtificabitur*, id eſt, non erit ſine peccato? At nonne is ſine timore eſt, qui neſcit non quidem illa omnia quæ de Deo commemorata ſunt, ſed horum vnum aliquid, quo diſcat magis colendum & timendum Deum quàm vulgò colitur & timetur? Eccleſi. 1.

Scito & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus. Nonne hoc vides quale ſit malum, non eſſe timorem aut amorem Dei? At ſimul vide & ſcito hodie non eſſe Dei timorem & amorem, vbi non eſt Dei ſcientia, vbi non eſt cognitio diuinæ Bonitatis & Iuſtitiæ. Ne mihi nunc multitudinem aut difficultatem diſcendorum excuſes; Vnum aut alterum ex omnibus eſt tenendum, diſce Deum timere, diſce diligere, & tenes omnia. Ier. 2.

Hoc eſt enim illud comprehendere cum omnibus Sanctis quod commendat Apoſtolus, & quod ſic explicat S. Bernardus: *Nouimus hæc, num ideo & arbitramur nos comprehendiſſe? Non ea diſputatio comprehendit, ſed Sanctitas: ſi quomodo tamen comprehendi poteſt quod incomprehenſibile eſt. At niſi poſſit, non dixiſſet Apoſtolus: vt comprehendamus cum omnibus Sanctis. Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? ſi Sanctus es, comprehendiſti & noſti: ſi non, eſto, & tuo experimento ſcies. Sanctum facit affectio Sancta, & ipſa gemina; timor Domini Sanctus, & Sanctus amor. His perfectè affecta anima veluti quibuſdam duobus brachiis ſuis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait; Tenui eum, nec dimittam. Et timor quidem ſublimi & profundo; amor lato longoque reſpondet. Quid tam timendum quam poteſtas, cui abſcondi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carens. Nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui, nec oculus deeſt omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile, quàm amor ipſe quo amas & quo amaris? amabiliorem tamen iuncta æternitas facit; quæ dum non excidit, foras mittit ſuſpicionem. Ama igitur perſeueranter & longanimiter & habes longitudinem. Dilata amorem tuum vſque ad inimicos, & latitudinem tenes. Eſto etiam in omni ſolicitudine timoratus, & ſublime profun-* Lib. 5. de conſid. c. 14.

Digitized by Google

dumque apprehendiſti. Aut ſi mauis quatuor æquè tuis diuinis quatuor reſpondere, facis hoc, ſi ſtupes, ſi paues, ſi ferues, ſi ſuſtines. Stupenda planè ſublimitas majeſtatis, pauenda abyſſus iudiciorum, feruorem exigit charitas, æternitas perſeuerantiam ſuſtinendi. Quis ſtupet, niſi qui contemplatur gloriam Dei? Quis pauet, niſi qui ſcrutatur profundum Sapientiæ? Quis feruet, niſi qui meditatur charitatem Dei? Quis ſuſtinet & perſeuerat in amore, niſi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempe æternitatis quamdam imaginem perſeuerantia præ ſe fert. Denique ſola eſt cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: QVI PERSEVERAVERIT VSQVE IN FINEM HIC SALVVS ERIT.

Vide in 4. parte, Fer. 4. Hebdomada 19.

Quicquid de Deo ſe ſcire dicant impij, Deum neſcire dicendi ſunt.

AD DVAS SEQVENTES HEBDOMADAS.

MATERIA Conſiderationum & Veritatum deſumetur ex ſanctiſſimo Sacramento, quod ſicut præcipuè dicitur inſtitutum ad conſeruandam & renouandam memoriam Vitæ ac Mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti quam repræſentat: ſic vnaquoque die pars aliqua inſignior eius vitæ proponetur, atque inde conformis conſideranda Veritas.

FERIA SECVNDA.

DE INCARNATIONE DOMINI

CONSIDERANDA IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Sic Deus dilexit mundum, vt quod Deo totus debet Mundus, tu totum vnus debeas.

RATIO EST facilis, quia quod Deo totus debet Mundus eſt donum vnigeniti Filij.

Sed tu totum hoc donum vnus debes, cùm velut pro te vno totus ſit datus filius.

Ergo & quod Deo totus debet mundus, tu totum vnus debes.

Quæ certè conſideratio perquàm vtilis & fructuoſa eſt: ſed cùm vix vllam habeat difficultatem, iungenda ſequens Veritas:

Quò minùs potes reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere quæcumque potes.

RATIO EST, Quia quò minùs potes reddere quæcumque Deo debes aut hominibus, eò magis te illis debes ſubmittere & probare impotentiam tuam ac bonam voluntatem perſoluendi omnia, ſi poſſes aut quando poteris.

Sed niſi reddas quæcumque potes, non te magis ſubmittes Deo, nec impotentiam tuam illi probabis, nec voluntatem ſatisfaciendi ſi poſſes.

Ergo quò minùs potes reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere, quæcumque potes.

I. PVNCTVM.

TANTA eſt Charitas, & tam admiranda dilectio, quam Deus mundo exhibuit, cùm ei Filium ſuum vnigenitum dedit, vt ipſe Filius de hac dilectione loquens, nonniſi admirans exclamet: *Sic Deus dilexit mundum!* Admirare tu cum

Digitized by Google

illo, expendens ſingulas diuinæ dilectionis circumſtantias quæ habentur in prima parte, Feria ſecunda, primæ Aduentus Hebdomadæ. Tùm verò contemplare quàm ſit quodammodo magis admiranda illa Charitas, quâ vel Deus Pater eumdem Filium ſuum, vel Ipſe Filius ſicut olim in Incarnatione, mundo: ſic tibi ſe in Sacramento dedit ſemper præſentem, ſemper fruendum, ſemper quoties volueris, magis ac magis vniendum! O certè mirum ac ſtupendum! pro te vno miſello inter mortales homuncione, ſic Deum Optimum Maximum velle id toties quod ſemel pro toto ſe miratur feciſſe mundo! Tu quis es cui tanta famulantur obſequia?

Primò quidem quàm præclarè ſimul conueniant Incarnationis & ſanctiſſimi Sacramenti myſteria, declarandum eſſet, niſi tam euidenter pateret, vt ſanctus Chryſoſtomus non dubitarit aſſerere, ſanctiſſimum hoc Sacramentum eſſe Incarnationis extenſionem; & ſanctus Auguſtinus verbum ipſum *Incarnare*, pro ipſo conſecrationis actu dicatur vſurpaſſe, dum hæc eius referuntur dicta, *O veneranda ſacerdotum dignitas in quorum manibus velut in vtero virginis Filius Dei Incarnatur*! Quid porrò in ſancto Thoma frequentius, quàm quod ait, *totum myſterium noſtræ ſalutis in illo comprehendi Sacramento*? Denique cui non ſunt hæc Authoris de imitatione Chriſti obuia? *Ita magnum, nouum & iucundum tibi videri debet, cùm celebras aut miſſam audis, ac ſi eodem Die Chriſtus primùm in vterum virginis deſcendens, homo factus eſſet, aut in cruce pendens pro ſalute hominum pateretur & moreretur.*

Molina de Inſtructione Sacerd. tract. 1. c. 5. §. 2.

Lib. 4. c. 2.

Et certè quando hæc abeſſent teſtimonia, quis orthodoxus non credat, aut quis rerum tam parum intelligens diuinarum non agnoſcat, quòd ſicut poſt quinque hæc verba conſentientis virginis: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſtatim Verbum Diuinum in eius illapſum eſt vterum, & Caro factum eſt: ita poſt quinque verba ſacerdotis: *Hoc eſt enim Corpus meum*, eodem inſtanti Chriſtus idem prorſus ſubſtantia & perſona, in manibus conſecrantis ſe præſentem ſiſtat, & tam verè tùm ſit ſub ſpeciebus panis, quàm verè olim erat in vtero ſanctiſſimæ Matris; nec minus verè poſſit dicere quod ab illo dictum Propheta dixit, cum Incarnari cœpit: *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Quid ſimilius? quid expreſſius? & quid vulgarius?

Iſ. 52.

Quamobrem illis omiſſis aut præſuppoſitis, quod ſingulariter expendendum

expendendum proponitur, ille eſt ſingularis amor, quo te Deus ita proſequitur, vt tantumdem quotidie tibi vni per ſacram impertiat Euchariſtiam, quantùm toti mundo, ſemel ſe incarnando, dedit. Non conueniebat profecto, vt ſe cuilibet particulari homini Chriſtus vniret vnione illa quam vocant hypoſtaticam; neque tamē diuina bonitas ſibi ac nobis deeſſe voluit, quin mirabile hoc inuentum excogitarit, quo ſe tam arctè noſtris aſtringeret animis; atque vt ait S. Chryſoſtomus, *Per omnia nos ita ſibi coagmentaret*, vt hoc vno beneficio ſimul omnia complecteretur, & hoc vno dato daretur in ſingulos tibi dies totum ſimul collectum quidquid per partes dabat Chriſtus dum viueret, aut quidquid modo cæteris vniuerſim concedat hominibus. *Hom. 60. ad pop.*

Stupendus certe amor, & nunquam ſatis prædicatum donum, ex quo ſequitur quod ſi amantem redamare velis, tantum illi debeas quantum totus ſimul mundus; vnde ſi omnium qui fuerunt, qui ſunt, & qui futuri ſunt corda ſolus haberes, tu ex illis totis Deum deberes diligere, cui tantum debes quantum reliqui homines. At ſaltem illum dilige ex toto corde tuo quod longe minus eſt illis & numero & merito. Ne vero poſſis vnquam excuſare paruitatem aut impotentiam tuam in reddendo quod debes; Audi & expende Veritatem propoſitam; *Quo minùs potes reddere quacumque debes; eò magis debes reddere quæcumque potes.*

Ratio eſt familiaris & obuia nec minus tamen expendenda; quamobrem vide accuratè quàm diligenter obſeruetur inter homines quod ſi quis Debitor Creditori non poſſit ex toto ſatisfacere, ſaltem ſe illi ſubmittat, ſuam illi probet inopiam & impotentiam, tantoque magis ſuam illi propenſam voluntatem ſignificet & paratum animùm ad debita omnia perſoluenda, quantò ſe impotentiorem profitetur. Nonne ſic tibi velles fieri? Nonne ſic te aliis demitteres? Nonne forma & exēplum huius demiſſionis ſtatutum eſt in illo Debitore qui Creditori ſuo & Domino *patientiam habe in me*, inquiebat, *& omnia reddam tibi*! Quæ certe animi præparatio tantum valuit apud Creditorem, vt omne propterea debitum debitori remiſerit. An vero putas minus Deo deferendum quàm hominibus? An putas tibi minus conuenire aut Deo minus eſſe gratum, ſi ſupplex illum ſic ores vt patientiam in te habeat, & te omnia illi redditurum? Nonne idcirco Chriſtus Dominus hoc parabolicum exemplum retulit vt indicaret idem *Matth. 18.*

Digitized by Google

valere apud Deum quod apud homines; atque idem à nobis debitoribus præſtandum Deo, quod præſtatur hominibus? *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* *Ibid. 15.*

II. PVNCTVM.

SED niſi reddas quæcumque potes, non te ſummittes Deo, nec impotentiam tuam illi probabis, aut voluntatem ſatisfaciendi ſi poſſes. Quomodo enim de impotentia poteris os aperire ſi non facis quæ potes? Nonne te arguet duplex malitia tua? vna quidem quod quæ potes negligas facere; altera vero quod negligentiam tuam ementito impotentiæ nomine diſſimules & obuoluas! Itane Deo, cordium & virium ſcrutatori affingis? *Ego ſcio, ait Dominus, iactantiam eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata ſit facere*; quaſi diceret, quidquid mihi affingas, ego ſcio quid reuera ſit, ego ſcio quid poſſis vel non poſſis, & ſicut arrogantis & iactabundi eſt plus promittere & præſumere quàm præſtare poſſit, ita etiam negligentis & tepidi non id efficere quod per vires in Domino poſſit. *Ier. 48.*

Prou. 24. Sic iam pridem ex Sacris audiuiſti Prouerbiis: *Si dixeris, vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis ipſe intelligit, & ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera ſua.* Quæ poſtrema Sapientis verba triplicem habent ſenſum valde accommodatum. Primus eſt quod Deus te iudicabit non ex ſermone ſed ex operibus: id eſt quidquid dicas ad te excuſandum, nihil proderit ſi deſis operari quod potes. Secundus, fruſtra te excuſas apud Deum de impotentia tua cum ipſe videat ex operibus tuis quid poſſis, & ex illis teipſum arguet & condemnabit. Tertius denique, ex illa tua negligentia qua non facis quod potes, conuinceris à Deo te neque plura facturum ſi plura poſſes, neque vllam in te eſſe voluntatem ſatisfaciendi debitis tuis. Cur enim non facis modo quæ potes & debes facere? Solius plane voluntatis defectus eſt quæ ſi modo deeſt in his paucis quæ potes, quomodo probas illam affuturam in aliis quæ non potes? Nonne illud ipſum eſt quod in Euangelio declaratur; *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt*, id eſt, indicat ſe futurum iniquum ſi maiora ei crederentur: Imo & de præſenti, iniquus eſt in maiori, ſi ſe in eo dicat fidelem futurum, cum ſit infidelis in modico. *Luc. 16.*

Digitized by Google

O quàm verè dictum à beato Iob: *Quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non reſpondebit vnum pro mille.* Iob. 9.

III. PVNCTVM.

QVO *minus ergo potes reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere quæcumque potes.* Nam ſicut verè oſtenderes te non poſſe plura reddere, ſi redderes quæcumque potes: ſic plane niſi hæc reddas quæ in tua ſunt poteſtate, non probabis te impotentem eſſe ad plura quàm reddas, reddenda: vel certe non probabis ex ſola impotentia fieri quod non reddas quæ plura debes, & quæ dicis te redditurum ſi poſſes. Eſto enim non poſſis plura: tamen in illa tua impotentia deberes præ te ferre bonam voluntatem totius debiti perſoluendi ſi facultas adeſſet; at quomodo illam bonam voluntatem præ te feres, cùm voluntas deſit in his quæ potes reddere?

Vndenam putas factum quod Vidua illa paupercula quæ duos tantum obolos miſit in Gazophylacium, prælata eſt à Domino viris illis qui eò immittebant munera ſua, niſi quia dando totum quod poterat, ſic verè probabat ſe plura daturam ſi plura poſſediſſet; Quod ditiores de ſe non ita probaſſent, cum non ita quod poſſent facerent. Sic plane de te iudica, aut ſi aliter iudicas, teipſum decipis. *Inſurgis in te teſtis iniquus, & mentita eſt iniquitas ſibi.* An verò putas ſic te poſſe Deum decipere? *Nolite errare; Deus non irridetur: quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.* Quaſi dicat Apoſtolus, ſicut nihil metitur vbi nihil ſeminatur: aut ſicut non metitur triticum vbi hordeum eſt ſeminatum: ita plane nihil metes ex mendacio & falſitate, niſi mendacium & falſitatem. *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent,* ait Propheta. In te vnum redundabit quidquid falſum & fictum cum Deo egeris. Tu ſolus falleris & decipieris. *Ipſe deludet illuſores,* inquit Sapiens, Et rurſum: *Si fueris illuſor, ſolus portabis malum.*

Luc. 21.

Pſ. 26.

Gal. 6.

Oſea 8.

Prou. 3.

Ibid. 9.

Quamobrem *quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas;* Id eſt, alioquin nihil te excuſabit niſi quod potes, facias. Et tantum abeſt vt ſegnior eſſe poſſis & remiſſior ad agendum, quòd pauca poſſis agere; quin potius hinc te ardentiorem Eccleſ. 9.

Digitized by Google

& conſtantiorem eſſe oportet ſiue vt ſic indices non eſſe defectum voluntatis ſed potentiæ, ſi non plura facis: ſiue vt illam voluntatem tuam explices & exerceas quæ non minus in paucis quàm in multis acceptatur: ſiue ob id denique quod ſi pauca illa quæ potes facere, non facias, nihil ergo ſupererit quod vnquam agas, nihil pro tot collatis beneficiis, pro tot culpis condonatis, pro tot communicatis gratiis, nihil pro tuo Chriſto toties, & tot modis pro te impenſo!

Pudendum quidem eſſet tam pauca poſſe in tam multis reddendis; ſed tamen impotentia veniam habet, & pudorem abſtergit bonitas Creditoris; at vero nolle illa pauca quæ facile poſſis reddere, tam probroſum eſt & infame vt ſi laueris te nitro, & mul-
Ier. 2. tiplicaueris tibi herbam borith; non poſſis eluere contractam ma-
Math. 25. culam. *Seruum inutilem projicite.* Quid, ſi ſeruus ille ſic etiam nocens?

Vide in 2. parte, Feria 5. Hebdom. Septuageſimæ, Vbi hoc exponitur Veritas.

Ingratus eſt tanti beneficij, qui ſe tantùm ex parte immolat, ſe totum immolante Chriſto.

FERIA TERTIA.

DE NATIVITATE DOMINI RENOVATA IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Iſ. 9.

VERITAS PRACTICA.

Reuocata quotidie noua Chriſti Natiuitas, noſtram in Chriſto quotidianam prouocat nouitatem.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia reuocata quotidie noua Chriſti Natiuitas nouam nobis offert Chriſti charitatem & gratiam, qua ſi velimus, cum illo renaſcamur & renouemur.*

Sed illa ipſa charitate & gratia nos excitat & prouocat ad id volendum quod offert.

Ergo & reuocata quotidie noua Chriſti Natiuitas noſtram in Chriſto quotidianam prouocat nouitatem, ſiue quam vocant Spiritus Renouationem: Quæ certe non eſt negligenda.

I. PVNCTVM.

POSTQVAM tantiſper in ſtabulo & præſepi naſcentem Dominum fueris contemplatus, admirare vehementius Eundem illum quotidie ſanctiſſimo in Sacramento veluti renaſcentem, & ſpeciebus panis velut pannis inuolutum, atque in altera quadam Bethleem, id eſt, domo panis reſidentem ſuoque modo concinentes Angelos, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* *Luc. 2.*

Sed quod magis mirum, Ille ipſe Infans ſemel olim natus in ſtabulo, & quotidie renaſcens in altari; ſimul etiam in pectore & in mente Sacerdotis, ac cuiuſlibet Communicantis, ſic renaſcitur quodammodo, & quaſi de nouo ſe ſe offert nouamque gratiam, vt ſi velimus, ita cum ipſo quotidie renaſcamur, & Spiritu renouemur. *O verè prodigam largitatem*, ſicut ait Vrbanus Papa, inſtitutor huius proximæ ſolemnitatis! Quis verò nollet tantæ charitati & gratiæ reſpondere? Quamobrem ſic eſt inſtituta & propoſita Veritas Practica vt probe intelligamus, *Quod reuocata quotidie in Sacramento noua Chriſti Natiuitas noſtram in Chriſto quotidianam prouocat nouitatem*, vt id reipſa fiat quod tantopere commendabat Apoſtolus: *Renouamini Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* *Epheſ. 4.* *Coloſſ. 3.*

Ratio petitur ab illa ipſa Charitate & Gratia quæ ſe ſe offerunt ad hunc finem, quibus certe par eſt reſpondere. Ac primo illud præſupponendum, vt primum totius Veritatis fundamentum, quod ea planè ſit intentio Chriſti Domini renaſcentis in no-

Digitized by Google

bis, vt ſimul cum ipſo renaſcamur & renouemur. Cum enim tanta ſit humanæ fragilitatis miſeria vt non minus animo quàm corpore quotidie ſeneſcamus, atque illud animi ſenium & vetuſtas non parùm ſaluti & perfectioni noſtræ præiudicent; profectò de Diuina bonitate dubitari non poteſt quin prouiderit tale remedium in ſtatu gratiæ quod vetuſtati renouandæ non minus aptum eſſet, quàm illa erat vitæ arbor in ſtatu naturæ de qua dicitur

Gen. 2. quod idonea eſſet corporibus reparandis, ac in nouam reuocandis iuuentutem. Et cùm illa vitæ arbor aperta eſſet figura ſanctiſſimi Sacramenti, quis non videat figuram in eo adimpletam vt ſic modo ſpirituales animæ reſtaurentur vires, ſicut olim inſtaurata eſſent corpora: nec minus appareat Deo eſſe curæ ſpiritualem hanc noſtram vitam, quàm corporalem, nec minus eſſe Chriſto potentiæ ad reſarcienda peccati damna, quàm Adamo ad illa no-

Rom. 5. bis inferenda. Sic enim apte Apoſtolus: *Si vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.* Expende illud, *in vita regnabunt*, neque enim tantum de vita æterna intelligendum eſt, ſed de vita ſpirituali, in qua regnare eſt non veteraſcere.

Hanc autem gratiam de ſanctiſſimo profluere Sacramento manifeſte teſtatur Eccleſia dum in vna natalis Domini Miſſa ſic orat:

Poſtcommunio ſecundæ Miſſæ. *Huius nos Domine Sacramenti ſemper nouitas natalis inſtauret, cuius Natiuitas ſingularis humanam repulit vetuſtatem.*

Iam vero quæ Chriſti Bonitas in tali gratia? Quæ Charitas in tanta bonitatis profuſione, vt non ſemel in vita, non aliquoties, non per ſingulos vitæ annos, ſed per vnãquamque conſtãter diem, ſed inceſſanter quotidie ſeſe offerat communicanti, quotidie Communicanti nouum afferat animum, nouam inferat gratiam, nouam inſpiret vitam; Quaſi diceret, Iam inchoemus nouiter nos diligere, & noua dilectionis teſtimonia nobis inuicem exhibere;

Apoc. 21. *Prima abierunt, & ecce noua facio omnia*; En me præſentem & pa-

Ezech. 34. ratum *ad id quod infirmum eſt, conſolidandum; & quod ægrotum ſanandum; quod confractum alligandum: quod abiectum reducendum: quod periit requirendum, & quod pingue & forte, cuſtodiendum. DIC mihi qua re indiges?* Quid à me petis? quid tibi & aliis poſtulas?

Pſ. 89. *Dilata os tuum & implebo illud:* Expande ſinum pectoris & cõplebo

Ioan. 10. illum nouis donis. *Ego veni vt vitam habeas, & abundantius habeas.*

Digitized by Google

Paruane videtur hæc tibi Charitas? parumne tanta bonitas & te merebitur?

II. PVNCTVM.

SED ſi quid meretur, hoc maxime, vt id velis quod intendit, vt te ſinas excitari & permoueri ad illam quam offert gratiam, ad illam quam affert nouitatem.

Sicut enim ſuos habent Gratiæ particulares effectus & non alios, ita dicuntur à nobis recipi vel recuſari prout tales earum effectus recipimus vel recuſamus. *Contemplantes*, inquit Apoſtolus, *ne quis deſit gratiæ Dei*. Quid eſt *contemplantes*, niſi attente ſpeculantes quid velit illa gratia, quem in finem detur, quid à nobis requirat. Vnde & addit; *ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat*; quaſi diceret, cauendum ne qua cordis & animi motione præueniamur, quò minus attente contemplemur quò tendat affectus gratiæ; vel potius quo minus parati ſimus ad nos tali affectui conformandos, vt ſi paci habendæ cum omnibus, detur aliqua gratia, nos amari corde gratiam aliò detorqueamus. Quamobrem cùm renaſcentis in Sacramento Chriſti Gratia detur in hunc præcipuè finem vt ſimul cum eo renaſcamur & renouemur, quid ſequitur niſi quantum putamus optime de nobis meritum eſſe Chriſtum, quantumque meritis eius reſpondere volumus, tanto id velimus affectu quod ipſe à nobis exigit? *Ignem veni mittere in terram & quid volo niſi vt accendatur?* Hoc eſt vel loquendo vniuerſim de gratiis, ſicut qui mittit ignem in lignum nihil aliud expetit quàm vt ignis accendatur, ſic Chriſtus conferens gratias nihil magis optat quam vt finem ſuum habeant: vel ſi particulatim intelligas de gratia renouationis quæ velut ignis abſumit omnem vetuſtatis rubiginem, *Quid volo*, inquit, aliud de tali collata gratia niſi quod veſtrum eſt, mecum agere ad producendum illius effectum, id omnino agatis? *Expoliantes vos* ſcilicet *veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius qui creauit illum.*

Hebr. 12. *Luc. 12.* *Coloſſ. 3.*

Expende omnia atque imprimis poſtrema verba, *Secundum Imaginem eius qui creauit illum nouum hominem qui eſt induendus*; id eſt ſicut ipſe ſe renouat, ſicut ipſe renaſcitur in animis noſtris, ita nos in ipſo renouemur & renaſcamur, plenè, integrè, quotidiè,

Digitized by Google

Apoc. 3. paribus ſemper animis. *Cœnabo cùm illo & ipſe mecum*; reciproca ſit & mutua communicatio, neceſſe eſt.

III. PVNCTVM.

SIC *ergo renocata quotidie noua Chriſti natiuitas, noſtram in Chriſto quotidianam prouocat nouitatem*, Quia tam præſtans gratia quæ ſe ad id offert, tam profuſa bonitas quæ nos indignos ſic præuenit, & tam conſtans Charitas quæ non ceſſat quotidie nobis bene velle ſi velimus, nos ita excitant & premunt ad volendum, vt nimis durus ſit animus qui tanto Charitatis incendio non emolleſcat, nimiſque verecundum & probroſum ſit, ſi nobis objiceretur quod eſt in Propheta, *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de* Ezech. 24. *ea nimia rubigo eius neque per ignem: Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non eſt mundata à ſordibus tuis.*

De hac animi renouatione plura in prima parte, & in fine huius; ſed interim hic agnoſce quàm parcè vtaris hoc beneficio quod Chriſtus quotidianum eſſe voluit.

Exod. 36. Dum fabricando ſanctuario inſtarent artifices, *Quotidiè*, ait Scriptura, *Mane vota populus offerebat.* Sic plane cum Chriſto nobis eſſet agendum, ſic quotidiè renouatis votis, vetus homo magis eſſet conſtringendus; ſed heu magis è contra nouus homo aſtringitur cùm vel abuſu gratiarum vel non vſu, quaſi reſtrin- Mal. 3. guntur eius manus ne poſſit benefacere. *Si affiget homo Deum, quia vos crucifigitis me!*

In hac certè quotidiana renouatione tantùm ponebat Apo- 2. Cor. 4. ſtolus, vt licet aduerſis vndique premeretur: *Propter quod*, tamen diceret, *non deficimus: ſed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, RENOVATVR DE DIE IN DIEM.*

Eccleſ. 1. Hoc plane eſt quod adumbrabat Sapiens cùm diceret, *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem luſtrans vniuerſa, in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Sic enim homo fidelis quotidie renaſcitur & perluſtrat quæcumque ſibi quoque die præſtanda ſunt, vt renouatis animis cuncta velut in primo feruore peragat. Denique ſic Scriptura quotidie quaſi primo die proponeret Deut. 26. quæ vitanda ſunt vel agenda: *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata hæc atque iudicia, & cuſtodias & impleas ex toto*

Digitized by Google

toto corde tuo, & ex tota anima tua. Dominum elegiſti vt ſit tibi Deus, & ambules in viis eius: & Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris.

Nonne id toto amplecteris pectore? An te pænitet illius eſſe? An te illi totum tradere, niſi iam tradidiſſes? An quid cogitas retractandum? De his ſuſpectus eſt qui ſe cum Chriſto quotidie renaſcente non renouat.

FERIA QVARTA.

DE ABSCONDITA CHRISTI DOMINI VITA, EXHIBITA IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël, Saluator. Iſ. 45.

VERITAS PRACTICA.

Nemo manifeſtiùs cum Chriſto viuit, quàm qui occultiùs.

RATIO EST, Quia nemo manifeſtius viuit cum Chriſto quàm qui manifeſtius viuit vitam ſupernaturalem & ſpiritualem.
Sed nemo manifeſtius viuit vitam ſupernaturalem quam qui cum Chriſto viuit occultius.
Ergo nec manifeſtius cum Chriſto quis viuit, quàm qui occultius, quo ſenſu declarabitur.

I. PVNCTVM.

V*ERE tu es Deus abſconditus!* Primo quidem in ipſa Diuinitate, in ipſa Diuinitatis natura, in ſtupendis Diuinæ naturæ attributis: in Præſentia inuiſibili, in Sapientia inueſtigabili, in Bonitate inenarrabili & cunctis aliis incomprehen-

Digitized by Google

Pſ. 17. ſibilibus. *Caligo ſub pedibus eius & aſcendit ſuper Cherubim, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum, & poſuit tenebras latibulum ſuum.*
1. Tim. 6. *QVI lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*
Rom. 11. *Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!*

Coloſſ. 1. & 2. Secundo in Incarnatione quod eſt *Myſterium abſconditum à ſæculis & generationibus*, in quo non modo latebat Diuinitas, *ſed & theſauri omnes Sapientiæ & Scientiæ in Chriſto erant abſconditi.*
1. Cor. 2. *LOQVIMVR Dei Sapientiam quæ in Myſterio abſcondita eſt*, inquit Apoſtolus, *quam nemo principum huius ſæculi cognouit, ſi enim cognouiſſent numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*
Hab. 3. *IBI abſcondita eſt fortitudo eius*, ait Propheta. Poſſet etiam cogitari vita eius occulta & abſcondita qua vel totos triginta annos latuit, vel toto vitæ tempore non alius quam fabri filius eſt habitus. *Nonne hic*
Matth. 13. *eſt fabri filius? NONNE hic eſt faber Filius Mariæ?*
Marci. 6.

Tertio in ſanctiſſimo Sacramento vbi non modo Diuinitas ſed & Humanitas prorſus abſcondita: vbi quidquid eſt, totum mirabile, totum ſtupendum eſt; vbi conſecratio, vbi operationes, vbi effectus, vbi omnia longe remota à ſenſibus, myſterium fidei totum, nec ipſa humana ratione curioſius inueſtigandum. *Verbis Chriſti defraudari non poſſumus, ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt*, inquit ſanctus Chryſoſtomus.

Quarto denique in animis noſtris verè Chriſtus Dominus eſt, ſed vere Deus abſconditus,
Epheſ. 3. *Det vobis*, inquit Apoſtolus, *ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum eius, in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Et rurſum:
2. Cor. 13. *An non cognoſcitis voſmetipſos quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt?* Sic & nos in ipſo ſumus, in ipſo manemus, in ipſo viuimus:
Ioan. 15. *Manete in me, & ego in vobis.*
Ibid. 6. *QVI manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: ſicut miſit me viuens Pater & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Sed vita illa noſtra, vita eſt abſcondita, vita occulta hominibus:
Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis*, ait Apoſtolus, *& vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.*

Atque hinc Veritas Practica quæ modò expendatur, *Vt nemo manifeſtius cum Chriſto viuat, quàm qui occultius*; hanc enim certam & manifeſtam notam agendæ cum Chriſto vitæ declarat Apoſtolus, *ſi vita ſit abſcondita*; Sed & aperta eſt ratio: Quid enim cla-

Digitized by Google

rius quàm quod nemo manifeſtius cum Chriſto viuat quam qui manifeſtius vitam viuit ſpiritualem & ſupernaturalem, cœleſtem & diuinam? *Qui delicias aſpernari pro deliciis habent,* inquit ſanctus Gregorius Nazianzenus, *qui in mundo nihil habent, & mundo ſuperiores ſunt; qui cùm in carne ſint, extra tamen carnem viuunt.* Vel, vt ait alter ſanctus Gregorius Papa; *Qui voluptatibus carnis renuntians cuncta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cæleſtis cuſtodiam calcat, vt nihil iam quod caro blanditur libeat; nihil quod carnalem vitam trucidat, ſpiritus perhorreſcat.* Hæc eſt ſcilicet vita ſpiritualis, vita ſupernaturalis, vita Chriſtiana, vita in Chriſto acta. Sed an ſit vita tua, tu ipſe videris.

Oratione de pace.

Hom. II. in Euang.

II. PVNCTVM.

A*TQVI manifeſtius nemo vitam illam viuit ſupernaturalem quàm qui cum Chriſto viuit occultius.*

Tribus modis intelligi poteſt occulta cum Chriſto vita. Primò ſi remota ſit à ſæcularibus negotiis & curis, qualis eſt Regularium, vel eorum vita qui domi ſuæ priuatam & arctiorem viuendi normam ſeruant. Secundò ſi vita quidem ſit publica & ciuilis quantùm ad vacationem & miniſteria, ſed multa in occulto bona faciant, ſiue quæ Deum reſpiciunt in frequentandis Sacramentis & aliis piis obeundis exercitationibus; ſiue quæ proximum in largis eleemoſynis, ſiue quæ ipſos ſpectant in variis virtutum actibus frequentandis.

Tertiò denique ſiue illi religioſi ſint ſiue ſæculares; ſiue priuati ſeu publici: ſiue ſoli ſibi vacantes, ſiue proximorum ſaluti: ſic tamen viuunt vt animam & omnia ſua interna conforment quantum cum gratia poſſunt, Euangelicis præceptis, & conſiliis, qui beatos credunt pauperes ſpiritu, & miſeros diuites: qui beatiores eos putãt qui lugent quam qui rident; & qui beatiſſimos ſe dicunt potius ſi maledicantur pro iuſtitia, quam ſi ab hominibus honorentur & benedicantur. Hi ſunt præcipue quos dicimus occulte cum Chriſto viuere: & hi ſunt præ & cæteris qui manifeſtius vitam viuunt ſupernaturalem; Quia quod in illis eſt occultius, hoc ipſum eſt magis ſupernaturale, hoc eſt magis ſupra humanam naturam, & communem viuendi morem: nempe in diuitiis paupertatem colere: in honoribus humilitatem; in deliciis

Digitized by Google

aſperitatem; in abundantia penuriam; in varia negotiorum diuerſitate, eandem ſeruare animi æqualitatem, & puram Deo placendi intentionem; Quid occultius? quid rarius? & quid ſimul ſublimius & excellentius? *Rara hæc auis ſuper terram*, ait ſanctus Bernardus. Hæc eſt aquila, inquit ſanctus Gregorius de qua

Iob. 39. Iob, *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis po-*

31. Mor. 19. *net nidum ſuum? Hæc mulier amicta ſole & luna ſub pedibus eius, cui datæ ſunt alæ duæ aquilæ magnæ vt volaret in deſertum, & in deſerto deliciis affluens, inde aſcenderet innixa ſuper dilectum ſuum*, vt eſt in

Apoc. 12. *Cant. 8.* Canticis, & in Apocalypſi; ad illud ipſum exprimendum quod dicimus de occulta vita, quæ eſt manifeſtiùs vita ſpiritualis & ſupernaturalis. O vere theſaurus in agro abſconditus, pro quo emendo vendi debent vniuerſa.

III. PVNCTVM.

N*EMO igitur manifeſtiùs cum Chriſto viuit quam qui occultius:* Nam ſicut nemo manifeſtius vitam viuit ſpiritualem & ſupernaturalem quam qui viuit occultius: ſic nemo manifeſtius cum Chriſto viuit quam qui viuit illam vitam ſpiritualem quæ

Rom. 8. tota Chriſti eſt, ſicut vita Chriſti tota lex & vita ſpiritus: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu.*

Quamobrem colenda illa vita occulta & abſcondita, reprimendi naturæ motus qui apparere geſtiunt, expectandum quod

Coloſſ. 3. monet Apoſtolus: *Donec Chriſtus appáruerit vita veſtra, tunc*, inquit, *& vos apparebitis cum ipſo in gloria*; vndè & concludit: *mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*, ideſt, quamdiu in terra eſtis, quamdiu in hac mortali vita viuitis, quæ eſt velut hybernum tempus quo arbores videntur mortuæ, & cum verno ſole refloreſcunt, ſic vos exiſtimate mortuos quantùm ad naturæ corruptæ motus inordinatos.

Sic præclare ſanctus Auguſtinus in illum Pſalmi verſiculum;

Pſ. 148. *& exaltabit cornu populi ſui: MODO fructus per hybernum in radice non apparent · attendis quaſi aridas arbores per hyemem; qui non nouit viuere, aridam putat vitem, & forte iuxta eſt quæ vere aruit: ſimiles ſunt ambæ per hyemem, illa viuit, illa mortua eſt, ſed illius vita, & illius mors in abſcondito eſt. Aeſtas præcedit, vita illius clarificatur mors illius manifeſtatur, præcedit honor foliorum, fæcunditas fructuum,*

Digitized by Google

veſtitur vitis in facie ex eo quod habebat in radice. Ergo modò, fratres, tales ſumus quales ſunt & alij homines. Quomodo naſcuntur, manducant, bibunt, viuunt, & veſtiuntur, tranſigunt vitam iſtam, ſic & ſancti. Aliquando res ipſæ decipiunt homines & dicunt, Ecce poſtquam cœpit eſſe Chriſtianus, numquid non ei dolet caput, aut quia Chriſtianus eſt quid habet plus à me? O vitis arida, attendis iuxta te vitem nudam in hyberno ſed non aridam per æſtatis vim. Et veniet Dominus honor noſter qui latebat in radice, & tunc exaltabit cornu populi ſui.

Itemque in hunc Pſalmi trigeſimi verſum, *Abſcondes eos in abſcondito multus tui.* Pſ. 30. *ESTO*, inquit, *domus eius, & erit domus tua; habitet in te, & tu habitabis in eo, ſi eum exceperis in hoc ſæculo, in corde tuo: ille poſt hoc ſæculum, excipiet te vultu ſuo.*

Vide in 1. parte, die 14. Ianuarij:

Nemo ſecurè apparet, niſi qui libenter latet.

FERIA QVINTA.

SOLEMNITAS SANCTISS. SACRAMENTI.

DE CONVERSATIONE DOMINI MANIFESTATA IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ: poſt hæc, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Baruch. 3.

Deliciæ meæ eſſe cum Filiis hominum. Prou. 8.

VERITAS PRACTICA.

Quibus amarum eſt conuerſari cum Chriſto, delicias eius conuertunt in amaritudinem.

RATIO EST, Quòd cùm deliciæ Chriſti ſint conuerſari cum hominibus, delicias illas conuertunt in amaritudinem, qui amaram Chriſto reddunt ſuam conuerſationem.

Sed quibus amarum eſt cum Chriſto conuerſari, amaram Chriſto reddunt ſuam conuerſationem.

Digitized by Google

Ergo illi delicias Chriſti conuertunt in amaritudinem; Quod ſane eſt & multis commune & multùm execrabile.

I. PVNCTVM.

DE Chriſto Domino conuerſante inter homines dum viueret tria poſſent fructuoſe cogitari. Primum quam facilis ſemper eſſet & accommodatus ad omnes excipiendos; Idcirco *flos campi* dicitur non hortorum: *& lilium conuallium* non montium Cant. 2. quia liberius itur ab omnibus in campos quam in hortos qui clauſi ſunt, & in conualles facilius deſcenditur quàm in montes aſcendatur. Secundum, quàm ſuauis eſſet & iucunda conuerſatio de qua ſcilicet dictum erat: *Non habet amaritudinem* Sap. 8. *conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Tertium denique quam eſſet benefica, fructuoſa, & vtilis, vt qui bene omnibus vellet & faceret, quantùm in ſe erat, & omnes ad ſe idcirco inuitaret: *Venite ad me omnes qui laboratis & one-* Matth. 11. *rati eſtis, & ego reficiam vos.* Idque vnum dolebat maxime ſi venire nollent: *Et non vultis venire ad me vt vitam habeatis!* Ioan. 5.

Hæc autem tria quàm facile appareant in ſanctiſſimo Sacramento quis non videt? quid facilius ad aditum? quid familiarius ad congreſſum? quid ſuauius ad vſum? quid ad fructum vtilius? Certe dum Chriſtus viueret ſic in vno ſe continebat loco vt non eſſet in alio; at modo quàm in multis & diuerſis! Sic vni ſæpe ſe homini applicabat, vt non ſic aliis intenderet: at modo ſimul omnibus qui ſe volent. Sic inuitabat ad ſe omnes, vt tamen Diſcipulos & Apoſtolos haberet coniunctiores: Iam vero ſinguli facti ſunt eius contubernales, conuiuæ & commenſales. *Iuxta te eſt in* Deut. 30. *ore tuo, & in corde tuo.* Intra nos habitat in nobis manet & vi- 2. Cor. 6. uit. *Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: & ipſi erunt mihi populus. NEQVE enim eſt aut fuit aliquando tam grandis natio* Deut. 4. *quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter.* Hæc eſt diuina Sapientia quæ cum ſemper tum hodie, ſicut aiebat Sap. 6. Sapiens, *Præoccupat qui ſe concupiſcunt vt illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet, quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis*

Digitized by Google

oſtendit ſe hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis. Quid familiarius, & quid aptius ad ſolemnitatem hodiernam?

Denique ſicut nulla vox eſt qua ſuam hanc facilitatem Sapientia potuerit expreſſius ſignificare quàm vox iſta: *Deliciæ* ſeu quod voce deſignatur, *deliciæ meæ eſſe cum Filiis hominum:* Sic nulla res eſt qua vocem illã verius impleuerit, & certius notificauerit quam hoc diuiniſſimo Sacramento quo ſe nobis communicat & nobiſcum conuerſatur: Quamobrem aduertant ij quibus amarum eſt ſic familiariter & frequenter cum Chriſto conuerſari, aduertant quàm ſint Chriſto iniurij, quam iniqui & offenſi; Sic enim *ſuauiores eius delicias conuertunt in amaritudinem?* Parumne tibi hoc videtur iniurioſum & iniquum?

Quomodo autem per eos amareſcant Chriſti deliciæ, non poteſt melius declarari quàm ſi dicatur amarum fieri Chriſto quod cum hominibus conuerſetur. Nam ſi ſuas ipſe in familiari cum hominibus conuerſatione ponit delicias, profectò qui hanc eius conuerſationem reddet amaram, amaras eius reddet delicias: ſicut amara mors dicitur quod ſeparando corpus ab anima, vitam tollat in qua erant eius deliciæ. *Siccine ſeparat amara mors?* inquie-
1. Reg. 15. bat ille Rex moriturus: ſic amaræ fiunt deliciæ quando tollitur vel quando inamareſcit conuerſatio, in qua deliciæ ponebantur.
Iſ. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum!*

II. PVNCTVM.

SED quibus amarum eſt cum Chriſto conuerſari, amaram Chriſto reddunt ſuam conuerſationem.

Non poteſt enim non eſſe amarum Chriſto, videre animos ſic à ſe alienos vt durum ſibi & amarum putent eum ipsò conuer-
Ier. 2. ſari. *Quid inuenerunt in me iniquitatis?* Qui moleſtiæ? quid iniuſti-
Mich. 6. tiæ? *Popule meus quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi? reſponde mihi.* Durum forte putabunt & moleſtum quod non poſſint cum eo conuerſari, quin negotiis vel curis ſuis & cupiditatibus modum ponant. Eſto ſane, ponatur modus immodicus cupiditatibus, adeone vero hoc durum dici debet vt propterea non ſit cum Chriſto conuerſandum? Hoc eſt ſcilicet, hoc eſt quod non poteſt non illi eſſe amarum, cùm videat animos cœlo aduocatos ſic

Digitized by Google

ſic immodicis addictos cupiditatibus vt modum tenere nolint? *Renuerunt accipere diſciplinam. PEREAT Samaria quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum.* *Ier 5.* *Oſee 14.*

III. PVNCTVM.

QVIBVS *ergo amarum eſt conuerſari cum Chriſto, Delicias eius conuertunt in amaritudinem*; Quia conuerſationem illam in qua ſuas ponit delicias ita reddunt amaram, vt quantæ fuiſſent deliciæ, tanta fiat amaritudo. *Ecce in pace, Ecce in deliciis meis amaritudo mea amariſſima. TRISTITIAM ſuper triſtitiam de quibus oportuerat me gaudere*; Vel enim fingunt ſe non audere: vel audent fingere ſe non poſſe ſic mecum conuerſari: & ex vtroque duplex eſt malum, vnde triſtitia duplicatur; Cur enim non audent? quia ſcilicet ſanctus ego ſum; At vero propterea deberent ad me accedere, vt ex me ſanctitatem haurirent. Cur autem dicunt ſe non poſſe? Quia videlicet nimis implicati ſunt ſuis cupiditatibus; At nonne idcirco ſatius eſſet ſe illis expedire vt ad me confugiant, quam me refugere ne ſe illis expediant? *In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.* O timendum Chriſti viſum! ſed ô magis timenda cordis amaritudo, & obligatio iniquitatis! *Iſ. 38.* *2. Cor. 2.* *Act. 8.*

Expende quid ſit obligatio iniquitatis; quam multi ſic obligentur, quàm ſit verendum ne ſis ex illis. Nempe illud eſt quod aiebat ſanctus Auguſtinus, ligatus non ferro alieno, ſed ſua ferrea voluntate. *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa, facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas: quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.* *l. 8 Conf. c. 5.*

Sicut itaque conſtrictus & catena ligatus, ita retinetur, vt ſe vlterius mouere non poſſit, quàm catena extendatur; ſic conſtringuntur plurimi ſuis inordinatis affectibus, audentque dicere ſe non poſſe aliter facere, ſe non poſſe vacare pietati, ſe obligari mundo, familiæ, vacationi quæ non permittit talem cum Chriſto conuerſationem. Hæc eſt ſcilicet ordinaria mundi & mundanorum iniquitas quando ſua Chriſto præferunt, & hæc eſt obli-

Digitized by Google

gatio iniquitatis, quando ſic ſua præferunt vt ſe ad id obligari fingant, nec ſe inde poſſe expedire credant.

O quàm ſic ſæpe te putas excuſatum, cùm inde magis accuſeris! nam quod vocas impedimentum, mera eſt acedia, mera nauſea: vel ſi mauis, ipſa eſt naturalis indoles plus æquo ſui amans, quæ quicquid ſenſibus non arridet, velut damnum fugit ſuum: Et cùm propterea virtute ſtimulanda eſſet, ſuo natiuo potius deſeritur torpori ac deſidiæ: quod ne appareat vitium; Vellem, inquis, aliud poſſe; Deum teſtor, per me non ſtat: ſed talem ſeceſſum non patiuntur negotia, non permittit corporis valetudo, vetat officij ratio: ſicque fraudulenter teipſum vel à piis libellis, vel à ſtatis meditandi horis, vel ab ipſo frequentiori communionis vſu, vel ab aliis demum Chriſtianæ pietatis exercitationibus abſtrahis, quibus Diuina Chriſti Conuerſatio colitur. Atque hæc eſt illa interior amaritudo, de qua ſeuerè Apoſtolus, *Ne qua,* inquit, *radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Hebr. 12.

Huic radici ſecurim adhibe. Sonet vox iſta in auribus: *Quia tepidus es:* & quæ inde plura ſequuntur, non ceſſent pectus pungere. Apoc. 3.

Quia verò etiam multi religioſum prætexunt cultum, & auguſtiorem quamdam reuerentiam, ac dum cauent ne iſta familiaritate de illo aliquid detrahant cultu: malunt minus eſſe familiares, ne ſint minùs religioſi; Contra ex verbis Apoſtoli:

Hebr. 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.*

Proponi hæc poteſt

VERITAS PRACTICA.

Qui cum fiducia non adeunt ad gratiæ Chriſti thronum: & ſe à throni ſecludunt gratia, & Chriſtum excludunt à throno gratiæ.

RATIO *poſtremæ partis quæ ſola difficultatem habet, hæc eſt, quod qui negant aut diminuunt facilitatem & beneficentiam Chriſti Domini conuerſantis nobiſcum in ſanctiſſimo Sacramento, Chriſtum excludunt à throno gratiæ.*

Digitized by Google

Sed qui cum fiducia non adeunt ad gratiæ Chriſti thronum, illi negant aut diminuunt facilitatem & beneficentiam Chriſti Domini conuerſantis nobiſcum in ſanctiſſimo Sacramento.

Ergo hinc euidenter apparet veritas, & quam ſit irreligioſum, religioſo quodam prætextu ſe à familiaritate Chriſti velle abſtrahere.

I. PVNCTVM.

PRÆMITTI debet tanquam fundamentum Veritatis expendendæ, quòd quadruplex dici poteſt Thronus Chriſti gratiæ. Primus eſt Incarnationis de quo euidenter Apoſtolus ex Pſalte Regio: *Thronus tuus Deus, in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui.* Pſal. 44. Sicut enim Rex ſtatim factus eſt ac incarnatus, ita & in throno ſediſſe dicendus eſt. Hebr. 1. Secundus eſt glorificationis, cùm Chriſtus reſurrexit vel ad cœlos aſcendens in Patris ſedit dextera, tunc in regnum veniſſe, & proprium poſſediſſe thronum frequenter memorat S. Ioannes in Apocalypſi. *Qui vicerit, dabo illi ſedere mecum in throno meo.* Apoc 3. Tertius eſt Iuſtificationis, cùm in anima iuſti tamquam Rex in ptoprio throno ſedet, vt ait l. 2. c. 7. Author libri de Imitatione Chriſti, & de quo poteſt illud Dauidis intelligi, *parauit in iudicio thronum ſuum.* Quartus denique profuſionis gratiæ in ſanctiſſimo Sacramento quem ſic paucis expreſſit Sapientia; *Thronus meus in columna nubis*, ideſt, obuelatus, coopertus, obumbratus: Eccleſi. 24. ſic enim nobiſcum conuerſatur Chriſtus, ſicut olim Deus in columna nubis cum Iſraëlitico populo.

Cur hic porrò Thronus dicatur profuſioris gratiæ, perpendetur aptius in ipſa propoſitæ veritatis declaratione, quæ non eſt tantùm intelligenda de frequenti communionis vſu, ſed de quibuſuis pietatis officiis, quibus deuotio ſanctiſſimi Sacramenti, & familiaris cum Chriſto conuerſatio colitur & exercetur.

Hoc eſt enim adire cum fiducia ad hunc thronum gratiæ, crebro templa frequentare, vbi ſalutaris adoretur hoſtia: frequentes illuc pectoris iaculari motus, quibus vel laudetur, vel oretur, vel pio quouis alloquio nobiſcum foueatur, ac de publicis ſimul priuatiſque rebus familiariter agitetur. Hoc eſt, inquam, adire confidenter, hoc eſt admonentem audire Apoſtolum, *Adeamus ergo*

Digitized by Google

cum fiducia, hoc eſt Chriſti nutrire delicias, hoc eſt gratias eius demereri; Vt è contra, qui hoc non audent, qui adire refugiunt, quidquid prætexant religioſi cultus, audiant quâ ſe imprudentes, quaue Chriſtum iniuria non cogitantes afficiant; *Se nempe à Throni ſecludunt gratia, & Chriſtum excludunt à Throno gratiæ.*

De primo nulla difficultas, cùm ſe illa euidenter priuent gratia, quam referre poſſent niſi ſeipſos ita ſecluderent. Quid clarius? At de ſecundo fortè à quibuſdam dubitari poſſet, & quæri quid eſt excludere Chriſtum à throno gratiæ? Reſpondetur & declaratur prima propoſitio, nihil aliud eſſe quod quæritur, quàm vel negare de Chriſto, vel ita dictis aut factis minuere facilitatem ſui communicandi, quæ per thronum gratiæ ſignificatur, vt falsò Sacramentum dicatur thronus gratiæ. Nam ſicut idcirco dicitur thronus gratiæ quia ibi ſe Chriſtus magnificum & glorioſum præbet in conferendis facile gratiis; ſic plane qui hanc neget magnificentiam, iure merito dici poteſt vel thronum, vel in throno ſedentem exturbare. Non id agit quidem vt Chriſtus illic adeſſe deſinat, ſed vt deſinat eſſe thronus gratiæ. Sicut ſi dictus eſſet thronus Iuſtitiæ, quòd ibi ſingularem exerceret Iuſtitiam, nonne qui ſingularem illam negaret Iuſtitiam, negaret illum Iuſtitiæ thronum, qui non aliter talis dicitur thronus, quàm quòd talis exercetur Iuſtitia? Sic plane de throno gratiæ, ſi tollis rationem cur ſic dicatur thronus, iam tollis ipſum thronum aut in throno ſedentem; tollis autem rationem, ſi tollis facilitatem quam exhibet ſui adeundi, ſi tollis propenſionem quam præ ſe fert ſui communicandi, ſi tollis illum quem euulgat familiarem cum hominibus conuerſandi vſum, quia vt dictum eſt, propterea maximè dicitur thronus gratiæ, quia ibi præcipue regnat & triumphat gratia, ibi ſedet ipſe Author gratiæ, ſe ſuaque omnia tam effuſe daturus, quàm paratus erit accipere qui ſe adire velit. Nonne ſi omnem tolleres à Sacramento gratiam, ſimul ipſam tolleres vim & efficaciam Sacramenti? Cur porrò, niſi quia non eſt Sacramentum, niſi ſit gratia? Sic prorſus ſi tollis facilitatem gratiæ, tollis & thronum gratiæ, quia non eſt thronus gratiæ, niſi ſit tanta facilitas & vbertas, quanta dici poteſt & cogitari maxima. *Pſal. 110.* *Confeſſio & magnificentia opus eius.* Id eſt, ſic eſt opus eius magnificentia, vt niſi accedat magnificentiæ confeſſio, non ſit apud illum qui magnificentiam non confitetur, opus eius magnificentia.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED qui cum fiducia non adeunt ad Gratiæ Chriſti thronum, non confitentur, imò & factis negant aut diminuunt illam facilitatem & magnificentiam Chriſti Domini conuerſantis nobiſcum in ſanctiſſimo Sacramento.

Quid eſt enim quamobrem non adeant, non confidant, non ſe magis communicent, niſi quia vel non putant reuera tantam ineſſe Chriſto ſui communicandi bonitatem; aut qualis ea cumque ſit, non eſſe noſtrum illâ tam familiariter & tam frequenter vti? Quid eſt quod Patriarcha Iacob non remittit filios in Ægyptum, vt inde frumentum conuehant, niſi quia Virum illic audiuit durius tractaſſe ſuos? Si ſciret eſſe filium Ioſeph qui dominatur Ægyptiis, an ita cunctaretur? *Gen. 43.*

Quid eſt, quòd qui luſtrarunt terram promiſſionis, dicuntur illi terræ detraxiſſe, niſi quod negarunt vel tantam ineſſe ſoli vbertatem, vel tantam adeundi loci facilitatem quam Moſes promittebat? *Num. 13.*

Cur ipſi Moſes & Aaron accuſantur, quod aliquando non ſanctificauerint Dominum niſi quod illo tum die, quo grauius contra Deum populus murmuraret, minus fortè de Dei bonitate ſenſerint quàm oportebat? *Ibid. 20.*

Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo, dixit Regi Achaz Propheta. *Non petam*, inquit ille, *& non tentabo Dominum*; Religioſus ſcilicet Dei cultor! dum ſe Deum timere ſimulat, Deum non timuit offendere, quia ſic oblatam recuſauit bonitatem. Nonne ſic errabant Phariſæi quòd nollent publicanos & peccatores tam libenter ad Chriſtum accedere? Nonne ſic ille de ſuo Domino malè eſt meritus qui talentum acceptum non duplicauit? Nonne ſic Domini bonitatem negauit, quando illam credere noluit nec experiri? Sic illi planè qui cum fiducia non adeunt ad gratiæ Chriſti thronum, ſic illi gratiæ detrahunt, ſic illam negant bonitatem, dum ſe illi negant poſſe vti confidenter, & qua ſe ipſis facilitate offert. *Iſ. 7.* *Luc. 15.* *Matth. 25.*

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

ERGO *illi & ſe à throni ſecludunt gratia, & Chriſtum excludunt à throno gratiæ*, cum illa throni excluſio ſit ipſa gratiæ vel bonitatis negatio, quam præ ſe ferunt & apertè profitentur, quando illam non magis adire volunt, quam ſi nulla eſſet bonitas vel nulla gratia. *Ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* Quod quàm ſit graue, quàm impium, & quàm horrendum, iam ſupra in ſecunda parte viſum eſt, vbi hæc declaratur Veritas:

Luc. 11.

Fer. 2. Hebd. 4. poſt Octau. Paſcha.

Quàm glorioſum eſt Sacramento multa in nos poſſe ſi velimus, tam ignominioſum eſt pauca poſſe quod nolimus.

Certè ſicut throni ſedes non niſi gloriam & tranquillitatem deſignat, ſic throni exturbatio quid niſi dedecus & dolorem inferat? Quid regi poteſt eſſe probroſius, quàm expelli regno, quam throno deturbari? Et ne in magnificis ac glorioſis vocabulis videamur vim facere, facilius pateretur Chriſtus ſe nec Regem haberi, nec habere thronum, quàm ſe in illos non agnoſci bonum ac facilem, qui ſua velint bonitate vti. Nonne in regia ſua dignitate contemptum paſſus eſt? nonne in ſanctitate, in ſapientia, in ſcientia, in potentia, & in quibuſuis ſuis animi dotibus illuſus fuit? Cur porrò niſi vt ſuam nobis apertiùs indicaret Bonitatem? Nonne tantò magis apparet eius bonitas, quantò minùs apparent alia, quibus propterea denudari voluit, vt magis appareret eius bonitas? quaſi diceret, nihil in me ſpectes præter bonitatem. Tu verò nouus majeſtatis cultor & prædicator, ſolam, inquies, intuere maieſtatem: nil de bonitate, nihil de gratiis cogita. Poteſtne Chriſto aliquid cogitari magis oppoſitum?

Quam me autem iubes intueri maieſtatem in Sacramento? Quid hîc apparet tam ſplendidum, quid tam magnificum, tam regium & tam timendum, vt me ſuo potiſſimum terrore percellat & occupet quam quod illic ſuis me allicit blanditiis? Nonne idcirco potius velata ſunt illa ſplendentia, ne illorum fulgore deterreremur? Nonne idcirco ſola vulgaria relicta ſunt, vt eorum facilitate magis traheremur? Adoro quidem & veneror Maje-

ſtatem, reuereor Sanctitatem & Iuſtitiam, quæ quanta ſit in hoc Sacramento, non diſſimulatur infra, vbi ab ira Agni, quam ſit timendum, oſtenditur: Et iam ſupra etiam fuſius in prima parte, vbi pauendum in loco ſacro demonſtratur, & ad locum ſacrum non aliter accedendum quàm ad ipſum Sacramentum. Sed cur propterea Bonitatem excludis, cùm potius ipſe Dominus majeſtatem latere velit, vt ipſa magis pateat Bonitas?

Sanè non debet Majeſtati præjudicare Bonitas, ſed neque poteſt Majeſtas Bonitati officere. Nulla inter illas poteſt eſſe contentio quas ex æquo Dominus poſſidet, & quæ ſimul ita colendæ ſunt, vt non minus ametur Majeſtas quàm Bonitas, nec minus timeatur bonitas quam majeſtas. Timor autem iſte non eſt fugæ, niſi fuga ſit culpæ. Qui diuinam timet bonitatem, fugit quantum quidem poteſt à culpa, ſed quantum à culpa fugit, tantum ad ipſam accedit bonitatem.

Quod ſi dicas te timere ne familiaritas contemptum pariat, ſicut in humanis accidit; audi ſequentem propterea præcedenti connexam veritatem.

Diuina licet magis timenda ſint quàm humana: in diuinis tamen minùs timenda eſt familiaritas quàm in humanis.

RATIO proxima petenda eſt ab illo quem experimur in humanis contemptu, quem profectò parit familiaris vſus: vnde ſi contemptus ille non ſit timendus in diuinis ſicut in humanis; nec erit ipſa etiam timenda familiaritas.

Sed in diuinis non eſt ille contemptus tam timendus quàm in humanis.

Ergo nec ipſa etiam familiaritas pertimeſcenda.

RATIO verò cur in diuinis non ſit ille contemptus tam timendus, magis hic vrgeri debet, ſicque demonſtratur: *Contemptus ille quem parit familiaritas, vel eſt à perſonis timendus, vel à rebus, vel ab ipſo familiari vſu.*

Digitized by Google

Sed nihil horum trium in diuinis accidit quod timeatur, ſicut in humanis.

Ergo non eſt ita timendus.

I. PVNCTVM.

TRES afferuntur cauſæ præcipuæ quibus in humana & communi vita, familiaritas contemptum pariat.

Prima eſt ex perſonis quas inter, familiaris intercedit vſus: cum enim ſint homines & naturâ ſuâ verſatiles & diuerſis obnoxij cupiditatibus, vix aliquot ſimul menſes tranſegerint, quin vel ipſo ſui alterius faſtidio, vel detectis naturalibus vitiis, ſe mutuò ferre non poſſint; & quos natura ſociarat, ipſa diſſociat. *Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, olla confringetur.* Eccleſi. 13.

Secunda ex rebus ipſis occurrentibus, quæ dum vni placent, diſplicent alteri: tum verò inquit Sapiens, *Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico:* Id eſt, vel contemnit quem prius diligebat, vel ſe ab illo contemptum queritur, vnde occaſionem recedendi captat. Prou. 18.

Tertia denique, familiari hoc ipſo vſu ſatis compertum eſt pretioſa quæque vileſcere; nam cum quidquid creatum eſt, ſit finitum, ſit caducum, nec ſatiando capax animo; vix aliud quidquam inde referas quàm quod Sapiens: *Ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus.* O ſi hoc ſaltem ex animo ſentirent homines, & diſcerent ea virtute contemnere, quæ vident alioquin contemnenda! Eccleſ. 1.

II. PVNCTVM.

SED *nihil horum trium in Diuinis accidit ſicut in humanis.*

Non primum, quia ex parte Chriſti nulla inconſtantia, nulla vitioſitas, nulla intercedere poteſt ratio, cur ille vno magis æſtimetur tempore quàm alio, cum ſit vnus idemque ſui ſemper ſimilis, ſemper ſanctus, ſemper amabilis, ſemper colendus. *Si aliquid fœdi inuenerimus in eo,* ait S. Auguſtinus, *non amemus. Ecce ipſe inuenit multa fœda, & amauit nos. Si aliquid fœdi inuenerimus in eo, non amemus: quia & hoc ipſum quod carnem indutus eſt, vt de illo etiam diceretur.* Vidimus eum, & non habebat ſpeciem In Pſ. 44

ciem neque decorem: ſi conſideres miſericordiam qua factus eſt, & ibi pulcher eſt. *Mihi autem abſit gloriari dixit vnus amicorum ſponſi, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Parum eſt vt non inde erubeſcas, niſi etiam & glorieris. Quare ergo non habuit ſpeciem neque decorem? quia Chriſtus crucifixus, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus ſtultitia. Quare autem & in cruce habuit decorem? quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt quàm homines: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt quàm homines. Nobis ergo iam credentibus vbique ſponſus pulcher occurrat. Pulcher Deus, verbum apud Deum. Pulcher in vtero virginis, vbi non amiſit diuinitatem & ſumpſit humanitatem. Pulcher natus infans verbum, quia & cum eſſet infans, cum ſugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti ſunt, Angeli laudes dixerunt, Magos ſtella direxit, adoratus eſt in præſepi, cibaria animalium manſuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu. Audite Canticum, neque oculos veſtros à ſplendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa & vera pulchritudo, iuſtitia eſt. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniuſtum. Si vbique iuſtus, vbique decorus.* Ex parte autem noſtra deficere quidem poſſumus, ſed hoc habet à Chriſto quiſquis illi adhæret, vt vnus cum eo ſpiritus fiat, vno eodemque roboretur animo, atque vt ait Sapiens, *In ſapientia maneat ſicut ſol, nec ſicut luna mutetur.* *Eccleſ. 27.*

Secundum abeſt etiam ab hac diuina cum Chriſto conſuetudine, nam licet multa hic varia nobis contingant, cum nihil tamen aduerſi ſine diuino nutu eueniat, *& diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum*, Quid eſt, quod ab illo nos poſſit diſiungere? *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Vide locum Apoſtoli, & audi S. Auguſtinum verba eius minutatim exponentem: *Nemo nos ſeparat à charitate Domini minando mortem: idipſum enim quod diligimus Deum, mori non poteſt, cum mors ipſa ſit non diligere Deum. Nemo ab ea ſeparat, pollicendo vitam; nemo enim ab ipſo fonte ſeparat, pollicendo aquam. Non ſeparat Angelus: non enim eſt Angelus, cum inhæremus Deo, noſtra mente potentior. Non ſeparat virtus quæ poteſtatem habet in hoc mundo: nam toto mundo omnino ſublimior eſt mens inhærens Deo. Non ſeparant inſtantes moleſtiæ: hoc enim leuiores eas*

Rom. 8.
l. 1. de Moribus Eccleſ. c. 11.

ſentimus, quo ei vnde nos ſeparare moliuntur, arctiùs inhæremus. Non ſeparat promiſsio futurorum: nam & quidquid boni futurum eſt, certiùs promittit Deus: & nihil eſt ipſo Deo melius, qui iam benè ſibi inhærentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo, neque profundum, quid enim mihi cælum polliceatur, vt à cæli fabricatore ſciungar? aut quid terreat infernus, vt Deum deſeram? quem ſi nunquam deſeruiſſem, inferna neſciuiſſem. Poſtremò quis me locus ab eius charitate diuellet, qui non vbique totus eſſet, ſi vllo contineretur loco?

Supereſt tertium de familiari vſu quo ſentimus areſcere quidquid floret amœnius, & obſcurari quidquid ſplendet magnificentius: At non ita in Diuinis, non ita Chriſtus excidit, non ita ille obſoleſcit, *Apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obumbratio. Non eſt in illo, EST & NON*, inquit Apoſtolus de Sermone quem de Chriſto habuit, & de ipſo Chriſto, ſic namque pergit: *Dei enim Filius Ieſus Chriſtus qui in vobis per nos prædicatus eſt, non fuit EST & NON, ſed EST in illo, fuit. Quotquot enim promiſsiones Dei ſunt, in illo, EST.* Quaſi diceret, totum præſens eſt quod de Chriſto aſſeritur, nam quod fuit & quod erit, nunc eſt quodammodo; nunc tam ſuauis congreſſu, tam mitis verbo & acceſſu tam facilis, quàm olim fuit. Nihil ex illo conſeneſcit & deperit. Quod aliquando etiam futurum eſt in æterna beatitudine, nunc eſt ſuo modo. Nempe futurum eſt, quando in cœlo videbitur, vt ita ſatiet animum, nunquam tamen vt illa ſatietas faſtidioſa ſit, ſed in quem ſemper *deſiderent Angeli*, & beatorum animæ magis ac magis proſpicere; ſic enim de præſenti affirmat, & ſic propterea nos ad ſe inuitat: *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generationes ſæculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Poteratne quid exprimi ſignificantius? aut certè ſi quid vltra deſideres, præſto eſt S. Gregorius, vbi de corporalibus agit deliciis & ſpiritualibus: hæc enim humanæ & diuinæ ſimul familiaritati tam aptè conueniunt, vt ſicut de illa humana dicitur, *quod appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat*; ita de hac diuina ſentitur, *quod appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum pariat. Augent enim huius diuinæ conuerſationis deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quantò magis earum ſapor percipitur, eò amplius cognoſcitur, quod auidius ametur. Proinde Pſalmiſta nos admonet*

Iac. 1. 2. Cor. 1. 1. Pet. 1. Eccleſ. 24. Homil. 36. in Euang. Pſal. 33.

Digitized by Google

dicens : guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Quem Pſalmi verſiculum, atque ipſius etiam Pſalmiſtæ factum quo ſe immutauit coram Rege Achis vt habetur in libris Regum, commemorans S. Auguſtinus & applicans ſanctiſſimo Sacramento: *Guſta,* inquit, *& vide quàm ſuauis eſt Dominus, ſi autem non intelligis, Rex es Achis, immutabit faciem ſuam Dauid, & recedet à te, & dimittet* 1. Reg. 21.
te & abiet. Quaſi diceret ſanctus Doctor, niſi tu ſentias illum ſuauem, non inde eſt quod non ſit ſuauis Dominus, ſed quod tibi ſit immutatus, quia tu forte conſtitutum mutas ordinem, vis videre priuſquam guſtes, vis guſtare priuſquam te aliis ablactes creaturis.

III. PVNCTVM.

I*N Diuinam igitur familiaritatem nihil eorum ſe ingerit, quæ in humana contemptum pariunt*; ac proinde non eſt illa formidanda familiaritas, non eſt timendum ne ſic forte vel Chriſtum contemnamus, vel ab eo contemnamur. Nam ſi rectè ſentimus, tantum abeſt vt quod iam dictum eſt, vel tantillum de debito detrahamus cultu, quin potius quantò magis ſe ipſe nobis facilem præbet, tantò maiori bonitatis ſtupefacti miraculo, magis eum veneremur: Et quò ille ad nos deſcendit demiſſius, eò nos illum altius ſupra nos euehere, ſummiſque proſequi cogitemus honoribus. Tu es ipſe Rex noſter. *Tu Domine ſuſceptor meus es, glo-* Pſal. 3.
ria mea, & exaltans caput meum. Et profectò Ille tam acceptam habet noſtram animi propenſionem, & indignam licet cordium communicationem, ac mutuam reciprocantium inter ſe voluntatum conſenſionem, vt Diuo conformiter Auguſtino ſanctus obſeruatit Chryſoſtomus, idcirco præcipuè Deum nos caſtigare, Hom. 14.
Cùm nos viderit ab eius familiaritate reſilientes, ſic enim loquitur, & ad Pop.
poſt pauca: *Cùm igitur videris, dilecte, tentationem nunc quidem extinctam, rurſum autem animo accenſam, ne animo concidas, neu refugias, ſed vnam ſpem teneas, illud intra teipſum ratiocinans, quòd non peroſus nec auerſatus nos Deus inimicorum manibus tradit, ſed ſtudioſiores & ſibi magis familiares facere volens.*

Hoc eſt ſcilicet in omni quidem negotio, ſed præſertim in iſto vel maximè perpendendum, quid velit Deus. Nam ſicut nolentem & vetantem ſi quis propiùs auderet accedere, iure is merito temeritatis pœnas daret; ſic volentem, vocantem, inuitantem

Digitized by Google

ad ſe, & flagella minantem, niſi accedas, quis niſi rebellis & arrogans auſit refugere? Sic de Moſe S. Gregorius, *Et ſuperbus eſſet ſi vocantem præcederet, & ſuperbus ſi non ſequeretur.*

1. p. Paſt. c. 7.

Quamobrem licet fidelis formidare poſſet anima, ne tanta Dei bonitate quantam experitur, fortè aliquando abutatur; longè tamen magis reformidat, ne ſi metu abutendi repudiet tantam bonitatem, ipſa repudietur anima, & audiat, *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce agnos tuos.* Quod præclarè S. Bernardus in illa ſponſi ad ſponſam verba ſic exponit, *Quæ enim anima ſemel à Domino didicit & accepit intrare ad ſeipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare, & quærere faciem eius ſemper, ſpiritus eſt enim Deus, & qui quærunt eum, oportet eos in ſpiritu ambulare, & non in carne, vt ſecundum carnem viuant: talis, inquam, anima neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſue ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem exire denuò ad illecebras vel potius ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem, dicente Eccleſiaſte, Oculus non impletur viſu, nec auris auditu; audi enim hominem expertum quæ loquimur. Bonus es, inquit, Domine, ſperantibus in te, animæ quærenti te. Ab hoc bono ſi quis auertere ſanctam illam animam conaretur, puto haud ſecus accepiſſet, quàm ſi ſe de paradiſo & ab ipſo introitu gloriæ conſpiceret deturbari. Audi adhuc & alium ſimilem huic: Tibi dixit cor meum, ait, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Vnde & dicebat: mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Et item loquens ad animam ſuam, dicit: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Dico ergo vobis, nihil eſt quod intantum formidet, quiſquis hoc beneficium ſemel accepit, quàm ne à gratia derelictus neceſſe habeat denuo egredi ad carnis conſolationes, imò deſolationes, rurſumque carnalium ſenſuum ſuſtinere tumultus. Terribilis proinde & nimis formidoloſa comminatio: Egredere & paſce hædos tuos. Quod eſt, indignam te noueris illa tua familiari & ſuaui rerum contemplatione cœleſtium, intelligibilium, diuinarum. Quamobrem egredere de ſanctuario meo, corde tuo, vbi ſecretos ſacroſque veritatis ac ſapientiæ ſenſus dulciter haurire ſolebas: & magis tanquam vna de ſæcularibus, paſcendis & oblectandis tuæ carnis ſenſibus intricare. Hædos quippe, qui peccatum ſignificant, & in iudicio collocandi ſunt à ſiniſtris, dicit vagos & petulantes corporis ſenſus, per quos peccatum tanquam mors per feneſtras intrauit ad animam.* Tum paucis interiectis, *turpis mutatio ſtudiorum, vt cui ante*

Cant. 1.

Serm. 35.

Digitized by Google

ſtudij fuerat peregrinantem & exulem animam ſuam ſacris meditationibus tanquam cæleſtibus paſcere bonis, Dei beneplacitum & myſteria voluntatis eius inquirere, penetrare deuotione Cælos, & mente ſupernas circuire manſiones, ſalutare Patres atque Apoſtolos, & choros Prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos ordines Angelorum; nunc omnibus his omiſſis, turpi ſe mancipet corporis ſeruituti ad obediendum carni, ad ſatisfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in vniuerſa terra, vnde ex ea quæ præterit, mundi huius figura, ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur. Exitus aquarum deducant oculi mei ſuper huiuſmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demum amplexatur ſtercora. Paſcit enim iuxta beati viri ſententiam, ſterilem quæ non habebat filios, & viduæ non benefacit.

Quæ poſtrema verba ex Iobo deprompta, ſic accommodantur *Iob. 24.* à S. Gregorio carni & animæ, vt dum dicitur paſci caro ſterilis, ſimul dicatur non bene fieri animæ viduæ, quaſi diceretur, dum nutritur caro, negligitur anima. Caro autem dicitur ſterilis, dum anima eſt vidua; quia dum vacua & deſerta eſt anima, nihil boni caro præſtat. Denique vidua eſt anima, quando eſt Deo vacua, & tunc illi animæ viduæ non benè fit, quando ita deſeritur anima, vt cum poſſes illam Deo replere, non tamen audeas.

Vt verò quæ de humili cultu iungendo familiaritati cum Chriſto Domino dicta ſunt, corroborentur firmiùs: opportunum videtur exemplum Dauidis, coram Arca ludentis, ſaltantis, & ſeſe cùm internè, tum externè plurimùm humiliantis.

Ante Dominum qui elegit me, Ludam & vilior fiam pluſquàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6.

VERITAS PRACTICA.

De vtroque neceſſario humilitatis actu.

Vel neutro vel vtroque ſimul oportet eſſe humilem.

Quæ Sacramento debetur humilitas, velut ipſum Sacramentum ſit indiuiſa neceſſe eſt.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia quæ Sacramento debetur humilitas, nos illi perfectè totos debet ſubjicere.*

Sed niſi eſſet in nobis indiuiſa, non perfectè nos totos Sacramento ſubjiceret.

Ergo ſit indiuiſa neceſſe eſt: Et neutro vel vtroque ſimul humilitatis actu nos eſſe oportet humiles.

I. PVNCTVM.

QVAM in multis luculenter Arca veteris teſtamenti, Figuram Auguſtiſſimæ præ ſe ferret Euchariſtię, poſſet conſiderari attentius, & illud Moſis de Populo Chriſtiano longè magis quàm de Iudaico pronuntiari: *En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter.* Verùm quo cultu ſit à nobis celebrāda hæc Noui Teſtamenti arca, quaque pietatis ſignificatione proſequenda, his maximè ſolennioribus Feriis quæ totæ ſunt illi cultui deſtinatæ, longè magis præſtat expendere; ſeu potius intueri exemplo veteris illius populi qui tanta religione ſuam illam in arcam ferebatur, quanta deſcribitur in eorum monimentis ad omnem poſteritatis memoriam commendanda. Sicut autem inter illos dignitate Dauid eminebat, ita & iſto pietatis genere præſtitit, tantumque cultus ac religionis illi Sacro ligno quondam exhibuit, vt videatur non fuiſſe magnus Dauid, niſi vt ſe tum magis demitteret, nec maior vnquam viſus ſit, quàm cùm ſe ita demiſit.

Deut. 4. *D. Th. in opuſc.*

Habetur rei geſtæ hiſtoria fusè deſcripta libro ſecundo Regum, capite ſexto: Fuſius autem à ſancto Papa Gregorio, multas quidem ob illuſtres quæ in ea lucent virtutes, ſed vnam præſertim humilitatem.

Lib. 27. Mor. c. vltimo.

Intueri libet, inquit, *quanta virtutum munera Dauid perceperat, atque in his omnibus quàm forti ſe humilitate ſeruabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, vrſorum brachia diſsipare, deſpectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad Regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam ſternere, à rege propoſita extinctis allophylis numeroſa præputia reportare, promiſſum tandem regnum percipere, cunctumque Iſraëliticum populum ſine vlla contradictione poſsidere?*

Et tamen cùm arcam Dei in Hieruſalem reuocat: quaſi oblitus prælatum ſe omnibus, admixtus populis ante arcam ſaltat. Et quia coram arca ſaltare, vt creditur, vulgi mos fuerat: Rex ſe in diuino obſequio per ſaltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit: ſeſe ſub Domino & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur: non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum cæteris, ante eius arcam qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit vilia vel extrema: vt illa & humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia. Quid de eius factis ab aliis ſentiatur, ignoro: ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo quàm pugnantem. Pugnando quippe hoſtes ſubdidit: ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit. Quem Michol filia Saül adhuc & tumore regij generis inſana, cùm humiliatum deſpiceret, dicens: Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris, protinus audiuit: viuit Dominus, quia ludam ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum. Ac paulò poſt ait: Et ludam & vilior ſiam pluſquàm factus ſum, eroque humilis in oculis meis. Ac ſi apertè dicat: vileſcere coram hominibus affecto, quia ſeruare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt verò nonnulli qui de ſemetipſis humilia ſentiunt, quia in honoribus poſiti nil ſe eſſe niſi puluerem fauillamque perpendunt, ſed tamen coram hominibus deſpecti apparere refugiunt, & contra hoc quod de ſe interius cogitant, quaſi rigida exterius venuſtate palliantur. Et ſunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod ſunt, deiectos ſe exhibendo contemnunt, ſed tamen apud ſe introrſus quaſi ex ipſo merito oſtenſæ vilitatis intumeſcunt, & tanto magis in corde elati ſunt, quantò ampliùs in ſpecie elationem premunt. Quæ vtraque vnius elationis bella, magna Dauid circumſpectione deprehendit, mira virtute ſuperauit. Quia enim de ſemetipſo intus humilia ſentiens, honorem exteriùs non quærit, inſinuat dicens: ludam & vilior fiam. Et quia per hoc quod vilem ſe exteriùs præbuit, nequaquam interiùs intumeſcit, adiungit: Eroque humilis in oculis meis. Ac ſi dicat, qualem me exteriùs deſpiciens exhibeo, talem me & interiùs attendo.

In quibus ſancti Doctoris verbis, vtrum magis mireris, vide, an Dauidem ſic humiliter de ſe ſentientem, an Gregorium ſic humiles Dauidis ſenſus exponentem. Ex vtroque certe liquet, quàm opportunè modo hæc Veritas perpendenda proponatur, *Quòd quæ debetur Sacramento humilitas, velut ipſum Sacramentum*

Digitized by Google

ſit indiuiſa, hoc eſt, ſit ita ſimul à nobis iungenda, vt niſi ſimul internum ac externum humilitatis iungamus actum, nulla ſit prorſus humilitas, nullus Sacramenti cultus, nulla pietas, nulla deuotio.

Ratio quæ affertur non tantum eſt efficax ad Veritatis euidentiam, ſed ad pietatis ſenſum acuendum: Vt enim declaretur quænam Sacramento debeatur humilitas, debet ea proferri humilitas, quæ nos perfectè totos Sacramento ſubjiciat; nec enim minor illi debetur: nam cùm ſit humilitati hoc proprium & natiuum, vt quantum cuique debetur, tantum illi quod quiſque debet, totum ſubjiciat: certè non minus à nobis Sacramento debetur, quàm quod toti ſumus, ac proinde non minor eſſe poteſt circa illud humilitas, quàm quæ nos illi totos plenè & perfectè ſubjiciat, dicaturque nobis ſingulatim, *Humilia valde ſpiritum tuum.* *Eccleſi. 7.*

Iam verò vt apertiùs id agnoſcamus, nonne inſpectãdi ſunt tituli, quibus iure ſuo ſanctiſſimum Sacramentum nos ſibi totos deuincit? nonne autem in his inſpectandis titulis pietas inflammari poteſt? Age ergo, quid eſt quamobrem toti ſumus præſertim huius Sacramenti? Proferri poſſent tot tituli quot in ſe Chriſtus continet, quibus nos ſibi totos habet deuinctos. Nam cum ſit ipſe Chriſtus præſens Sacramento, præſentiâ, quam vocant, reali & perſonali; quid minùs habet Sacramentum quàm quod Ipſe Chriſtus? Sed ne longiùs abeat oratio, ſeptem duntaxat attingemus illos qui Chriſto ſimul & Sacramento magis conueniunt.

Primus eſt *Sacerdotis & ſacrificij.* Quis dubitet Chriſtum eſſe primarium ſacerdotem, qui ſe ipſum toties immolat, quoties hæc ab aliis ſacerdotibus ſacra immolatur hoſtia? Nonne propterea dictus *ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, &* *Pſal. 109.* *Hebr. 7.*
ſempiternum habere ſacerdotium? Poteſtne verò conſiderari Chriſtus ſic ſe totum in Sacramento immolans, & non inde inferri nos eius eſſe totos hoc titulo tam frequenter renouato, quàm ſe ipſe frequenter immolat? Nonne ſic *hoſtiam nos vt illi exhibeamus,* *Rom. 12.* *Epheſ 4.*
ſæpe admonemur?

Secundus eſt *Redemptoris*, ſic enim paſſionis & mortis ſuæ meritum nobis applicat, vnde illi ab Eccleſia canitur, *Vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus.* Quid verò eſt eſſe redemptos, niſi totos eius eſſe, à quo redempti ſumus? Nonne ſic ar-

Digitized by Google

gumentatur Apoſtolus? *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno.* 2. Cor. 6.

Tertius eſt *Regis*. Sic enim regnat in tota vniuerſim Eccleſia, quæ dicitur eius regnum, & particulatim in anima, quæ ſe illius ſubdit legibus. At quid eſt eſſe ſubditum illius legibus, niſi totum illius eſſe, cum prima regni lex ea ſit, *regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ideſt, vbicumque regnauero, nihil caducum, nihil creatum, nihil mortale ſeſe mihi opponat. Ioan. 18.

Quartus eſt *Paſtoris*. Carne ſua videlicet nos ipſe paſcit, quid clarius? at quid ſtrictius ad nos illi totos aſtringendos? quid magis noſtrum quàm cibus quo ſuſtentamur, & quid minus noſtrum, quam nos cibo illo ſuſtentati, ſi nos in ſe cibus ille conuertat? *Qui manducat me*, inquit, *& ipſe viuet propter me.* Ioan. 6.

Quintus eſt *Sponſi*. *Nam qui habet ſponſam, ſponſus eſt*; & qui ſponſus eſt, habet ſponſam. Hic autem in Sacramento cum inter Chriſtum & animam intercedat vnio quæ in terris poteſt eſſe ſtrictiſſima, non poteſt alio quàm ſponſæ nomine ſignificantius exprimi: nec poteſt ambigi quin inde anima tota ſit Sacramenti ſeu Chriſti, cùm ſponſa tota ſit ſponſi, relictis aliis omnibus. Ioan 3.

Sextus eſt *Magiſtri*. Quo de titulo vide ſequentem Feriam, & quali nos inde vinculo ſibi totos conſtringat, expende quod ipſe dixit, *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14.

Septimus denique *Medici* qui ſanet omnes infirmitates noſtras, ſi velimus eas ſanari: velle id autem quid eſt aliud, quàm nos ei totos ſubjicere? Vnde ipſe ab vnoquoque noſtrum quærit, *Vis ſanari?* vis te mihi ſanandum permittere? ô quis nolit? & tamen cum vix vllus ſanetur, mirare potius, ô quis velit? Videſne ſaltem quo iure quibuſue titulis Sacramentum hoc exigat, vt illius toti ſimus, ac proinde humilitas quæ nos illi ſubjicit, nos totos ei ſubjiciat neceſſe eſt, aut ea non ſit humilitas quæ tali debetur Sacramento. *Hic apparebunt humiles mei.* Ioan. 5. Iudith 16.

II. PVNCTVM.

SED niſi eſſet in nobis ſic indiuiſa humilitas, vt ſimul interna & externa eſſet, non perfectè nos totos ſubjiceret Sacramento.

Cum enim conſtemus anima & corpore, nonne ſi horum defi-

Digitized by Google

cimus alterutro, non toti ſimus? Nonne autem illorum deficimus alterutro, ſi vel interna vel externa deſit humilitas? Nonne ad corpus æquè ſpectat externa humilitas, atque ad animam interna penetrat? Nonne idcirco in Sacramentis & in vniuerſo Dei cultu adhibentur ceremoniæ, ritus & formæ quædam, quibus ſuo modo exercetur corpus & impenditur in diuinum obſequium, ſicut ſuis internis actibus anima? Nonne hoc eſt quod aiebat Dauid, *Cor meum & caro mea exultauere in Deum viuum.* Videri poteſt S. Thomas loco annotato.

Pſal 83.

1.2.q 101. a. 2.

Licet verò etiam diceretur humilitate corporis animam, & humilitate animæ corpus humiliari iuxta illud Dauidicum, *Humiliata eſt in puluere anima noſtra,* cùm tamen aliter atque aliter internis & externis humilitatis actibus anima ſiue corpus ſeſe ſubjiciant, quis non videat, quod ſi deeſſent alterutri eorum actus, ſimul deeſſet etiam ex illis partibus humilitas & ſubiectio; ſicut ſi fide diuina non crederentur omnes articuli, nonne tot illis ex partibus fides deeſſet, nec intellectum Deo ſubjiceret, quot deeſſet credendis articulis?

Pſ. 43.

Sic planè ſentiunt de vera humilitate ſancti patres. Sic expreſsè S. Ambroſius, *Vera humilitas eſt quæ inter quoſlibet meritorum gradus, nunquam ſui poteſt eſſe diſsimilis. Nam & in officiorum viciſsitudine, & in manſuetudinis lenitate, & in voluntaria paupertatis electione, inuenitur multa diſtantia, & alter altero in propoſiti ſui deuotione aut maior aut minor eſt. IN VERA AVTEM HVMILITATE NIHIL DIVISVM, nihilque non ſolidum eſt, & ideo omnes participes ſuos vnum facit, quia inæqualitatem ipſa non recipit.*

L.10.Ep 84.

Non eſt ſenſus, æqualem eſſe in omnibus humilitatis virtutem, aut æquales omnes in hac eſſe virtute; cùm longè diſpar eius poſſit eſſe ratio, ſicut fidei, charitatis, & aliarum virtutum: ſed quaſi diceret S. Doctor, nihil eſt ita diuiſum, ita mancum & deficiens in vera humilitate, vt non plenè ſubjiciat omnem hominem ex quauis ipſius parte quam exigit eius ſtatus vt ſe ſubjiciat; nam ſi alioquin aliqua pars deeſſet, non eſſet vera humilitas, manca eſſet & mutila, ſicut mutilum eſſet corpus, cui totæ non adeſſent ſanæ partes & integræ. O inſignem humilitatis gloriam, quæ ſic tota ſimul in ſe conſtat, vt vel nulla vel tota ſit.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo Dauid ex vtroque humilitatis actu dicebat:* Ante Dominum vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis: *ſic nos oportet eſſe humiles, tum internè ſimul & externè, coram Chriſto Domino: ſic indiuiſa debet eſſe humilitas quæ ſanctiſſimo debetur Sacramento, velut ipſum quodammodo Sacramentum,* Ideſt, tota ſimul in vnaquaque ſui parte. Sicut nempe corpus & ſanguis Chriſti ſeparatim conſecrantur in altari, aut ſicut corpus ipſum in partes diſſecatur, cùm tamen Chriſtus totus remaneat ſub vtraque ſpecie & ſub minima quauis parte; ſic humilis animus, licet hunc aliquando internum ſeparatim, aut hunc externum humilitatis actum exerceat, debet tamen vtrumque ſimul indiuiſum exercere. Debet externum actum ex interno producere; & internum quem edit, debet externo profiteri, aut paratus eſſe ad quamcumque profitendi rationabilem occaſionem. Sicut enim *corpus ordinatur in Deum per animam*, inquit S. Thomas, *ita cultus* 1. 2. q. 101. *exterior ordinatur ad interiorem*, & interior ab exteriore perficitur, a. 2. vnde nonnullis indiget ſenſibilibus ſignis quibus adiuuetur & compleatur, ſicque homo perfectè Deo ſubjiciatur, ideſt, ſe toto, ideſt, animo & corpore, non vno ſeparatim ſed vtroque ſimul. *Humiliemus illi animas noſtras, ſeruientes illi:* quocumque ſcilicet Iudith 8. externo cultu: ſic ſanctiſſima Iudith non vnum ab alio ſeparans, ſed vtrumque ſimul ita connectens, vt ſicut ex corpore & anima fit vnum compoſitum, qui homo dicitur, & ſicut ex Chriſti corpore & ſpeciebus panis fit vnum Sacramentum quod per excellentiam Sacramentum nominatur, ita ex internis ſimul & externis humilitatis actibus fit illa virtus Humilitas, qua verè Chriſtus colitur, & ſine qua nullus eſt eius cultus. *In vanum & ſine cauſa me* Iſa. 29. *colunt*, inquit Dominus, nec prodeſt interior cultus, ſi quem de- Marci 7. bent exteriorem non adhibent, nec ſufficere poteſt exterior, ſi alter deſit; atque ita in vanum & ſine cauſa me colunt, quando mihi tantùm alterutro ſeruiunt & non vtroque ſimul.

Non poteſt quidem corpus ſine anima, nec animus ſine corpore quamdiu hic viuit, humilitatis aut religionis cultum vllum exhibere; ſicque naturaliter à ſe inuicem illi actus interni & externi non magis ſeparati ſunt quam corpus & anima quæ ſimul

Digitized by Google

vniuntur. Si tamen accuratiùs inſpectentur prout à multis exerceri ſoleat, & morali ſenſu perpendantur, tanta illorum occurret differentia, quanta eſt corporis & animæ dum à ſe diſiunguntur. Solo corpore, ſolo externo cultu & actu, quaſi eſſent exanimes, illi Chriſtum colunt & ſe illi ſubjiciunt, qui flexis quidem adorant genibus, ſed mente, ne dicam lingua & oculis, mente interna ſic vagantur, vt vix vllum veræ pietatis ſenſum, vix vllum
Iſa. 29. veræ humilitatis actum ex animo edant. *Appropinquat populus iſte ore ſuo & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me.*

Atque vtinam de leuiculis quibuſdam animi motibus querela tantum eſſet, ſed contineamus nos in noſtra de humilitate materia, conſideremus quo tempore ſe vir ille aut mulier ad templum conferunt adoraturi ſanctiſſimum Sacramentum, ſeque illi toto proſtraturi corpore, quaſi viles & humiles ſerui; nihil tamen animo verſare aliud quàm ſuperba, quàm elata, quàm mundana, & vno verbo, Chriſtianæ humilitati planè oppoſita. Quod enim pene omnes in templis, niſi diligenter caueant, cogitatione detinet & affectu, ſuperba illa eſt veſtium laxitas, & ambitioſa quædam ſpectandi ſui cupiditas, qua fit, vt vel oculos & mentes ſpectantium omnium ad nos attrahamus, vel ipſi nos è conuerſo ſinamus in illos attrahi, ne quid forte nobis ſplendidius & illuſtrius præ ſe ferant, vnde inuidiæ faces, arrogantiæ ſtimuli, & ſuperbiæ flatus excitantur ſupra fidem exitiabiles, atque ita mentem penitus occupant, vt non ſola horum cogitatio, quod ſatis quidem graue foret, ſed affectus, ſed deſideria, ſed prauæ cupiditates, totum ſibi furentur hominem, nihil vt concupiſcat anima vehementius, quàm quod corpore videtur abieciſſe. Nonne vides vt corpore ſeſe deprimat, ſeſe abjiciat, & in pauimentum pronus ſe incuruet? At videſne vt ſimul ſe ſuperbè erigat animo? vides vt intumeſcat, vt inuideat, vt ſe ſplendidiorem aliis gaudeat, vel minus illuſtrem doleat? Et vocabis externos illos humilitatis actus? Illum cenſebis humilem, qui dum ſe actu exteriori abjicit, ſe interiori attollit; dum Dauidem ſimulat, Saülem agit; & quo ſe putat cultu corporis Chriſtum magis venerari, magis inhonorat & offendit. *Et vos inhonoraſtis me. IBI clamabunt & non exaudiet, propter ſuperbiam.* Hæc vna maximè ratio cur preces nullæ, quia dum oras, ſuperbis: & ſuperbos Chriſtus non audit.

Ioan. 8.
Iob. 35.

Digitized by Google

Quando etiam ſuperbum deponerent habitum, niſi ſimul animo verè ſint humiles, ſunt illæ ſimiles cuidam mulieri quæ mutauit habitum vt Prophetam falleret. *Ingredere uxor Ieroboam: quare aliam te eſſe ſimulas?* 3. Reg. 14.

Sunt alij verò qui ſe intus animo variis exercebunt in actibus humilitatis, deuotionis & perfectioris cuiuſque cultus, quaſi ſint omnium viliſſimi & deterrimi, quos tamen ſi ſe obtulerit occaſio vel in templis cedendi aliis, vel in compitis comitandi cum paucis ſacram Hoſtiam ad Infirmos delatam, pudebit ſcilicet, erubeſcent, confundentur, declinabunt à ſemita; quod ſoli pauperes Chriſto faciunt, id negabunt diuites, quaſi ſupra ſuam ſortem ſic Chriſto deſeruirent, quaſi quod Chriſto præſtaretur obſequium, ſua eſſet inferius dignitate. An iſtos credes humiles? an illa erit humilitas ſic diuiſa, quæ Sacramento debetur? Apparet certè quàm ſit manca. Quamobrem caue omni modo faſtum, & audi quod ait Dominus per Prophetam; *Non adjicies exaltari amplius in monte ſancto meo.* Sophon. 3.

Videri debet præſertim Feria 2. ſequentis Hebdomadæ.

Atque vt nihil debitum Sacramento reſeruemus non plene datum, ſubjungatur præcedenti ſequens, de triumpho Chriſti ad hæc Apoſtoli verba:

Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. Coloſſ. 2.

VERITAS PRACTICA.

Quæ hodiernum Chriſti triumphum res vna magis illuſtrare debuerat, hæc vna magis obſcurat.

RATIO EST, Quia voluntas humana eſt quæ hodiernum Chriſti triumphum magis illuſtrare debuerat.

Sed illa ipſa voluntas hunc triumphum magis obſcurat.

Ergo quod eſt valde deplorandum, & ne vitio noſtro fiat, diligenter præcauendum, quæ hodiernum Chriſti triumphum res vna magis illuſtrare debuerat, hæc vna magis obſcurat.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

Seſſ.13. c.5. SANCTA Synodus Tridentina declarans *piè, & religioſè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto Die præcelſum & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolennitate celebraretur, vtque in proceſſionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur*, hanc reddit rationem valde conſiderandam: *Aequiſſimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.*

Hæc ad verbum ſancta illa Synodus, vnde non modo patet hodiernam ſolennitatem eſſe quemdam Chriſti triumphum, ſed hunc triumphum eſſe triplicem de quo citata poſſint Apoſtoli verba intelligi, *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Primus triumphus eſt Crucis & mortis, cum Chriſtus in cruce moriens, principes tenebrarum harum nempe dæmones vicit, & de his triumphauit, quia per mortem ſuam, quantum in Ipſo eſt, animas eis ſuſtulit, & æternæ damnationis ſententiam contra homines latam, in ſempiternam commutauit beatitudinem. Hic autem triumphus hodie repræſentatur, ipſos hodie ſecum dæmones Chriſtus victos & ligatos quodammodo circumducit per vrbem & vniuerſum orbem, atque in exemplum profert quo diſcant omnes ſic ſe victori Chriſto ſubjicere. *Nam oportet* 1. Cor.15. *illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.*

Secundus triumphus eſt Fidei ſeu Veritatis Catholicæ contra mendacium & hæreſim, cuius Authores & fautores ſunt ipſimet principatus ſeu principes tenebrarum de quibus triumphat hodie Chriſtus, cùm ſe tanto magis colendum & adorandum palam omnibus præbet, quantò illi magis eum deprimere contendebant, negantes Sacramenti veritatem. *Sic honorabitur quemcumque* Eſther 6. *Rex voluerit honorare.*

Digitized by Google

Tertius denique eſt Virtutis ſeu Veritatis practicæ contra prauam & peruerſam humanam voluntatem, quam ſicut deprauant illi ipſi Tenebriones aduerſarij qui peruertunt intellectum, ita de illis hodie triumpharet Chriſtus, niſi eius retardaremus triumphum; Nec minus de hoc triumphi genere interpretari liceret Apoſtoli verba quàm de aliis; ſicut apertè S. Bernardus de ſe aiebat, *Vtinam ego inueniar in his ſpoliis quibus ſpoliatæ ſunt contrariæ poteſtates, traductus & ipſe in poſſeſſionem Domini.* Epiſt 190. ad Innoc. Pont.

Sed proh dolor, quæ hunc hodiernum triumphum res vna magis illuſtrare deberet, illa vna eſt quæ hunc magis obſcurat. Hoc eſt de quo minus triumphat Chriſtus, de quo tamen potiſſimum vellet triumphare. Humana nempè voluntas eſt, quam vnam ſibi præ omnibus aduerſariis vellet eſſe ſubiectam, & illa vna eſt quæ nunc illi etiam, noſtro vitio, & noſtra perfidia, magis reſiſtit. Quamobrem id etiam atque etiam diligenter attendamus, & quantùm hodiernæ Sacramenti gloriæ ſeu glorioſo Chriſti triumpho deeſſe nolles, tantùm vide ne modo deſis conſiderandę huic Veritati, quæ te doceat in quo ſita ſit illa triumphi gloria, quantumque poſſis illam aut illuſtriorem reddere vel obſcurare deteriùs.

Ac primum illud quod expendendum venit de Diuina circa humanam voluntatem voluntate, certum eſt non tam multis ad intellectum egere verbis, quàm multo ad ponderandum intellectu, pro ipſa rei quam continet grauitate ac merito. Quid enim dignius quàm quòd primum à nobis Deus poſtulat? Quid autem clarius quam vnam eſſe ex omnibus noſtram voluntatem? Quid notius in ſcripturis quàm illa Patris amantiſſimi ſollicitatio: *Præbe fili mi cor tuum mihi?* Hoc eſt affectus omnes tuos quos dare Prou. 23. vel negare ſoliuseſt voluntatis? Aut ſi affectus inter omnes, amorem cordis præcipue deſiderat, cuiuſnam humanæ potentiæ eſt, hunc affectum impendere niſi rationalis illius quam vocant appetitiuæ facultatis, cuius idcirco ſolum obiectum eſt quod eſt bonum, vt quod ſolum eſt bonum norit diligere. *Et nunc Iſraël* Deut. 10. *quid Dominus Deus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum & ambules in viis eius, & diligas eum ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?* Vim magnam facit Moſes in paucis iſtis verbis, *Et nunc.* Quaſi diceret, poſt tot tantaque tibi collata beneficia, poſt tam inſignes ſuæ ſingularis beneuolentiæ theſau-

Digitized by Google

ros patefactos, quid ſequitur, quid exigit, quid meretur, quid reddes? Quid te illi debere agnoſces? quid aliud quàm amorem reciprocum, cum amor amore ſolo compenſetur? Hoc vnum ſi reddideris, licet abeſſent alia, ſatis ſibi factum putat: Et hoc vnum niſi reddideris, licet adeſſent cætera, nihil te illi debere putes, nihil à te accepiſſe dicet.

O quàm modò longè id aptius! *Et nunc* Chriſtiane! nunc poſt ipſum datum in mortem pro te Filium! nunc pro ipſo in cibum filio derelicto, nunc pro tot effuſis per ipſum gratiis! Et nunc quid Dominus Deus petit à te niſi vt ipſum ex toto te diligas? Et quid eſt ipſum ex te toto diligere, niſi voluntatem tuam omnem illi dare, dedere, conſecrare?

Quòd ſi altiùs & attentius tanti Sacramenti cauſas & effectus rimari velles: cur ſic in ſacrificium ſimul & cibum, cur in panis & vini ſpecie, cur tam crebrò frequenterque? cur tam familiariter & inteſtinè nobiſcum agat? Intelligeres profectò intelligeres vnum hoc tandem ſpectare omnia; noſtram vt ſibi voluntatem demereatur ac deuinciat, vni demum ſeruire omnia voluntati vel purgandæ vel promouendæ vel vniendæ ſuo ſummo Bono. Nam tametſi ad cæteras animæ facultates Sacramenti ſe confert gratia, licet refrænandæ cupiditati proſit, licet memoriam inſtruat & intellectum illuſtret; quia tamen horum eſt finis omnium noſtræ cum diuina voluntatis vnio, cui prorſus perficiendæ nexum hunc Sacramentalem Chriſtus inſtituit, nonne hanc vnam noſtram expetere dicendus eſt præcipuè voluntatem?

Gen. 24. *Quæramus ipſius voluntatem,* dicebant de Rebecca parentes ad iungendas cum Iſaaco nuptias: O quid cogito, cum illud ipſum cogito pronuntiatum à Diuinis illis Perſonis quæ ad ſalutem animæ, Myſterium Incarnationis & Euchariſtiæ decernebant? Quid quærebant in his myſteriis niſi ſalutem animæ? Quid quærebant in ſalute animæ niſi voluntatem ipſius? Quid dicebant ſi quid ſecum de Chriſto dicerent, & de anima, niſi hoc vnum, *Quæramus ipſius voluntatem.* Purgari debet à peccatis anima, *Quæramus ipſius voluntatem:* Expugnari debet ſuis vitioſis cupiditatibus, *Quæramus ipſius voluntatem:* Illuſtrari debet virtutibus, *Quæramus ipſius voluntatem:* Diuinis exornanda eſt dotibus, *Quæramus ipſius voluntatem.* Hoc vnum tota petit Diuinitas, hoc vnum quidquid cum Deo Chriſtus agit in anima, *Quæramus ipſius voluntatem.* Hoc

vnum

Digitized by Google

vnum quærit qui non noſtra ſed nos quærit, ac proinde quis non videt, quàm hoc vno præſertim trophæo redderetur illuſtris eius triumphus, cùm ad hunc vnum præſertim deuincendum aduerſarium, quicquid geſtum eſt pugnæ, quamdiu vixit Chriſtus, propterea geſſerit, & vitâ potius quàm pugnâ ceſſerit, vt de hoc triumpharet glorioſiùs inimico, quem faceret in triumpho amicum & triumphi ſocium.

Si qui dicuntur alij à Chriſto debellati hoſtes, Dæmon, Infernus, Caro, Mundus, & quidquid contra Deum obſiſtit; nec obſiſtit contra Deum, nec à Chriſto debellatur, niſi quia voluntatem ſubducit humanam & in ſe pertrahit; ſubiecta detur humana Chriſto voluntas, nullus iam reſtat qui ſe illi opponat, aut quem nolit oppoſitum inimicus. Non ſe opponet Mundus qui ſola voluntate ſe opponit Chriſto. Non ſe opponet Caro quæ voluntate, cum Chriſti gratia regitur. Se opponet quidem Dæmon, ſed Dæmonem ſibi oppoſitum contemnit Chriſtus, nec illum quærit ſibi amicum aut aliter debellatum, quàm quod in hominis vincitur voluntate. Quamobrem hæc humana voluntas vnus eſt Chriſti aduerſarius, de quo quàm glorioſè triumphat, tam illuſtrem agit triumphum; hoc eſt medium inimicorum Chriſti de quo Pſaltes, *Dominare in medio inimicorum tuorum.* *Pſ. 109.*

II. PVNCTVM.

SED *illa ipſa voluntas hunc triumphum magis obſcurat.*
Quia videlicet illa eſt, quæ cùm magis deuicta, magis ſubjugata, magiſque Chriſto ſubiecta eſſe deberet, minus tamen ex omnibus ſe illi ſubditam reddit. Quotquot enim aderunt in hodierna ſolennitate peccatores, quotquot in peccato voluntario comitabuntur hunc ſolennem Chriſti triumphum, tot tantiſque modis aderit inimica Chriſto voluntas, non triumphata ſed triumphans, non victa ſed vincens, non ſubacta ſed ſubigens, rationem ſcilicet & gratiam, vnde inordinatio naſcitur, vnde peccatum prodit, vnde rebellio contra Chriſtum fouetur, vnde illa eſt denique triumphi obſcuritas, cùm qui capitalior eſt Chriſti hoſtis, Chriſtum potius ducit ſubiectum quàm ab ipſo ducatur. *Seruire me feciſti in peccatis tuis.* Hoc humanæ Chriſtus ait voluntati, quæ Chriſto ſeruire noluit, quæ ſeruire Chriſtum fecit in *Iſ. 43.*

peccato ſuo, cum à ſe Chriſtum expulit, cum eius leges & imperium detrectauit, cum ſe ſui Dominam fecit, non Chriſti legem & gratiam. *Confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiam*, id eſt, non me tibi ſubjiciam, ſed tu mihi potius cedes & ſines quod volo facere. Nonne hoc ipſum eſt quod alia iam Veritate ſupra expoſita, declaratum fuit:

Ier. 2.

In 1. p die 12. Ian. Niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis?

Quis dubitat hunc animæ peccatricis damnoſum eſſe ſtatum, vt quamdiu manet in peccato, non ſit ex parte voluntatis, ſubiecta Chriſto? Licet illi memoria, licet intellectu iungatur, licet pio quodam affectu ſenſibilique cordis aſpiret motu: non eſt tamen, non eſt voluntate anima Chriſto ſubjecta, quia peccatum lethale quoduis eſt ipſa Chriſti & animæ voluntatum diſiunctio. *Quaſi romphæa bis acuta, omnis iniquitas:* Bis malitiam ſuam exacuit, & in Chriſtum & in ipſam iniquam animam. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum*, qua quæſo diuiſione, niſi voluntatum?

Eccleſ. 21.
Iſ. 59.

Quamobrem licet vel vnus tantum in celeberrimo qui futurus eſt, vel qui iam fuit, populi cætu, peccator præſens adeſſet, ſatis eſſet ad obſcurandum Chriſti triumphum, quia voluntas illius peccatoris non eſſet captiua Chriſti, non eſſet Chriſto ſubjecta, non de illa Chriſtus triumpharet: quantò magis putatis obſcurandum illum triumphum, cum tot penè peccatores adſint, quot aderunt triumphi comites, quot ſpectatores, quot ciues? Quis enim cogitat hodie de reuocanda in ſeruitutẽ Chriſti ſua voluntate? Quis de abjuranda ſua perfidia? quis de ſuo ſibi reconciliando Rege Chriſto? *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci? omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium*, Quaſi ex ſola conſuetudine, quaſi ſine vllo adhibito intellectu, ſine vlla recta voluntate, ſine vlla ratione, quaſi nec adeſſet homo, nedum Chriſtianus.

Ier. 8.

III. PVNCTVM.

QVÆ *hodiernum igitur Chriſti triumphum res vna magis illuſtrare debuerat, hæc vna magis obſcurat*; Nempe humana voluntas, quæ quidem quantò eſſet magis ſubjecta Chriſto, tantò

Digitized by Google

eius triumphum illuſtriorem redderet, & quantò etiam per peccatum magis erit diſiuncta, tantò illum obſcuriorem faciet, tantumque de ſolenni eius deducet gloria, quantum à præſtantiſſimo belli Duce detraheretur, cùm vel ei parta diriperetur præda, vel ne illam ſibi pareret, auocaretur. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis:* Quaſi non eſſet ipſe Chriſtus, aut quaſi Chriſtus non eſſet Deus, quem hodie ſingulari gloria colendum ducimus. *Repletus es tu ipſe ignominia pro gloria*, dicit Dominus, Id eſt, in teipſum peccator conuertis quod Domino facis. Si de te Chriſtus triumpharet, glorioſum triumphum ageret, & in gloriam tuam redundaret: quòd ſi de te non triumphat, ignominioſus erit triumphus, & erit ignominia tua talis triumphus. Hoc enim ipſo quo de te non triumphat Chriſtus, triumphat diabolus: hoc ipſo quod non vis dicere ſicut Apoſtolus, *Deo gratias qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu*, vis de te dici hoc ab eodem Apoſtolo: *reſipiſcant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*, ſeu ex Græco, circumducantur velut bello victi, vel vt feræ reti captæ. Quid autem ignominioſius quàm ſic à Chriſto tranſire ad dæmonem? Sic è captiuo Chriſti captiuum fieri dæmonis? Sic malle de ſe dæmonem quàm Chriſtum triumphare? Sic denique quam Chriſto putas hodie conferre gloriam, hanc ſibi dæmon iure quodam ſuo vendicet, quia te ſuum vendicat, te ſuum poſſidet. *Voluntarium ſeruum ſibi diabolus auctionatur*, inquit S. Ambroſius, *neminem iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe ei prius peccatorum ære vendiderit*; ſic & nemo peccat quin ſe illi vendat in ſeruum. O dignum tali Domino ſeruum!

Rom. 1.

Hab. 2.

2. Cor. 2.

2. Tim. 2.

Lib. de vita beata.

Hoccine eſt ſolemnitatem Domini agere? Hoccine eſt triumphum Chriſti celebrare?

Quid prodeſt vias mundare cùm immunda incedas anima? Quid prodeſt faces accendere, cùm in tenebris ambules? Quid prodeſt externum procedendi tenere ordinem, cùm intus animo procedas inordinatus? Quid honoris cauſa corpus ſtipare Chriſti, cùm ab eo per peccatum longè magis diſtes quàm à terra cœlum? Proſunt illa quidem ſuo palam modo, nec ſunt propter peccatores deſerenda, ſed priuatim ita infuſcantur à peccato, vt quod illuſtrius eſſet in triumpho, ſi duceretur in gratia, fiat eius defectu tetrius. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſ-* *Thren. 4.*

Digitized by Google

perſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum! Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

Hæc & alia quæ deplorat Ieremias externa damna, vaſtationes rerum ſacrarum, iacturam bonorum omnium ſi pateremur, quis non indoleret? Quis non lamentaretur? At quia non apparent foris noſtra dedecora, quia ſoli Deo patent, non hominibus; idcirco minora ducimus, & hoc vnum videmur agere, quod videtur; quod autem non videtur, noſtra nil refert. O Chriſte quid tum animi tui? Quid interni ſenſus? Quid ſacri pectoris? Quid
Matth. 23. diuinæ mentis? Nonne Tu ipſe es qui curam internorum præ ex-
Luc 11. ternis tantopere commendabas? Nonne tu ille ipſe qui cæcitatis & amentiæ condemnabas eos qui quod deforis eſſet, mundabant, interna verò negligebant? An minus modo circa hæc animi quàm dum olim mortalem vitam ageres? An minus modo ſuccenſi pectoris quo in nos ardeas? Nonne tantò id magis nobis verendum quantò te minus verendum præbes? Nonne illud de
1. Reg. 15. te nobis pronunciatum: *Porro Triumphator in Iſraël non parcet, & pænitudine non flectetur.* Tantine, peccator, erat vt peccatum hodie deponeres? Vt confeſſione mentem expiares: & paratior celebrando Chriſti triumpho accederes? Non legiſti quod poſt inſignem partam victoriam cum Dauid à ſuis Ieroſolymam velut
2. Reg. 20. in triumphum duceretur, expreſsè dicitur, *Viri Iuda adhæſere Regi ſuo.* Qui ſunt viri Iuda, niſi viri confeſſionis? Hi nempe ſunt qui adhærent regi ſuo Chriſto, licet locorum interuallo ſint longiores. Quamobrem *præoccupemus faciem eius in confeſſione.*
Pſal. 67. *SICVT fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.*

Quæ Pſalmi verba poſſent vrgeri vehementiùs, vel coniunctim cum præcedentibus vel ſeparatim, hanc formando & declarando Veritatem Practicam:

Sicut ab igne cera, ſic deberent hodie peccatores à Chriſti perire facie.

RATIO EST, Quia quod Ignis in ceram agit, hoc Chriſtus in peccatores, ſi Chriſto conſentire vellent, & ſic perirent.

Sed deberent Chriſto velle conſentire.

Ergo & ſic perire, non quidem homines, ſed peccatores.

Digitized by Google

QVASI enim duæ res ſunt, homo & peccator, inquit S. Auguſtinus, peribunt peccatores vt ſaluentur homines, ſolis ipſorum peccatis pereuntibus. Sic idem ipſe S. Doctor exponens verba Ionæ Prophetæ. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. EVERTVNTVR*, inquit, *peccatores duobus modis, aut ſicut Sodomitæ, vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur; aut ſicut Niniuitæ, vt ipſa hominum peccata puniendo deſtruantur. Factum eſt quod prædixit Deus; euerſa eſt Niniue quæ mala erat, & bona ædificata eſt quæ non erat; ſtantibus enim mænibus atque domibus euerſa eſt ciuitas in perditis moribus.* *Tract. 12. in Ioan.* *12. Ciuit, 14.*

Ad primam autem propoſitionem quid clarius, quàm quod ex Deuteronomio clamat Apoſtolus, *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt!* Nonne & ipſe Chriſtus de ſe affirmabat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Licet verò per illum ignem poſſet omne bonum intelligi, quod Chriſtus in mundum attulit, veriùs tamen illa ſignificatur gratia, qua omne malum culpæ vellet abſumere. *Deuter. 4. Hebr 12. Luc. 12.*

Non ſic enim circa omne bonum, aut circa omnes homines de ſuo dicit igne, *Et quid volo niſi vt accendatur*, ſicut circa omne malum & circa omnes. Non vult inquam omnibus omne bonum, *Cùm in domo patris æterni manſiones multæ ſint*; Sed ab omnibus omne vellet excludi malum præſertim culpæ, *Nolens aliquos perire*, inquit S. Petrus, *ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* *Ioan. 14. 2. Pet. 3.*

Cùm autem ſemper, tùm hac profecto die quam ſibi ſingulariter caram & honorificam deſtinauit, dubitari non poteſt, quin vellet hunc ignem in illis accendi omnibus à quibus vellet honorari. Vellet, inquam, hoc illo ſuo igne tam ardenter illorum peccata conſumere quàm libenter hodiernum ab eis cultum & honorem acceptat. Nam cùm *dona & honores iniquorum non probet altiſſimus*, vt ait Sapiens: nonne ſi quorum hodie dona probat & honores, nollet eos eſſe iniquos & impios? Nonne ſi laudem hodie ſibi acceptam indicat ab ore hominum, nollet hos homines eſſe peccatores, cùm ſit expreſsè ſcriptum, *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris?* Nonne ſic Deus dicitur Abelis munera potius reſpexiſſe quam Caïni? Nonne ſic amicos Iobi ad ipſum remiſit Iobum, quo intercedente fierent eorum munera gratiora? Nonne ſic illis denique omnibus quibus dicit *non eſt voluntas mea in vobis*; dicit, *& munus non ſuſcipiam de manu veſtra?* Quamobrem ſi munus hodie, ſi laudem, ſi honorem vult ſuſcipere, nonne prius *Eccleſi. 34. Ibid. 15. Gen. 3. Iob. 42. Mal. 1.*

Digitized by Google

ſuam velit in nobis eſſe voluntatem, ideſt, nos eſſe cum ipſo in gratia, nos extra peccatum eſſe, nos illius igne conſumi ſi velimus, *ſicut cera fluit ab ignis facie. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.*

Iac. 4.

Vide in 1. parte de Purificatione Beatæ Virginis, vbi de ferendis cereis.

SED Chriſto conſentire deberent peccatores.

Ad hanc ſecundam propoſitionem minus etiam reſtat dubij, cùm id certè quod agunt hodie Chriſtiani, hoc agere debeant, Id eſt, non ficte, non ſimulate, ſed verè agere. Nonne ſic olim in ſacris præcipuè clamabatur, *Age quod agis*, verè Deum honorato, quandoquidem illum honorare contendis. Nonne alioquin res eſt ficta & ſimulata, niſi quis plane conſentiat in illud externum opus tam verè ex animo faciendum, quàm apparet foris eſſe factum? Quale eſt autem, peccator, quale eſt illud opus, quod paras hodie? Quid moliris? Quid contendis? Nonne eſt honor reddendus Chriſto? Nonne hoc ſuſcipis? Nonne hoc vis? Nonne hoc velle debes ex animo, ſic coniungi Chriſto ſicut videris vellè coram hominibus? Nonne verum illi & non ſimulatum vis deferre honorem? At cùm verus non ſit alius quam qui à Chriſto reputatur & quem ipſe à te quærit, ſicut audiuiſti, nonne cum illo ſimul conſpirare debes, nonne in hoc ipſum illi conſentire, illi adhærere, illi cooperari, cùm ſine te nihil velit agere ſicut ſine illo nihil poſſes?

1. Par. 22. *Cernitis*, inquiebat Dauid populo ſuo, *Quod Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, præbete igitur corda veſtra & animas veſtras*, Quaſi diceret, quaſi concluderet quod nobis eſt concludendum ex Veritate propoſita, ne deſitis Deo, ſicut vobis non deeſt: ſinite vos ipſius igne accendi, quo peccata veſtra conſumantur, ſicut fluit cera à facie ignis. Non minus ille vult hoc in vos agere quàm ignis agit in ceram: ſic vos æquè id velitis, ſic vos non magis quàm cera reſiſtatis. Liberum quidem vobis eſt conſentire vel diſſentire, ſed libertatem præbere debetis gratiæ, cõſentiendo potius quàm diſſentiendo. Nonne illi etiam liberum eſt hoc in vos agere quod ignis neceſſario ſeu naturaliter agit in ceram? At non minus quàm ignis certo aget; non minus quàm ſi neceſſario ageret, certò aget, quantumuis agat liberè. Quin potius, audi exceſſum

Digitized by Google

bonitatis Chriſti, pateretur potius ignem non agere, non ardere, non ceram liquefacere, non conſumere, quàm ſe non ardere deſiderio, non inflammari voluntate conſumendi tui peccati, quo te præſertim tempore cum aliis ad ſe honorandum conuocat. *Mundi ſunt oculi eius, ne videat malum, & reſpicere ad iniquitatem non poterit.* Quid eſt quod tu modo non idem ſentias? Quid eſt quod libertatem in hoc ipſum non ita certò præbeas? Nonne tibi liberum eſt, vel adeſſe hodie vel abeſſe ſi velis, ab illo communi cœtu, quo palam conuenitur ad Chriſto debitas referendas palmas? Tu tamen abeſſe nolles; tu tam debitum agnoſcis pietatis officium, vt tibi quodammodo non putes eſſe liberum non adeſſe: nec cera magis fluit à facie ignis, quam quæcumque obſtacula quæ te poſſent inde auocare, deficiunt & quaſi liquefiunt aſpectu tanti debiti. Solùm remanere videtur libertas, vt id vnum agat quod debet. Cur non porrò pergit vlterius? Cur non cogitas te non minus debere ſacris hodie intereſſe perſoluendis, animo rectè compoſito, quàm corpore, quandoquidem agitur de honorando Chriſto, qui animo magis quàm corpore honoratur? Aut ſi non ignoras tale debitum, cur non reddis æquè ac aliud? Cur te non reddis illi gratioſum, quem dicis te velle pro debito tuo colere, quem tamen probè ſcis non poſſe debitè colere, niſi te illi gratioſum reddideris? Nonne hoc eſt præuaricari? Nonne hoc eſt vna manu deſtruere quod alterà conſtruas? Nonne hoc eſt in duas partes claudicare? Nonne hoc eſt Arcam & Dagonem ſimul ſtatuere? Hab. 1.

Mementote iſtud & confundamini: redite præuaricatores ad cor: recordamini prioris ſæculi, quoniam ego ſum Deus. Quaſi diceret, hæc cogitate quæ cogitari non poſſunt ſine confuſione, nec eorum ſentiri poteſt confuſio ſine pio cordis affectu, quo tandem liquefacti pereatis qua parte peccatores eſtis. Quòd ſi tali pietatis ſenſu non emollimini, reuocate in mentem quæ prioribus ſæculis ſuplicia Deus ſumpſerit ab his qui Arcam aut res ſacras profanè tractauerunt. Nam ille ipſe eſt Deus qui olim & qui modò à vobis colitur; Ille ipſe ignis qui ardore iuſtitiæ conſumet eos in interitum, qui ardore bonitatis conſumi noluerunt in ſalutem. O ſancta Prophetæ vota, ô antiqua ſanctorum deſideria, quò tandem ſpectabatis, cùm è cœlo in terras ſic Dominum euocaretis: *Vtinam dirumperes cælos & deſcenderes: à facie tua montes defluerent:* Iſ. 46. Iſ. 64.

Digitized by Google

ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni. Ecce iam toties dirumpuntur cæli & deſcendit; nec dubium quin ab eius facie multi montes defluxerint; Sed cur non omnes? cur tam multi adhuc indurati? Cur tam multi bonitate tanta magis etiam obfirmantur quàm emoleſcunt? Hoc eſt ſcilicet quia ſicut ignis ceram liquefacit & obdurat lutum, ſic lutoſæ mentes illo diuino igne magis indurantur; aut qui certè ſic indurantur, apparet eos eſſe lutoſos & terrenos homines.

Contra eſt illa Veritas quæ infra in hac parte declaratur, vbi de Cæleſti Pane, *Quo qui viuunt, Cæleſtes ſiunt: & ſic in ſuis viuunt corporibus ſicut Cælites in aſſumptis.* Vide Fer. 5. 6. & Sabbatum Hebdom. 13. Quò etiam multa huius & ſequentis ſeptimanæ referri poſſunt.

FERIA SEXTA.

DE EVANGELICA DOCTRINA, A CHRISTO DOMINO TRADITA ET SVMMATIM CONTENTA IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Dabit vobis Dominus panem arctum, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea. Iſ. 30.

VERITAS PRACTICA.

Sacra Chriſti ſchola, Sacro-ſanctum Sacramentum. Hîc totum diſces Euangelium, breui compendio, nullo impendio.

RATIO

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia totius Euangelij quoad moralem doctrinam & practicas veritates, de quibus hic agitur, breue compendium his continetur Chriſti verbis :* Si quis vult Luc. 9.
poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me, *Quorum proinde verborum vim & ſenſum ſi facile didiceris, diſces breui compendio & nullo impendio totum Euangelium.*

Sed horum verborum vim & ſenſum facile diſces ex Sacro-ſancto Sacramento.

Ergo hic totum diſces Euangelium, breui compendio, nullo autem impendio : quod quam ſit fructuoſum, ſatis patet.

I. PVNCTVM.

MVLTIFARIAM, inquit Apoſtolus, *multiſque modis Deus olim loquens in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis, nobis locutus eſt in filio.* Hebr. 1.

Cogita quàm potenter, quàm efficaciter loqueretur dum viueret, *Erat enim docens ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi, NVNQVAM locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Matth. 7. Ioan. 7.

Et verò vt abſolutam eorum omnium quæ ad formandos mores commendabat ſummam aliquam faceret, & breue quoddam compendium, ſic identidem ſe ſequentes admonebat, *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, &* Luc. 9.
ſequatur me; Quibus in verbis quidquid continetur, cùm eminenter & excellenti quadam ratione contineatur in ſanctiſſimo Sacramento, nonne *Sacra Chriſti Schola* dici poteſt? Nonne *hic totum diſces Euangelium breui compendio, & nullo certe impendio,* cùm hoc tantùm poſtuletur, vt conſideres quid hæc verba ſignificent; & te his affici ſinas cum gratia vt id libenter velis exequi quod faciendum didiceris.

Hoc itaque diligenter inueſtigandum, quomodo tota moralis & Euangelica Chriſti doctrina compendioſè contineatur paucis illis Chriſti Domini verbis. Quod vt manifeſtius fiat expende quod ſæpius alibi dictum eſt, vniuerſam hanc noſtram ſpiritua-

Digitized by Google

lem vitam, in his tribus conſiſtere: Primo quidem ab inordinatis motibus concupiſcentis appetitus circa bonum ſenſuale abſtineatur: Deinde vt motus iraſcibilis circa malum ſenſibile ſuſtineantur; Ac demùm ſua quiſque in vocatione quod ſibi agendum viderit, id tranquillè agat in Domino.

Cum enim Voluntas humana naturaliter duos præcipuos habeat motus ad quos cæteri omnes referuntur; Vnum ſcilicet complacentiæ in bonum ſibi connaturale: tum alterum diſplicentiæ naturalis à malo ſibi contrario: hinc fit vt omnis inordinatio vitiorum ea ſit, vel quod nimis & inordinate homo feratur in illud ſuum bonum, vel nimis auerſetur malum; ac proinde tota virtutum ordinatio contra naturales illos motus in eo præcipuè conſiſtit vt abſtineamus ſeu contineamus nos, in illo bono: & oppoſitum ſuſtineamus malum. Nam ſicut vita naturalis continuis duobus cordis motibus continetur, quos diaſtolem vocant & ſyſtolem, id eſt, dilatationem & contractionem, vnde eſt eius pulſus & agitatio: ſic vita ſenſualis & animalis duabus illis motionibus, complacentia videlicet qua dilatatur ad bonum ſenſuale: & diſplicentia qua contrahitur ad malum ſenſibile: Vnde ſequitur quod quemadmodum ſuffocatione, aut aliunde impeditis illis cordis motibus, humana vita tollitur: ita mortificatione ſeu virtutum exercitio repreſſis iſtis vitæ ſenſualis appetionibus, intereat illa neceſſe eſt. Reprimuntur autem abſtinendo & ſuſtinendo, vnde ad perfectionem reſtabit tantum agere quidquid agendum occurrerit; in quo perfectè agendo nulla prorſus erit difficultas, cùm nulla ſuperſit naturæ repugnantia quæ ſublata eſt per mortificationem vtriuſque appetitus, vt dictum eſt.

IAM vero quàm ſapienter Dominus illa tria ſuis comprehenderit verbis, facile eſt aduertere. Nam quod dicit *ABNEGET SEMETIPSVM*, perinde eſt ac ſi diceret, *abſtineat* à praua concupiſcentia. Tum quod pergit *ET TOLLAT CRVCEM SVAM*, hoc eſt, *ſuſtineat* quod ſibi graue eſt: Ac denique quod addit *ET SEQVATVR ME*, Id eſt *agat*, & operetur in ſua vocatione, exemplo ipſius Chriſti qui ſic vitam ſuam inſtituit, vt nos idem facto doceret quod verbo; Vnde illud eſt ſancti Auguſtini: *Iubemur continere ijs quæ dicuntur bona, & ſuſtinere quæ abundant mala. Continentiæ eſt, fœlicitati mundi non credere: ſuſtinentiæ, iniquitati mundi non cedere. Et ideo Chriſtus Dominus omnia*

Serm. 245. de Temp.

Digitized by Google

bona mundi contempſit, & mala ſuſtinuit, vt nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis timeretur infœlicitas. Itemque alibi : *Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vitia fecit : Omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit.* *l. de vera Relig. c. 16.*

O quis prætexat ignorantiam vel rerum diſcendarum multitudinem cùm tam paucis omnia comprehendantur ! Quis verò difficultatem auſit objicere, cùm ſuum videat ducem & magiſtrum non minus exemplo ſuos quam verbo edocentem ! O quàm rectè dictum à Propheta : *Tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum :* Vt ſcilicet eò primus eat quò ſe ſequentes vocat. *Mich. 2.*

II. PVNCTVM.

SED *hæc tria facillimè percipiuntur in Sacro-ſancto Sacramento.* Et quidem duobus præcipuè modis, objectiuè, & ſubjectiuè. Objectiuè conſiderando ſtatum eius Corporis ſeu modum Sacramentalem quo ibi exiſtit. Talis enim eſt vt totus ſit in his tribus, *ABSTINENDO, SVSTINENDO, ET AGENDO*; Primò quidem abſtinet omni actu vitæ naturalis : licet enim habeat oculos, aures, linguam & alia corporis membra, non tamen ijs vtitur, non ijs videt, nec audit, nec loquitur; Sed alio prorſus ſpirituali modo. Deinde quantùm quidem pati iam poteſt, quibus non iniuriis & contumeliis ſubjacet, & quá non patientia illas ſuffert ? Ac denique perpetuò illic agit & operatur, conferens gratias omnibus, quotquot ſe ad eas dignè recipiendas obtulerint. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Sic itaque objectiuè dicitur id docere, cum ſe facit objectum in quo per fidem diſcitur hoc ipſum ab eo fieri. Sic & propterea dicitur *Panis vitæ & intellectus*, quia dum viuit vitam intellectualem & ſpiritualem, facit nos etiam intelligere & capere quænam ſit illa vita ſpiritualis, & in quo conſiſtat, quaſi nobis id diceret, *Quod me videritis facere, hoc facite. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* *Ioan. 5.* *Eccleſi. 15.* *Iud. 7.* *Ioan. 12.*

Deinde verò ſubjectiuè, id efficacius etiam promouet; Id eſt, hoc ipſe in nobis efficit quod in ſe facit; Nempe nobis communicat hanc ſpiritualem vitam, vt, quod ait Tridentinum, *Viuamus vitâ illius qui dixit, qui manducat me, & ipſe viuet propter me :* *Seſſ. 13. c. 2.*

Digitized by Google

Sicut enim anima noſtra nos ita viuere facit vita naturali, vt ipſa in nobis viuat, in nobis agat & operetur; Ita Chriſtus dando nobis vitam ſupernaturalem viuit in nobis, viuit vita ſua ſpirituali, vita Sacramentali, vita illa qua viuit in Sacramento, & quam in nobis efficit. Quæ quidem vita cum tota ſit, vt dictum eſt, in *abſtinendo, ſuſtinendo, & agendo,* quid ſequitur niſi vt ipſi toti ſimus in his tribus, aut non ſimus in eius vita toti? Sicque euidenter fiat vt non tantum objectiuè in Sacramento percipiamus illam trium verborum vim in quibus ſumma eſt doctrinæ moralis Euangelicæ, ſed in nobis etiam ex eodem Sacramento ſentiamus vitalem eorum effectum, & efficacem virtutem, vt ij actu & reipſa ſimus quales nos oportere eſſe intelligimus. *Sequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* O verè nobis promiſſum & verè nobis datum *Doctorem iuſtitiæ,* qui ſimul omnia tam facile docet, vt tribus verbis omnia doceat: & quæ facienda docet, ipſe in nobis efficiat!

Phil. 3. Ioel. 2.

Ego ſum qui loquor tecum: aiebat quondam Samaritanæ: Nobis nunc verò particulatim, Ego ſum qui tecum ambulo, qui tecum ſedeo, tecum omnia facio, vt ſic omnia mecum facias, vereque illud impleatur: *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Ac rurſum: *Qui dicit ſe in Ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Ioan. 4. Ibid. 12. 1. Ioan. 2.

III. PVNCTVM.

SIC ergo ſacra eſt Chriſti ſchola, Sacro-ſanctum Sacramentum, vbi totum diſcas Euangelium breui compendio, nullo impendio; Quia totum in his tribus conſiſtit, *abſtinendo, ſuſtinendo, & agendo,* quæ in paucis Chriſti verbis continentur, quorum virtus & efficacitas ita ſimul lucet & ardet in Sacramento, vt ex luce fidei videamus quemadmodum ibi viuit Chriſtus vt docuit, & ex ardore charitatis qua in nobis ipſe viuit, ſentiamus quod eandem vitam in nobis operetur. ***Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis,*** inquit dilectus Apoſtolus, ***& non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium: & ſicut docuit vos manete in eo.***

1. Ioan. 2.

Iſ. 48. *EGO EGO locutus ſum, & vocaui eum, adduxi eum, & directa eſt via eius, accedite ad me & audite hoc.* ***Hæc dicit Dominus redem-***

Digitized by Google

ptor tuus ſanctus Iſrael: Ego ſum Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas: vtinam attendiſſes mandata mea.

Hoc eſt verbum conſummans & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram, ſicut prædixit Iſaias, in- Rom. 9. Iſ. 10.
quit Apoſtolus. *Hic eſt præparatus mons domus Domini*, de quo idem Propheta & de quo *omnes dicent, venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.*

Hæc *eſt domus diſciplinæ* quò nos inuitat Sapiens: *Appropiate ad* Iſ. 2.
me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ; quid adhuc re- Eccleſ. 51.
tardatis, & quid dicitis in his? Comparate vobis ſine argento, & collum veſtrum ſubjicite iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam: in proximo eſt enim inuenire eam. Quaſi diceret quod expreſſis verbis ſæpe inculcat ſanctus Chryſoſtomus: *Non eſt hîc impendium,* Hom. 16.
non eſt hîc labor, non eſt hîc temporis exercitatio, ſufficit velle, & ad popul.
totum factum eſt. Licet aliqua vero in praxi difficultas diceretur: qualis illa tandem pro rei de qua hîc agitur dignitate! quàm longe alia libenter exhauritur pro cæteris rebus perituris! ſi à ſola noſtra voluntate cum gratia ſic dependerent dignitates, pecuniæ, prædia, præſentiſque vitæ reliqua commoda, quis illa nollet, aut quis nollet neceſſariam illis acquirendis difficultatem?

Vide in 2. parte, Feria 6. poſt Cineres vbi hæc opportuna declaratur Veritas.

Qui te à ſanctitate acquirenda excuſas, ex aliis acquiſitis bonis te condemnas.

SABBATO.

DE MIRACVLIS CHRISTI DOMINI RVRSVM EDITIS IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Pſ. 110.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Niſi Chriſto reſiſteres, ſic te Chriſtus in ſe, ſicut panem conſecratum, conuerteret.

RATIO EST, Quia Sacramenta ſuum ſemper habent effectum niſi ponatur obex.

Sed effectus Sacramenti Euchariſtiæ ſingulariter inter alios commendatus hic eſt, vt te Chriſtus in ſe conuertat, modo proportionato ſeu conuenienti, ſicut panem in ſe conuertit.

Ergo niſi Chriſto reſiſteres, ſic te Chriſtus in ſe ſicut panem conſecratum conuerteret; Vnde apparet & quàm illi reſiſtas, & quam illud ſit graue.

I. PVNCTVM.

QVÆ tria in miraculis Chriſti ſemper eminebãt, Potentia, Bonitas, & Sapientia; ea manifeſtè apparent in mirabilibus, quæ quotidie operatur circa ſanctiſſimum Sacramentum. Quæ bonitas ſic ſe omnibus communicare! Quæ Potentia tot vno momento miracula edere! ſubſtantiam Panis & Vini à ſpeciebus ſeparare! ſpecies illas ſine vllo ſubiecto ſuſtentare! totum ſuum Corpus in tam anguſto ſpatio conſtituere! totum in tota Hoſtia & totum in ſingulis partibus collocare! Verè *videmus quotidie mirabilia & quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Luc. 7.

Quænam vero Sapientia, quamque admiranda, dum documenta tam varia tamque ſalubria in illis includit miraculis! Quod enim pereunte panis ſubſtantia remanent accidentia, hoc indicat ſic nos conuertendos intus in Chriſtum licet extra ijdem quoad formam maneamus. Accidentia ſuo à ſubiecto ſeparata ſignificant motus noſtros naturales ſic poſſe à concupiſcentia contineri. Effectus quos illa producunt accidentia ſine vllo ſubiecto repreſentant operationes vitales animæ quæ citra vllum animi detrimentum produci poſſunt. Eſſe totum in qualibet parte, nec majorem eſſe in majori Hoſtia quam in minori, docet nos

Digitized by Google

ſic perfectè omnia facere nulla vt in re vel exigua deſimus ſicut in præcipua. *Quis ſapiens & cuſtodiet hæc? Et intelliget miſericordias Domini.* Pſ. 106.

Conſideranti vero attentius circumſtantias quæ hæc miracula comitantur, tam ſingulares & ſtupendæ apparent, vt is exclamet neceſſe eſt *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus,* Quod enim Chriſtus aliquando, vel quod Petrus, Paulus, aut alij viri ſancti miracula per Diuinam interdum virtutem ediderint, quid mirum, cum tales tātique viri eſſent; ſed ad vnam Sacerdotis vocem quotidie ac ſingulis pene momentis & vno ſimul tempore tot vbique locorum multiplicari miracula, quot Hoſtiæ conſecrantur! hoc verè eſt admirandum.

Cum autem æque vellet Chriſtus nos in ſe conuertere ſicut conuertit panem in Corpus ſuum, & vinum in ſanguinem, quid eſt quod non æque conuertimur? Nonne majorem quàm cæteræ creaturæ Chriſto debemus obedientiam? Ita plane, nec vlla nos inde ratio iure auocare poteſt; Sed quia liberi ſumus & libertate abutentes Chriſto reſiſtimus, idcirco id in nobis non efficitur. Quod certè non minus pudendum eſt quàm damnoſum. Quamobrem vt seriò proſpiciatur, ſic proponenda fuit Veritas, vt quod eſt in hac materia magis probroſum & ſtupendum, tanquam certum tibi perſuadeas, *Quod niſi Chriſto reſiſteres, ſic te Chriſtus in ſe ſicut panem conſecratum conuerteret.*

Ratio quæ petitur ab effectus Sacramenti certitudine, tam certa eſt quàm ipſa effectus certitudo atque infallibilitas de qua ſic Tridentinum: *Nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet.* Et alibi: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam ſignificant; aut gratiam ipſam, non ponentibus obicem, non conferre, Anathema ſit.* Rurſumque conſequenter: *Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ea rite ſuſcipiant: ſed aliquando, & aliquibus: Anathema ſit.* Poteſtne certius aliquid definiri? Quod autem dicit de gratia, perinde eſt ac de effectu, cum effectus Sacramenti ſit illa gratia quæ ad certos quoſdam effectus datur. *Ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. NON dixeris, Per Deum abeſt.*

Seſſ. 6. c. 9. Seſſ. 7. Can. 6. Can. 7. 2. Tim 2. Eccli. 15.

II. PVNCTVM.

SED effectus Sacramenti Euchariſtiæ ſingulariter inter alios commendatus, hic eſt, vt te Chriſtus in ſe conuertat, ſicut panem conſecratum in ſuum corpus tranſmutat.

Non pari quidem modo, non ſubſtantiæ tranſmutatione, non ſeparatis naturalibus à ſubiecto accidentibus: ſed mutatione vitæ, ſed participatione gratiæ, ſed ineffabili quadam Diuinæ communicatione naturæ quam variis ſimilitudinibus, & diuerſis loquendi modis explicant ſancti Patres. Sanctus quidem Chryſoſtomus de re ipſa comprobãda magis ſolicitus quàm de modo, ſic pluribus hunc ſingularem prædicabat effectum: *Semetipſum*, inquit, *nobis commiſcet, & non fide tantum, verum & ipſa re nos ſuum efficit corpus*. Et paulo poſt: *Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus & vna caro.* Et alibi: *Non tantum per Charitatem, verùm etiam ipſa re in illam miſcemur carnem: propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & Corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid ſimus tanquam corpus capiti coaptatum.* Itemque rurſus; *Nos in vnam cum illo maſſam reducimur, effecti vnum Chriſti corpus, & vna caro.* Sanctus Gregorius Nyſſenus, paulò explicatius: *Sicut parum fermenti ſibi aſſimilat totam conſperſionem, ita Corpus Chriſti cum fuerit intra noſtrum, totum ad ſe tranſmutat & transfert.* Sic ſanctus Cyrillus Alexandrinus: *Sicut ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt, ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungitur vt Chriſtus in ipſo & ipſe in Chriſto inueniatur.* Sanctus verò Cyrillus Ieroſolymitanus ſic breuius nec minus efficaciter: *Concorporei, vt ita dicam, & Conſanguinei Chriſti facti eſtis.* Et poſt pauca: *ſic efficimur Chriſtiferi hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes: ſic ſecundum beatum Petrum diuinæ naturæ conſortes reddimur.* Sanctus quoque Hilarius ex pluribus Chriſti verbis hoc idem fusè declarat. At Diuus Thomas id clarè explicat ex modo quo traditur hoc Sacramentum nempe per modum cibi & potus.

Hom. 60. ad pop. Ant.

Hom. 61.

Hom. 83.

Orat. Catech. c. 37.

l. 4. in Ioan. c. 17.

Catech. Myſt. 4.

l. 8. de Trin.

3 p. q. 73. a. 1.

Sanctus denique Ioannes Damaſcenus hanc aptiſſimam affert ſimilitudinem: *Quemadmodum illa quæ mediante igne aurum attingunt,*

l. 4. de fide Orth. c. 14.

gunt, deaurantur: ſumptoque colore vel ferrum auri inſtar reſplendeſcit; ita fideles qui dignè ad Sacramentum corporis Chriſti accedunt ac mediante igne Charitatis Carnem eius Sacratiſſimam contingunt, eidem vniuntur Chriſto, adeoque ſimiles videntur vita & opere, & quadam ratione ſunt. Quaſi diceret, ferrum ignitum vel deauratum ſemper eſt ferrum, ſed per ignem & aurum quibus coniungitur ſic mutatur, vt ferrum quodammodo eſſe deſinat, & per ignis atque auri proprietates quas induit, ignis & aurum eſſe videatur. Hic eſt effectus ignis & auri vt ſic ferrum & quidlibet in ſe tranſmutent, ſic plane de effectu ſanctiſſimi Sacramenti ſentiendum. Adſtupeſce vel tantæ Bonitati Diuinæ quæ id velit: vel tantæ malignitati humanæ quæ id nolit.

III. PVNCTVM.

HINC *igitur niſi Chriſto reſiſteres, te Chriſtus in ſe ſicut panem conſecratum conuerteret:* Quia hic eſt effectus Sacramenti non minus infallibilis ex parte Chriſti, quam effectus verborum ipſius Chriſti per quæ panis conſecratur & tranſmutatur in Chriſti corpus. Vndenam credis ex prolatis verbis quæ dicuntur Sacramentalia, ſtatim confici Sacramentum, niſi quia ſic infallibiliter ordinatum & ſtatutum eſt à Chriſto Domino? Atqui ab eodem ſic ordinatum eſt vt Sacramenti effectus tam certo produceretur, niſi obex ponatur; Quid ergo eſt quod non in te producitur niſi quia ponis obicem, niſi quia reſiſtis? Sic omnino Sacramentum non fieret niſi ſacerdos proferret verba omnia proferenda, niſi eſſet materia debita & niſi haberet intentionem conficiendi Sacramenti, quia ſic poneret obicem, quo poſito nihil prorſus efficitur, & quo ſublato fit infallibiliter quod ſignificatur fieri.

Quid hic hæres? quid dubitas? quid non clarum & apertum? Dices forte alios referri fructus & effectus Sacramenti; ſed eſto, dum hic inter alios ſit æque certus effectus, manet probrum tibi certo inferendum, te Sacramento reſiſtere, niſi hunc referas fructum & effectum: ſic autem certus eſt & determinatus, vt ad eum velut notiorem & firmiorem alij omnes referantur. Sic ſanctus Leo: *Non aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm vt in id quod ſumimus, tranſeamus*; Id eſt, eò cætera omnia refe- *Serm. 14. de paſſ. Dom.*

Digitized by Google

l. 7. Conf. c. 10. runtur, hic eſt præcipuus finis & effectus Sacramenti. *Non me in te mutabis, ſed tu mutaberis in me,* ait Dominus S. Auguſtino.

Iam vero vide quid ſit Chriſto reſiſtere in re tanti momenti! Quid times te in Chriſtum conuerti? Quando aliquid de te detrahendum & perdendum eſſet, nonne id libenter profundendum eſſet pro eius cultu qui ſe tam miris modis deprimit & deperdit, ſi fas eſt ita loqui, vt benè de te mereatur? Sed quem teipſum facis? Putaſne ſi conuertereris in Chriſtum, deterius aliquid tibi aduenirct? Quid dabis Chriſto quod non ille reſtituat & remuneret infinite quouis diſtanti pretio? Dabis vitam tuam animalem, & ille dabit ſuam diuinam; Compara ſimul vtramque vitam; neque id ita reſpicias quid forte des, quàm quod recipias. Non eſt dare nec perdere quando quid vilius mutatur in pretioſius. Quando præter virgas & flagella Deus nihil daret, eſſent flagella dona, nec dona eſſent recuſanda. Certe tanto minus excuſaris cum nihil præter gratias tibi offert & negligis; cum nihil minus quam ſeipſum tibi tradit, & quaſi majòr ipſo eſſes tu munus auerſaris! *Iob. 22.* *Numquid Deo poteſt comparari homo?* An ignoras quid manna re- *Sabb. Hebd. 13.* cuſantibus, pœnæ quondam contigerit? Hinc illa Veritas infra explananda:

Qui diuinam expellit Sacramenti gratiam, non minus peccat quàm qui olim manna repulerunt.

Digitized by Google

DOMINICA
INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI, QVÆ EST SECVNDA POST PENTECOSTEN.

DE CONVIVIIS QVIBVS CHRISTVS DOMINVS INTERESSE VOLVIT, VT AD SVVM NOS INVITARET.

Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

CVM in his duabus Hebdomadis noſtrum ſit inſtitutum celebriores Chriſti Domini actiones, diebus ſingulis proponere conſiderandas in ſanctiſſimo Sacramento; Quæ nobis hodie proponitur eius actio, pars illa eſt Conuerſationis humanæ quam tenuit in adeundis conuiuiis & hoſpitiis, quò vocabatur. Mirum certè quod ſic Chriſtus vellet cum hominibus conuiuere & conuiuari: ſed tamen decentiſſimum & fini quem ſibi præſtituerat conuenientiſſimum, vt expreſsè docet D. Thomas, tota quæſtione quadrageſima tertiæ partis.

Quamobrem conſiderari tantiſper poſſet in illis variis quas frequentauit, menſis, vt modeſtè in omnibus, vt accommodatè ad omnes, vt ſapienter ad quæcumque occurrerent ſalubri documento condienda, & ad ſacrum ſuum epulum quod deſtinabat

Digitized by Google

l.7. Conf. c.10. runtur, hic eſt præcipuus finis & effectus Sacramenti. *Non me in te mutabis, ſed tu mutaberis in me*, ait Dominus S.Auguſtino.

Iam vero vide quid ſit Chriſto reſiſtere in re tanti momenti! Quid times te in Chriſtum conuerti? Quando aliquid de te detrahendum & perdendum eſſet, nonne id libenter profundendum eſſet pro eius cultu qui ſe tam miris modis deprimit & deperdit, ſi fas eſt ita loqui, vt benè de te mereatur? Sed quem teipſum facis? Putaſne ſi conuertereris in Chriſtum, deterius aliquid tibi adueniret? Quid dabis Chriſto quod non ille reſtituat & remuneret infinite quouis diſtanti pretio? Dabis vitam tuam animalem, & ille dabit ſuam diuinam; Compara ſimul vtramque vitam; neque id ita reſpicias quid forte des, quàm quod recipias. Non eſt dare nec perdere quando quid vilius mutatur in pretioſius. Quando præter virgas & flagella Deus nihil daret, eſſent flagella dona, nec dona eſſent recuſanda. Certe tanto minus excuſaris cum nihil præter gratias tibi offert & negligis; cum nihil minus quam ſeipſum tibi tradit, & quaſi majòr ipſo eſſes tu munus auerſaris!
Iob. 22. *Numquid Deo poteſt comparari homo?* An ignoras quid manna re-
Sabb.Hebd. 13. cuſantibus, pœnæ quondam contigerit? Hinc illa Veritas infra explananda:

Qui diuinam expellit Sacramenti gratiam, non minus peccat quàm qui olim manna repulerunt.

Digitized by Google

DOMINICA

INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI, QVÆ EST SECVNDA POST PENTECOSTEN.

DE CONVIVIIS QVIBVS CHRISTVS DOMINVS INTERESSE VOLVIT, VT AD SVVM NOS INVITARET.

Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

CVM in his duabus Hebdomadis noſtrum ſit inſtitutum celebriores Chriſti Domini actiones, diebus ſingulis proponere conſiderandas in ſanctiſſimo Sacramento; Quæ nobis hodie proponitur eius actio, pars illa eſt Conuerſationis humanæ quam tenuit in adeundis conuiuiis & hoſpitiis, quò vocabatur. Mirum certè quod ſic Chriſtus vellet cum hominibus conuiuere & conuiuari: ſed tamen decentiſſimum & fini quem ſibi præſtituerat conuenientiſſimum, vt expreſsè docet D. Thomas, tota quæſtione quadrageſima tertiæ partis.

Quamobrem conſiderari tantiſper poſſet in illis variis quas frequentauit, menſis, vt modeſtè in omnibus, vt accommodate ad omnes, vt ſapienter ad quæcumque occurrerent ſalubri documento condienda, & ad ſacrum ſuum epulum quod deſtinabat

Digitized by Google

Ioan. 2. celebrandum nobiſcum referenda. Vide illum in Cana Galilææ, vt inuitatus ad nuptias aquam in vinum mutat; Nonne hæc eſt manifeſta noſtri figura Sacramenti? Vide apud Mathæum recens
Matt. 9. conuerſum, vt Publicanos & peccatores ſecum admittit, vt murmurantes propterea Pharizæos compeſcit, vt ſe medicum profiteatur, quo non ſit opus valentibus ſed malè habentibus: quid expreſſius ad illam quam in altari nobis exhibet, indicandam benignitatem? Quoties verò tam ſæpe obſeruatur, num more Pha-
Marci 7. rizaico manus lauet, dum cibum ſumit, docetque potiorem interni ſtatus quàm externi ducendam eſſe rationem: quid pro-
Luc. 7. 19 pius ad dignum & probatum Sacramenti vſum? Vbinam verò Zachæi aut Magdalenæ melioribus anteactæ iacturam vitæ reſarciunt conſiliis, quàm in hoc Sacro conuiuio?

Ne porrò longiùs diffundatur oratio, ſubſiſtamus in aperta
Ibid. 14. nobis hodie cuiuſdam principis Pharizæorum domo, vbi recumbens Dominus, inſignem illam de Cœna magna parabolam cœpit enarrare, qua certè nihil opportunius, ſiue ad frequentem, ſiue ad dignam Sacramenti participationem commendandam. Sicut enim à frequenti, ſic à digno communionis vſu, multis ſuis auocantur domeſticis rebus ſeu potius rerum cupiditatibus, aut aliis prætentis cauſis, quibus ſuo modo reſpondent inuitati Domino, rogo te, habe me excuſatum. Quas tamen cauſas & excuſationes omnino nullas eſſe prima hæc demonſtrat

VERITAS PRACTICA.

Qui ſe excuſat inuitatum, accuſat inuitantem.

RATIO EST, *Quia qui ſe excuſat inuitatum ad Cœnam ſeu ad frequentem communionem, prætendit iuſtam excuſationis ſuæ cauſam.*

Sed cum inuitat Dominus, non poteſt iuſta prætendi excuſationis cauſa, niſi ſimul accuſetur inuitans.

Ergo qui ſe excuſat inuitatum, accuſat inuitantem. Quòd cùm ſit manifeſtè impium, cauenda talis excuſatio, & audiendus Chriſtus, quibus ille cumque modis nos ad Cœnam ſuam vocet.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

QVID eſt quod vocati ad vineam operarij cùm eſſent otioſi, dixerunt ſe excuſantes, *Nemo nos conduxit*; vocati verò ad Cœnam magnam non negarunt nec diſſimularunt ſe vocatos, ſed rogarunt ſe excuſari, quaſi non poſſent ire, quò vocabantur, ſuis implicati negotiis, & domeſticis diſtenti curis? Matth. 20.

Digna certè quæ primo in aditu conſideretur obſeruatio: nam aliud eſt, ſe excuſare quod non ſis inuitatus; & aliud, quòd inuitatus non poſſis ire commodè quò vocaris. Excuſant ſe operarij quòd non ſint vocati, nec arguuntur, quia reuera donec omnibus conſtet ſua vocatio certum in vitæ ſtatum, atque illum præcipuè qui vineæ nomine deſignatur, non poſſunt illum ſecurè aggredi; neque is tam euidenter ſtatus omni conſtat ætati. Dicunt itaque qui nondum agnoſcunt certam de ſe Dei voluntatem, *Quia nemo nos conduxit*: Sed qui vocantur ad Cœnam, non id vſurpent, non id cauſentur, non id excuſent, quia ſtatim atque ipſa floret ætas, ſtatim atque fides ætate diſcernit inter panem Sacrum & vulgarem, tam apertè patet Cœnam eſſe in Eccleſia, quàm ipſa patet Eccleſia; Tam multi porrò ſunt nuntij, qui nos ad illam clarè vocent Cœnam, quàm multi ſunt qui Cœnam magnam de qua hodie memoratur parabola, Sacram interpretantur menſam. Quàm ſint autem illi multi, quis non videat? Et quis illos hodie nos inuitantes non audiat? cum in id vniuerſam conſpirare ſimul Eccleſiam facilè poſſit aduertere, quæ hodierna Dominica talem elegit Euangelij ſui lectionem, meditationum noſtrarum materiam, & Sacrarum Concionum argumentum? Cur enim hanc proponit parabolam, niſi vt Concionatores ſuos velut ſeruos & nuntios prouocet, qui nomine Domini denuntient omnibus, quod quàm verum eſt paratam ab eo Cœnam eſſe, tam certum ſit, Eum velle nos eſſe ſimul paratos ad illam frequentandum?

Illa eſt Sapientia quæ in ſacris Prouerbiis, *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam, miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem: ſi quis eſt paruulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt, venite,* Prou. 9.

Digitized by Google

comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Ancillas vocat quos diximus ſeruos & nuntios, quia ſuauiter efficaces eſſe debent; & iubentur præcipuè paruulos & inſipientes adhortari vt veniant, quia de his dubitari poſſet, atque vt omnibus pateat, neminem niſi volentem arceri, niſi volentem in peccato perſiſtere, niſi volentem ſe oblatis priuare bonis.

Quamobrem nemo negare auſit ſe inuitatum, ſed audent inuitati ſe multis excuſare & rogare, vt ipſorum probentur excuſationes, quaſi non poſſint, quaſi non deceat, quaſi non debeant; At fruſtra, quin & impie; *Nam dum ſe inuitati excuſant, accuſant inuitantem.* Ita commodius videtur proponenda Veritas, tum ne actum agamus, multa illa congerentes, quæ à multis referuntur de frequenti communionis vſu; tum vt Euangelicæ propiùs inhæreamus parabolæ, in qua ſe inuitati excuſant; tum vt quàm impie ſe excuſent, apertiùs liqueat.

Apud Molinā Carth. Tract. 7. & alios.

Sic autem manifeſtè declaratur: nam quiſquis ſe excuſat prætendit iuſtam excuſationis ſuæ cauſam & rationem: prætendit nempe ſe à culpa purgare vel à nota infamiæ, vel ab aliquo probro, quod ſibi fortè poſſet objici, niſi ſe purgaret & excuſaret. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam? Dixiſti enim abſque peccato & innocens ego ſum.* Hoc eſt videlicet, quod excuſatione prætenditur, quod certè fruſtra contenderetur, niſi iuſta proferretur ratio, vel apparenter iuſta & probabilis aut adumbrata. Quid clarius? *Narra ſi quid habes vt iuſtificeris, ECCE ego indicio contendam tecum, eo quod dixeris, non peccaui,* Id eſt, conuincam te mendacij & falſitatis; rationes tuas euertam, nullas eſſe oſtendam, ac proinde nullam excuſationem quæ illis innititur ruinoſis ſtructuris. *Adam vbi es? INTERROGAT,* inquit Eucherius, *Vt ſuis quiſque reſponſionibus conuincatur, quia licet non ignoret quod ſibi vult indicari, vult tamen delinquentem etiam reſponſionis teſtimonio reum ſtatui; hoc eſt, ex ore proprio iudicari.* Quod certè eſt expaueſcendum.

Ierem. 2. *Iſ. 43.* *Ier. 2.* *Gen. 3.*

II. PVNCTVM.

SED cùm ad ſuam nos Dominus inuitat Cœnam, non poteſt iuſta prætendi ratio, ſiue legitima excuſationis cauſa, niſi ſimul accuſetur inuitans.

Digitized by Google

Nam vel inuitans Dominus ignorabat talem cauſam, vel probè nouerat. Si dicas ignoraſſe, vide quid dicas, vide quali te impietate obuoluas, accuſando Chriſtum ignorantiæ. Nonne ad hanc vocem toto infremis corpore? Nonne iam ſtatim cum Apoſtolorum Primo dices: *Domine tu omnia noſti.* Quod ſi probè *Io. 21.* nouerat te legitimam recuſandæ rei quam à te poſtulat, habere cauſam, facis illum imprudentem & iniuſtum, qui à te petat quod dicis te illi non poſſe legitimè nec iuſtè reddere. Quantum enim eſt æquum & rationabile, vt quod petit, neges; tam iniquum erit & irrationabile, quod illud à te petat. Itane vero de Chriſto ſentis? Aut ſi de Chriſto ita ſentis, nonne illum accuſas? Nonne condemnas? quid grauius quàm illum dicere vel ignarum vel imprudentem & iniquum? *Quid dicemus*, inquit Apoſtolus, *Rom. 9.* *Numquid iniquitas apud Deum? abſit.* Et tamen hoc eſt quod dicis, ſi cùm te ad ſuam inuitat Cœnam, te legitimè dicis excuſatum.

III. PVNCTVM.

NONNE hinc igitur certa & euidens eſt veritas, *Quòd qui ſe excuſat inuitatum à Chriſto ad Cœnam, accuſat Chriſtum inuitantem?* Et nonne ſatis eſt potens & valida conſideratio ad reprimendas illas excuſationes, atque ad debitum agnoſcendum celebrandæ frequentiùs ſacræ menſæ? Nam ſi ſaltem in illa tua Communionis infrequentia, te inertiæ accuſares, ſi tuum eſſe vitium agnoſceres: aut ſi te ſaltem non excuſares, quaſi legitimè deſis inuitanti, quaſi non poſſis religiosè nec rationabiliter quod à te petitur; minus graue videretur quod peccas: ſed accuſare Chriſtum! Accuſare Chriſtum inſcitiæ, qui te non poſſe neſciat quod à te petit; vel imprudentiæ ſimul ac iniuſtitiæ, qui hoc à te petat quod non poſſis nec debeas! hoc certe crimen eſt inexpiabile. *Numquid condemnabis me vt tu iuſtificeris?* Quaſi diceret Dominus, dum te iuſtificas, me condemnas; hoc eſt autem *Iob. 40.* tam impium, velle Deum condemnare, vt ne hanc impietatem contrahas, te iuſtificare deſinas.

Quid hic hæres? Quid dubitas? Nonne agnoſcis, vtrimque quod emergit nefas? Nonne agnoſcis quam ſit nefarium, ſic Chriſtum accuſare, quamque ſit euidens te illum accuſare, dum

te excuſas? Hoc poſtremum forte diſſimulabis, hoc te negabis velle, negabis te hoc agnoſcere. Sed audi rurſum & reſponde, quid de illo ſentias qui punit immerentes, qui pœnas illis denuntiat quaſi reis, qui ſe tamen reos negant. Nonne ſi rei non ſunt, ille qui punit, iniuſtus eſt? Atqui hoc eſt quod de Chriſto affirmas, ſi te legitimè dicis excuſatum, hoc eſt quo illum manifeſtè dicis iniuſtum: nam ille eſt qui pœnas his decernit qui ſe inuitatos excuſant, ille eſt qui iam eos hac pœna mulctat, *Nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit Cœnam meam.* Nonne igitur aut illi rei ſunt & inexcuſabiles: aut ſi excuſantur, ille iniuſtus eſt; & hoc ipſo quo punitos excuſas, tu accuſas punientem? Licet enim dici poſſet nullam iniuſtitiæ Deo notam inuri poſſe, quantumuis innoxios puniat; nec inflictam à Deo pœnam ſemper eſſe notam & ſignum patratæ culpæ: hoc tamen dici non poteſt, cùm aliquos Deus, nominatim vt nocentes & particularis noxæ reos punit. Sic autem inuitatos punit, ſic illos ante peccaſſe iudicat, ſic iudicatos condemnat. Aut certè ſi ſunt innocentes, quomodo iuſtè tanquam nocentes iudicantur & condemnantur? O quàm ille contrà ſapientiùs, qui ſic Deo loquebatur; *Numquid perdes iuſtum cum impio? abſit à te vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Itemque Sapiens: *cum ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis, ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, externum æſtimas à tua virtute.*

Abrah. Gen. 18.

Sap. 12.

Quamobrem Chriſtus, vt dictum eſt, cùm recuſantes inuitatos tanquam reos puniat, non poteſt in illis puniendis dici iuſtus, ſi non eſſent rei; nec poteſt dubitari quin illum tanquam iniuſtum accuſet, qui ab eo punitos excuſet tanquam innocentes; ac proinde tandem agnoſce quid ſit ſe à Cœna vel Sacra menſa excuſare. Non eſt tantum, non eſt ſe priuare fructu tam vberi, qualis inde colligitur, ſed eſt crimen accerſere, pœnaſque conſequentes, quibus auertendis nulla proſit excuſatio. Sunt illa ſcilicet ficus folia, quibus ſe primi noſtri parentes obtegere voluerunt, cum eius fructu potius vti debuiſſent, vt rectè obſeruauit S. Ambroſius: *Poſteaquam*, inquit, *primi parentes ſpoliatos ſe illa ſinceritate & ſimplicitate viderunt integræ incorruptæque naturæ, quærere mundana & manufacta cœperunt, quibus nuda ſuæ mentis operirent. Docet ergo me Adam quid ſint folia, qui poſteaquam peccauit, de foliis ficus, fecit ſibi cin-*

Gen. 3.

ctorium

Digitized by Google

ctorium, qui de fructibus magis eius guſtare debuerit. Fructum iuſtus eligit, folia peccator. Voluit ſe operire quibuſdam ficus foliis, fortaſſe quibuſdam inanibus & vmbratilibus ſermonibus, quos compoſitis mendaciis aſſuens ad operiendam conſcientiam ſuæ mentis, factique velamen, peccator intexit, vt pudenda ſua contegat. Iacit enim ſuper ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris.

Vide in 4. parte, Feria 5. Hebdom. 18. vbi contra omnem excuſationis ſpeciem hæc declaratur Veritas:

Si non agis quod vult Deus, hoc vnum infame habes quod reſpondeas, *Nolo, non placet.*

QVIA verò non ad Cœnam tantùm, ſed ad Cœnam magnam vocamur, hinc alterius accipitur proponendæ Veritatis anſa, contra illos qui minus dignè quàm deberent, accedunt ad Sacram menſam: & minus fructuosè quàm poſſent, inde recedunt.

Sat frequens multis Cœna eſt, quibus magna Cœna eſt infrequens.

Quos à Cœna videlicet res humanæ non auocant, hos à Cœna magna ſæpe impediunt.

RATIO *Poſtremæ partis quæ priorem declarat, hæc eſt inter alias, quòd Cœna magna dicatur Communio integra & plenè fructuoſa.*

Sed à tali Communione res humanæ ſæpe impediunt quos à Communione non auocant.

Ergo quos à Cœna res humanæ non auocant, hos à Cœna magna ſæpe impediunt. Quod cùm ſit valde damnoſum, in id præcipuè tibi eſt incumbendum, vt quantùm impediri nolles humanis rebus à frequenti Communione, tantùm proſpicias, ne his ipſis impediaris ab integra & plenè fructuoſa.

I. PVNCTVM.

AGITATAM ſæpe hanc quæſtionem Authores memorant, *Quodnam eſſet in cunctis rebus maximum in minimo.* Sunt qui artificis illius opus eſſe dixerunt, vel quo apis nauim ſuis omnibus inſtructam armamentis tegebat alis ſuis: vel quo rotatum horologium in vnius annuli pala continebatur. Alij hominem eſſe affirmant, qui mole quantumuis exiguâ totam rerum vniuerſitatem ita repræſentat, vt alter eſſe mundus dicatur. Alij de hominis oculo id verius poſſe aſſeri contenderunt: quid enim pupilla minus in qua cœli & terræ ſimul recipi poſſet viſio? Cordi humano denique ſingulariter id conuenire viſum eſt pluribus, quòd innumera & propè infinita eſſent quorum capax eſt cor humanum, ſiue vt illa poſſidere deſideret, ſiue vt amando poſſideat.

At quæ ſunt artis & naturæ tranſeamus, vt quæ ſunt gratiæ contemplemur. Vna vna eſt Cœna magna, de qua quod quæritur, veriſſimè dici poteſt; *maximum eſſe in minimo.* Da enim minimam, quæ dari poteſt, panis particulam, & in illa quod maximum dari poſſit, tibi offeretur, ſi acceſſeris animo rebus creatis vacuo; nam hoc vnum præſertim Cœnæ obſtat magnæ, cùm qui accedunt, humanarum rerum affectibus implicantur; Hoc vno vel maximè deſtruitur Cœnæ magnitudo. Non Cœna tollitur, ſed magna Cœna; vel ſi Cœna ſemper in ſe eſt magna, certè non illis eſt, qui res humanas nimis ſtupent & magnifaciunt.

Quamobrem vt illis animum facilius exuant, opportuna eſt Veritas qua monemur aliam, aliquo ſaltem modo, poſſe eſſe Cœnam; atque aliam, Cœnam magnam: & *quos à Cœna res humanæ non auocant, hos à Cœna magna ſæpe impediunt.*

Ratio iam proximè manifeſtata eſt, quòd ſicut Cœnæ nomine Sacra intelligitur Communio, ſic additamento *Cœnæ magnæ* deſignatur potiſſimum illa Communio quæ fieri poteſt plenior & fructuoſior. Sunt enim aliis aliæ pleniores & perfectiores, vt mox explicabitur. Nec diffitemur etiam alias eſſe cauſas, quibus Cœna magna dici ſemper poſſet quæuis Communio; quia ſemper Ille eſt magnus qui hanc facit Cœnam; Semper illud eſt magnum quod in ea proponitur; Semper in toto quâ magnus &

vaſtus eſt, præſtatur orbe! Semper in conſequentibus ſæculis ad extremam vſque temporum deſitionem perdurabit, vnde ab Angelo dicitur *iuge ſacrificium.* Sed præter hæc omnia ſingulariter *Dan. 11.* dicitur & reuera eſt Cœna magna propter magnos & ingentes fructus quos producit, quando eſt integra & plene fructuoſa Communio, Id eſt, quando illa tota recipitur gratia quam Chriſtus cuique deſtinat, vt in ſe totus conuertatur: qua gratia quid maius dici poteſt? Cum enim potiſſima rerum denominatio deſumatur à fine agentis vel ab effectu actionis deſignato; cumque is ſit finis præcipuus quem prætendit, & is effectus ſingularis quem deſignat Chriſtus, vt ad ſe accedentem cõuertat in ſeipſum, ſicut Sabbato proxime præcedenti declaratum eſt; quis non videat hanc etiam ſingularem eſſe cauſam propter quam Cœna magna magno hoc & illuſtri nomine decoretur? Nonne ſic magni dicuntur viri qui res magnas vel magna virtute præſtiterunt, vel magna populo beneficia contulerunt? Nonne ſic magna domus Dei dicitur à Propheta? *O Iſrael quàm magna eſt Domus Dei, & Bar. 3.* *ingens locus poſſeſſionis eius*; quaſi diceret quod princeps Apoſtolorum poſtea declarauit, *maxima & pretioſa promiſſa nobis ibi donan-* *2. Pet. 1.* *tur*, non quia tantum magnus eſt ſpatio locus, ſed præſertim quia tam magnum eſt quod in tali datur loco, vt quantumuis ſpatioſus & ingens ſit locus, id tamen omnibus ſufficiat, & nihil de ſua perdat vnquam vel magnitudine vel pretio. Sic Beatiſſima Virgo Deipara, *Fecit in me magna qui potens eſt.* Quas ſcilicet voluit *Luc. 1.* gratias recepi totas & integras, vt digna Dei mater efficerer; maius eſt enim Dignã eſſe Dei matrem, quàm eſſe Dei matrem. Sic vniuerſim cùm dicitur, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Pſ 30.* *Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* non tam dicitur magna multitudo propter numerum & varietatem dulcedinis, quàm propter ipſius dulcedinis magnitudinem: ſed nec ipſa dulcedinis magnitudo tam mira eſt propter ſuam ſuauitatem, quàm propter affectum pietatis, aut veræ virtutis effectum inde profluentem: quid enim magnum eſſet in dulcedine, aut quid prodeſſet illa dulcedinis magnitudo, niſi magna inde proueniret pietas aut alia quæuis virtus?

Sic planè de Cœna magna, ſit quantumuis magnum quod ſumitur; ſit magnus, vbi ſumitur, locus; ſit magnum quo ſumi poteſt tempus; Quid ſumẽti magna hæc ſunt omnia, niſi fiat ipſe,

Digitized by Google

qui ſumit, magnus; magnus gratia, magnus merito, magnus ſanctitate & gloria? Nam ſunt illa ſola quæ magna ſunt, quia ſunt illa ſola quæ coram Deo magna ſunt; ſic ſanctus Ioannes *inter natos mulierum dicitur maior,* Quia quod facit magnum, eſt Gratia ſeu Virtus infuſa & acquiſita, qua qui magis abundat, tam verè eſt maior, quàm verè ſola eſt hæc magnitudo ſeu ſola magnitudinis ratio, ſolum magnæ rei pondus & menſura.

Math. 11.

1. Cor. 4.

O quàm rectè Apoſtolus, *Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico, qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Quaſi diceret, nihil verè eſt magnum, quàm quod tale Dominus iudicat, nihil autem tale iudicat, quàm quod conforme eſt ſuæ voluntati? vnde id tandem apertiſſimè ſequitur quòd ſola, quam diximus plenam & perfectam Communionem, Cœna eſt magna, quia ſola illa eſt conformis ipſius iudicio & voluntati; ſola illa eſt, quæ quam vult Chriſtus conferre gratiam recipit, & ex qua recepta gratia noſter corroboratur animus, vt ſe in cæteris rebus totum eidem Chriſti iudicio, diuinæque voluntati conformet.

II. PVNCTVM.

SED à tali Communione res humanæ ſæpe impediunt quos à Communione non auocant.

Non res ipſæ quidem, vt ſæpe ex S. Ioanne Chryſoſtomo dictum eſt, ſed inordinati rerum affectus, qui cum lethales non ſint, non ab omni prorſus Communione arcent communicare volentes: neque ita etiam inordinati ſunt, vt frequenter communicandi tollant voluntatem, aut omnem impediant communionis fructum: Sed ne illa tota recipiatur gratia, quæ parata erat communicanti, ſi purior acceſſiſſet; etenim tales obſtant affectus: quia cùm per modum nutritionis ſacra in nobis operetur Communio, tantò magis aut minus operatur, quantò magis aut minus intererit aliquid medium inter humanam animam & Cœleſtem panem: ſicut in ipſa nutritione corporali accidit, quando quæ dicuntur cacochyla, ideſt, praui humores parum aut multum abundant in nutriendo corpore. Sunt autem illi affectus inordinati, velut infeſti quidam humores, qui ſe animam inter & Chriſtum interponunt, quo minus anima Chriſto nutria-

Digitized by Google

tur & ſaginetur. Vnde eſt illud D. Iacobi, *Diues in itineribus ſuis marceſcet*, Id eſt, affectu diuitiarum aut alio quouis deprauatus, non nutrietur ſpirituali alimento licet illud accipiat. Quo ſenſu præclarè S. Gregorius in illum verſum Cantici Annæ matris Samuelis: *Repleti prius pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt.* *NON ſaturantur*, inquit, *niſi famelici, qui à vitiis perfectè ieiunantes diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia ſine peccato, electi etiam viri eſſe non poſſunt; quid reſtat, niſi vt à peccatis quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, euacuare quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, Etſi minima ſunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur atque ei meritò auferunt fructum internæ ſaturitatis.* Et poſt pauca. *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipſa ſola virtus eſt quæ euacuat quod in ventre animæ culpa coadunat: Et tunc verè famelici ſaturantur, quia quò ſtudioſiùs mundamur lamento pœnitentiæ, eò vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpirituali refectione.* Sic S. Auguſtinus ad ſupra dicta Pſalmi, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ* reſpondens quærenti vbi eſt iſta multitudo dulcedinis: *Quomodo*, inquit, *tibi oſtendam multitudinem huius dulcedinis qui palatum de febre iniquitatis perdidiſti. Mel ſi non noſſes, quàm bene ſaperet, non clamares niſi guſtaſſes. Palatum cordis non habes ad hæc bona guſtanda, quid tibi faciam? Non eſt cui dicam, guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et in illum Pſalmum, vbi dicuntur cœli diſtillare à facie Dei, & pluuiam voluntariam ſegregaturum Deum hæreditati ſuæ, & hæc denique parata in dulcedine pauperi. *Non abundanti*, inquit S. ille Doctor, *ſed pauperi Dominus hæc parauit, ideſt, vacuo mundanis affectibus & terrenis curis, quibus qui abundant, priuantur bonis quæ ſunt parata in dulcedine & ſuauitate pauperi.*

Iac. 1. *1. Reg. 2.* *Pſ. 67.*

Adde quòd cùm ex mera bonitate & munificentia maiores ſuas Deus profundat gratias, tantò in illos certè eſt profuſior aut ſtrictior qui ad Cœnam vocati accedunt, quantò hi liberaliùs aut ſtrictiùs cum ipſo agunt. Quid eſt autem magis aut minus cum Chriſto liberaliter agere, quàm de ſuo corde ſeu de prauis ſuis affectibus plura vel pauciora detrahere, quæ illi offerantur, vt tertiâ proxime feria dicetur fuſiùs. Ex quibus planè intelligetur quod ſupra ſanctus dixit Chryſoſtomus, *Eos indignos eſſe Sacramentis qui minùs dignè accederent*, Id eſt indi-

Digitized by Google

gnos ea totali gratia quam recepiſſent ſi magis dignè acceſſiſſent.

Vide in 2. parte, Fer. 6. quartæ poſt Paſcha Hebdomadæ, necnon quarti libri de Imitatione Chriſti capite 15. vbi hæc aptè de gratia quæ confertur in hoc Sacramento; *Tibi & peccatis tuis imputa, cùm non datur, vel etiam occultè tollitur. Modicum quandoque eſt, quod gratiam impedit & abſcondit, ſi tamen modicum & non potius grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet. Et ſi hoc ipſum grande vel modicum amoueris & perfectè viceris, erit quod petiſti.* Et poſt pauca. *Quiſquis ergo ſe ab omni inordinato amore ſeu diſplicentia cuiuſlibet rei creatæ euacuauerit, aptiſſimus gratiæ percipiendæ ac dignus deuotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem ſuam, vbi vaſa vacua inuenerit: & quantò perfectiùs infimis quis renuntiauerit, & magis ſibi ipſi per contemptum ſui moritur, tantò gratia celeriùs venit, copioſiùs intrat, & altiùs liberum cor eleuat.* Vel è contra certè, quantò quis etiam minùs terrenis renuntiauerit, tantò hunc magis terrena impediunt ab illa Communione integra & plenè fructuoſa, quæ non plenum & totum fructum refert. O quid hîc magis mirer, an modicum illud quod impedit, an maximum illud quod impeditur!

III. PVNCTVM.

S*IC igitur quos à Cœna res humanæ non auocant, hos à Cœna magna ſæpe impediunt:* Quia non eſt illis Cœna magna qui magnos illos fructus non referunt, quos referre potuiſſent, ſi rerum humanarum affectibus implicati non eſſent; aut certè tantò minùs ex hac parte magna eſt, quantò minùs ipſi magni ſunt illâ magnitudine animi quæ cuncta terrena deſpicit. Sicut enim de his Chriſti verbis, *Verba mea ſpiritus & vita ſunt*, ait ſanctus Auguſtinus, *Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa, ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt:* Sic prorſus de Cœna magna dici debet; Acceſſiſti animo inordinato? etiam ſic illa eſt Cœna magna, ſed non tibi. *Cibus ſum grandium*, dicebat Dominus: At quomodo illi grandes & magni qui ſuis ſubiacent cupiditatibus? Non ita ſubiacent, dices, quin eas in multis premant, & ita reprimant, vt nollent his impediri à ſacra menſa. In hoc certè laudandi, ſed dicant cur nollent ſic impediri? quia videlicet bonum illud,

Tract. 17. in Ioan.

l. 7. Conf. c. 10.

Digitized by Google

bonam illam gratiam quæ Euchariſtia dicitur, tanti ducunt & in praxi æſtimant, vt nollent eam ſibi deperire propter humana quædam terrena quæ inde auocant. Sana profectò ratio, ſed inde arguuntur & ſuo ipſi ore iudicantur, quod non pergant vlteriùs in ſuis reprimendis concupiſcentiis. Nam ſi eas ita domant, ne aliquo ſacræ menſæ fructu priuentur, cur non eo vſque domant, vt nullo eius priuentur fructu? Si tanti faciunt modicam illam gratiam quam à Cœna recipiunt, vt, ne illa excidant, nollent non communicare frequenter, & nollent eos fouere affectus quibus ab illa frequenti Communione retardarentur, cur non tanti faciunt maiorem illam gratiam, quæ à Cœna magna recipitur, vt, ne illà priuentur, æquè nolint eos affectus quibus impeditur?

Quando vel vnus eſſet gratiæ & Cœleſtis gloriæ gradus, de cuius ageretur poſſeſſione vel iactura, an tu putas tam mediocre bonum eſſe, vt reculas neſcio quas terrenas & humanas quibus afficeris non iudices eſſe abiiciendas, ne te illo defraudes bono? Videſne qui diuitiis aut honoribus cumulandis inhiant, adeo non negligere quod ſe offert ditius & glorioſius, vt quidquid etiam ſe ad cupiditatis cumulum offerat, cupidiores ſemper exiſtant, & plura magis deſiderent. Tu verò cùm commodè poſſis bene iuuante & inuitante Chriſto, plures ac plures in vna Communione tibi donorum Cœleſtium cumulare theſauros, an contemnes diuitias tantæ bonitatis? Si verò non aliter comparentur quàm puritate animi, ſeu quam cauendo ne animus nimis implicetur rebus humanis, nonne iſta cautela eſt adhibenda? Nonne quantùm impediri nolles humanis rebus à Communione, tantùm cauere debes ne iis impediaris ab integra & plenè fructuoſa, quæ tantùm ſæpe continet boni præ alia, quantum qui communicat, recipit gratiæ, quà ſe priuat, qui non communicat? Vnde id mirum ſequitur, quòd ſi pro illa ſolum gratia, quæ communicanti datur, non dubites ſæpe accedere ad Communionem; neque te vlla res, nullum negotium inde auertat; cur non pro illa maiori gratia perinde laborabis? cur non auertes aut cauebis quidquid illam impediat? cur non illud Sapientis diligentius obſeruabis: *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat?* Eccleſ. 14.

Certè ad id inuitaris à Chriſto ſicut ad ipſam Communionem:

Digitized by Google

Cant. 5. *Comedite*, inquit, *amici & bibite: & inebriamini chariſſimi.* Vide differentiam moderati potus & inebriationis, ſicut iam ante videndam propoſuimus. Amici bibunt, & chariſſimi inebriantur. Sicut enim plus eſt eſſe chariſſimum, quàm amicum, ita longè plus eſt in Communione inebriari & repleri diuinis gratiis, quàm ſolùm bibere. Illi ſunt amici qui ſunt in ſtatu gratiæ, qui ſunt extra peccatum lethale; ſed tamen nondum ſuis purgati affectibus, ſicut chariſſimi. O quis nollet ſi poſſet ex his eſſe chariſſimis, quando hoc vnum eſſet ſic eſſe Chriſto proximum! Tu id anime non vis, quamdiu quid ita charum habes vt illud inordinatè diligas! Nihil tibi charius Chriſto ſit, & eris Chriſto chariſſimus. Caue tamen ne in alterutrum horum incidas extremorum, vel quo deſperes te vnquam ſatis perfectè cupiditates repreſſurum: vel quo præſumas te id acturum meliùs, ſi abſtinueris frequentiori Communionis vſu. Quod vtrumque quàm ſit periculoſum, vide in 4. parte, Dominica decima nona, vbi de nuptiis regiis, quæ vitandæ non ſunt, ne forſan ſine veſte nuptiali deprehendaris, ſed potius quærenda veſtis ne tales vitentur nuptiæ. Id eſt, Sacræ menſa non eſt deſerenda propter prauos affectus, ſed ipſi potius praui affectus ſunt deſerendi propter Sacram menſam. De his porrò prauis affectibus plura paſſim ex Indice. Non pauca etiam ex præcedenti vel ſequenti Hebdomada poſſent in hanc referri Dominicam, ac præcipuè videnda eſt Feria quarta de perſecutionibus Domini.

In 1. p. Sabbat. infra Hebd. 3. poſt Epiph.

FERIA SECVNDA.

DE SINGVLARIBVS VIRTVTVM EXEMPLIS, A CHRISTO DOMINO, QVONDAM DATIS; ET IN SANCTISSIMO SACRAMENTO EXHIBITIS.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

Altaria

Altaria tua, Domine virtutum; Rex meus, & Deus meus. Pſ. 83.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Ioan. 13.

VERITAS PRACTICA.

Ad Sacramentum vnde virtutes exeunt, reuertuntur; vt iterum fluant.

SENSVS EST, *Quod ſi virtutum quæ à ſanctiſſimo Sacramento profluunt, perennem & continuum velis haurire influxum, oportet quod ipſas virtutes in cultum & venerationem ipſius ſanctiſsimi Sacramenti refundas: ceſſabit alioquin & areſcet influxus.*

RATIO EST, *Quia ex fideli vel infideli vſu gratiarum dependet earum influxus & continuatio.*

Sed fidelis aut infidelis vſus virtutum ſeu gratiarum inde agnoſcetur ſi acceptas à Sacramento virtutes in ipſius cultum impenderis.

Ergo ad Sacramentum vnde virtutes exeunt reuertuntur, vt iterum fluant, aut niſi reuertantur, non iterum fluent.

I. PVNCTVM.

SANCTISSIMA Domini Ieſu vita, ſiue quam olim in terris geſſit, ſiue quam modò in altari viuit, prope ſimilis eſt veſti poderis quam habebat Sacerdos Moſaïcus in qua *totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.* Sic Dominus ſibi totum quo- Exodi 28. Sap. 18. dammodo terrarum orbem impoſuerat ſeu potius vniuerſos homines cuiuſcumque eſſent vacationis & ſtatus, quos generatim & particulatim ſuo viuendi modo inſtrueret & efformaret ad

Num. 27. omnem virtutum praxim. Hic nempe eſt de quo Moſes: ***Prouideat Dominus Deum ſpirituum omnis carnis, Hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere ne ſit populus Domini ſicut oues abſque paſtore.***

Iam quidem ſuprà de Euangelica eius Doctrina ſummatim dictum eſt: ſed hic diſtinctius de ſingulis eius virtutibus aut ſingularibus actionum exemplis Cōſideratio proponitur, vt quid cuique ſit in particulari proprium & ſingulare dum quiſque viderit, ſuos in vſus depromat, quaſi à Chriſto Domino illud audiret, *Hoc fac, & viues. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Luc. 10. Ioan. 12. & 13.

Contemplare itaque quàm vera, quàm luculenta, quàm perfecta eſſent virtutum exempla omnium, quæ dum viueret Chriſtus, edidit. Qualis paupertas, patientia, manſuetudo, humilitas, obedientia, ſolitudo, charitas, deuotio, benignitas & temperantia; qualis denique tota eius vita qui ſuis inimicis quantumcumque inuidis & maleuolis facultatem ſui arguendi dedit; *Quis ex vobis arguet me de peccato? VERE hic homo iuſtus erat.*

Ioan. 8. Luc. 23.

Deinde verò, etiam atque etiam conſidera quàm miro illas ipſas virtutes modo nunc exhibet in ſalutari Hoſtia! qualis humilitas, manſuetudo, paupertas, beneficentia! Qualis deuotio ſeu religio quâ ſuum colit Patrem, dum ſe illi in perpetuum offert ſacrificium! qualis patientia & Charitas ſic ſe communicando palàm vniuerſis & quibuſcumque ad ſe accedentibus! qualis obedientia & regularis quædam diſciplina dum certis quibuſdam regulis & legibus quas ipſe conſtituit ita vult ſe alligatum & conſtrictum, vt nunquam ſecum diſpenſet! Nunquam niſi ſtatuta in materia conſecretur & forma; nunquam inde abſit, nunquam ibi deſit, nunquam aliud in ſeipſo ſtatuat quam prout illæ ferunt leges! O vere *virtutum Dominum*! ô vere *Chriſtum heri & hodie, & ipſum in ſæcula*, ſui ſemper ſimilem, ſemper eundem, ſemper iuſtum & ſanctum!

Hebr. 13.

Etuero, quod hic præcipue perpendendum; tanta eſt harum virtutum Communicatio inter Chriſtum & animam, vt quod dixit Eccleſiaſtes de fluuiis: *Ad locum vnde exeunt, reuertuntur, vt iterum fluant*, hoc vere dici poſſit, de virtutibus, quæ à Sacramento profluunt: *Ad illud ipſum vnde virtutes exeunt, refunduntur à* Fideli anima, vt iterum inde ad ipſam fluant animam; ſitque

Eccl. 1.

Digitized by Google

velut perennis & continuus inter ipſos virtutum influxus, & quotidiana reciprocatio: aut certe ſi deſit anima quas haurit virtutes refundere in ipſum fontem, fons exareſcat.

Ratio eſt vulgaris in hoc communi fundata dicto: *Quod cum bono bonus eſt Dominus, cum ſancto Sanctus, cum innocente innocens, cum electo electus, & cum peruerſo etiam peruertetur*; Id eſt prout ſe fidelem aut infidelem quiſque oſtenderit in vſu gratiarum & virtutum infuſarum actibus, talem ſe omnino præbebit Dominus in illis ipſis quotidie vel augendis vel minuendis. Hoc eſt ſcilicet peruerti Dominum quando contra morem ſibi proprium qui totus in conferendis gratiis eſt poſitus, inuertitur quodammodo, vel denegando gratias, vel infligendo pœnas: Quod in Leuitico pridem denuntiatum fuerat: *Si ambulaueritis contra me, & ego incedam aduerſus vos furore contrario.* Et Chriſtus Dominus in Euangelio: *Omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. ECCE venio cito, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Sed nunquam tutius tenetur quod habetur, quàm quando bene impenditur. Quotidiano vſu terrena deficiunt; at ſpiritualia & Diuina magis eo proficiunt.

Pſ. 17. *Leuit. 26.* *Luc. 19.* *Ibid 8.* *Matth. 13.* *& 25.* *Marci. 4.* *Apoc. 3.*

II. PVNCTVM.

S*ED fidelis aut infidelis vſus gratiarum & virtutum acceptarum ex ſanctiſſimo Sacramento inde agnoſcitur, prout illas ipſas virtutes in cultum & venerationem eiuſdem Sacramenti rependetur.*

Nam cum fidelitas maxime in opportunitate agendi dignoſcatur, ſitque vel maxime opportuna virtutum omnium aut certe plurimarum nobilium praxis in præſentia ſanctiſſimi Sacramenti: profecto ſicut ſe fidelem oſtendet qui opportunitate vſus, illas virtutes exercebit, ſic infidelis & peruerſus iudicabitur qui hac neglecta bene agendi occaſione, virtutis exercitium negliget, aut aliò transferet. *Hypocritæ! faciem cœli & terræ noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? quid autem & à vobis ipſis non iudicatis, quod iuſtum eſt.* Id eſt, Quare à vobis ipſis non diſcitis tempus exercendi virtutes; vel quare ſuo tempore non eas exercetes, cum alia omnia tempore opportuno faciatis? *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & Ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini!*

Luc. 12. *Ier. 8.*

Digitized by Google

Quàm verò ſit opportuna & facilis plurimarum virtutum occaſio, vel dum communicas, vel dum Miſſam audis, vel dum quocumque ſis in Eccleſia tempore coram ſanctiſſimo Sacramento, quis non videt? Primò enim obiectum circa quod exerceri poſſunt eſt valde dignum. Deinde præſens eſt gratia, paratus quodammodo animus, corpus ipſum diſpoſitum, & totum ad venerationem Chriſti compoſitum. Tertiò illæ ipſæ virtutes quæ à nobis exerceantur patent in exemplari ſuo, præit nobis Chriſtus in illis obeundis. *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi monſtratur*; Humilia te ſicut ſe humiliat: religioſum exhibe Deo cultum & ſacrificium, ſicut ipſe Patri exhibet; patere ſi quid eſt patiendum ſicut ipſe tuos patitur defectus. Charitatem in ipſum exerce & proximum, ſicut ipſe in te exercet. Sic in aliis perge virtutibus, quæ ſicut à Chriſto profluunt, ita in ipſum refundi poſſunt. *Exod. 25.*

Quarto denique ſi nullum eſt magis opportunum virtutis exercendæ tempus quam cùm alioquin vitij oppoſiti periculum imminet; Nonne tùm multa & grauia committi poſſent vitia, niſi contrà per virtutem inuigilares? Nonne tepiditas? nonne languor animi? nonne irreligio, nonne curioſitas? nonne ſexcenta ſimilia quæ in templis peccantur, tibi vides imminere, niſi proſpicias? *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis*! At quomodo auferes iſta auferenda niſi virtute, niſi pietate, niſi humilitate, niſi patientia, niſi omni ea contentione animi quæ neceſſaria eſt ad puritatem mentis qua coli debet Deus? *Ponite corda veſtra in virtute eius.* *Ioan. 2.* *Pſ. 47.*

III. PVNCTVM.

AD Sacramentum igitur vnde virtutes exeunt, reuertuntur, vt iterum fluant. Neque enim dubitari poteſt de fidelitate Domini quin menſuram reddat *confertam & coagitatam & ſupereffluentem*, vt ipſe loquitur; ſed timeri etiam debet de noſtra infidelitate & ingratitudine quod ſcripſit ſanctus Bernardus: *Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Tum vero maxime appareret ingratitudo & infidelitas ſi virtutes infuſæ non refunderentur in *Luc. 6.* *Serm. 51. in Cant.*

Digitized by Google

fontem ſuum quia tùm maximè commoda virtutis exercendæ occurrit occaſio, quæ fidelitatis & gratitudinis probatio iure merito dicitur. *Duc eos ad aquas, & ibi probabo eos. DATIO Dei* Iud. 7. *permanet iuſtis:* ait Sapiens, *& profectus illius ſucceſſus habebit in* Eccleſ. 11. *æternum.*

Atque ex his intelliges quod dicebat Dominus: *qui non colligit* Luc. 11. *mecum, diſpergit;* qui videlicet non colligit cum Chriſto quas ipſe virtutes communicat, ipſas diſpergit, diſſipat, perdit, & in vitia ſe oppoſita projicit; quod certe ſatis diligenter caueri non poteſt. Quamobrem quando etiam nulla noſtri ratio haberetur, certum atque indubitatum eſt quod virtutis practicæ quæ à Sacramento profluit prima praxis debetur ipſi ſanctiſſimo Sacramento; quia prima eſt virtutis exercendæ & gratitudinis exhibendæ commoditas, quæ ſi differtur aliò, dilatione perit. *Ne dicas amico, vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.* Prou. 3.

FERIA TERTIA.

DE BENEFICIIS QVÆ OLIM MVNDO CHRISTVS DOMINVS: ET QVAE MODO CONFERT IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Omnes male habentes curauit, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit. Matth. 8. Iſ. 53.

Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo. Act. 10.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Si quando pretioſa quæque pro cibo corporis danda ſunt; ſemper pro cibo animæ ſunt donanda.

RATIO EST, Quia idcirco pretioſa quæque pro cibo corporis aliquando danda ſunt, quòd vita corporis quæ ſine illo cibo periret, ſit pretioſior illis pretioſis quæ dantur.

Sed animæ vita quæ periret etiam ſine Sacro cibo, eſt pretioſior illis pretioſis dandis pro ea.

Ergo ſi quando pretioſa quæque pro cibo corporis danda ſunt: ſemper pro cibo animæ ſunt donanda. Quod tamen vix vnquam facis.

ALIA VERITAS INDE SEQVENS.

Ne forte fingas te nihil habere pretioſum quod Chriſto dones, da quod eſt in te vilius, & Chriſto dabis quod eſt ipſi pretioſius.

RATIO EST, Quia nihil eſt in te vilius quàm concupiſcentia quæ eſt radix malorum omnium.

Sed Chriſto nihil eſt pretioſius quàm donum ipſius concupiſcentiæ, quo illam potes modo dare.

Ergo ſi Chriſto dederis quod eſt in te vilius, dabis illi quod reputat pretioſius; ac proinde iam nihil eſt quod excuſes, niſi hoc dederis; multa vero ſunt quæ te alioquin accuſant.

I. PVNCTVM.

QVOT quantiſque beneficiis corporalibus & ſpiritualibus vniuerſos Chriſtus obſtringeret qui ad ſe ventitabant, ſatis patet ex Euangelio, & ſic breuiter ſanctus Auguſtinus perſtringit; *Pertulit omnes infirmos eorum, Curauit omnes langui-* *In Pſ. 63.*

Digitized by Google

dos eorum; prædicauit regnum cælorum, non tacuit vitia eorum vt ipſa potius eis diſplicerent, non medicus à quo ſanabantur.

Quàm vero paribus animi bonis, præter iam dicta de virtutibus, nos omnes Dominus in ſuo ſanctiſſimo Sacramento proſequatur & cumulet, ſic paucis ſanctus Bernardus: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modò acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod peſſimum vlcus accedat ad ſanitatem.* Sic alij paſſim ſancti Patres, ex quibus ſanctus Ioannes Chryſoſtomus ait omnia dicenda comprehendi voce *Benedictionis* qua diuus Paulus vtitur vocando *Calicem benedictionis*, & voce *Euchariſtiæ*, Quæ iam communis eſt Sacramenti nuncupatio, *Cùm* inquit *Benedictionem dico, Euchariſtiam dico; Et dicendo Euchariſtiam, omnem benignitatis theſaurum aperio.* *Serm. de Cœna Domini.* *1. Cor. 10.*

Non eſt autem ea vis ſolùm huius vocis Euchariſtiæ, vt ſignificet bonam & copioſam gratiam quæ in hoc Sacramento recipitur, ſed & gratiarum actionem quæ per illud Sacramentum pro beneficiis aliis redditur, vel quę reddenda eſt à nobis pro tam ſingulari dono quod alia propè innumera comprehendit. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Certe id meritò eſſet inquirendum, nihilque adeo pretioſum in te eſſe debet quod non libenter impendas ſiue in agnitionem tanti accepti beneficij, ſiue ad neceſſarium vſum tanti Sacramenti. *Pſ. 115.*

Hinc orta duplex Veritas quæ modo attentiùs expendatur; Prima eſt *quòd ſi quando pretioſa quæque pro cibo corporis danda ſunt, ſemper pro cibo animæ omnia ſunt donanda.* Quid eſt enim quod pro cibo corporis pretioſa quæque danda ſunt niſi quia pretioſis illis pretioſior eſt vita corporis quæ ſine cibo periret? Sic expreſsè Ieremias ſuis in Lamentationibus; *Omnis populus gemens & quærens panem, dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* Sic Ægyptij & Cananęi dùm illa ſeptēnī famē quā Ioſephus prędixerat vrgerentur, ſua quæque pretioſa pro cibo tradunt; Primò quidem pecuniam, deinde pecora, tum terram omnem ac ſeipſos in ſeruitutem, vt quod ſupereſt pretioſius, nempe vita, reſtare poſſit. *Non eſt enim cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis*, in- *Thren. 2.* *Gen. 47.* *Eccl. ſi. 38.*

Digitized by Google

quit Sapiens. Nonne ſic vitam præfers cæteris omnibus? Nonne & interdum ipſi ſaluti animæ?

II. PVNCTVM.

SED animæ vita quæ periret etiam ſine ſacro cibo, pretioſior eſt illis omnibus pretioſis quæ danda ſunt pro illo cibo.

Tria complectitur hæc propoſitio. Primum eſt quod ſanctiſſimum Sacramentum ſit cibus animæ ſeu vitæ ſpiritualis nutritio & conſeruatio. Secundum quod iſte cibus ſit tali vitæ neceſſarius. Tertium denique quod hæc ſpiritualis vita ſit pretioſior cunctis dandis pretioſis.

Ioan. 6. De primo nulla eſt difficultas, dicente Domino: *Caro mea verè eſt Cibus.*

De ſecundo, nullus etiam dubitet quo ſaltem ſenſu dicitur neceſſarium eſſe hoc Sacramentum ad ſalutem ex neceſſitate Ibid. præcepti: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis non habebitis vitam in vobis.* Sed præterea dici poteſt cibus neceſſarius ad vitam ſpiritualem ſuſtentandam, quatenus ſine tali cibo vita deficeret Seſſ. 13. c. 2. & tandem periret, vt diſerte ſanctus Cyprianus, *Mens deficit quem recepta Euchariſtia non erigit & accendit*; Sicque vniuerſim Concilium Tridentinum, poſtquam dixit *voluiſſe Dominum ſumi hoc Sacramentum tanquam ſpiritualem animarum cibum*, addit, *quo alantur & conſortentur viuentes vita illius qui dixit: qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Tum vero, quod eſt etiam expreſſius ſubdit: Cap. 8. *& tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur.* Quod & poſtea repetens & confirmans, inde ad frequentiam Sacramenti fideles omnes adhortatur; *Panem*, inquit, *Illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is verè eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cæleſtem patriam peruenire valeant.*

De tertio denique, quod hæc vita ſpiritualis & æterna ſit pretioſior cunctis dandis pretioſis, quis ambigat, cùm modicus gratiæ gradus ſit omni omnium hominum vita pretioſior? Certe de Sapientia quæ pars eſt ſeu participatio quædam huius Prou. 3. vitæ ſpiritualis ſic apertè Scriptura: *Pretioſior eſt cunctis opibus, &* Ibid. 8. *omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Et rurſum: *Melior*

Digitized by Google

lior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis: Et omne deſiderabile ei non poteſt comparari: Quo ſenſu affirmabat Apoſtolus: *Non facio animam meam pretioſiorem quam me.* Id eſt, vitam præſentem & quidquid ad vitam ſpectat, quidquid ad corporis & animæ dotes pertineat, quæcumque ſit ſcientia, ſapientia, peritia, & quidquid tale eſt apud homines in magno pretio, ego non ſic pretioſum duco quin me, hoc eſt ſalutem meam, vitam meam ſpiritualem & æternam longè ducam pretioſiorem. Itane ſentis? Itane loqueris? *Act. 20.*

III. PVNCTVM.

SI *quando igitur pretioſa quæque pro cibo corporis danda ſunt, ſemper pro cibo animæ ſunt donanda:* Quia ſi non dantur pretioſa pro cibo corporis niſi quòd cibus eſt neceſſarius vitæ, & vita eſt magis præſtans & neceſſaria quam illa pretioſa danda; Nonne hic etiam ſacer Cibus eſt neceſſarius animæ? Et nonne animæ vita magis eſt præſtans & neceſſaria quàm quidquid pro illa dederis? *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* *Math. 16.*

Dices forte, ſacrum cibum, non ſemper eſſe neceſſarium quoties ſumitur, ac proinde non ſemper danda pro illo pretioſa quæque ſicut darentur pro cibo neceſſario vitæ corporalis. Reſponderi primò poſſet, ſæpe eſſe neceſſarium quando non putatur: deinde verò, quando dicitur ſemper danda pretioſa pro cibo ſacro, non intelligitur quidem cibus ille ſemper eſſe neceſſarius quoties ſumitur; ſed tamen ſuppoſito quod ſumatur, verè dicitur, tùm ſemper donanda pretioſa, quia niſi dentur non ſumetur fructuosè, non æque ſaltem vtiliter ac ſi data fuiſſent; peribit inde aliquid de gratia & de vita ſpirituali quod eſt pretioſius eò quouis pretioſo quod dare debuiſſes. Quid eſt enim illud pretioſum quod eſſet dandum? Non pecunia, non terrenæ bona, non vita corporis; ſed affectus quidam inordinati, vt iam ſupra dictum eſt, & dicetur inferius. At quanti ſunt illi affectus pretij, ſi comparentur cum Gratia quæ propterea perit quod non dentur illi affectus?

Sed eſto illud quod vis, demus vltrò quod vrges; Concedamus non eſſe neceſſario danda pretioſa quæque pro cibo animæ niſi quando cibus ille eſt neceſſarius, & quando aliter rite ſumi non poteſt niſi datis illis pretioſis: Putaſne verò te in illa neceſ-

Digitized by Google

ſitate daturum ea quæ debes, niſi ſemper ea dones? Putaſne te in Paſchali Communione quæ eſt ex præcepto neceſſaria, tuis te affectibus quantum decet, exuendum, niſi aſſueueris illos deponere, quoties communicas? Non ſic, non ſic inueterata deponuntur quando nimis inueteraſcunt. *Quod ſemel volueris rectè facere, ſæpe tentandum eſt, vt ſemel aliquando rectè facias.* Quod putas tibi aliquando præſtandum vt fructuoſe communices, ſemper illud præſta quoties communicas; vix alioquin poteris, quando voles, niſi ſemper velis quando potes. *Ideo inter vos*, ait Apoſtolus, *multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Id eſt deficiunt in dies, defectu probatæ communionis. *Conemur quantum poſſumus, adhuc leuiter deficiemus in multis.* Et certe mirum eſt nos eſſe tam parcos & tenaces vbi Chriſtus tam largus & profuſus eſt! Mirum nos negare Chriſto quod à nobis petit, cum ipſe ſua quæque ſemper pretioſa donet, & quæ à nobis petit viliora in ſe ſint, & in nobis deteriora: neque fiant vnquam pretioſa niſi quando ei dantur!

1. Cor. 11.

l. 1. de Imit. Chr. c. 19.

HÆC eſt altera Veritas quæ ſic facile demonſtratur. Nihil eſt in ſe aut in nobis vilius & deterius quam praua illa Cupiditas quæ ab Apoſtolo *radix omnium malorum* dicitur; & quam Petrus Reuennas ſic deſcribit; *Tranſgreſſionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, fouea ſcandalorum.* Atqui hoc eſt, quod à nobis magis petit, hoc eſt quod pretioſius donũ ducit, hoc eſt quod remunerat copioſius, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*; Id eſt, vt alibi explicatur, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tuã auertere*; Nihil eſt enim aliud concupiſcentia, quàm cordis, ſeu appetitus naturalis quĩ in corde reſidet, praua inclinatio: & nihil eſt aliud cor ſuum præbere Deo, quam talem coercere inclinationem propter Deum: *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui.*

1. Tim. 6.

Prou 23.

Eccleſi. 18.

Ibid. 5.

Nonne ergo quod vilius in te eſt, Chriſtus ſibi ducit pretioſius: cùm id vnum præcipuè à te petat? Et nonne impium eſt, & barbarum, id illi denegare?

Spectata ſunt aliquando vel audita quædam prodigia tenacitatis, ingratitudinis & auaritiæ; ſed nullum vnquam veſanius, nullum horribilius, quàm ſi cum praua cupiditate communices aut ad Sacram accedas menſam. Propone tibi Nabalem illum de quo eſt ſatis longus ſermo in primo Regum: Vel finge tibĩ

1. Reg. 25.

Digitized by Google

duos homines quorum vnus alium ſibi omni beneficiorum genere deuinctum & obſtrictum habeat, ac tum forte hoſpitij cauſa in huius ædes diuertat; ædes ſint ſatis laxæ, ſatis patentes, ſatis commodæ & honeſtæ; nihilque ibi deſit quod à quouis iure deſiderari poſſit ad hoſpitalitatis gratiam. At vero Debitor qui & ſimul eſt hoſpes, Creditorem ſeu Benefactorem ſuum eximium nolit apud ſe recipere; aut ſi admittit, intrudat in vile aliquod tuguriolum nec aliis menſam inſtruat cibis quàm vilioribus, & ijs quidem paucis & parcis admodum: Rogetur ab illo ſuo Benefactore & Largitore quondam munifico, nunc vt vicem rependat, nunc vt concedat & largiatur aliquid de ſuperfluis, inutilibus, & perituris quos habet cibis, & quos duplo compenſabit. Recuſet verò conſtanter hoſpes neque alia de cauſa recuſet niſi quod nimis afficitur rebus illis ſuis; non ſatis fidit homini, mauult ſua ſibi perire quam illi deſeruire. Quid cenſeres de illo homine? Num tibi parcus ille & tenax & ſordidus videretur?

Talis autem tu ipſe es ſi cum praua cupiditate communicas. Recipis domi tuæ Benefactorem tuum munificentiſſimum, qui vt prædixit Propheta, *Quaſi colonus futurus eſt in terra, & quaſi viator declinans ad manendum:* Cui cum poſſes ſtratum & omnia ſatis magnificè ſi velles exhibere, negas illi hanc hoſpitalitatis gratiam: cumque ab illo rogeris vt ipſi ſaltem concedas quod habes domi tuæ vilius & deterius, hoc etiam peruicaciter negas: neque ob aliud recuſas quàm quod, licet reuera ſit vilius, tamen illud inordinate diligas. O prauitatem cordis humani, quæ nos ſic tenaces facit & ſordidos! Quàm verè dictum eſt à Moyſe: *Peccauerunt ei in ſordibus! Generatio praua atque peruerſa! Haccine reddis Domino?* Hæccine redderes homini? Aut ſi hæc ita redderes, nonne apud quoſquis etiam barbaros & agreſtes, habereris inhumanus, ingratus, ſordidus? Cur non ita porrò cenſearis, ſi circa Chriſtum te ita geras? An quia res non ita ſentitur? non ita Chriſtus cernitur? non ita res ſalutis æſtimantur? Sed vbi fides tua? vbi religio? An fortè non ſatis amplè de te Chriſtus eſt meritus? An forte quod à te petit, eſt nimium & pluſquam debeas aut poſſis dare? An quod re illa indigeas quam à te exigit? Vtere ſane & ſerua eam tibi. Tua non quærit, ſed teipſum. Non eges affectu rei inordinato, ſed potius *nociua illa ſunt & inutilia deſideria quæ mergunt homines in interitum & perditionem:* atque idcirco

Ier. 14.

Deut. 32.

1. Tim. 6.

tantùm ne iſs demergaris & pereas, hæc à te petit. Neque verò ita gratis petit vt non rependat cumulatè quod dederis: licet iam te ſuis præuenerit beneficiis, tamen ita etiam donum tuum proſequetur, vt tanquam nouum ſibi collatum beneficium noua remuneret gratia. Idcirco diſplicet illi cor impurum, quia cùm minus vacuum eſt creaturis, minus eſt capax gratiis & beneficiis recipiendis. O Ieſu munificentiſſime, tuis hoc adde munus muneribus, vt quod à me velis Tu Ipſe ſumas, nec quantumuis ſim liber, liberè poſſim denegare quod petis. Fili, hoc ipſum mihi negas quod peto, ſic enim tibi eſt liberum mihi denegare, quod quæritur, vt ſimul etiam tibi ſit liberum cum mea gratia mihi concedere, neque eſt aliud quod magis à te peto, quàm quod ſic liberè potes cum mea gratia.

FERIA QVARTA.

DE PERSECVTIONIBVS DOMINI, DVM VIVERET, QVAS ITERVM SVFFERT IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Ecce poſitus eſt hic in ſignum cui contradicetur. Luc 2.
Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Pſ. 22.

VERITAS PRACTICA.

Sicut tolerandis iniuriis menſa nobis parata eſt: ſic toleratæ Iniuriæ nos parant ad illam menſam.

RATIO quoad poſtremam partem, quæ ſola poteſt habere difficultatem, hæc eſt inter alias, quod tunc cum gratia vel ma-

Digitized by Google

ximè paramur ad Sacram menſam, quando humanis affectibus purgati ſumus.
Sed toleratæ iniuriæ nos purgant humanis affectibus.
Ergo nos parant ad illam menſam, cui fructuoſius frequentandæ, magis ac magis ſemper parandi ſumus.

I. PVNCTVM.

DE his tantum perſecutionibus hic agitur quas Chriſtus ſuſtulit ante mortem & paſſionem ſuam, dum inter Iudæos verſaretur. Triplex autem hominum genus poteſt conſiderari moleſtum illi & graue olim fuiſſe. Primum eorum qui aperte palàm eius doctrinæ & miraculis contradiciebant, vt Pharizæi, Scribæ & alij. Secundum, qui non quidem apertè contradicebant ſed tamen non credebant. Tertium denique qui credebant quidem ſed imperfectè admodum, & fidei ſuos mores non conformabant. *O generatio incredula,* inquiebat, *quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar?* Marci. 9.

Sic plane modo à triplici hominum genere in ſanctiſſimo Sacramento diuexatur; Sunt enim hæretici qui apertè contradicunt, & blaſphemant contra Veritatem Catholicam. Sunt indifferentes & dubij qui vix credunt aut vix profitentur quod credunt. Sunt alij denique qui frequentant quidem Sacramentum ſed parùm inde proficiunt, quod pluris Mundum faciant. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Ioan. 12. Nonne tu ex illis es? Certe ſi times ignominiam aut alias perſecutiones *quas qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu patiuntur*, verendum tibi 2. Tim. 3. eſt ne ex illis ſis qui vel Sacramentum non frequentant crebrius vel ex frequentatione non referunt quem poſſent fructum. Ad hoc enim potiſſimum vis & virtus Sacramenti confertur, vt roboretur animus contra quoſlibet pietatis hoſtes & ſpiritualis profectus aduerſarios. Vnde illud eſt Pſalmi notiſſimum; *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me*, Pſ. 22. Nec minus olim vulgare ac vſitatum vt qui ſe pararent ad Martyrium, Sacra ſe communione munirent vt fortiores in agone perſiſterent. *Quos tutos contra aduerſarium volumus*, inquit ſanctus Cyprianus, *munimento dominicæ ſaturitatis armamus.* Epiſt. 54. Neque minus verum eſt de

Digitized by Google

Pſ. 101. cœleſti pane quam de terreſtri, quod ait Dauid: *Percuſſus ſum vt fœnum & aruit cor meum quia oblitus ſum comedere panem meum.*

Quamobrem ſi frequentas Sacramentum, quid times ab hominibus, tali confortatus præſidio? aut ſi forte nimis opprimeris, accede frequentius vt magis roboreris; nam & iſta oppreſſio quam pateris, paratiorem te reddet & magis idoneum ad Sacramenti ſuſceptionem. *Sicut enim tolerandis iniuriis menſa nobis parata eſt, vt vidiſti: Sic toleratæ iniuriæ nos parant ad illam menſam.* Quod quia minus forte eſt euidens, idcirco paulo fuſius eſt declarandum: Sic autem apertè declaratur.

Quantò magis purgamur terrenis & humanis affectibus, tantò paratiores ſeu aptiores cum diuina gratia reddimur ad participandam diuinam menſam, cuius figuræ tam veteris quam noui Teſtamenti nihil manifeſtius adumbrabant quàm plenam & perfectam hanc animi purgationem. Exodi. 16. Cœleſte Manna non decidet niſi deficiente farina Ægyptiaca. 1. Reg. 21. Panes propoſitionis non niſi mundis & puris concedebantur. 3. Reg. 19. Panis ſubcinericius non eſt allatus ab angelo niſi Prophetæ omni humana ope deſtituto. Math. 14. Non ſunt multiplicati panes niſi his qui ſua omnia deſeruerant: Luc. 14. Neque ad cœnam magnam vocantur niſi qui ſe ſuis expedirent impedimentis; Math. 22. Nec denique nuptiali conuiuio potuit intereſſe niſi qui veſte nuptiali eſſet indutus. Quæ omnia quid aliud innuebant quam quod apertè clamat Apoſtolus: 1. Cor. 5. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azimi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Nonne id æquum iudicas?

II. PVNCTVM.

SED *toleratæ iniuriæ nos valde purgant humanis affectibus.*

Primò quidem quod nos humilient, & quod humiliatione patienter tolerata ſic animus cæteris exuitur & purgatur affectibus, *ſicut aurum in fornace*, vnde eſt illud Eccleſiaſtici: Eccli. 2. *In humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis.*

Deinde vero purgant, quod ex illatis iniuriis amareſcat mun-

Digitized by Google

dus, atque ipſo ſenſu percipiatur quod dixit Eccleſiaſtes: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus:* Vnde fit illa purgatio animi de qua idem ſapiens in Prouerbiis: *Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus:* Id eſt, ex illa cordis amaritudine gaudium & cæteræ paſſiones ſi fortè moueantur, non miſcebuntur extraneis & mundanis rebus, puræ fient & defæcatæ. Eccl. 1. Pr. 14.

Denique, ſic diuino fit munere, vt qui patientiam ſuam probat in illatis iniuriis, Deus illi ſuam probet Fidelitatem, qua promiſit iis qui ſe in hoc pugnandi & patiendi genere vincerent, victores eſſent ſeu inuicti & inſuperabiles in aliis animi pugnis & certaminibus. *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis. QVONIAM ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis. QVI vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Nonne velles his promiſſis frui? At vide quibus fiant? pugnantibus, vincentibus, laureatis. Apoc. 3.

III. PVNCTVM.

S*ICVT ergo tolerandis iniuriis menſa nobis parata eſt, ſic toleratæ iniuriæ nos parant ad illam menſam,* Quia nos noſtris humanis purgant affectibus, quæ cordis purgatio & animi puritas quò eſt major, eò eſt præparatio certior & aptior ad percipiendas abundantiores ſacræ menſæ delicias. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in Paradyſo Dei mei.* Itemque paulo poſt: *Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, ſed diues es & blaſphemaris ab his qui ſe dicunt Iudæos eſſe & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ: nihil horum timeas quæ paſſurus es. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Qui vicerit cum lædetur à morte ſecunda.* Ibidem ſic alteri dicitur: *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum quod nemo ſcit niſi qui accipit*; Quaſi diceret, fauebo illi præ cæteris; ſicut qui in ferendo ſuffragio fauere volunt, deſignant ſuum fauorem calculo ſeu lapillo candido, & erit inquit, fauor tam ſuauis, tam conſtans & tam ſublimis vt ille cui fauero, nomen Beati & Fœlicis obtineat. Apoc. 2.

Sic probatum eſt alibi ex ſancto Auguſtino, inimicos noſtros

Digitized by Google

In 1. parte in Feſto SS. Innocentiũ. ſæpe nobis plus *prodeſſe odio, quam profuiſſent obſequio:* quando videlicet odium & iniurias patienter toleramus, & ex illis toleratis iniuriis plus nobis accedit diuinæ gratiæ. *Vos cogitaſtis de me* *Gen. 50.* *malum,* aiebat Ioſeph fratribus ſuis, *ſed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me.* Itane ſentis? Itane credis? Vndenam ergo tot murmura, tot quærimoniæ?

Patientes igitur eſtote fratres vſque in aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat *Iac. 5.* *temporaneum & ſerotinum: Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam ecce aduentus Domini appropinquauit. Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, vt non iudicemini:* Id eſt, videte ne calumniis & iniuriis preſſi murmuretis, & iudicemini pœna potiùs digni quàm præmio.

FERIA QVINTA.

DE CHRISTI DOMINI PASSIONE, MORTE, ET SEPVLTVRA, IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum; ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tundente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Iſ. 53.

VERITAS PRACTICA.

Quotidie Morior 1. *Cor.* 15.

Satius eſſet nullo die velle viuere, quàm non omni die, velle cum Chriſto mori.

RATIO

RATIO EST, *Quia ſatius eſſet nullo die velle viuere quàm velle viuere ſecundum carnem.*

Sed non omni die velle cum Chriſto mori, eſt velle viuere ſecundum carnem.

Ergo ſatius eſſet nullo die velle viuere, quam non omni die velle cum Chriſto mori; ſicque attente proſpiciendum vt cum Chriſto & Apoſtolo poßis dicere: Quotidie morior.

I. PVNCTVM.

HOC *facite in meam commemorationem*: Dicebat Chriſtus Dominus inſtituens hoc adorandum Sacramentum; refertque diuus Apoſtolus, & ſic declarat: *Quotieſcumque manducabitis Panem hunc & Calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*; Id eſt, memorabitis & repræſentabitis mortem eius ſicut repræſētari vult donec veniat ad iudicium. Sic diuus Thomas de Chriſto Domino: *Hoc Sacramentum inſtituit tanquam paßionis ſuæ memoriale perenne.* Nomine autem paſſionis mors & ſepultura comprehenduntur, & in Sacramento tria hæc ſimul repræſentantur, quatenus ipſe eſt Chriſtus, qui vt ait S. Gregorius, *Licet reſurgens à mortuis iam non moritur & mors ei vltra non dominabitur, tamen in ſemetipſo immortaliter atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur.* Ipſe eſt qui peracti olim in cruce cruenti ſacrificij memoriam incruento modo renouat, ac meritum vnicuique particulatim applicat. Ipſe eſt qui dum pateretur humanitate, manebat ſemper impaſſibilis diuinitate, ſic in Sacramento dum ſpecies panis franguntur, illæſus permanet. Ipſe eſt qui dum efflauit animam, deſiit homo eſſe, & mortuus eſt; ſic dum in Communione recipitur, & conſumptis in ſtomacho ſpeciebus deſinit eſſe Sacramentaliter vbi ante erat, dici poteſt quodammodo mortuus, quatenus ea vita priuatus eſt quam habebat. Dum Caro etiam & ſanguis ſeparatim conſecrantur & offeruntur, mors & paſſio quæ in effuſione ſanguinis potiſſimùm tranſacta fuit, manifeſtiùs exhibentur. Quid denique aptius cum ſepultura quam ipſa Hoſtia vbi contegitur Chriſtus; vel Tabernaculum vbi reconditur: vel pectus

Luc. 22.
1. Cor. 11.
3. Opuſc.
4. Dial. c. 58.

Digitized by Google

tuum vbi recipitur? *O Sacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis eius, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur!*

Ergo-ne putandum eſt toties ac toties pro me Chriſtum mori! Quis mihi det vt pro te Chriſte ſic moriar? Certe hoc conandum cum eius gratia, In id ſtrenuè laborandum vt poſſis quotidie ſacrum audiendo vel faciendo dicere: *Quotidie morior.* NECESSE *eſt,* inquit ſanctus Gregorius, *vt cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui paſſionis dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis Hoſtia erit Deo, cum noſmetipſos Hoſtiam fecerimus;* Quæ ſui mactandi neceſſitas vt melius exprimeretur, ſic eſt propoſita veritas: *Expediret ſeu ſatius eſſet potius nullo die velle viuere, quam non omni die velle cum Chriſto mori.*

4. Dial. 59.

Ratio quæ affertur conſtat vno aut altero verbo, ſi bene intelligantur, nempe quid ſit *ſecundum carnem viuere.* Quidquid enim ſit tam capitale eſt & timendum ex Apoſtolo, vt qui hunc audierit minime dubitet, expedire potius nullo die velle viuere quam velle viuere ſecundum carnem: ſic enim ille paſſim: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. QVI ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt: Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Ergo fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. IN carne ambulantes non ſecundum carnem militamus. QVID dicit Scriptura? Ejce ancillam & filium eius:* Id eſt carnalem appetitum. *SPIRITV ambulate & deſideria carnis non perficietis, caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.*

Rom. 7. Ibid. 8. 2. Cor. 10. Gal. 4. Gen. 21.

Vellesne vel vno die, vel vna hora non eſſe Chriſti? Vellesne mori quâ malâ & infœlici morte dicit Apoſtolus moriturum qui ſecundum carnem vixerit? Vnde manifeſte vides quàm vere potius expediret nullo die velle viuere quàm velle viuere ſecundum carnem. Quid eſt enim vita tua? at quid eſt illa mors horrenda quæ ſequitur vitam in carne tranſactam? *O mors quam amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!*

Eccleſi. 41.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

S*ED non omni die velle cum Chriſto mori, eſt velle ſecundum carnem viuere.* Hæc enim ſibi aduerſantur, vt dictum eſt de carne & ſpiritu. Nam cum Chriſto velle mori nihil aliud eſt quam velle ſpiritu viuere, quam velle mori omnibus carnis aut naturæ corruptæ motibus; quàm nolle, vno verbo, ſecundum carnem viuere. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Vnde à contrario manifeſtè patet quod qui nolit cum Chriſto mori, velit ſecundum carnem viuere. Non enim datur medium inter vitam & mortem: aut te oportet mortuum eſſe, aut viuere. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit illi dabitur illi.* Id eſt, alterutrum neceſſario ex his duobus eligendum, nec tertium quod ſit medium, in optione noſtra eſt. Vnde & alibi; *Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.* Sic Chriſtus Dominus duas tantum vias memorat, vnam ſpatioſam quæ ducit ad perditionem: & vnam arduam quæ ducit ad vitam. Non eſt hic tertia quædam via excogitanda. *Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata aut de anguſta via eſt*, inquit ſanctus Hieronymus. Sicut autem vnum & idem eſt eſſe in ſpatioſa via & viuere ſecundum carnem: ſic plane idem eſt in arcta eſſe via, & mori cum Chriſto: vnde ſicut qui non omni die vellet in arcta eſſe via, vellet eſſe in lata & ſpatioſa; ſic omnino qui non omni die velit cum Chriſto mori, velit ſecundum carnem viuere.

Rom. 13. 14. — *Eccleſ. 15.* — *Ier. 21.* — *Matth. 7.* — *Ep. 14. ad Celant.*

O voluntas humana & propria quàm de te verè ſanctus Bernardus: *Caueamus à propria voluntate, tanquam à vipera peſſima & nequiſſima, & quæ ſola deinceps damnare poſſit animas noſtras.*

Serm. de Dupl. Baptiſmo.

III. PVNCTVM.

S*IC ergo ſatius eſſet nullo die velle viuere, quàm non omni die velle cum Chriſto mori*, Quia quo die nolles cum Chriſto mori, velles ſecundum carnem viuere: At longe expediret nolle in mundo viuere, quàm viuere ſecundum carnem. *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* Quo in ſenſu ſapienter Sapiens laudauit magis mortuos quam viuentes.

Matth. 26. — *Eccl. 4.*

Digitized by Google

Cauenda hic vero ſunt duo quædam extrema: Vnum eorum qui putarent ſic cum Chriſto moriendum, nullus vt ſenſus carnis aut naturæ deprauatæ moueretur, nulla vt contradictio ſentiretur. Non eſt ita; non eſt iſta mors inſenſibilitas, non ſic ille qui *Chriſto confixus erat cruci*, & qui ſimul *videbat aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ*. Sed vt ille ipſe ait, *Nihil damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant*, id eſt qui non ſequuntur motus carnis quos ſentiunt.

Galat. 2. Rom 7. Ibid. 8.

Alterum vero eorum eſt qui nihil hic timendum putant niſi ſi mortali manifeſtè conſentiretur, quaſi hoc idem eſſet viuere ſecundum carnem quod peccare grauiter; Sed fallũtur, neque enim derepente fit quiſquam malus, ſed vt paſſim ait ſanctus Gregorius, *Per leuia delicta deflectimus, & vſu cuncta leuigante, nequaquam poſt committere grauiora timemus*; Quod maxime intelligendum de his qui nolunt mori cum Chriſto, id eſt qui ſuis affectibus ſunt ita implicati vt nolint eos deponere; Licet illi affectus non ſint primo mortales, tamen ſuſpecti ſunt, periculoſi ſunt, damnandi ſunt quando ſic adhærent animo, vt animus nolit eos deponere. Sic enim fit quod ait Sapiens; *Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit*. Et rurſum, *a ſcintilla vna augetur ignis*. Quamobrem ſicut nihil eſt aptius his continendis motibus quàm velle quotidie cum Chriſto mori, ſic nihil eſt procliuius illis laxandis & ſoluendis in lethale crimen, quàm nolle mori; Hoc eſt enim amare ipſam concupiſcentiam, hoc eſt fouere peccatum, hoc eſt amare periculum, hoc eſt viuere ſub ruina. *Nam qui amat periculum, in illo peribit.* Quod egregiè, ſanctus Auguſtinus & ad praxim appoſitè, in illud Apoſtoli, *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam*, &c. *QVOMODO*, inquit, *iſta mortificantur opere continentiæ, niſi cùm eis mente non conſentitur, neque exhibentur eis arma, corporis membra, ET QVOD EST VIGILANTIA MAIORE CONTINENTIAE CVRANDVM, ipſa etiam noſtra cogitatio, ſi eorum quadam ſuggeſtione & quaſi ſuſurratione tangatur, tamen ab eis ne oblectetur, auertitur*. Hæc eſt *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*. Hæc eſt *fortis vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio*. Nempe *quod mors agit in ſenſibus corporis*, inquit S. Gregorius, *hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sicut mors exteriores corporis ſenſus ab omni proprio & naturali appetitu interficit, ſic dilectio in talibus viris omnia terrena deſideria contemnere mentem*

Eccleſi. 9. Ibid. 11. Eccleſi. 3. l. de Contin. c. 13. Pſ. 115. Cant. 8.

Digitized by Google

aliàs intentam compellit. Huiuſmodi mortuis & viuis dicebat Apoſtolus: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Hi procul dubio vitam ſuam abſcondunt, qua dum omnia quæ videmus poſtponunt, in his quæ non videmus, in Beatitudine ſcilicet Chriſti, veraciter & ſecretè viuunt. Quia enim falſam vitam deſpiciunt quæ viſibiliter apparet, in vera vita ſe abſcondunt quot nonniſi inuiſibilibus oculis ſe manifeſtat. Nonne ſic velles cum Chriſto viuere? Cur non vis igitur ſic cum ipſo mori? Reſponde, aut certe pudeat reſpondere quia tu mauis ſecundum carnem viuere.

FERIA SEXTA.

DE CHRISTI DOMINI RESVRGENTIS, ASCENDENTIS IN COELVM, ET IBIDEM REGNANTIS VITA GLORIOSA, QVAE APPARET IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Videmus Ieſum propter Paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum. Hebr. 2.

Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Apoc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Gloriam Chriſti vertimus in ignominiam, ſi aliam à Chriſto quærimus gloriam.

RATIO EST, Quia ſi aliam à Chriſto ſeu à Chriſti gloria quærimus gloriam, ſignum eſt nos æſtimare aliquid glorioſius ipſa Chriſti gloriâ.

Digitized by Google

Atqui hoc eſt Chriſto ignominioſum, hoc eſt eius gloriam vertere in ignominiam.

Ergo gloriam Chriſti vertimus in ignominiam, ſi aliam à Chriſti gloria quærimus gloriam. Quòd quàm ſit impium ſatis patet.

I. PVNCTVM.

2. Reg. 6. Pſ. 23. QVAM glorioſus fuit hodie Rex Iſraël! *QVIS eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio;* Attollite *portas principes veſtras, &c. Dominus virtutum* Apoc. 1. *ipſe eſt Rex gloriæ. PRIMOGENITVS mortuorum & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, Ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, amen.*

His & ſimilibus Canticis poſtquam glorificaueris Chriſtum Dominum reſurgentem, aſcendentem in Cœlum, & ibidem regnantem in ſtatu glorioſo: admirare quàm mirabiliter hic eius vitæ glorioſæ ſtatus appareat in ſanctiſſimo Sacramento. Sic enim eius eſt incorruptibile & impaſſibile Corpus quale de ſepulchro reſurgens retulit, quale in cœlum intulit, & quale in dextera Patris conſeruat. Quod ſi dum eleuatus eſt in cœlum nubes ſuſcepit eum ab oculis diſcipulorum, nonne ſpecies Sacramentales inſtar nubis ſic Eum contegunt? Si nobis in cœlo Ioan. 14. Rom. 8. parat locum, vt ipſe aiebat; Si velut aduocatus interpellat pro nobis vt refert Apoſtolus; Si velut Rex & Dominus vniuerſam regit Eccleſiam vt fides docet: Nonne hoc ipſum præſens ipſe præſtat in ſanctiſſimo Sacramento? Vnde aptè S. Ambroſius; l. 5. de Sacr. c. 4. *Ergo tu audis, quod quotieſcumque offertur ſacrificium, mors Domini, Reſurrectio Domini, Eleuatio Domini ſignificetur.*

Quamobrem repete Cantica, reſume Pſalmos, & quidquid glorioſum in cœlis Chriſto decantatur, totum illud refunde in ſalutarem Hoſtiam, *Quæ cœli pandit Oſtium.*

Verùm nihil ita efficies ad gloriam Chriſti Domini in cœlo & in terra triumphantis, quàm ſi propter illum, humanam omnem reſpuas gloriam; aut ſi quam fortè quæris, non aliam ab ipſo quæras; Non aliam quam ipſe quærit: non aliud denique glorioſum quam quod ipſe reputat, putes & prædices: vt ſicut Ille in te gloriatur, ſic tu in eo ſolo glorieris; 2. Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glo-*

Digitized by Google

rietur. Alioquin, Audi, *quod quicumque audierint, tinniant ambæ aures eius: GLORIAM Chriſti conuertis in ignominiã ſi quam ab illo aliam tibi quæritas gloriam.* Sic enim indicas, ſic profiteris te glorioſius aliquid iudicare quàm ipſam Chriſti gloriam. Non enim aliam quæreres ſi tibi ſufficiens & ſatis digna videretur Chriſti gloria, cum maxime non ignores humanam gloriam cùm inordinatè appetitur ſic pugnare cum diuina & Chriſtiana ſicut ſuperbiam cum humilitate, ſicut virtutum cum vitio. *Væ animæ audaci quæ ſperauit ſe aliquid melius & glorioſius Chriſto inuenturam.* 1. Reg 3.

II. PVNCTVM.

ATQVI *æſtimare aliquid glorioſius Chriſti gloria, nihil aliud eſt quam Chriſti gloriam conuertere in ignominiam.*

Nam vel ita reuera putas eſſe aliquid glorioſius Chriſti gloria, vel licet non ita ſit, tu tamen mauis aliam gloriam. Si primum dicis, manifeſtam facis iniuriam diuinæ gloriæ, diuinoque iudicio, cuius eſt æſtimare quid ſit gloria, quid ſit glorioſius, & quid cuique ſit impertiendum. Quaſi Chriſtus id neſciret, vel quaſi tu eſſes intelligentior, iudicium tibi arrogas de honore, de gloria, de rerum valore & pretio. Tu quis es qui hæc audeas? *Interrogabo te & reſponde mihi*, ait Dominus, *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi ſi habes intelligentiam, cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Quaſi diceret, Tu cùm nihil eſſes quando ego rerum omnium fundamenta ponebam, nonne te pudet de rebus ſic velle mecum diſputare quaſi tu me melius intelligas quid quæque res valeat. An putas me non intellexiſſe in quo laus eſſet & gloria quando cœlum & terram condidi vt me laudarent & glorificarent? an me deceptum dices? an te peritiorem finges? an aliter de cœlo, de aſtris, & de creaturis ordinaſſes? Reſponde & confundere. Iob. 38.

Quod ſi cum Sapiente reſpondeas, *Non eſt minuere, neque adijcere, nec eſt inueſtigare magnalia Dei*; ſi fatearis vt debes, nihil meliùs, nihil rectius, nihil verius & ordinatius quàm quod ipſe ſtatuit; quare ergo alibi quæris gloriam, quàm vbi agnoſcis ab illo poſitam: aut dum aliam quæris, quomodo non ſimul vides te illum contemnere, te illi probrum & ignominiam, quantum quidem poſſis, inferre: vt qui licet bene & recte ſentiat, negligatur à Eccleſ. 18.

Digitized by Google

te tamen in hoc ipſo ſenſu quem rectum putas; Tu contra malis ſentire & iudicare, quàm ipſe iudicet: Tu cum mundo malis errare & falli quàm rectè cum Chriſto ſentire! *O inſanias verè falſas, ô verè mendaces filios hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum!*

Pſ. 61.

Quod perinde mihi videtur dictum à Pſalte regio quaſi diceret, tametſi omnes ſimul homines in vna eſſent lance poſiti, ipſam leuitatem & vanitatem in altera lance poſitam leuitate ſuperarent; & tamen contra Deum præſumu•t de rebus iudicare! Vel ſic interpretare: Tanta eſt leuitas de falſitas humani iudicij, rebus in ipſis humanis æſtimandis, vt quamcumque ſtateram homines & humanam regulam iudicandi afferant, adhuc errare poſſint, & errorem ſibi mutuo communicare; & tamen non verebuntur de ipſis iudicandis rebus cum Chriſto & cum Deo contendere! Ó probrum! ó infamem audaciam!

III. PVNCTVM.

SIC ergo gloriam Chriſti vertimus in ignominiam, quando gloriam quærimus, quæ à Chriſto non eſt, & quam ipſe non probat: Nam ſic iudicamus nos aliter ſentire de gloria & de rebus humanis, quàm ille ſentiat, noſtrumque ſenſum tamquam probatiorem & æquiorem diuino illius ſenſui præferimus: quandoquidem actu & reipſa quærimus aliam gloriam in qua magis aquieſcimus quàm in Euangelica & Chriſtiana quam ipſe profeſſus eſt & quam nobis vnicè commendauit. Quod certe non poteſt non eſſe illi valde ignominioſum; quia hoc eſt Illum manifeſtè arguere vel ignorantiæ vel malitiæ vel doloſitatis, quaſi neſciuerit aut quaſi noluerit nos docere quid eſſet rectius & verius. Sicut qui alia in materia, vel circa Sacramenta, vel circa Chriſtianas virtutes vellet corrigere & immutare quod à Chriſto vel ab Eccleſia conſtitutum eſt; Quid cenſeres de illo? Hoc ipſum de te ſentiendum eſt, qui quod Chriſtus ſtatuit de honore & gloria, tu auſis improbare, tu inuertere, tu aliud contra opponere.

Miror, inquiebat Apoſtolus, *quod ſic tàm citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti! Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Tum paulo poſt Idem eiſdem Galatis: *Vellem eſſe apud vos modo,*

Gal. 1.
c. 4.

modo, & mutare vocem meam: quoniam confundar in vobis: Quaſi diceret, Non poſſum ſcripto exprimere quanto pudore animi & confuſione vultus afficiar: oporteret me ſpectandum vobis exponere, oporteret me præſentem loqui, me à vobis audiri, me à vobis cerni; quia vos mei miſereret, adeo ſum ſtupefactus & confuſus propter veſtram illam audaciam qua contra Chriſti ſenſum præſumitis aliud neſcio quid ſentire & profiteri.

Idem tibi à Chriſto & ab Apoſtolo dictum puta: neque aliter verum eſt quod ait ipſe Deus per Prophetam de ſuperbis & vanis: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*, quàm quod ſuo teſtimonio reddit ignominioſum id in quo gloriantur. At nonne tu hoc ipſum facis contra Chriſtum? Nonne probro vertis quod ille glorioſum duxit? Nonne hoc eſt igitur gloriam eius in ignominiam commutare? *Oſee 4.*

Denique quod Scripturæ paſſim contra Idololatras dicunt, tibi aliter ſentienti de gloria quam Chriſtus ſentit, tibi aliam quærenti gloriam quam quæ à Chriſto proponitur, tibi mundano & ſuperbo ne dubites applicare: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum! POPVLVS vero meus mutauit gloriam ſuam in Idolum! MVTAVERVNT gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Nonne hoc ipſum eſt quod aperte Sapiens de ſuperbia ſeu de vana gloria: *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, receſſit cor eius.* Nonne hoc denique quod ipſe Dominus: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* Notanda valde verba, non enim omnem vetat gloriam, ſed illam ſolùm quæ ab hominibus accipitur, tamquam vanam & nullam, cum vna ſit vera gloria quæ à Deo eſt, à quo ſolo eſt gloria. Sed quod in primis hic vrgendum, ſic verba hæc Chriſti confirmant propoſitam veritatem vt qui aliam à Chriſto ſiue à Deo quærat gloriam, prorſus infidelis & incredulus cenſeri debeat aut plane ſtultus. Primo enim aperte Chriſtus affirmat illos non poſſe credere qui gloriam à ſe inuicem acciperent; Deinde vero cum euidenter aſſerat à ſolo eſſe Deo gloriam, interrogetur rurſum qui aliam quærit quàm à Deo, an Chriſto credat, necne? Videtur certe non credere, nam illud quærit quid Chriſtus negat eſſe. Non quæreret autem niſi hoc eſſe putaret quod quærit; nec putare poteſt id eſſe quod negat Chriſtus. *Pſ. 105.* *Ier. 2.* *Rom. 1.* *Eccleſ. 10.* *Ioan. 5.*

Digitized by Google

niſi quod Chriſto non credat. Quod ſi tamen id durius putet, nec ſe à Chriſto diſſentire patiatur, credat neceſſe eſt, quod Chriſtus dixit nullum eſſe aliam à Deo gloriam; Quid eſt ergo quod aliam quærit? Nonne hoc eſt ſtultum, id quærere quod fide diuina credis nuſquam eſſe? Aut vt ad primum redeatur, nonne cum id quæras quid Chriſtus eſſe negat, manifeſte ſignificas te quod Chriſtus ait non credere? Quid eſt autem eſſe incredulum & infidelem niſi hoc ſit? Nam quod eſt extremum incredulitatis: vel non credes Chriſtum eſſe Deum, vel non eſſe veracem Deum. Si enim Chriſto non credis, non aliunde eſt quam quia non id putas eſſe verum quod ille dixit. Si autem non eſt verum quod dixit, quomodo ille eſt Deus, aut quomodo verax eſt Deus?

Rom. 10. Iſ. 53. O quam vere Propheta! o quam vere Apoſtolus, *Non omnes obediunt Euangelio; Iſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro?*

Vide in hac parte, Sabbato Hebdomadæ 12. Et in die Transfigurationis Domini.

SABBATO.

DE IVDICIARIA POTESTATE QVAM CHRISTVS DOMINVS EXERCET IN SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum & mortuorum. Act. 10.

Abſcondite nos à facie Sedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare? Apoc. 6.

VERITAS PRACTICA.

Agni vel maxime formidanda ira.

Digitized by Google

SENSVS & ratio eſt, quod ſicut dicitur agni eſſe ira, quando bonitas Chriſti contemnitur, ſic tanto magis eſt formidanda ira, quanto maior eſt bonitas, aut quanto magis contemnitur. Sed in Sacramento, maxima eſt bonitas, maximeque contemnitur. Ergo hic agni vel maximè formidanda eſt ira, & præcauenda.

I. PVNCTVM.

HOC de Chriſto Domino ſupereſt conſiderare, quod ſit omnium Iudex, & quali hinc honore colendus ſit, ac tremendus. Licet enim in hac vita tale iudicium non exercuerit, neque vt ille dicebat, *miſſus fuerit in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*: tamen vt ipſe etiam affirmabat, *omne iudicium Pater dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis eſt.* Quaſi diceret, hæc etiam modò dum inter homines viuo, hæc in me dignitas agnoſcenda eſt & colenda. Expende quanta dignitas & quàm tremenda! *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim: VIVO EGO, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo:* Sic omninò, ſic omnium planè hominum vita præſens eius Iudicio definitur, & futura decernitur.

[Margin: *Ioan 3.* · *Ibid. 5.* · *Rom. 14.*]

Quis non timebit te Domine? quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo! *Apoc. 15.*

Sed non minus nobis timendus eſt in ſanctiſſimo Sacramento, quia non minus illic iudicat de nobis omnibus, ſiue frequentius ſiue infrequentius accedamus. Primo quidem de infrequentia iudicat, vndenam tam rara quorumdam Communio? Quid prætendāt cauſæ? quid valoris & ponderis ſit cauſa quam prætexunt? Cur non impedimenta Communionis deſerunt potius quam ipſam Communionem. Ille eſt qui hæc cuncta ſingillatum examinat; Ille de ſingulis & cognoſcit & iudicat: *Iudicium Domini cum populo ſuo.* *Mich. 6.*

Deinde in communicantibus, quænam ſit eorum diſpoſitio, quæ culpabilis, vel inculpabilis capacitas, quæ deuotio, quis fructus, quis vſus vel abuſus Sacramenti, nonne hoc ipſe examinat;

Digitized by Google

nonne & iudicat, quandoquidem tam varios & diuerſos operatur in animis motus & effectus, quàm variam eſſe videt & iudicat eſſe communicantium diſpoſitionem & capacitatem? *Vnumquemque iuxta vias ſuas iudicabo de vobis*, quod quidem Apoſtolus aptiſſima vocis expreſſit ſignificatione cùm dixit: *Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat*: Id eſt condemnationem ſuam tam propriam & tam iuſtè adæquatam ſuæ indignitati recipit quàm proportionatè cibus manducatus manducanti adaptatur; & ſicut quod manducatur conuertitur in propriam manducantis ſubſtantiam, ita ex indigna manducatione agni fiet quodammodò vt manducata condemnatio totam penetret & in ſe conuertat animam: ſi quid forte ſupereſſet boni, peruertitur, corrumpitur, & tota tranſit anima in damnationem & corruptionem: *Vt qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Vt impleant peccata ſua ſemper; peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem.*

Ez. 33. · 1. Cor. 11. · Apoc. 22. · 1. Theſſ. 2.

Hæc eſt ira Regis irati contra eos qui vocati ad nuptias, neglexerunt vocantem. Hæc eſt ira Chriſti iudicis *cuius iudicium incipit à domo Dei*. Hæc eſt Agni vel maxime formidanda ira, propter illam videlicet rationem quæ modo expendi debet ob quam Agnus iraſcitur. Aut non iraſcitur agnus, aut non niſi formidolose iraſcitur; Quanta eſt naturæ bonitas, tanta eſt neglectę bonitatis ira; At cum maxima ſit bonitas, maxima ſit etiam ira neceſſe eſt. Quantùm de ſuo bonus, tantum de noſtro iuſtus; de ſuo habet vt ſit agnus, de noſtro vt ſit iratus, & de vtroque vt ſit vehementer iratus. Niſi eſſet bonus non eſſet agnus, niſi vt eſt bonus contemneretur à nobis, non iraſceretur agnus; niſi denique ſimul eſſet bonus & ſimul contemptus non tam vehementer & formidoloſè iraſceretur. Facit bonitas ne de ſe iraſcatur, ſed ipſa etiam facit vt à nobis commota non niſi vehementer iraſcatur. Sicut non eſt iudicium ſine miſericordia, ſic neque miſericordia ſi læſa fuerit ſine iudicio eſt; & quanta fuerit miſericordia ſeu miſericordiæ læſio, tale futurum de illa iudicium. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, NON *dicit iudicium & miſericordiam*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſed miſericordiam & iudicium; quia præcedit miſericordia, nec eſt iudicium niſi pro illa læſa. Pater miſericordiarum eſt, & Deus ac Dominus vltionum.* Pater quidem miſericordiarum *non modo*, inquit ſanctus Bernardus, *quod pater*

Math. 22. · 1. Pet. 4. · Tertull. · Pſ. 100. · 2. Cor. 1. · Pſ. 93.

Digitized by Google

videatur miſereri potius quàm indignari ſed quod miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, iudicandi vel vlciſcendi magis ex noſtro. Serm. 5. in Natiu. Dom.

Multum quidem in nobis inter ſe differunt miſericordia & ira, ſed in Deo tam propè ſimul coniuncta ſunt & vnita, vt vnum & idem ſint. Sic Sapiens: *Miſericordia & ira*, inquit, *ab illo citò proximant:* MISERICORDIA *& ira eſt cum illo. Potens exoratio & effundens iram: ſecundum miſericordiam ſuam ſic correptio illius: hominem ſecundum opera ſua iudicabit, omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Id eſt, cedet locum iuſtitiæ, præparabit locum iudicio, vt quanta fuerit miſericordia tale ſit futurum ſequens iudicium. Sic locum miſericordiæ replebit iuſtitia quando hæc illi commenſurabitur. Eccleſ. 5. Ibid. 16.

Denique quid expreſſiùs quàm quod Apoſtolus: *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? theſaurizas tibi iram in die iræ,* Vide vt theſauros iræ opponit diuitiis bonitatis & patientiæ contemptis, quaſi diceret, ſicut ex diuitiis fiunt theſauri, ſic fiunt ex diuitiis bonitatis iræ theſauri: & quantæ erant illæ diuitiæ bonitatis, tanti futuri ſunt iræ theſauri. *Theſaurizas tibi*, ait ſanctus Bernardus, *theſauros iræ pro prærogatis theſauris miſericordiæ quos contemnis.* O qualis diuina Bonitas! ô qualis humana malitia! Rom. 2. Serm. de Tripl. Miſer.

II. PVNCTVM.

SED in ſanctiſſimo Sacramento maxima eſt bonitas maximéque contemnitur, ſeu maximum ſubeſt eius contemnendæ periculum, niſi caueatur.

Quid enim manſuetius, quid facilius, quid ad omne genus beneficij conferendum paratius, quid ad ſupernas profundendas gratias procliuius, cum nullum recuſet, omnes inuitet, & vnicuique quantum capere & referre poteſt indeſinenter & certiſſime impertiatur! *O fons amoris perpetui quid dicam de te? Suauitatem huius Sacramenti*, Diuus inquit Thomas, *nullus digne exprimere ſufficit per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, & recolitur memoria illius quam in ſua paſſione Chriſtus monſtrauit excellentiſſimæ charitatis.* Denique quod ait ſanctus Bernardus de duobus ſponſi vberibus, vbinam apparet manifeſtius? *Duo*, inquit, *ſponſi vbera, duo in ipſo ſunt ingenitæ manſuetudinis argumenta, quod* L. 3 Delmir. Ch. c. 10. Serm. 9. in Cant.

Digitized by Google

patienter exſpectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem: gemina, inquam, dulcedo ſuauitatis exuberat in pectore Domini Ieſu; longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. Verè hic longaminis & multum miſericors. Pſ. 101.

Et-uerò periculum tantæ bonitatis contemnendæ non modo in illis eſt qui actu & reipſa Sacramentum blaſphemant aut immortali recipiunt, ſed in his etiam vel qui non ſatis frequentant ne obligentur ad arctiorem viuendi modum, vel qui frequentant crebrius ſine cultu aut vllo fructu qui dicunt Deo *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Iob. 21.

Non quod ita ore loquantur, ſed quod ita reapſe viuant & ſic affecti ſint vt nolint meliores & perfectiores euadere, licet Chriſtus eos ſæpius inuitet ad communionem, aut communicantes excitet ad perfectiorem vitam. *Rogo te*, inquit inuitatus ad Cœnam, *habe me excuſatum.* Vix eſt vllus qui non prætexat aliquam excuſationem contra quotidianas illas gratias quæ nos vel à noſtris defectibus retrahunt, vel ad altiora prouehunt. Qua in excuſatione triplex quidam reperitur Chriſti contemptus. Primo quod reuera repudiet gratiam. Secundo quod falſo ſe excuſet, & ſe excuſando accuſet inuitantem, vt ſupra dictum eſt. Tertio denique quod ſic humana diuinis præferat, naturam gratiæ, & ſeipſum Chriſto. Mal. 1. & 2. *Ad vos, ô Sacerdotes qui deſpicitis nomen meum. Ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes*, vbi tot miſſarum fructus? vbi tot communionum effectus? vbi tot gratiarum prouentus? Ier. 8. *Nunquid non medicus non eſt ibi, quare igitur non eſt obducta cicatrix?* Ioan. 8. *EGO honorifico patrem meum & vos inhonoraſtis me.* Extende latius hæc Chriſti verba, multus in illis ſenſus eſt. Vide quantum honorificet Patrem cui ſe millies in die immolat, quoties videlicet celebratur Sacrum; quod fit in vniuerſo terrarum orbe, per ſingula pene momenta temporum. Tu vero vix mediam illi colendo impendas horam!

III. PVNCTVM.

ERGO *hic Agni vel maxime formidanda eſt ira.* Hic videlicet in ſanctiſſimo Sacramento, vbi Chriſtus ſedet in throno miſericordiæ ſimul & iuſtitiæ, vnde agni accenditur ira, & vnde accenſa ira dicitur præcipuè formidanda, quia nempe vbi ſumma

eſt Chriſti bonitas ſeſe pro nobis immolans, illic eſſe Chriſtus dicitur velut agnus: vbi vero fuerit talis offenſa bonitas, illic agni dicetur ira, & ira quidem tam vehemens quàm ingens erat bonitas. Audi rurſus ſanctum Bernardum, de hac vtraque ſimul Chriſti virtute ſibi ſuccedente: *ſicut benignitas apparuit vltra omnem ſpem, vltra omnem æſtimationem: ſimilem expectare poſſumus iudicij diſtrictionem. Noli ergo contemnere Dei miſericordiam, ſi non ſentire vis iuſtitiam, ſed iram, ſed indignationem, ſed æmulationem, ſed furorem. Vt enim ſcires quanta diſtrictio ſuccedit, tanta illa manſuetudo præuenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem vltionis attende. Immenſus eſt enim Deus, & infinitus in iuſtitia, ſicut & in miſericordia. Multus ad ignoſcendum, multus ad vlciſcendum. Sed miſericordia quidem priora ſibi vendicat, vt ſi voluerimus, diſtrictio inueniri non poſſit in quem ſæuiat.* Serm. 1 in Epiph. Dom.

Hæc & alia plura quæ ſanctus Pater vniuerſim de Chriſti Domini myſteriis proſequitur, cùm ſingulariter & eminenter pateant in ſanctiſſimo Sacramento, quid reſtat niſi vt agnoſcamus quam ſit illic cauendus tantę bonitatis contemptus, & quam formidanda quæ inde commoueri poſſet ira: non vt quidem à Sacramento fugiamus, aut rarius accedamus: ſed vt formidemus offenſas noſtras quæ illam accendunt iram; & quá fieri poterit vitæ innocentia & animæ puritate, *Accedamus*, vt ait Apoſtolus, *cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda, à conſcientia mala.* Redditque paulo pòſt rationem quæ ſupra dicta omnia valde confirmat: *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem & accenſibilem ignem & turbinem & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum quam qui audierunt, excuſauerunt ſe ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur; Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur; Moyſes dixit, exterritus ſum & tremebundus. Sed acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & Teſtamenti Noui Mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.* Quaſi diceret; Non ſic nobiſcum hîc agit Chriſtus ſicut olim cum Iudæis quando illis apparuit in monte Sinaï. Sic enim illos ſenſibiliter terruit vt non auderent propius accedere, quia nolebat etiam Deus eos eſſe propiores. Nos vero non ita ſenſibi-

Hebr. 10.

Ibid. 12.

liter terret, quia vult nos ad ſe confidenter accedere: in Eccleſia quidem militanti per Sacramentum, & alios accedendi modos; in triumphanti vero per beatitudinem.

Nihil hic terrificum ſenſibus obijcitur, ne deterreamur: Sed potius cuncta ſuauia & allicientia: Ne tamen tali abutamur bonitate & ſuauitate, neue offendentes miſericordiam, accendamus iram & Iuſtitiam, ſic pergit ſanctus Apoſtolus: *Videte ne recuſeris loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur, multo magis nos qui de cælis loquentem nobis, auertimus.* Et poſt pauca: *Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam per quam ſeruiamus, placentes Deo cum metu & reuerentia: Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Quaſi diceret, iam nobiſcum non agitur in figuris mobilibus & tranſeuntibus ſicut cum Antiquis agebatur: firma ſunt & immobilia quæ tractantur nec putemus nos in illis ex noſtro eſſe ſenſu & guſtu regendos, ſed potius ex ductu & directione Eccleſię, quæ eſt regnum Dei, in quo nihil nobis præcipitur aut conſulitur quod non poſſimus cum gratia, quæ nobis confertur vt ſeruiamus Deo non ſeruili terrore, ſed filiali & reuerentiali metu, qui acceſſum ad Deum non prohibet, niſi profanum & inconſultum qui ſolus iram accendit. Alioquin *Accedite ad illum & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.* *Pſ. 33.*

In D. Pſ. *ACCEDAMVS ad eum,* inquit ſanctus Auguſtinus, *vt illuminemur, non quomodo ad eum acceſſerunt Iudæi vt tenebrarentur. Acceſſerunt enim illi ad illum vt crucifigerent: nos ad eum accedamus, vt corpus & ſanguinem eius accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando Crucifixum & bibendo, illuminamur.* Et poſt pauca: *Sed dicit aliquis, quomodo ad eum accedo? Tantis malis, tantis peccatis oneratus ſum, tanta ſcelera clamant de Conſcientia mea, quomodo audeo accedere ad eum? Quomodo? Si humiliaueris te per pœnitentiam.* Et quæ plura proſequitur ad hanc humilitatis partem commendandam quæ maxime requiritur in pœnitenti corde, & quæ modum affert immodicis cupiditatibus; quarum quanta fuerit moderatio, tanta erit ad ſacram menſam diſpoſitio. Verè namque Chriſtus Dominus quod de ſe Dauid aiebat. *Superbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* *Pſ. 100.* Sed quare non de præſenti, dicit, *Miniſtrat?* An quia non ſic modò,

dò, ſicut olim, immaculati miniſtrabant ei? An quia qui miniſtrare inceperat in via immaculata, paulatim deficit & dum immaculatus eſſe deſinit, deſinit etiam ipſi miniſtrare? An forte qui miniſtrabat, miniſtratur: quæ ſenſu dicebat Dominus de ſuis ſeruis, *Quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere; vt tranſiens miniſtrabit illis.* Ac rurſum: *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* O dignitatem Miniſtrorum Chriſti, ſiue dum miniſtrant, ſiue dum miniſtrantur! O vitæ immaculatæ meritum quæ tantam conciliat dignitatem! *Luc. 12.* *Ib. 22.*

DOMINICA
TERTIA POST PENTECOSTEN.

DE OVE PERDITA, QVÆSITA, ET INVENTA A PASTORE.

Erant appropinquantes ad Ieſum Publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharizæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues. Et quæ ſequitur parabola de oue perdita, quæſita & à Paſtore inuenta, vt habetur. *Lucæ 15.*

VIDERI poſſent quæ proximè præcedentibus Hebdomadis dicta ſunt de facili acceſſu ad Dominum, & de illa confiden-

Digitized by Google

tia quæ nos ad ipſum adducit, excitanda potius, quam timore qui nos inde auocat, prout aperte Apoſtolus ex multis à ſe dictis concludit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum Gratiæ, vt miſericordiam conſequamur.* Hinc illæ Veritates Practicæ:

Hebr. 4.

Quibus amarum eſt conuerſari cum Chriſto, delicias eius conuertunt in amaritudinem.

Qui cum fiducia non adeunt ad Gratiæ Chriſti thronum, & ſe à throni ſecludunt gratia, & Chriſtum excludunt à throno Gratiæ.

Diuina licet magis timenda ſint quàm humana; in diuinis tamen minus eſt timenda familiaritas quàm in humanis.

Prima poſt Octauas Pentecoſtes Hebdomada, Feria 5. in Solemnitate ſanctiſſimi Sacramenti.

Cum autem in tres partes diuiſa conſiderari poſſit Parabola, ſic conſequenter ad vnamquamque partem referentur Veritates Practicæ, vt primò quæ ad perditam, deinde quæ ad quæſitam, ac denique quæ ad inuentam ouem, ſeu animam peccatricem ſpectant, producantur.

Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem, &c.

VERITAS PRACTICA.

Qui ſibi palpat quod non longe erret, periculoſius ſæpe is errat quàm qui aberrat longiùs.

RATIO EST, *Quia periculoſius ille errat, qui minus reuertitur ad Paſtorem quàm qui reuertitur.*

Sed qui ſibi palpat quod non longè erret, ſæpe ad Paſtorem minus reuertitur quàm qui aberrat longiùs.

Digitized by Google

***Ergo & is** errat periculoſius ; quod ſanè eſt diligenter præca-uendum cum Gratia.*

I. PVNCTVM.

CVM ſint multi & varij ſtatus ac gradus eorum qui ſe à Paſtore ſuo, Chriſto Domino miſerè ſubtrahunt ; videndum eſt vnicuique quonam ex illis in gradu ſit. Primi ſunt illi qui per peccata vel affectus humanarum rerum vehementiores, tam arctè creaturis addicti ſunt, vt vnam ſequantur concupiſcentiam : *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium & non ex me :* *Iſ. 30.* *& ordiremini telam ; & non per Spiritum meum : vt adderetis peccatum ſuper peccatum, & os meum non interrogaſtis.*

Alij non ita forte ſe ſuis ſinunt cupiditatibus, vt grauiùs peccare vellent, ſed quid in ſuo vitæ genere potiſſimùm velit Deus, non multum curant : *Huiuſmodi Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt,* *Rom. 16.* ait Apoſtolus, *ſed ſuo ventri :* Suæ item gloriæ, ſuæ rei domeſticæ. Id eſt, hoc præcipue ſpectant & intendunt ſuis in quotidianis actibus ; *Seruierunt creaturæ potius quàm Creatori.* *Ibid. 1.*

Sunt alij denique qui ſuis in externis & temporalibus negotiis Deum ſatis frequenter conſulunt ; & ad eius ductum ſe ſuaque formant : ſed in internis & ſpiritualibus, ſe ſolos audiunt ; & ſæpe fit vt aliter ac Deo viſum eſſet, vel plus vel minùs faciunt. *Quæ nolui, elegiſtis. Conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos.* Hic teipſum noſce attentius : & quod monet Sapiens *in vita tua tenta animam tuam.* An te totum Chriſto velut ouem Paſtori, regendum ſinis? An quid illo inconſulto aggrederis ? An quod Ille de te tuiſque ſtatuit, vt ſanctum colis & veneraris ? An quid humanum eſt denique ſeu creatum, quod te ab illo vel tantillum dimoueat? Caue tibi palpes ; vel quod illud ſit leue, vel quod ſi erras non longe abriperis, non abis in viam peccatorum, nec in vias ita prauas quæ ducant in interitum & perditionem. Nam præterquàm quod talis in errore progreſſus fieri poteſt, vt ſemper longiùs ac longius à Paſtore diſcedas, eſto tamen, non tam longè progrediaris quàm alij : non minus tamen diſtas à periculo : quin & ſæpe accidit, quod tibi modo eſt acuratius perpendendum, ſæpe inquam accidit, *vt qui ſibi palpat quod non longe erret, periculoſius erret,*

Iſ. 65. *Luc. 7.* *Eccleſi. 37.*

Digitized by Google

quàm qui aberrat longius. Ratio eſt manifeſta; Nam periiſti, ſi non redieris. Hoc eſt enim perire, ſic ſeiunctum eſſe à Paſtore, vt numquam ei vniaris qua illi debes vnione coniungi vt ab eo dirigaris, & mouearis: ſicque fiat vt numquam Paſtoris vocem au-
Iob. 11. dias, *ſed tamquam pullus onagri te liberum natum putes.* Sint alij velut prodigus in regione longinqua & remotiores à Patre quam
Luc. 15. tu forte ſis: ſi tamen redeant, nonne periculum ſic euitant? *Perierat & inuentus eſt!* At tu qui non procul quidem diſtas, diſtas tamen & non redis, certe tu vnus vel maxime periclitaris, & omnino periiſti ſi non omnino redis, quia ſiue multùm ſiue parum
Oſee. 7. diſceſſeris; diſceſſiſſe, periiſſe eſt. *Væ eis quoniam receſſerunt a me,*
Hebr. 10. *FILII ſubtractionis in perditionem*, ait Apoſtolus, quaſi diceret, nemo ſe ſubtrahit quin ſe perdat, nemo eſt extra viam arctam quin ſit in via lata & via perditionis. Non eſt tamen deſperata ſalus, quia non eſt deſperatus reditus; In ſolo reditu ſpes ſalutis repoſita. In deſperato reditu deſperata eſt ſalus. *Et non rediſtis ad*
Amos. 4. *me!* Quinquies repetitur in hoc vno capite. Et ſæpe aliàs, *Non ſunt reuerſi*, Nihil crebrius in Prophetis. Nec tam videtur queri Deus quod à ſe diſceſſerint, quàm quod ad ſe non redierint. *Et dixi, cum*
Ier. 3. *feciſſet hæc omnia, ad me reuertere, & non eſt reuerſa.* NVMQVID *qui cadit non reſurget, & qui auerſus eſt non reuertetur? quare ergo*
Ibid. 8. *auerſus eſt populus iſte auerſione contentioſa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Quaſi diceret, fingunt ſibi aliquid quo ſe putant tutos & quo impediuntur à reditu, ſed mentiuntur, &
Ibid. 48. omnino peribunt niſi redeant. *Periiſti popule chamos, quia comprehenſi ſunt filij tui & filiæ tuæ in captiuitatem.* Numquid ſi tu cum iſtis comprehenderis, & cum iſtis peribis?

II. PVNCTVM.

SED qui ſibi palpat quod non longè erret, ſæpe ad Paſtorem minus reuertitur, quam qui aberrat longius.

Nam vel ex hac ſola cogitatione quod non tam longè diſceſſerit quàm alij, facile ſibi perſuadet non eſſe redeundum, aut ſe facile rediturum quando volet; Quod genus quoddam eſt præ-
l. de parit. ſumptionis de quo grauiter & verè inter alios Tertullianus: *Præſumptio, inuerecundiæ portio eſt, inflat petitorem, deſpicit datorem: Itaque decipit nonnumquam. Ante enim quàm debeatur, repromittit, quo*

Digitized by Google

ſemper is qui eſt præſtaturus, offenditur. Itemque alibi : *qui præſumit minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris.* l. de exitu ſuo.

Atque hæc eſt ratio, vt alibi dictum eſt, cur Dominus magis optet frigidum quam tepidum : quia cùm vtrique ſit redeundum ab illo ſtatu in meliorem, facilius ille qui eſt frigidus reuertetur quàm tepidus; quia facilius agnoſcet ſui ſtatus periculum, quod quidem periculum licet pro eo tempore quo vterque illorum in ſuo ſtatu degit, ſit maius in frigido quàm in tepido, tamen pro futuro conſequenti maius eſt in tepido quam in frigido, quia is tandem reſipiſcit, non alter. Sic gloſſa : *Non optat eum frigidum ſimpliciter, ſed talem de quo ſpes major habeatur :* Talis eſt autem frigidus præ tepido. Sic Publicanus à Pharizæo exiuit, ore Domini, iuſtificatus; ſic Meretrices præcedunt in regno Dei Iudæos. Quia videlicet illæ licet remotiores magis tamen mouentur & redeunt. *Frequenter vidimus*, inquit Caſſianus, *de frigidis atque carnalibus, id eſt de ſæcularibus ac paganis ad ſpiritualem peruenire feruorem : de tepidis atque animalibus omnino non vidimus*; Quia videlicet non ſibi timent, non ſibi putant ſicut aliis eſſe reuertendum. *Quia dicis quòd diues ſum; & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis*! O triplicem & robuſtam in vno corde malitiam ! Eſſe miſerum, & neſcire, & dicere quod ſit diues.

Apoc. 3. Luc. 18. Matth. 21. Coll. 4. c. 19. Apoc. 3.

III. PVNCTVM.

QVI *ſibi ergo palpat quod non longe erret, periculoſius ſæpe errat quam qui aberrat longius.* Nam licet non longe erret, errat tamen, & ab errore in viam illi eſt redeundum : *Reuertere, reuertere Sulamitis.* At non redibit quamdiu ſibi palpat, non redibit tam facile quàm qui ſe facile pereuntem videt, & qui dum vocantem paſtorem audit, ſibi facile dictum putat quod audit, & periculum videns euitat. Atque illa ipſa ratione qua non redit ille qui non longe diſtat, reuertitur iſte qui errat longius : nempe ille videns alios remotiores, non ſibi dictum applicat quod errantibus dicitur vt redeant; ſunt enim, inquit, alij me remotiores quibus id magis conuenit. At vero iſte remotior nihil habet ſimile quod contra dicat, nihil habet quo diuinum monitum detorqueat à ſe in alios. *Ego ſum*, inquit, *qui peccaui, ego qui malum feci*;

Cant. 6. 2. Reg. 24. 1. Par. 21.

Digitized by Google

Ac proinde alio remanente in errore, hic reuocatur & ſe ſuo Paſtori reddit. *Vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in Sanguine Christi.* ISAIAS *audet & dicit: inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Id eſt: ſicut Gentes quæ ab ipſo Deo remotiores erant quam Iudęi, facilius tamen Chriſtianam religionem ſuſceperunt: ita ex Chriſtianis ſi qui forte ſint moribus deteriores, ſæpe facilius cum Diuina gratia reſipiſcent, quàm minùs deprauati qui ſe ab illa moueri non ſinent. *Multi ab oriente & occidente venient: filij autem regni eijcientur.*

Epheſ. 2. *Rom. 10.* *Matth. 8.*

Quamobrem hic teipſum rurſus inſpice: Nonne filius regni es? at nonne filius ſubtractionis? nonne ſubtractionis contentioſæ, quæ contendit cum Gratia nolens reuerti, & contendens ſibi non eſſe reuertendum! *Ego ſcio contentionem tuam & ceruicem tuam duriſſimam. Adhuc viuente me & ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſe egiſtis contra Dominum, quanto magis cùm mortuus fuero?* Numquid Paſtor tuus hæc tibi poſſet dicere? numquid vero hæc audiens cor tuum obdurabis? *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitia tua, & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitias & iudicia Dei.*

Deut. 31. *Eccleſi. 17.*

Hùc opportunè referri poſſent hæ Veritates Practicæ.

Ne dicas, ſufficiens mihi ſum.

In 1. parte, Fer. 4. Hebd. 3. poſt Epiphan. & aliis duabus præcedentibus.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

In 2. parte, Feria 6. poſt Septuageſimam.

Melius eſt in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.

In 2. parte, Fer. 4. poſt Sexageſimam.

Erranti in dubiis & non oranti, nulla eſt erroris excuſatio.

In 2. parte, Fer. 6. poſt Octauam Aſcenſionis Domini.

Verendum, ne quod tibi deeſt ad perfectionem, deſit etiam ad ſalutem.

Digitized by Google

In 4. parte, Fer. 2. Hebdom. 17.

Qui vel vni creaturæ nimis adhæret, duo mala facit, de quibus ipſe Creator,

Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, &c.

In 4. parte, Sabbato Hebdom. 18.

DE OVE A PASTORE QVÆSITA.

Nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?

VERITAS PRACTICA.

Quanta eſt Chriſti quærentis animam cura, tanta eſt animæ Chriſtum fugientis incuria.

SENSVS ET RATIO EST, Quia fugientis Chriſtum animæ tanta eſſe apparet incuria & negligentia ſuæ ſalutis, quàm magna tùm & præſens eſſe videtur obligatio non fugiendi, nec negligendæ ſalutis.

Sed quanta eſt Chriſti quærentis animam cura, tam magna tùm & præſens videtur eſſe obligatio non fugiendi, nec negligendæ ſalutis.

Ergo & tanta eſt eius incuria & negligentia, quæ profectò excitari debet cum gratia, conferendo talem incuriam cum tali cura.

I. PVNCTVM.

VNVS eſt quidem Diuinæ Bonitatis & Sapientiæ, quæ in hac lucent parabola, finis & ſcopus, errantem à ſe animam reuocare, ſibique reddere. Sed multa ſunt & diuerſa media, quibus ad hunc finem vtuntur: ſic enim ſuauius

agunt & fortius, quod eſt maximè proprium Diuinæ Bonitatis & Sapientiæ. Quod verò ex multis potentiſſimum eſſe ſolet, *pudor & verecundia* nobis modo proponitur, cùm ex oppoſita noſtri Paſtoris cura manifeſtè apparet noſtra incuria: quis enim non erubeſcat, qui ſe illi viderit oppoſitum & repugnantem, in cuius vna ſimilitudine noſtra eſt beatitudo? Quis tali porrò rubore tactus non ſe à fuga illa contineat, in quam ſe turpiter abiicit, quoties ſe à Chriſto ſuo vocatum, & inquiſitum & attractum ſentit?

Sap. 12.

Sic ergo eſt, ſic perpendendum eſt, ſic erubeſcendum eſt, *quod quanta eſt Chriſti quærentis animam cura, tanta eſt animæ Chriſtum fugientis incuria*, tanta vecordia, tantum probrum & dedecus: Quid enim eſt vniuerſim, quod inſigniorem & magis pudendam deſignet incuriam, niſi cùm maior adeſt obligatio curæ adhibendæ; cùm id ſcilicet debitum exigit, cùm facultas ſuppetit, cùm facilitas & opportunitas obuiant, cùm omnia denique ſimul conſpirant, vt quod incumbit negotium procuretur? Quid eſt, quod Iacob ſic ſuos arguit: *quare negligitis? audiui quod frumentum venundetur in Aegypto*, niſi quod tùm vrgeret neceſſitas, cui ſubleuandæ facultas aderat, nec erat præſens occaſio negligenda. Nonne ſic Ioſüe quibuſdam deſidibus Iſraelitis: *Vſquequo marcetis ignauia? & non intratis ad poſſidendam terram quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis?* Nempe illud erat tempus, quo erat terra poſſidenda vel perdenda. Sic pigrum Sapiens non alio carpit frequentiùs nomine, quàm quod illo potiſſimum otietur tempore, quò magis illi eſſet laborandum. Nonne ſic ille malus & piger pronuntiatur ſeruus, qui cùm auſterum ſe putaret habere Dominum, qui meteret vbi non ſeminarat, non ei tamen acceptum, vt alij, duplicaſſet talentum. Nonne ſic denique Virgines, quæ veniente ſponſo dormitarant, dicuntur fatuæ: nec cum aliis ad nuptias introducuntur, quia tùm illis maximè vigilandum erat, quando ſe in ſomnum dederunt.

Gen. 42.

Ioſ. 18.

Matth. 25.

Ibid.

Sic prorſus animæ fugientis Chriſtum tanta dici debet incuria, quàm magna tunc dici poteſt obligatio non fugiendi, nec negligendæ quæ ſeſe offert, gratiæ. Vnde eſt illud egregium Sapientis dictum: *Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur.* Hoc eſt enim negligere viam ſuam, cùm ſalutis via negligitur: tunc porrò ſalutis via negligitur, cum eius procurandæ ſingularis opportunitas quæ ſe dabat,

Prou. 19.

Digitized by Google

dabat, deſeritur. Et profectò mortificabitur quiſquis ſe ita negligit, mortificabitur nota dedecoroſa vecordiæ, mortificabitur priuatione boni quod negligit, mortificabitur detrimentis inde ſequentibus.

II. PVNCTVM.

SED quanta eſt Chriſti quærentis animam cura, tam magna tunc & præſens videtur eſſe obligatio non fugiendi, nec negligendæ ſalutis.

Sic enim decet, & ſic neceſſe eſt; Decet ex illa Bonitate Chriſti, cuius eſt tanta circa vnam animam cura & ſolicitudo. Neceſſe verò eſt ex eiuſdem Sapientia, vt dicetur, ſi primò Bonitatem illam expenderimus. Vide & contemplare quid ſit Paſtorem Chriſtum, perditam quærere animam. Poteſtne par in creatis & humanis reperiri Bonitas, cum nulla par inueniatur Majeſtas, quæ ſe ita in beneficentiam & charitatem demittat? Narratur quidem de Carolomanno Caroli Martelli filio, Rege Auſtraſiæ & Sueuiæ, Monacho Caſſinenſi, ouem claudicantem in humeros ſuſcepiſſe, atque in caulam deportaſſe; ſed Rex eſſe deſierat; Cùm enim Monachum induit, Regem exuit: At Paſtor noſter ſic humanam ſuſcepit naturam, vt diuinam nunquam depoſuerit; ſic homo eſt, qui quærit animam, vt Deus ipſe ſit, quem ſua Bonitas excitat ad illam animæ curam. Poteſtne verò id audire, id credere anima, nec intelligere quanta ſit inde non fugiendi, ſed ſui ſiſtendi obligatio, quæ tantæ reſpondeat Bonitati? En offenſus Deus cùm pro ſuo in peccatum odio peccatricem in æternos ignes animam detrudere iam iam poſſet, ſe ipſe continet, & quaſi animam ipſe offendiſſet, ipſe offenſus Deus animam ſe toties offendentem quærit, inclamat, excitat, vrget, ſtimulat, vt ad ſe redeat; Et tunc anima non intelligeret ſe tantum obligari ad reditum, quanta eſt illa Bonitas? Intelligeret certè ſi hoc vellet attendere; & hoc profectò attenderet, ſi vel quod decet cogitaret.

Anno Chriſti 750.

Quid Saüle ferocior, cum in Dauidem fureret? Audiuit tamen ferox ille Saül ſibi ſemel à Dauide ſic parcitum, vt cum vitam poſſet eripere, ſuæ duntaxat chlamydis oram præciderit. Tunc quis ſenſus Saülis in Dauidem? quæ ferocitatis in lenitatem commutatio? Scriptura multis explicat, quæ videre licet loco anno-

1. Reg. 24.

Digitized by Google

tato. Numquid verò plus valet in animam Deus quàm Dauid in Saülem? Numquid plus Deo debet anima, quàm Dauidi Saül? Cur non id igitur magis deceret, cur non id magis intelligeret anima, quando ſibi meliorem ſentiret Deum quàm vlli vnquam hominum homo bonus extiterit.

Et verò id neceſſe eſt ex Diuina Sapientia, quæ in illa Paſtorali cura potiores partes tenet: neceſſe eſt, inquam, non fugere, qua neceſſitate tenemur prouidere ſaluti per opportuna media. Sicut enim ad Diuinam ſpectat Sapientiam ſubminiſtrare tempus, locum, modos ſeu gratias, & alia ſalutis animæ, quæ vocant, congruentia media; ſic planè eſt animæ non illa reſpuere, non refugere, non differre tempus, non mutare locum, non variare gratias, nec ab vllo deflectere gubernationis tramite, quem cœleſtis Prouidentia conſtituerit; ne ſi Deum deſerat viæ ducem, deſeratur in via, tandemque pereat. *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius, & non deflectatis ab illo, ne cadatis.* Iam enim idcirco cecidit & errauit à Paſtore anima, quod eius ductum non ſit ſecuta: Nunc autem cum nouam hanc ei Paſtor gratiam offerat, vt ſi velit, reuertatur; ſic Paſtorem debet ſequi, non fugere, vt ſi fugiat, nec ſequatur, non minus tum dicatur deflectere, quàm cùm primò cecidit; imò & magis periculosè deflectat, quia grauius ſæpe eſt in hanc nouam peccare gratiam quàm in antecedentes alias; vt ſæpe alibi demonſtratur, & ex ſubjectis infra veritatibus liquet. Sufficiat hic modo Prophetæ locus, vbi Dominus ad *contemptibilem*, vt vocat, *animam: In tempore*, inquit, *placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui*; Vnde Apoſtolus, *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim, tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies ſalutis*, Et quæ plura pergit, quæ nulli vnquam aptius quadrare poſſunt tempori, quàm quo perditam Chriſtus vocat & quærit animam. Cur porrò dicitur tempus acceptum & acceptabile, niſi quia ſic illud acceptare neceſſe eſt, vt niſi tum acceptetur, cum ſe offert, tranſeat, nec reuertatur, & qui quærebat animam Dominus, poſt quæratur ab anima nec inueniatur, prout ipſe dixit, *quæretis me & non inuenietis*. Nonne hoc ſponſæ contigit, quæ animam Diuinis reluctantem monitis repræſentat? nonne cùm diſtulit ſurgere quando vocabatur, pòſt verò cùm ſurrexit & ſe vocantem conuenit,

Eccleſi 2. *Iſa. 49.* *2. Cor. 6.* *Ioan. 7.* *Cantic. 5.*

Digitized by Google

non inuenit? nonne hinc eius lachrymæ, hinc gemitus: *at ille declinauerat atque tranſierat: quæſiui & non inueni illum: vocaui & non reſpondit mihi!* Oportebat nempe tum venire & reſpondere, cum quærebat & vocabat, nam *væ qui ſpernis, nonne & ſperneris,* *Iſ. 30.* *cùm fatigatus deſieris contemnere, contemneris.*

III. PVNCTVM.

QVANTA *eſt igitur Chriſti quærentis animam cura, tanta eſt animæ Chriſtum fugientis incuria:* Nàm ſicut illa quæ tùm agit Chriſtus magnam eius indicant curam, ſic profectò quæ ſimul anima debebat agere, nec tamen agit, ſupinam eius produnt incuriam. Sic enim fit ex illa boni & mali oppoſita diuerſitate, vt quantò bonum lucet apertius, tantò malum appareat grauius & probrum ignominioſius. *Tunc confunderis & erubeſces,* *Ierem. 22.* ait animæ Dominus, quando ſcilicet malitia tua meæ Bonitati, & incuria tua meæ curæ opponetur. Quamobrem ad hanc ſocordiam magis agnoſcendam, atque inde ad ſalutarem excitandam confuſionem, nihil habet ipſe frequentius, quàm vt alterum alteri ſic opponat, quemadmodum vel ex vno Propheta datur intelligi, *Locutus ſum,* inquit, *ad vos manè conſurgens, & loquens, & non audiſtis:* *Ibid. 7.* *vocaui vos & non reſpondiſtis: Audite vocem meam & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt bene ſit vobis. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis ſui mali, factique ſunt retrorſum & non in ante. Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, per diem conſurgens diluculo & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed indurauerunt ceruicem ſuam, & peius operati ſunt quàm patres eorum.* Et rurſum, *mane conſurgens conteſtatus ſum, & dixi, audite vocem meam, & non audierunt nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed abierunt vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali.* *Ibid. 11.* Necnon iiſdem præterea pene terminis: *Ego autem locutus ſum ad vos, de mane conſurgens & loquens, & non obediſtis mihi, miſique ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, conſurgens diluculo, mittenſque & dicens: conuertimini vnuſquiſque à via ſua peſſima, & bona facite ſtudia veſtra; & non inclinaſtis aurem veſtram, & non audiſtis me.* *Ibid. 35.* Perpendi hæc certè debent toties ab eodem & eiſdem repetita Verba: *Mane conſurgens & diluculo loquens.* Vnde & tandem concluditur: *Idcirco*

Digitized by Google

hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam ſuper Iuda & ſuper omnes habitatores Ieruſalem, vniuerſam afflictionem quam locutus ſum aduerſum illos: eo quod locutus ſum ad illos & non audierunt: vocaui illos & non reſponderunt mihi: quaſi diceret, hoc vno maximè punientur, quòd tam parum de ſalute ſuâ ſolliciti fuerint, quando illis tantam ego ſolicitudinem propterea demonſtrabam. Nimis enim hoc pudendum & caſtigandum in re tanta, qualis eſt ſalus animæ, ſic animam oſcitari, vt quo ipſa tempore Saluatorem deberet quærere, quæratur à Saluatore, & quærentem fugiat atque auerſetur.

Quid nempe poteſt cauſari ſi pereat, præter illam oſcitantiam & incuriam in tam ſerio grauique negotio? Quid eſt aliud quàm contemptum & ſalutis & Saluatoris præ ſe ferre? Quid ille verò portendit atque infert contemptus, præter iam dicta, niſi quòd

Prou. 18. ait Sapiens: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.* Plura quidem alia ſequuntur damna, ſed illud inſigne eſt ad omnem æternitatis memoriam, quòd ignominiosè pereat, qui tùm perit, cùm ſaluari poſſet.

O te ter miſerum, qui hæc legis vel audis, niſi tu teipſum hîc agnoſcas, niſi agnitione pudeat & pudore pœniteat! Nonne à perfecta quâ te Deus ducit via deuiaſti? Nonne vt redires, tam crebrò es ſtimulatus, vt quia crebriores fuerunt ſtimuli, iam penè retuſi ſint & vix ſentiantur? Numquid verò tibi propterea putas erubeſcendum & pudendum? Numquid aliquando reuertendum? Quandonam autem? An quando Saluatori, vel quando tibi placebit? Non times tibi Chriſtus objiciat, quod rebellibus & infi-

Gen. 26. dis olim Iſaacus dixit: *Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis & expuliſtis à vobis?* Perge in hoc affectu, & plura ſi optas, vide his affines veritates.

Quò longius differs, difficultatem difficilius tolles.

In 1. *parte, Fer.* 2. *Hebd.* 4.

Si ordinatis ad ſalutem mediis non vteris, Mediatore Chriſto abuteris.

In 2. *parte, Sabbato poſt Quinquageſimam.*

Quantò teipſum negligis quaſi non eſſes cum cæteris

Digitized by Google

periturus, tantò te Chriſtus doluit præ cæteris perituris.

In 2. parte, Fer. 5. Hebd. 1. Quadrageſimæ.

Sedentem in cœlo Chriſtum, & inde nobis loquentem non audire, periculoſius eſt, quàm dum in terris loqueretur.

Sic dignum eſt cœlum noſtris deſideriis, vt niſi cœlum deſideres, cœlo ſis indignus.

In 2. parte, Fer. 5. & 6. Aſcenſionis Domini.

Reuocanti hominem Deo ab errore viæ ſuæ, non obſequi, peius eſt quàm primò vocantem ne erraret, non ſequi.

In 2. parte in fine, vbi de ſtatibus, conſiderat. 4. Et vide in die Pentecoſtes, de peccato in Spiritum ſanctum.

DE OVE A PASTORE INVENTA SIVE DE ANIMAE CONVERSIONE.

Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens illis, congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat.

VERITAS PRACTICA.

Quod vnius conuerſi peccatoris eſſe videtur, hoc eſt totius vniuerſi negotium.

RATIO EST, Quia hoc eſt totius vniuerſi negotium, quod toti vniuerſo benè vel malè vertitur.

Sed quod vnius conuerſi peccatoris eſſe videtur negotium, toti vniuerſo benè vel malè vertitur.

Digitized by Google

hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam ſuper Iuda & ſuper omnes habitatores Ieruſalem, vniuerſam afflictionem quam locutus ſum aduerſum illos: eo quod locutus ſum ad illos & non audierunt: vocaui illos & non reſponderunt mihi: quaſi diceret, hoc vno maximè punientur, quòd tam parum de ſalute ſua ſolliciti fuerint, quando illis tantam ego ſolicitudinem propterea demonſtrabam. Nimis enim hoc pudendum & caſtigandum in re tanta, qualis eſt ſalus animæ, ſic animam oſcitari, vt quo ipſa tempore Saluatorem deberet quærere, quæratur à Saluatore, & quærentem fugiat atque auerſetur.

Quid nempe poteſt cauſari ſi pereat, præter illam oſcitantiam & incuriam in tam ſerio grauique negotio? Quid eſt aliud quàm contemptum & ſalutis & Saluatoris præ ſe ferre? Quid ille verò portendit atque infert contemptus, præter iam dicta, niſi quòd
Prou. 18. ait Sapiens: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.* Plura quidem alia ſequuntur damna, ſed illud inſigne eſt ad omnem æternitatis memoriam, quòd ignominiosè pereat, qui tùm perit, cùm ſaluari poſſet.

O te ter miſerum, qui hæc legis vel audis, niſi tu teipſum hîc agnoſcas, niſi agnitione pudeat & pudore pœniteat! Nonne à perfecta quà te Deus ducit via deuiaſti? Nonne vt redires, tam crebrò es ſtimulatus, vt quia crebriores fuerunt ſtimuli, iam penè retuſi ſint & vix ſentiantur? Numquid verò tibi propterea putas erubeſcendum & pudendum? Numquid aliquando reuertendum? Quandonam autem? An quando Saluatori, vel quando tibi placebit? Non times tibi Chriſtus objiciat, quod rebellibus & infi-
Gen. 26. dis olim Iſaacus dixit: *Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis & expuliſtis à vobis?* Perge in hoc affectu, & plura ſi optas, vide his affines veritates.

Quò longius differs, difficultatem difficilius tolles.

In 1. parte, Fer. 2. Hebd. 4.

Si ordinatis ad ſalutem mediis non vteris, Mediatore Chriſto abuteris.

In 2. parte, Sabbato poſt Quinquageſimam.

Quantò teipſum negligis quaſi non eſſes cum cæteris

periturus, tantò te Chriſtus doluit præ cæteris perituris.

In 2. parte, Fer. 5. Hebd. 1. Quadrageſimæ.

Sedentem in cœlo Chriſtum, & inde nobis loquentem non audire, periculoſius eſt, quàm dum in terris loqueretur.

Sic dignum eſt cœlum noſtris deſideriis, vt niſi cœlum deſideres, cœlo ſis indignus.

In 2. parte, Fer. 5. & 6. Aſcenſionis Domini.

Reuocanti hominem Deo ab errore viæ ſuæ, non obſequi, peius eſt quàm primò vocantem ne erraret, non ſequi.

In 2. parte in fine, vbi de ſtatibus, conſiderat. 4. Et vide in die Pentecoſtes, de peccato in Spiritum ſanctum.

DE OVE A PASTORE INVENTA SIVE DE ANIMAE CONVERSIONE.

Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens illis, congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat.

VERITAS PRACTICA.

Quod vnius conuerſi peccatoris eſſe videtur, hoc eſt totius vniuerſi negotium.

RATIO EST, Quia hoc eſt totius vniuerſi negotium, quod toti vniuerſo benè vel malè vertitur.

Sed quod vnius conuerſi peccatoris eſſe videtur negotium, toti vniuerſo benè vel malè vertitur.

Digitized by Google

Ergo & totius eſt vniuerſi negotium; quæ ſanè conſideratio ponderoſa eſt & frugifera, ſiue vt nobis cum gratia, ſiue vt aliis vacemus conuertendis.

I. PVNCTVM.

Epheſ. 1. QVID eſt quod de Chriſto ſcripſit Apoſtolus, *Inſtaurata omnia quæ in cœlis & quæ in terra ſunt in ipſo?* An pro aliis etiam creaturis Chriſtus & non pro ſolo venit homine? An erat aliquid inſtaurandum in cæteris ſicut in humana natura? Numquid cœlo, numquid elementis quidquam Chriſtus contulit, quod ante non haberent?

Reſponderi primo poſſet, per cœlum, Angelos: & per terram, homines hic intelligi, quos inter, à Chriſto Domino ſunt inſtaurata omnia, quia ſimul in vnam beatitudinem conueniunt, *Lib. 31. Mor. c. 35.* & vt ait S. Gregorius, *illuc humiliati homines redeunt, vnde Apoſtatæ Angeli ſuperbiendo ceciderunt.* Secundò, quidam interpretantur in Chriſto ſic inſtaurata omnia, vt quæcumque in cœlis & in terra ſparſim creata ſunt bona naturæ & gratiæ, ſimul in Chriſto collecta ſint & velut recapitulata; ſic enim D. Hieronymus ex Græca voce loquitur, quaſi Chriſtus eſſet compendium & ſumma quædam rerum omnium, quæ vel in cœlis vel in terra ſpectantur, quæ vel in Angelis, in hominibus, & in cæteris creaturis inſigniores apparent. Ille vnus Angelorum Intelligentiam, Patriarcharum hominum Sanctitatem, ſolis & aſtrorum ſplendorem, aëris ſuauitatem, aquarum abundantiam, & terræ fœcunditatem nobiliori quodam modo complectitur. *Coloſſ. 1.* *Primogenitus omnis creaturæ*, non ſolum qui ſit primus & excellentiſſimus inter creaturas, ſed qui omnium excellentiam primus ipſe & præcipuus ſic participet, *Ibid.* *vt in ipſo condita ſint vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Sic idem fusè Apoſtolus.

Tertiò denique, quod propoſitæ nobis Parabolæ practicæque Veritati videtur opportunius, ſic alij explicant inſtaurata per Chriſtum omnia, quæ in cœlis & in terra ſunt, quatenus ſcilicet beneficio Redemptoris Chriſti conuertuntur peccatores atque in

Digitized by Google

gratiam cum Deo redeunt; qua in conuerſione, quoue in reditu tantùm ineſt boni, tam longè lateque patet eius virtus ac momentum, vt in rerum omnium vniuerſitatem redundet, ſicquè ad cœlum & ad terram vniuerſim ſpectet, quòd conuertantur peccatores, atque illius vera conuerſio *non ſit tantùm illius conuerſi peccatoris negotium, ſed totius vniuerſi.*

Quod certè ſi perpenderent peccatores, & qui peccatoribus reuocandis impenduntur, intelligerent acrius, quale ſit illud opus conuerti peccatorem, quod ad omnes qui cœlum terramque incolunt ſpectare dicitur. Quamobrem in hac ponderanda Veritate non eſt tranſcurſim legendum aut audiendum quod proponitur, ſed alto quietoque animo ſigillatim reuoluendum, quàm ſit illud verum, quàm momentoſum, & expellendo peccato efficax.

Ac primò quid clarius, quam quod prima propoſitione præmittitur, id eſſe totius vniuerſi negotium, quod toti vniuerſo benè vel malè vertitur, prout videlicet bonum vel malum exitum ſortietur: prout verè vel falsò peccator conuertetur. Sic Adamo imperatum ſeu potius vetitum illud opus circa Scientiæ boni & mali arborem, opus erat & negotium totius humani generis, quia inde vt patuit, primogenius omnium hominum ſtatus pendebat: atque ex conſequenti, Chriſti opus Saluatoris, opus & negotium vniuerſale fuit. Quia & ipſa Virgo Deipara, ſapienter à Diuo Bernardo prædicatur, *Negotium ſæculorum & terræ medium*, iuxta illud Prophetæ de Domino Ieſu, *operatus eſt ſalutem in medio terræ.* *Serm. 2. in die Pentec.* *Ad illam enim*, inquit ſanctus Abbas, *ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo vt reſarciantur, & qui in inferno vt eripiantur: qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur: qui ſequuntur, vt glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli, omnes inquam, generationes quæ omnibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, Iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ quia in te & per te & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat, recreauit.*

Quæ quidem ſancti Patris dicta ſic omnia referenda fuerunt, non modò quia noſtram valde illuſtrant propoſitionem, ſed quia

Digitized by Google

veritatis praxim & finem valde conciliant: Sic enim peccator intelliges, quantum illi debeas à qua Saluatorem habes, & ad quam Saluatore offenſo confugias. Hæc eſt enim illa Mulier quæ tanta ſedulitate perditam quærit drachmam, id eſt, animam, vt ſi Paſtoris offenſi opera non adeſſet, nunquam illa deeſſet: vt fusè alibi ſuis locis infra deſignatis.

II. PVNCTVM.

SED *quod vnius conuerſi peccatoris videtur eſſe negotium, ſic toti vniuerſo benè vel malè vertitur, vt prout verè an fictè conuerſus peccator fuerit, benè vel malè ſit toti vniuerſo.*

Primò, licet Deus ſit ſupra rerum omnium vniuerſitatem, & ad eius declarandam ſublimitatem expreſsè dicatur homini: *ſi peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? Homini qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua:* Tamen ita vniuerſalis eſt & tam vera propoſitio, vt ipſum Deum comprehendat, vt ipſi Deo bene vel male ſit à peccatore conuerſo vel non conuerſo, quantum dici fas eſt ſuo modo, benè vel male à creaturis eſſe Deo. Sic autem dici fas eſt, quatenus ſua ipſe lucra vel damna vult æſtimare, quæ ab illis dantur obſequia vel negantur, vel quæ ab ipſo Deo conferuntur hominibus aut recuſantur beneficia.

Iob. 35.

Sic expreſsè ſanctus Hieronymus, *Salus creaturæ lucrum eſt Creatoris.* SVVM *deputat quod noſtrum eſt,* inquit D. Auguſtinus. Contemplare paulò attentius quantum interſit diſcriminis inter animam Deo gratam vel infenſam: inter ſponſam Chriſti vel adulteram; inter beatam vel damnatam; inter charitatis ſeu gratiæ decus internum, vel peccati turpitudinem; inter æternas laudes à Beatis decantandas, vel ſempiternas blaſphemias à damnatis euomendas. Hoc eſt, quo non modo bonum vel malum Dei dignoſcitur, ſed quale quantumque ſit bonum vel malum hoc, euidenter declaratur. Nonne propterea malum culpæ quantumnis leue ſit, malo pœnæ quantumcunque graui grauius eſſe decernitur, quia malum culpæ malum eſt Creatoris; malum autem pœnæ malum eſt creaturæ? *Vidit Dominus & malum apparuit in*

In c. 15 Ier.

oculis

Digitized by Google

oculis eius, & aporiatus eſt, inquit Propheta. Quid quod etiam conſtanter aſſeritur Chriſto ſuam mortem non tam fuiſſe grauem quàm vel vnum peccatum, quia ſcilicet peccato Deus offenditur, quem cùm pluris faceret Chriſtus, quàm corpus ſuum, magis proinde dolebat eius offenſa quàm ſui corporis. *Pater maior me eſt.* Vide in Paſſione Domini. *Iſ. 53.* *Io. n. 14.*

Iam verò ſi quid de Chriſto conſideremus ſeparatim à ſolo Deo; ſi contemplemur ſalútis humanæ negotium, non ſolius eſſe Dei ſed hominis Dei qui Chriſtus dicitur, quis non agnoſcat in vnius vera conuerſione peccatoris quanta res Chriſti agatur, cum de illius agatur Sãguine, de illius meritis, de tota denique Chriſti vita, quæ in iſto perit aut ſaluatur peccatore, prout verè aut falsò conuertitur. *Quæ vtilitas in meo ſanguine dum deſcendo in corruptionem?* Nonne propterea bonus ille Paſtor inuenta ſua dicebat oue: *Congratulamini mihi*: Non oui, non ouili, non cuiquam prius quam mihi, vt obſeruat ſanctus Gregorius, quia videlicet illius ouis eſt; Sicut illius erat iactura cum eſſet perdita, ſic illius eſt lucrum & gaudium cùm eſt inuenta. *Pſ. 29.* *Hom. 34. in Euang.*

Quod ipſum de ſacra Virgine tam certò eſt aſſerendum quàm verè conſtat, illam eſſe Matrem quæ tot in Chriſto filios genuit, quot ſunt Chriſti fratres: quæ ſuos ita diligit, vt pro illis ſeruandis in Chriſti filij mortem conſenſerit, quæ peccatorum denique procurandam conuerſionem ſuum eſſe proprium munus intelligit, vnde illam idcirco *de præſenti tranſlatam ſæculo* profitetur Eccleſia, *vt pro peccatis*, inquit, *apud Deum fiducialiter intercedat*. Quanti putas igitur hoc illius intereſſe, ſi peccatores conuertantur aut pereant? *In ſecreta Vigil. Aſſumpt.*

De Angelis certè dubitari non poteſt, cùm expreſſè in parabola memoretur eorum gaudium de peccatore conuerſo, & tantam cum peccato pugnantiam omnes habent, vt ſanctus Baſilius aſſerat, *Quod quemadmodum fumus fugat apes, & fætor columbas, ſic peccatum Angelos, quorum etiam cuſtodiam reddit inefficacem.* *Homil. 20. in Pſal. 33.*

Res item agitur Animarum purgatorij, quibus peccatores aut omnino non ſuffragantur, aut minus valida ſunt eorum ſuffragia, quæ peccati veneno ſunt infecta. *Nõ exaudiam*, dicit Dominus. *Iſ. 1.*

Ad ſingulos præterea ſpectat homines vnius domûs, vnius ciuitatis, vnius regni, & vnius Eccleſiæ: ſicut enim vnus aut alter innocens & probatæ vitæ Diuinam lenit iuſtitiam, ne cæteros puniat peccatores; ſic vel vnius peccato ſæpe fit, vt multi pereant,

Gen. 18. & eamdem peccati temporalem luant pœnam. Nonne ſi vel decem Sodomis fuiſſent iuſti, reliquis Dominus pepercisset? *Receſſit ab eis omne præſidium*, dicebat Ioſue de Amorrhæis, quod de
Num. 14
vno Iobo quidam interpretantur, qui dum ibi viueret, ſuorum erat præſidium; dum è vita exceſſit, tum receſſit ab eis omne præſidium. Nonne propter vnum Achan qui vel vnum peccauit, ſexcentis millibus à Deo dicitur, *non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt*. Nonne & propter peccantium multitudinem ſæpe puniuntur peccatores, quibus eſſet condonatum, ſi pauciores fuiſſent? *ſanguis ſanguinem tetigit*, ait Propheta, de peccatis ſimul iunctis, *propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea.*
Apud Menoch.
Ioſue 7.
Oſeæ 4.

Numquid ad vniuerſam verò ſpectat Eccleſiam quæ vnum corpus in Chriſto efficit, nullum vt ſit membrum eius inutile, nullum onerosum, & nullum peſtilens, qualis eſt peccator non conuerſus? Numquid & hæreticis & infidelibus obſtat, quo ſe minus Eccleſiæ Chriſtoque aggregent, cum Chriſtianos vident peccatores? *Per vos blaſphematur nomen Dei inter gentes*. O religionis probrum & ſcandalum!
Rom. 2.

Quin & ipſis damnatis peius cedit à quouis peccatore, quibus in culpa & pœna pares habere non eſt pœnæ ſolatium, ſed augmentum. Vnde ille ſepultus in inferno ſibi timens dicebat de fratribus, *ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*.
Luc. 16.

Addo & rationis expertibus creaturis tanti conducere peccatoris conuerſionem, quanti dicuntur gaudij vel gemitus ſenſum habere, quando ſcilicet probis aut improbis ſeruiunt; Quò refertur illud Apoſtoli: *Vanitati creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: ſcimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit adhuc*, Id eſt, perinde ac ſi dolores parturientis ſentiret, ſic fœtum edit & fructum qui ſeruire debet his qui Deo minus ſeruiunt quàm ipſæ inanimes creaturæ. Vnde & Sapiens de offenſo à peccatis Deo, *armabit creaturam ad vltionem inimicorum & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.*
Rom. 8.
Sap. 5.

Dici & poſſet de illis præcipuè creaturis quæ nutriendo ſeruiunt homini, tranſeuntque quodammodo in ipſius ſubſtantiam, quem nutriunt; quod ita felices aut infelices euadunt, prout ille homo beatus aut miſer fuerit. Vnde quantum capaces natiui ſunt appe-

Digitized by Google

titus, tantum profecto appeterent bonis ac beatis inſeruire, refugerentque peccatores, ſicut de manna dicitur, quod ſemper bonis eſſet ſapidum, malis autem inſipidum & nauſeoſum. *Creatura enim tibi factori deſeruiens*, ait Salomon, aut quiſquis eſt Sapientiæ libri author, *exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & lenior ſit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebat, ad voluntatem eorum qui à te deſiderabant: vt ſcirent filij tui quos dilexiſti Domine, quoniam non natiuitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos qui in te crediderunt, conſeruat.* Sap. 16.

Videſne creaturam in nutriendis hominibus non tam naturæ quàm gratiæ quandam habuiſſe rationem, vt his potiſſimum ſeſe profunderet quos non natura ſed gratia commendaret; vnde ſatis eſt euidens, quanti ſuâ referre indicet, quòd vel homo non peccet, vel à peccato quàm primum reſipiſcat.

Intelligite hæc qui obliuiſcimi Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat; quid enim pro peccatore ſtaret, qui contra omnia peccando ſtetit? Pſal. 49.

III. PVNCTVM.

QVOD *vnius igitur conuerſi peccatoris eſſe videtur, hoc eſt totius vniuerſi negotium*, Res rerum omnium in eo agitur, res eſt Dei, res eſt Chriſti, res eſt Deiparæ Virginis, res Angelorum, res animarum Purgatorij, res cunctorum viuentium, res vno verbo eſt vniuerſæ creaturæ, quæ bonitatem quamdam aut malitiam contrahit, prout bonis aut malis hominibus ſeruit. Sicut enim bonis bona ſunt omnia, ſic malis mala fiunt, non ex ſe, ſed ex malo malorum hominum vſu. *Quàm multi de altari accipiunt*, inquit S. Auguſtinus, *& moriuntur & accipiendo moriuntur? vnde dicit Apoſtolus, iudicium ſibi manducat & bibit. Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? nempe illam cum accepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit*, Quaſi diceret, non res ſed rei vſus malus fuit: res quidem omnis bona eſt, ſed rei malus fit vſus ab vtente. Quid autem rei bonæ magis aduerſum, quàm vt in malum degeneret malo vtentis vſu? Tract. 16. in Ioan.

Si buccella illa Dominica capax eſſet appetitus, nonne appeteret vel Iudam cui datur, eſſe conuerſum: vel non illi peruerſo

Digitized by Google

dari? Nonne negotium conuertendi Iudæ cenſeretur & illius buccellæ negotium, quo ſenſu dici poſſet huius appetitum, huius eſſe negotium? ſic planè de cæteris vniuerſi rebus circa quoſuis peccatores, quantum illæ poſſent, apperterent, vel non ſeruire peccatori, vel non eſſe peccatorem cui ſeruirent, quia cùm ſint bonæ, nollent eſſe malæ, nollent in malum verti vſum: atque hoc ne ipſis vnquam accidat, eſt earum negotium; & hoc eſt negotium quod agitur, cum de conuertendo agitur peccatore. *Neſcierunt* ait Pſaltes de peccatoribus, *neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Quicquid rerum vbique eſt ab imo terræ fundo, propterea mouebitur, tanquam ſi res agatur ſua, cùm peccator non mouetur de ſuo miſerando ſtatu.

Pſal. 81.

Quæ ſi dicta ſunt de inanimi creatura, quantò magis de rationali, quantò magis de cœleſti, quæ ſimul omnes conueniunt velut in rem ſuam, & rem communem omnibus, quando agitur de conuerſione peccatoris. *Ecce cælum & cæli cælorum*, his liceat vti ſcripturæ verbis, *abyſſus & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commouebuntur, montes ſimul & colles & fundamenta terræ cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur, & in his omnibus inſenſatum eſt cor*, Nempe cor peccatoris qui non mouetur vt reſipiſcat, & cuius præcipuè ac præcipua res agitur in illa reſipiſcentia. Hoc eſt certè mirum & ſtupendum!

Eccleſi. 16.

Accidit aliquando Corinthi, vt vno peccante Chriſtiano, cæteri non ſatis vehementer in illum exarſerint, nec condigna peccatum mulctarint pœna: tum verò Apoſtolus: *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit!* Voluiſſet totam in luctu eſſe ciuitatem propter vnum peccatorem, quia res erat omnium vt ille conuerteretur, & fauente Deo ſic conuerti poterat, cùm videret omnes propter ſe commoueri. Quod & reuera ſic euenit, nam in luctum conuerſa ciuitate ſic ille miſer reſipuit, & tam lugubres pœnitentis animi ſenſus induit, vt deinde ad eamdem ſcribendum fuerit Apoſtolo ciuitatem, vt mærentem hominem ſolarentur & erigerent, *ne forte*, inquit, *abundantiori triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt: propter quod obſecro vos vt confirmetis in illum, charitatem.*

1. Cor. 5.

2. Cor. 2.

O felix illud ſæculum quo perpauci peccabant & permulti ſic lugebant perpetratum peccatum vt ſtatim expiaretur. Nunc è contra multi peccant & pauci lugent, vnde & peccatum in dies

Digitized by Google

creſcit. Eritne vel vnus hodie qui cælum lætificare velit, qui ſe in cœlo prædicari appetat, & præclarè de ſe ab omnibus ſentirī Angelis? Quid glorioſius quàm ſupremæ beatorum lætitiæ poſſe aliquid adjicere? vel quid felicius in terris poſito quàm poſſe in cœlis ſermone Angelorum celebrari? Quàm verendum ne id potius accidat quod ſcriptura refert, *Angeli pacis amare flebunt*. En præſto Cuſtodes noſtri expectant quid ſequatur ex hoc diſcurſu; pendet à nobis illorum fletus vel gaudium. Quis tam vecors qui cum poſſit tutelarem ſuum lætificare Angelum, malit eum contriſtare? An recuſares petenti à te aliquid quod facile poſſes dare, quod illi datum etiam cederet in tuum commodum, an inquam recuſares illi qui nullum officij genus in ſingulas pene horas recuſat tibi conferre? Hoc eſt quod modò Angelis, hoc eſt quod ipſi recuſas Chriſto, qui quod in te videt peccatum petit vt deponas, iam iam ſine mora; nimis enim iam retardatum. *Iſ. 33.*

Quid hic dices? nullumne prorſus in te peccatum agnoſcis? viſne illud aliquando vel numquam deponere? quando autem opportunius quàm petente Chriſto, quàm ſpectantibus Angelis quid ſis facturus? Nec dicas eſſe quid leuius quàm vt multum propterea mouearis, nam tantò eſt propterea facilius dare quod petitur, & tanto probroſius ſi negetur. Neque verò etiam deterrearis ſi quid eſt grauius, nam in dies ingraueſcit, & magis inde ſemper deterreberis, tantoque periculoſior eſt dilatio, quantò peccatum grauius.

Ac tandem vt cum Diuo Gregorio parabolam explanante concludamus: *Ecce*, inquit, *iam lapſi ſumus, ſtare nequaquam valuimus, in prauis noſtris deſiderijs iacemus; ſed qui nos condidit rectos, expectat adhuc & prouocat vt ſurgamus. Sinum ſuæ pietatis aperit, noſque ad ſe recipere per pœnitentiam quærit; ſed pœnitentiam agere dignam non poſſumus, niſi modum quoque eiuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe agere eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat aut ignorat. Quid enim prodeſt, ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æſtibus anhelat? aut quid prodeſt ſi iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabeſcat? Sed minus eſt valde quod dicimus, vt qui peccata deplorat, ploranda minimè committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum ſummopere eſt, vt qui* *Homil 34. in Euang.*

Digitized by Google

ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc Conditori ſuo ſatisfaciat, vt qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcindere debeat etiam conceſſa, & ſe reprehendat in minimis, qui ſe meminit in maximis deliquiſſe.

Vide in 2. parte in Sexageſima.

Niſi verbum Dei te conuertat, tu peruertes verbũ Dei.

Et pro Beata Virgine de qua primis duobus punctis, Vide in Feſto Annuntiationis.

Non tam ſibi quàm nobis Chriſtus elegit matrem.

Qui dicunt ſe non poſſe quod iubentur, non poſſunt id dicere ſine iniuria Virginis Matris.

Ex quarta porrò parte conformes aliæ petendæ ſunt veritates.

Qua vna re potiſſimum à Dei cultu auocamur, eadem potius ad eum aduocandi ſumus.

Sabbato Hebdom. 15.

Niſi ab omni cupiditate voluntas, ſicut ab omni errore intellectus verè conuertatur, vix vlla eſt vera conuerſio.

Si quis corripi noluerit, hoc ipſo magis eſt corripiendus.

Feria 2. *&* 4. *Hebdomada* 16.

In leui quidem cupiditate pars aliqua noſtri cordis detrahitur, in graui verò totum cor Deo perit.

Dominica 17.

Nulla niſi primaria ſatis eſſe poteſt cura de peccatis euitandis.

Dominica 18.

Nunquam magis eris tuus, quam dum totus eris Chriſti.

Feria 4. *Hebdom.* 24. *vbi de hac rurſus parabola conſequenter ad hiſtoricam Euangelij ſeriem.*

Digitized by Google

AD SEQVENTES QVATVOR HEBDOMADAS.

SERMO ille Domini qui eſt in monte habitus exponetur, cuius Initium quæ octo Beatitudines faciunt, cùm ſint tot Veritates Practicæ quæ ſuam ſecum inuehunt probationem, non aliis opus eſt verbis nec rationibus ad eas primò exponendas, quàm illis ipſis Euangelicis, quibus vſus eſt Dominus.

FERIA SECVNDA.

DE PRIMA BEATITVDINE, QVAE EST PAVPERTAS SPIRITVS.

Beati pauperes ſpiritu. Matth. 5.

Væ vobis diuitibus. Luc. 6.

RATIO EST, Quia beati ſunt quorum eſt regnum cælorum.
Sed regnum cælorum, eſt pauperum ſpiritu.
Ergo illi beati ſunt: & miſeri diuites qui iacturam illius regni faciunt: Ac proinde paupertas diuitiis præferenda, ſicut Beatitudo miſeriæ.

I. PVNCTVM.

VIDENS Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius: & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Digitized by Google

Hinc formanda loci compoſitio & Chriſti docentis repræſentatio quæ reliquis ſubſeruiat meditationibus; Tum gratijs Domino perſolutis, quod ipſe ore proprio cœleſtem ſuam doctrinam nos docere voluerit, admirare quàm reuera ſit cœleſtis illa doctrina, & ſupra humanos ſenſus euecta, quæ Beatitudinem ponit in paupertate, & miſeriam in diuitijs. O cogitationes diuinas & humanas, quam diſpares & diuerſas! *Sicut exaltantur cœli à terra.*

Iſ. 55.

Quam porrò ita ſit, *Beatos eſſe pauperes*, ſufficiebat ad fidem, quod Chriſtus ita diceret: ſed vt tanto magis afficeremur ad illam paupertatem, quanto clarius videremus adiunctam illi eſſe Beatitudinem, ſubiecit hanc rationem; *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*; quaſi diceret, Certum eſt illos eſſe Beatos quorum eſt regnum cœlorum: At regnum cœlorum eſt pauperum ſpiritu. Ergo aperta & euidens eſt concluſio, quod illi ſunt Beati, & quod amanda eſt paupertas ſicut ipſa Beatitudo.

Hoc itaque primò eſt non tam probandum quàm præſupponendum, & conſiderandum quam Beati ſint illi, quorum eſt regnum cœlorum. Expende quantum potes cum Gratia, quale illud ſit regnum, quàm fœlix, quàm diuturnum, quàm ex omni parte beatum. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus.* Ibi ſapientiam, ibi potentiam, ibi Bonitatem ſuam ſuis manifeſtat. Gaudium ipſius Dei eſt: ipſa eſt Dei beatitudo quam Beati participant. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Dicitur domus ſimul & regnum, quia ſic regnum vniuerſum participat vnuſquiſque Beatus, quaſi ſit ſola eius domus: Neque tamen regni amplitudo impedit poſſeſſionem, neque poſſeſſio conſtringit amplitudinem. *O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus. QVAM dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c.* His & ſimilibus ita afficere, vt firmum illud fixumque in mente maneat, vnicam noſtram Beatitudinem in cœlo eſſe poſitam.

Iſaiæ 64. 1. Cor. 2.

Pſ. 83.

Baruch. 3.

II. PVNCTVM.

SED *pauperum Spiritu eſt illud Regnum cœlorum.*
Pauperes Spiritu, id eſt, affectu & voluntate, ſiue id electione

ctione ſiue id neceſſitate contingat, ſiue id etiam in diuitiis fiat, temperando animum ab omni cupiditate. Sed ad mentem Chriſti expreſſius intelliguntur illi qui reuera renuntiant habendis facultatibus & humilem vitæ ſtatum præeligunt ac profitentur: Spirituali ſcilicet intentione, ſeu deſiderio ſupernaturali propter ſolum beneplacitum Dei & animarum ſalutem, non vt antiqui illi Philoſophi, ſed vt primi Chriſtiani, qui vt ait ſanctus Leo, *vniuerſis ſuis rebus poſſeſſionibuſque diſtractis per deuotiſſimam paupertatem, bonis ditabantur æternis, & ex Apoſtolica prædicatione gaudebant, nihil habere de mundo, & omnia poſſidere cum Chriſto.* Hom. de octo beatit.

Horum autem eſt regnum cœlorum, tùm quia Chriſtus ſic compenſat talem affectum; tum quia ex illo affectu peccata pene omnia excluduntur, & virtutes exercentur quibus tale regnum acquiritur. Denique quo id cumque modo fiat, tam certa Chriſti promiſſio eſt vt iam de præſenti regnum cœleſte ad illos pertineat: *Veſtrum eſt regnum Dei.* Exerce hic actus Luc. 6. fidei, ſpei & caritatis. Fidei quidem quod Chriſtus dixerit, & verè dixerit; ſpei autem quod ſi paupertatem hanc colas, promiſſum regnum ſis poſſeſſurus; ac denique caritatis ergo talem Dominum qui ſeruos ſuos ita compenſat. *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, vt fiam gener Regis?* 1. Reg 18. Non putabat Dauid ſatis ſibi eſſe opum & nobilitatis vt in familiam Regis aſciſceretur: At è contra vt hæres Dei fias, & cohæres Chriſti exquire num ſatis ſis pauper & inops, ſaltem affectu. Diuitiis terrena comparantur, ſed paupertate Cœleſtia. Dic tecum ſeriò, quis ego ſum? an ego ſatis pauper effectu vel affectu? aut quæ eſt vita mea, aut quæ domus & poſſeſſio? an quid ſuperfluum apud me eſt? an quid redundans? an quid humanum adhæret animo? an aliquid in tota ſupellectile quo non libens carerem? Hoc eſt enim eſſe pauperem ſpiritu, nulla re affici, paucis eſſe contentum, & iis paucis quæ neceſſaria ſunt ſic ſuſtentari quaſi nihil poſſideas.

Eſt quaſi diues cùm nihil habeat: & eſt quaſi pauper cùm in multis diuitiis ſit. Prou. 13. Id eſt nihil habenti quædam ſunt diuitiæ, & abundanti rebus quædam eſt paupertas. Potes eſſe diues in paupertate, & pauper in diuitiis: & quod eſt magis mirum, potes vtrumque vel ex virtute vel ex vitio. Virtus erit ſi tua in paupertate contentus

viuas, aut ſi qua re vteris, ſine affectu inordinato, vtaris. Si vero in paupertate murmures aut in diuitiis plura deſideres, virtutem vertis in vitium. Tanti refert in hac materia, rectum ſibi facere ſpiritum, vt pro hac ſpiritus rectitudine ſit paupertas Euangelica, & pro hac Euangelica paupertate ſit præſens & futura participatio regni cœleſtis. *Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopis,* (Pſ. 139.) Id eſt, non modo cauſam ſuſcipiet inopum, ſed cauſam examinabit inopiæ; diſcernet & dijudicabit inopem ab inope, neque niſi hoc præuio quemquam remunerabit, iudicio.

III. PVNCTVM.

(Serm. 28. de Verbis Apoſt.) ERGO *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*, quod verè Beatos facit, & extra quod nullus eſſe poteſt beatus. *Fælicitas magna Chriſtianorum*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quibus datum eſt vt paupertatem faciant pretium regni Cælorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inueniri: Vis noſſe quam locuples ſit, cælum emit. Quibus theſauris conferri poſſet quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cælorum veniret diues, poſſeſſione ſua obtinere non poteſt, nunc obtinet vt contempta perueniat.*

Sed cum omnes eſſe velint beati & nemo miſer, vndenam fit vt nemo velit eſſe pauper & omnes diuites? Hoc certe eſt pauendum, nec aliunde prouenit quàm ex defectu fidei, eoque duplici; Nempe vix credunt eſſe aliam vitam, aut vix amant cœleſtem præ iſta temporali; nec credunt Chriſto affirmanti Beatos pauperes, ſeu miſeros diuites: ſenſus repugnat & præualet: viſibilia prępoderant inuiſibilibus; præſentia magis vrgent quàm futura: (Ier. 12.) *Quia denique nullus eſt, qui recogitet corde, ſic deſolatione deſolata eſt omnis terra.* Sed cogitanti tantiper futura, longe eſt alius ſenſus; & quantumcumque illa tardent aut diſtent tempora, ſatis eſt vt ſint præſentia, ſi ſint aliquando futura. *Vnus dies apud Dominum,* ait (2. Pet. 3.) ſanctus Petrus, *ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quamobrem ſic apte & præclare ſanctus Bernardus: (Serm. 1. in Feſto omniū Sanct.) *Quærat Paganus diuitias, qui ſine Deo viuit: Quærat Iudæus qui terrenas promiſſiones accepit; Sed qua fronte magis, aut qua mente Chriſtia-*

Digitized by Google

nus diuitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicauit? Filij alieni, quouſque vanitatem loquetur os veſtrum, vt beatum dicatis populum cui hæc ſunt, hæc viſibilia, hæc præſentia, cùm Filius Dei os ſuum aperiens, locutus ſit veritatem, beatos eſſe pauperes, & væ diuitibus?

Vide in 4. parte, totam Hebdomadam 17. vbi hæc inter plures alias opportuna iam dictis habetur Veritas:

Hoc amanti cœlum paupertas eſt, quod amanti terram, diuitiæ.

FERIA TERTIA.

DE SECVNDA BEATITVDINE, QVAE EST MANSVETVDO.

Beati mites. Matth. 5.

RATIO EST, Quia Beati ſunt qui poſſidebunt terram. Sed mites terram poſſidebunt. Ergo Beati ſunt; & colenda manſuetudo.

I. PVNCTVM.

CONNEXIONEM huius Beatitudinis cum præcedenti declarans ſanctus Bernardus: *Sic opertebat*, inquit, *commendata paupertate, etiam manſuetudinem prædicari, quoniam relinquentibus omnia, prima ſolet eſſe tentatio de moleſtijs corporis, & afflictione carnis inſolita. Quid vero paupertas proderit, ſi, quod abſit, pauper in murmurationem deueniat factus exaſperans & impatiens diſciplinæ? Optime quoque poſt regni promiſſionem minus aliud regnum velut in arrham datur, vt ſecundum ſcripturam, promiſſionem habeamus vitæ eius quæ nunc eſt pariter & futuræ, & de exhibitione præſentium firma ſit expectatio futurorum.* Sic ſanctus Thomas docet ex ſancto Au-

Serm. 1. in Feſto Sanct. omnium.

1. Tim. 4.

1. 2. q. 69. a. 2.

Digitized by Google

guſtino, præmia beatitudinis promiſſa, tam ſpectare præſentem vitam quàm futuram, quod & patebit in ſeptem ſequentibus.

Nunc vero duo ſunt nobis in hoc primo puncto declaranda. Primum, quænam ſit illa terra quam qui poſſident beati ſunt. Deinde quomodo ſint beati qui terram illam poſſident. De primo nonnulli intelligunt cœlum quæ eſt terra viuentium, alij volunt eſſe homines qui nobiliorem terræ partem efficiunt, & quorum corda poſſident Mites iuxta illud Sapientis: *In manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* Alij denique quorum eſt communior & magis recepta ſententia, terram interpretantur Corpus noſtrum, *Quod nunc eſt terra mortuorum*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *in gloria erit terra viuorum*.

Eccl. 3.

Suum autem corpus qui poſſident quomodo ſint Beati, quod erat alterum hic explanandum, tripliciter cogitari poteſt. Primo quidem quòd ſicut grauiori miſeria mortalis huius vitæ miſeri ſunt qui poſſidentur à corpore ſeu carne, quando ſcilicet caro concupiſcens aduerſus ſpiritum, ſpiritum ſibi ſubijcit: ita beati ſunt qui liberantur illa miſeria; liberantur autem qui corpus poſſident, id eſt qui carnem ſubdunt ſpiritui. Nam *hæc eſt vera libertas hominis*, inquit ſanctus Leo, *quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.* Rurſumque alibi; *Cùm caro concupiſcens aduerſus ſpiritum ſpiritali cupiditate ſuperatur, tunc libera obtinetur ſanitas, & ſana libertas, vt & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio.* Deinde quid beatius quàm pax vera & ſolida? *Inter benedictionis Diuinæ ſpecies pax perfectiſſima eſſe videtur*, inquit ſanctus Baſilius. Qui vero poſſident corpus, & generoſe carnis domant concupiſcentias tam vere pacem poſſident quàm verum eſt bella & lites non aliunde in nobis eſſe, *quàm ex concupiſcentijs quæ militant in membris noſtris.* Denique quis non beatos aſſerat eos qui modico pretio locupletari poſſint coram Deo, comparatis ſibi virtutum & bonorum operum ingentibus meritis? Tales ſunt autem qui poſſident ſuum corpus, *Hæc eſt Incorruptibilitas quieti & modeſti ſpiritus qui eſt in conſpectu Dei locuples*, inquit ſanctus Petrus. *Et verè diues eſt*, ait ſanctus Ambroſius, *qui in conſpectu Dei poteſt diues videri, in cuius conſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt.*

Serm. 1. in Quadr.

Serm. 4. de Ieiun. Pent.

In Pſ. 28.

Iac. 4.

1. Pet. 3.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *Mites terram illam poſsidebunt, aut iam reipſa poſsident.* Primo enim mites dicuntur non tantum qui repreſſa iracundia patientiam ſeruant, ſed qui ſe vniuerſim domant in ſuis prauis cupiditatibus. Sic aperte Clemens Alexandrinus: *Manſueti vel mites ſunt qui inſidam quæ eſt in anima pugnam ſedauerunt, iræ & cupiditatis, & eorum quæ ſub eas cadunt.* Sic conformiter ſanctus Baſilius: *Qui ſedati ſunt & compoſitis moribus, nempe ab omni affectu vitioſo liberi, adeout nullum in animabus ſuis perturbationi reliquerint locum, hi demum manſueti appellantur.* Quod & Scriptura videtur innuere cum viros vniuerſim probos & virtute inſignes, manſuetos terræ nominat: *Arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* QVÆRITE *Dominum omnes manſueti terræ, qui iudicium eius eſtis operati.* Qua in ſignificatione tam clarum eſt quomodo mites terram poſſideant, vt vnum & idem ſit, eſſe mitem & terram ſeu corpus ſuum poſſidere. *l. 4. Strom.* *In Pſ. 33.* *Iſ. 11.* *Soph. 2.*

Deinde vero ſi ſtrictius Mites dicantur ij qui ſurgentes iracundiæ motus reprimunt, rectè etiam dicuntur terram ſeu corpus & corporis motus poſſidere, quia cùm iracundia ferociores & turbulentiores corporis & animi motus excitet, profecto qui retinet iram, retinet corpus & animam, ſeque ipſum inſigniter poſſidere dicendus eſt: ſic Sapiens in Prouerbijs: *Qui acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis*, id eſt, qui non iraſcitur, qui non commouetur, qui mitis eſt, ſeipſum poſſidet. *Prou. 15.*

Adde quod cùm ex illis omnibus cauſis quæ cæteras animi commotiones aut corporis iactationes prouocare ſolent, iracundia excitetur, hinc certe fit vt qui perfecte mitis eſt & iracundiæ domitor, ſuas alias cupiditates domet neceſſe eſt, aut iracundiam non domabit quæ ex indomitis cupiditatibus oritur; ſic in Ethicis legitur quod *manſuetus perturbatione vacare ſolet, nulloque duci affectu, quouſque ratio præſcripſerit.* Sic Chriſtus Dominus dum ad perfectam ſui & virtutum omnium Imitationem nos hortaretur, *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum & humilis corde*, quaſi cæteras omnes virtutes his duabus complecteretur: & expreſſius ad rem noſtram, *In patientia*, inquiebat, *poſſidebitis animas veſtras*; vbi Diuus Gregorius, *Dum nobis dominari diſcimus, hoc incipimus poſſidere quod ſumus.* *l. 4. Ethic. c. 5.* *Matth. 11.* *Luc. 21.*

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

ERGO *Beati mites, quoniam poſſidebunt terram*, quam qui poſſident tam vere beati ſunt quàm qui multa pace fruuntur:

Pſ. 36. *Manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. MERITO*, inquit ſanctus Ambroſius, *terram poſſident in quibus Deus ipſe requieſcit, ſicut Diuino per Iſaiam reſultauit oraculo. Super quem requieſcam niſi ſupra humilem & quietum & trementem verba mea? Et quia non vina non epulas, non diuitias, ſed pacem Domini dilexerunt in corpore conſtituti, pro illa delectatione corporalium voluptatum quo ſe putarent eſſe fraudandos vt gratiam adipiſcerentur æternam, delectabuntur in multitudine pacis quam Dominus noſter Ieſus in diebus ſuis, generi donauit humano.* Sic ſanctus Ioannes Chryſoſtomus:

Hom. 34. in Hen. *Nihil animam ita in tranquillitate & quiete eſſe facit vt manſuetudo & modeſtia. Hæc omni diademate ſe poſſidenti eſt vtilior. Hæc omni claritudine & gloria conducibilior. Quid enim beatius quàm inteſtino liberari bello? ſicut nihil miſerabilius eſt aliqua in ciuitate, quæ licet præſidiis & muris bene ſit munita, intus tamen ciues foueat proditores.*

Sic denique rem totam planè confirmat & concludit ſanctus Bernardus, pergens in eodem ſermone quo ſupra. *Hanc ego terram, corpus noſtrum intelligo, quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubjecta, quoniam tale inueniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori. Armatur enim Creatura ad vlciſcendam ſui injuriam Creatoris. Et ideo nouerit anima quæ rebellem ſibi inuenit carnem ſuam ſe quoque minus quam oporteat ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubjectam. Manſueſcat ipſa & humilietur ſub potenti manu Altiſſimi: ſubjecta ſit Deo, & his pariter quibus vice eius habet obedire Prælatis, & continuo inueniet corpus ſuum obediens & ſubjectum; Veritas enim eſt quæ loquitur, Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Quam in rem

Eccleſ. 10. & Sapiens aptiſſime quod expendas diutius; *Fili in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum: peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?* Quod ſic alij vertunt clarius: Per manſuetudinem, gloriam animæ tuæ concilia; & eam honore quem meretur affice, conſeruando eam videlicet in ea dignitate & dominatione quam habet à Deo ſupra ſuum appetitum: ſic beatus &

Digitized by Google

glorioſus eris; hæc eſt beatitudo & gloria tua, quæ ſic tamen à te pendet vt niſi manſuetus ſis, plane depereat; & tunc à beatitudine & gloria incides in talem miſeriam & ignominiam, vt nullus vnus te honoret cum te ipſe exhonoraueris. Nam vere ille miſer eſt & omni prorſus miſeratione indignus, qui cum facile beatus eſſe poſſet, mauult eſſe miſer. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine.* *Eccleſ. 30.*

Vide in 1. parte, Vigilia Natalis Domini. In 2. Feria 3, Hebd. 2. in Quadrageſima. Vbi hæc Veritas expendetur:

Quo quis eſt mitior, eò & generoſior.

FERIA QVARTA.

DE TERTIA BEATITVDINE, QVAE EST LVGENTIVM.

Beati qui lugent. Matth. 5.

Væ vobis qui ridetis nunc. Luc. 6.

RATIO EST, Quia Beati ſunt qui conſolabuntur.
Sed qui lugent, conſolabuntur.
Ergo Beati qui lugent, Et pluris æſtimandus luctus quàm riſus.

I. PVNCTVM.

SI de futura Sanctorum fœlicitate ſeu conſolatione beatifica, hîc tantum ageretur, fácile eſſet intelligere quomodo qui hîc lugent, beati ſint, quoniam ipſi conſolabuntur: *Abſterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra quia prima abierunt.* Sed quomodo ad hanc etiam vitam beatitudo *Apoc. 21.*

Digitized by Google

illa referri poſſit, vnum eſt ex arcanis Euãgelicis plurima dignum conſideratione. Ac primo illud præmittendum eſt quàm vere beati ſint qui vere gaudent & conſolantur. Satis id autem planum eſt & apertum ex communi omnium ſenſu, ſicque indubitanter affirmat S. Auguſtinus vnum & idem eſſe, beate velle viuere & gaudere velle. *Si quæratur*, inquit, *à duobus, vtrum militare velint,* l. 20. Confeſſ. c. 24. *fieri poſſit vt alter eorum velle ſe, alter nolle, reſpondeat. Si autem ab eis quæratur vtrum beati eſſe velint, vterque ſe ſtatim ſine vlla dubitatione dicat, optare: nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iſte nolit, niſi vt beati ſint. Ita ſe omnes beatos eſſe velle, conſonant quemadmodum conſonarent ſi hoc interrogarentur ſe velle gaudere, atque ipſum gaudium, vitam beatam vocant. Quod etſi alius hinc, alius illinc aſſequitur, vnum eſt tamen quò peruenire omnes nituntur vt gaudeant. Quæ quoniam res eſt quam ſe expertum non eſſe nemo poteſt dicere, propterea reperta in memoria recognoſcitur quando beatæ vitæ nomen auditur.*

Tum vero docens non omni gaudio eſſe beatum quemquam, Ibid c. 22. ſed ſolo vero gaudio, & quale illud ſit: ſic pergit: *Abſit Domine, abſit à corde ſerui tui qui confitetur tibi, abſit vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium quod non datur impijs ſed eis qui te gratis colunt quorum gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt Beata vita gaudere ad te, de te, propter te; Ipſa eſt, & non altera. Qui autem aliam putant eſſe, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum verum.*

Videſne quam ſit vnum & idem, velle beatum eſſe, & velle gaudere ſeu conſolari, dummodo ſcilicet vera ſit conſolatio verumque gaudium? Videſne vero quàm multi errent, in vero quærendo gaudio? Videſne tandem te inter illos eſſe qui ſic Oſeæ 9. errent? *Noli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi.*

II. PVNCTVM.

SED *qui lugent, ipſi conſolabuntur:* Ipſi gaudebunt vero gaudio. Paulò maior eſt difficultas in hac propoſitione: Non enim omnes qui lugent ipſi conſolabuntur & gaudebunt: & ſicut iam diximus non omne gaudium eſſe verum gaudium, ſic profecto non omnis luctus, luctus eſt Euangelicus & beatus. Diſtingui debet triplex luctus ſeu triplex lugentium ſtatus.

Primus eſt eorum qui temporalia & terrena hæc tantum lugent affectu

Digitized by Google

affectu terreno & *triſtitia ſæculi quæ mortem operatur*, vt ait Apoſtolus, & longe abeſt à beatitudine & conſolatione quæ promittitur lugentibus vt docet ſanctus Leo: *Luctus hic cui conſolatio æterna promittitur non eſt cum mundi huius affectione communis: nec beatum quemquam faciunt iſta lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur: alia ratio eſt ſanctorum gemituum, alia beatarum cauſa lachrymarum. Religioſa triſtitia aut alienum peccatum luget aut proprium. Nec de hoc dolet quod diuina Iuſtitia agitur, ſed de eo mæret, quod humana iniquitate committitur: vbi magis plangendus eſt faciens maligna quàm patiens; quia iniuſtum malitia ſua demergit ad pœnam, iuſtum autem tolerantia ducit ad gloriam.* *Homil. de Beatitud.*

Secundus itaque ſtatus Lugentium illi primo totus oppoſitus, eorum eſt qui ſpiritualia & æterna tantum lugent, quales ij ſunt qui ex Compaſſione, Chriſto dolenti condolent: qui ex deſiderio cœleſtis patriæ ſuum deflent exilium: qui ex amore Dei & proximi ſua & aliena plorant peccata. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* *Pſ. 118.* Hi ſunt qui verè lugent, & qui verè conſolabuntur in luctu ſuo, *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* *2. Cor. 1.* Quod & patebit à fortiori ex aliis qui minus forſan perfecte lugent, & tamen ipſi conſolantur.

Tertius eſt Lugentium ſtatus qui poteſt ita dici mixtus & temperatus ex duobus primis vt temporalia ſimul lugeat & ſpiritualia, ſed vtraque ſpirituali & religioſo luctu, non quia tantum temporalia ſunt, non quia tantum in his plurima patiuntur detrimenta; ſed quia ſimul vident Deum à ſe offenſum vel ab aliis; quia vident ſe id ſuis commeritos eſſe culpis: quia timent ne inde ex impatientia murmurent vel aliquid grauius peccent; quia vident regnare iniuſtitiam, opprimi verò æquitatem: *Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.* *Pſ. 78.* Ipſe ſcilicet Deus his piis mouetur lachrymis, ſiue vt eos liberet, ſiue vt eos conſoletur: Talis eorum fletus qui ſuis in miſeriis & iacturis temporalibus lugendo benedicunt & laudant Deum, Domini eſt & diuina quædam motio inhabitantis Spiritus ſancti, *Qui ſic pro nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus:* *Rom. 8.* Id eſt, qui nos orare & Deum colere facit cum illo gemitu quem exprimunt damna noſtra ſpiritualia & temporalia: *Vbi autem eſt Spiritus Domini, ibi libertas*, ibi pax, ibi *2. Cor. 3.* gaudium, ibi conſolatio, ibi domus illa luctus, *quò ire melius eſt* *Eccl. 7.*

Digitized by Google

quam ad domum conuiuij, vt ait ex Sapiente Diuus Bernardus; *Ibi gratia quædam deuotionis, de ſpe veniæ, de propitiato peccato, de futura beatitudine, de Chriſti ac ſanctorum ſimilitudine, de Diuina reparata Iuſtitia, de Diuina voluntate facta; Ibi ſuauiſſima delectatio boni, & guſtus Sapientiæ licet exiguus. Quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam.* Verba ſunt ſancti Bernardi explicantis hanc tertiam Beatitudinem: Verba ſunt Pſalmiſtæ dicentis, *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata:* Verba ſunt Apoſtoli exclamantis: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra:* Verba ſunt totius Scripturæ, quandoquidem, vt ipſe idem ait, *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus:* Verba ſunt denique Martyrum quibus cùm diceretur à tyrannis, reſipiſcite miſeri, & vos ipſos ab his cruciatibus eripite? Reſpondebant, *Numquam tam iucunde epulati ſumus quam hæc libenter Ieſu Chriſti cauſa perferimus.* Et certe cum ex Sapiente, *Secura mens ſit quaſi iuge conuiuium*, Numquam mens noſtra poteſt eſſe magis ſecura quam in luctu, aut in pœnis, ſi temperate tolerentur. Numquam magis ſecura de certa ſalutis via, de certa pœnitentia, de ſtatu gratiæ, de regno Dei quod *eſt Iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto*; Ac proinde mens illa quaſi iuge conuiuium eſt, iugis eſt conſolatio & iuge gaudium. De ipſo enim gaudet gaudio quo ſe gaudere ſentit in pœnis, quia hoc vnum verum eſt gaudium, hoc vnum eſt gaudium quod à Domino prouenit; cùm alia quæuis gaudia, mundus, caro, & dæmon poſſit efficere, ſicque is ſolus vere poteſt dicere, *Gaudens gaudebo in Domino.* Itane tu?

Serm. 1. in feſto Sanct. omnium. — *2. Cor. 7.* — *Rom. 15.* — *SS. Marcus & Marcellianus. Prou. 15.* — *Rom. 14.* — *Iſ. 61.*

III. PVNCTVM.

ERGO *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Et væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Vide admirabilem horum texturam, & expende tria ſingillatim. Primum non hic fieri mentionem puri luctus, aut puræ conſolationis; ſed vtrumque ſimul à Domino iungi quod & ipſe Sapiens dixerat, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Prou. 14.

Secundum, ex his duobus alterutrum tibi neceſſario eligendum eſſe, aut vere lugere prout explicatum eſt, & vere ſimul

Digitized by Google

gaudere: aut vanè ridere, & lugere ac flere, quantùm minatur Chriſtus, Id eſt, vel in Inferno, vel in angore conſcientiæ, vel in pœnis temporalibus ſufferendis ſine ſolatio, vel quocumque tandem modo fiat, certa eſt & indubitata vox Chriſti Domini comminantis illud infauſtum *Væ his qui rident*: ſerius ocyus lugebunt & flebunt. *Conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia Cantica veſtra in planctum: Riſus veſter in luctum conuertetur, & gaudium in mærorem.* Amos 8. Iac. 4.

Tertium denique, quantò ſatius ſit, bene & Chriſtiane lugere vt conſolationem & gaudium Chriſti participes, quàm vane ridere vt in illos miſerandos fletus & luctus incidas, quorum nulla vera conſolatio, nullum meritum, nulla ceſſatio, nulla requies. *Illos Dominus irridebit, & erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo cogitationes ipſorum.* O vere Sapiens, qui *riſum reputauit errorem, & gaudio dixit quid fruſtra deciperis.* O vere ſtultus qui cum poſſet multum gaudere cum modico luctu, mauult multum lugere cum modico riſu! Quaſi triſtis ille & ſemper gaudens: quaſi gaudens iſte & ſemper triſtis. Magna eſt differentia, vt fuſe ait in Pſalmis ſanctus Auguſtinus, inter ea quæ ſunt quaſi mala & vere bona, aut quæ ſunt quaſi bona & vere mala. Sic eſt noſter luctus quaſi luctus & quaſi nullus eſſet præ gaudio quod illi adjungitur: è contra ſic eſt riſus tuus quaſi non eſſet riſus, quaſi nullus eſſet præ mœrore qui riſum ſequitur. *Somniantis eſt addere QVASI: quaſi dicebam, quaſi loquebar, quaſi prandebam, totum quaſi; quia cum euigilauerit non inuenit quod videbat. Quaſi theſaurum inueneram, dicit mendicus, ſi quaſi non eſſet, mendicus non eſſet, ſed quia quaſi erat, mendicus eſt: Itaque modo, qui ad lætitias ſæculares oculos aperiunt & cor claudunt, tranſit quaſi eorum & venit verum ipſorum: Quaſi ipſorum fælicitas eſt ſæculi, verum ipſorum pœna eſt.* Ac ſi diceret ſanctus ille Pater de Beatis Euangelicis, quaſi lugent & vere gaudent; de miſeris vero ſæcularibus, quaſi gaudent & vere lugent. Iamne dubitabis, ex vtris eſſe debeas? *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.* Oſtendit Dominus Moſi, *lignum quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. FLVMINIS impetus lætificat* Sap. 4. Eccl. 2. In Pſ. 48. Gen. 7. Exodi. 15. Pſ. 45.

Pſ. 125. *ciuitatem Dei. QVI ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.*
Ier. 31. *IN fletu venient, & in miſericordia reducam eos: & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea.*

His & ſimilibus Scripturæ locis, poſſet non modò Veritas, ſed & animus in praxi Veritatis confirmari. Vide etiam in 2. parte, Dominica Palmarum, & Feria 4. Rogationum, vbi hæ proponuntur Veritates:

Lachryma, Paſſionis Chriſti Vicaria.
Lachrymarum deſcenſus, aſcenſus eſt.

FERIA QVINTA.

DE QVARTA BEATITVDINE, QVAE EST ESVRIES ET SITIS IVSTITIAE.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam. Matth. 5.

RATIO EST, Quia beati ſunt qui ſaturabuntur.
Sed qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam, ſaturabuntur.
Ergo illi Beati ſunt, Et procuranda illa eſuries, atque ſitis Iuſtitiæ.

I. PVNCTVM.

QVARTAM hanc Beatitudinem cum præcedenti coniungens ſanctus Ambroſius: *Poſtquam*, inquit, *delicta defleui, eſurire incipio & ſitire Iuſtitiam, æger enim in graui morbo eſurit.* (In Luc. 6.) Sanctus autem Hieronymus expendens hoc verbum, *Eſurire*, NON *eſſe ſatis*, ait, *velle iuſtitiam vt ſaluemur & beati ſimus; ſed oportet eam eſurire & ſitire*, Id eſt, tanta in eam ferri cupiditate animi, quanta qui eſurit aut qui ſitit, fertur in cibum & potum. Sicut enim nimis appetere terrena hæc & caduca, vitioſum eſt:

Digitized by Google

ita non ſatis concupiſcere ſpiritualia & cœleſtia, probroſum eſt & diuinæ Sapientiæ quodammodo iniurioſum. *Initium enim illius,* Sap 6. inquit Sapiens, *veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.*

At quomodo qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, Beati ſunt, ex hac etiam vita? Hoc nobis modo eſt accuratius perpendendum ex Ratione quam affert Dominus, Quia ipſi videlicet ſaturabuntur. Quæ vt Ratio vim ſuam habeat, neceſſariò præmittendum eſt quod Beati ſunt qui ſaturabuntur.

Tribus vero id modis explanari poteſt, primò ſicut non poteſt meliùs concipi Beata & æterna illa vita quæ in cœlo poſſidetur quàm ſi dixeris ſatietatem eſſe animi qua Beatus ex viſo & amato Deo ita conquieſcit vt nihil vltra deſideret: vnde aiebat Dauid, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; Sic proportione ſeruata, qui ſic Pſ. 16. in hac vita ſaturatur vt nihil vltra deſideret, plane beatus eſt quantum eſſe poteſt in hac vita; *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt:* Pſ. 143. *beatus populus, cuius Dominus Deus eius*; quaſi diceret, quibus abundant omnia, hi ſe beatos putant, quia ſe putant in illis ſuis bonis poſſe ſatiari; ſed errant, non quia non ſint beati qui ſatiati ſunt, ſed quia non ſatiabuntur bonis ſuis, In ſolo enim Deo ſatietas quærenda eſt, aut in ijs mediis quæ nos ad ipſum ducunt.

Secundo, de ſaturitate animi diſcurrendum eſt ad eum pene modum quo de ſaturitate corporis: atque ita ſicut eſuriens & ſitiens poſtquam id quod eſuriebat & ſitiebat manducauit & bibit ad ſaturitatem, ſeu quantum voluit, dici poteſt ex hac parte quietus & contentus: ſic plane ſi accidat animum noſtrum ſuo modo repleri & ſatiari his quæ eſuriebat & ſitiebat: ſic contentus, ſic quietus, & quantum dici poteſt dicendus erit beatus. *Beatos vos* Mal. 3. *dicent omnes gentes: eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum.* Id eſt, idcirco beatos vos dicent alij, quia vos videbunt habere quod deſideratis ſeu quod eſt humanitus deſiderabile.

Tertio denique, conſiderandum eſt quid ſit eſſe miſerum in hac vita: nam ex oppoſito conſtabit clarius, quid ſit eſſe beatum. Iam viſum eſt, non eos eſſe miſeros recenſendos qui in miſeriis eſſent humanis, cùm illos beatos Dominus aſſerat qui pauperem & mœrentem ducunt vitam: Sed illi tum miſeri ſunt, ſiue ſint in miſeriis, ſiue in deliciis, qui ſe malè miſeros putant & ſentiunt, qui ſcilicet nolunt quod habent, & quod volunt non habent: qui ſic dolent in ijs quæ ſibi deſunt & cupiunt, ſicut ſi nihil poſſide-

rent; aut qui ſic mœrent in his quæ contra ſuam voluntatem ſentiunt, quaſi cæteris omnino rebus quas poſſident non vterentur.
Eſth. 5. Teſtis ille Aman qui cum tantis abundaret bonis quantis vllus à Rege in toto Perſarum regno, tamen ſe nihil habere iudicabat quamdiu videret Mardochæum ſibi non procidentem ſicut alios Perſas. Nonne is tibi miſer videtur? Cur porro niſi quia non eſt ſatiatus ſuis rebus? aliquid aliud expetit quod non habet; vel ſe his expeditum vellet quæ male ipſum habent. Oppone vero illi hominem qui ſuo in vitæ ſtatu ſit contentus, qui nihil aliud ex humanis deſideret, nihil metuat, nihil doleat, nihilue ſperet præter cœleſtia & diuina: Nonne is tibi beatus conſendus erit? Non-
Eccli 14. ne is eſt de quo Sapiens: *Fœlix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua*; Hoc eſt autem ſaturari, hoc eſt ſatiari & contentum eſſe; ac proinde hoc eſt beatum eſſe. O Beata ſaturitas qua non repletur corpus ſed animus; & qua repletus animus, magis eſt vacuus, magiſque capax capiendo Deo.

II. PVNCTVM.

SED *illi qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, ſaturabuntur.*

Tria hic ſigillatim expendenda. Primum quid ſit Iuſtitia, nempe cultus Dei & ſalutis animę, quo quidem cultu nihil iuſtius,
Pſ. 4. nihil æquius, nihil magis debitum. *Sacrificate Sacrificium Iuſtitiæ.*

Secundum, quid ſit proprie eſurire & ſitire; Non eſt enim illa eſuries aut ſitis animi, ſenſibile aliquod deſiderium, ſed ſufficit vt ſit rationabile & ſpiritale quo voluntas vltrò & libenter, cum
Exodi. 35. Dei Gratia, in illum Dei cultum feratur. *Mente promptiſſima atque deuota*; Hæc ſunt in ſcripturis propenſæ voluntatis inſignia.

Tertium denique, qui ſic eſuriunt & ſitiunt ſaturabuntur, quia quod vnum maxime deſiderant, illi habent ſi volunt: & quod non habent, non deſiderant. Deſiderant enim Deo ſeruire & placere, quantum cum Gratia poſſunt: Et hoc ipſo quo id deſiderant, ſic ſeruiunt & placent Deo, vt nullus Deo ſit acceptior cultus nul-
Pſ. 55. lumque gratius obſequium, quam talis animus. *In me ſunt, Deus, vota tua quæ reddam, laudationes tibi:* Ac ſi aperte Dauid dicat, in-
Hom. 5. in Euang. quit ſanctus Gregorius: *Etſi exterius munera offerenda non habeo: intra memetipſum tamen inuenio quod in ara tuæ laudis impono: quia qui noſtra datione non paſceris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe*

Digitized by Google

offertur Deo ditius bona voluntate. Tum explicans fuſius quæ ſit illa bona voluntas, ſic concludit, *Quid ergo iſto holocauſto locupletius, quando per hoc quod Deo immolat in ara cordis, anima ſemetipſam mactat.* Id eſt, non ſibi parcit, quidquid poteſt, totum explet, & in eo ſaturatur atque expletur animus, quod ex vna quidem parte, velit quod poſſit, & quidquid velit ac poſſit, faciat: ex alia verò, quòd licet illud totum quod poteſt & quod facit ſit valde exiguum, tamen illo ſe contentum ſibique plene ſatiſfactum Deus ſignificat. *Quod habuit, hæc fecit.* Marc. 14.

Si quid ſit autem quod non habent, quod certe multiplex & varium eſſe poteſt, non tamen illud aliter deſiderant quàm prout Deo placeet. Cum enim vt ſupponimus, hoc vnum maxime velint, Deo ſeruire & placere; Neque melius illi ſeruiant & placeant quam ſi ſe conforment eius voluntati:certe ſiue res habeant ſiue non habeant, perinde illis eſt: quia quando vel eas habent non ita rebus gaudent quàm Dei voluntate, qua fit vt illas habeant; vnde id ſequitur, vt quando illas etiam non habent, non minus gaudeant, quam ſi haberent: quia non minus vident Dei voluntatem in priuatione rerum quàm in earum vſu; ſicque *velut Angeli nec benedictione nec maledictione mouentur*, Nonne hoc eſt ſaturari? Nonne hoc eſt expleri? Quid enim amplius & quid capacius poteſt velle voluntas quam quod velit Deus? Quid aptius explendæ voluntati humanæ quam voluntas Diuina? Quonam alio Beati cibo veſcuntur in cœlis quam ipſa Dei voluntate? Quis denique alius Chriſti cibus, quænam alia eius ſatietas, Quàm *vt faciam*, inquit, *voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius?* Sic ſemper eſuriebat hunc cibum vt ſemper eo ſaturaretur, quia ſemper faciebat eius voluntatem: & ſic ſemper ſaturabatur hoc cibo vt magis ac magis eum eſuriret; quia *hunc cibum qui comedunt, adhuc eſuriunt*; & eſuriendo ſaturantur, & ſe ſaturando eſuriunt ſicut Beati in cœlo: *In quem deſiderant proſpicere.* Contemplare hæc attentius & ardentius.

2. Reg. 14.

Ioan. 4.

Eccleſ. 24

1. Pet 1.

III. PVNCTVM.

PATET *ergo quàm verè Beati ſint qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam*, quia ſaturabuntur, quia quod volunt, habebunt; & quod habebunt vel non habebunt, id ita volent; quia quod vnicè

Digitized by Google

volunt eſt Dei cultus qui bona voluntate præſertim colitur; & quod habebunt vel non habebunt eſt Dei voluntas in qua vna conquieſcunt; ſicque ſemper dum in Deo ſunt contenti, & in ipſis Deus, quid ſupereſt ad Beatitudinem in hac vita poſſidendam?

Baruch 4. *Beati ſumus Iſrael, quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.*

3. Reg. 10. *BEATI viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper!* Nota illud *ſemper* quia in eo eſt Beatitudo cœleſtis & terreſtris. Sicut enim Beatum in cœlo facit quod ſemper Beatus Deo fruatur; Ita hic Beatitudo ſaturitatis Eſurientium iuſtitiam, in eo eſt vt ſemper ſi velint ſaturentur, quia ſemper habent vnde ſaturentur. Semper habent vbi iuſtitiam operentur, ſemper habent vbi Deum colant, ſemper habent præſentem Deum, ſemper habent opus præ-

1. Cor. 10. ſens quo illi ſeruiant; Nam *ſiue manducent, ſiue bibant, ſiue aliud quid faciant*, omnia poſſunt in Gloriam Dei facere: poſſunt in omnibus Diuinæ ſe conformare voluntati: poſſunt vbique & ſemper quod volunt, ſi vbique & ſemper velint quod debent velle.

2. Macch. 1. Nonne hoc ita vis? nonne hoc ſaltem velle concupiſcis? *Det nobis cor omnibus vt colamus eum, & faciamus eius voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor noſtrum in lege ſua & in præceptis ſuis, & faciat pacem.* Vide in 1. parte, Feria 5. Hebdomadæ 4. in Aduentu.

Omnis copia quæ Deus non eſt, egeſtas cenſenda eſt.

FERIA SEXTA.

DE QVINTA BEATITVDINE, QVÆ EST MISERICORDIA.

Beati miſericordes. Matthæi 5.

RATIO EST, Quia Beati ſunt illi qui miſericordiam conſequentur.

Sed miſericordes miſericordiam conſequentur.

Ergò illi ſunt Beati: Et nos eſſe oportet miſericordes.

I. PVNCTVM.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

QVID poteſt eſſe omnis iuſtitia noſtra coram Deo, ait ſanctus Bernardus. *Nonne iuxta Prophetam, velut pannus menſtruatæ reputabitur: & ſi diſtrictè iudicetur, iniuſtitia inuenietur omnis iuſtitia noſtra, & minus habens? quid ergo de peccatis erit, quando ne ipſa quidem pro ſe poterit reſpondere iuſtitia? Propterea obnixè cum Propheta clamantes, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine; tota humilitate ad miſericordiam recurramus, quæ ſola poteſt ſaluare animas noſtras: & ſollicitè penſemus quod ſequitur: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* *Serm. 1. in Feſto omn. Sanct.*

Primo quidem quàm ſint Beati qui miſericordiam conſequentur, ita euidenter patet, vt indigni eſſent miſericordia qui ſe beatos non crederent dum eam conſequentur. Nam ſi beatitudo conſideretur vt eſt oppoſita miſeriæ, quid miſerius quàm quod opponitur Diuinæ miſericordiæ non obtentæ? ac proinde quid beatius obtentâ miſericordia? Vide accuratè quid ſit non obtinere à Deo miſericordiam: Nempe eſſe in tali ſtatu peccati, vt numquam inde emergas, ſed in eo moriaris atque in inferno ſepeliaris. Poteſtne cogitari par in mundo miſeria? quando ipſum ſolum eſſet peccatum non remiſſum: quid peccato miſerius? non paupertas, non infamia, non morbus, non ipſa mors, aut ipſe etiam tormentorum locus, infernus, ſi abſque peccato ſubſiſteret: *Abominatio deſolationis eſt* peccatum, & extremum malorum *Matth. 24.* omnium, à quo cùm liberentur qui miſericordiam conſequentur, nonne ipſi Beati, & omnium mortalium beatiſſimi ſunt cenſendi?

Quid ſentires de anima ſoluta corpore, aut quid ipſa de ſe ſentiret, ſi ad inferos condemnata vel iam iam præcipitanda, reuocaretur in corpus & in hanc vitam, vt in Gratiam Dei rediret, & æternam ſibi Beatitudinem compararet? Nonne ſe fœlicem, nonne ſe beatam prædicaret? At nonne eſt æquale beneficium ſi quis peccato ſuo condemnandus miſericordiã conſequitur, ne pereat; ſed vt habeat vitã æternam? Nonne ſic agnoſcebat Vir ille qui miſericordiam à Domino erat conſequutus: *Confitebor tibi Domine* *Pſ. 95.* *Deus meus, in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum: quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex Inferno inferiori.*

Digitized by Google

Quàm multi alij Reges & Prophetæ miſericordiam conſequi
1. Macch. 9. voluerunt, & non ſunt conſequuti? *Orabat ſceleſtus Antiochus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſequuturus.* Et multis Prophetis dicetur à Domino: *Quia numquam noui vos, diſcedite a me,*
Matth. 7. *qui operamini iniquitatem.* Tibi autem tot iniquitatum reo, tibi peccatorum hominum peſſimo, ſi quando poſt mortem dicatur, veni dilecte mi, intra in gaudium Domini tui, quale putas illud Bonum? quale illud crederes eſſe Beneficium? At numquam tibi dicetur niſi prius miſericordiam conſequaris: Illa vna Gratiam obtinet, & obtenta Gratia in æternam introducit Beatitudinem: vnde non minus certum eſt Beatos eſſe qui miſericordiam, quàm qui regnum cœleſte conſequentur.

Pſ. 98. *Miſericordias Domini in æternum cantabo. NISI quia Dominus*
Pſ. 93. *adiuuit me, paulo minus habitaſſet in Inferno anima mea.*

II. PVNCTVM.

S*ED miſericordes miſericordiam conſequentur.*

Non eſt probatio certior quàm ab ipſo miſericordiarum Domino: Cùm enim ipſi liberum ſit præſtare miſericordiam vel negare cui voluerit; Cuinam potius concedat quam alteri, quis illo certiùs norit? At cùm Ipſe toties aſſerat in Scripturis ſe miſericordi facturum miſericordiam, quis dubitet niſi qui Chriſto non credat?

Luc. 6. Audi verò quàm id apertè & profusè dicat: *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt. Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini: Dimittite & dimittemini. Date & dabitur vobis, menſuram bonam, & confertant & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. ORDO quodammodo,* ait ſanctus Gregorius Nyſſenus, *inuertitur, vt audeamus ſperare futurum vt Deus noſtra facta imitetur; vt dicas, quod ego feci, Domine fac: ſolui, ſolue: dimiſi dimitte:* Sed tamen quid clarius? quid expreſſius verbis Domini? Aut ne quid in his etiam difficultatis latere videatur, ſic omnes ad vnum Patres ea interpretantur, vt quod ſonant, hoc plane ſignificent, nec quidquam aliud figuratum aut inuolutum ſubſit. *A nobis,* inquit ſanctus Chryſoſtomus, *tota hæc res ſumit exordium: futurum de nobis, In noſtra eſt*

poteſtate iudicium, ipſum reum, Dominum Chriſtus fecit eſſe ſententiæ. Sic ſanctus Chryſologus: *Humanam miſericordiam Deus petit vt largiatur Diuinam. Eſt in cœlis miſericordia ad quam per terrenas miſericordias peruenitur. Domine, inquit, in cœlo miſericordia tua. Dicturus cauſam in iudicio Dei, patronam tibi miſericordiam per quam liberari poſſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia non ſolùm cauſam preuenit, & anticipat cognitionem, ſed etiam ſententiam reuocat, abſoluit addictos.* Serm. 8. de Ieiun. & eleem.

Sanctus denique Thomas qui res ad amuſſim exigit, ſit inſtar omnium: ſic autem ait actum miſericordiæ operari in Iuſtificatione ſeu in Diuina conſequenda miſericordia, vt & *præcedat, comitetur, & ſequatur ipſam iuſtificationem.* Præcedit ſcilicet & comitatur, *per modum,* inquit, *præparationis, in quantum miſericordes miſericordiam conſequentur: ſequitur verò per modum ſatisfactionis, in quantum pœna peccati poſt remiſſam remanens culpam per ipſum etiam miſericordiæ actum diſſoluitur; vnde eſt illud Tobiæ, eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Satinne vides quomodo miſericordes Diuinam conſequantur miſericordiam? 1. 2. q. 113. a. 4. Tob. 4.

III. PVNCTVM.

BEATI *ſunt igitur miſericordes*: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur: & quoniam ipſe eſt Dominus miſericordiæ qui hoc promittit & qui tam verax & certus eſt in promiſſis, vt de his nemo fidelis dubitare poſſit. *In repromiſſione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere.* Sic de fidelium patre Abrahamo Apoſtolus, quem nos omnes imitemur in quibuſlibet diuinis verbis & promiſſis inconcuſsè credendis. Rom. 4.

Sed quia non tam hîc agitur de veritate ſpeculatiua quàm practica, inquirendum nobis potius eſt vtrum ſimus miſericordes quàm vtrum miſericordes miſericordiam conſequantur. Vide quid ſit eſſe miſericordem: vbi, quando, & quo modo virtus eſt exercenda; quid in hoc genere pecces: quid remedij: quid perfectius fieri poſſit: quale motiuum vt miſericordiam conſequaris, quanta ſit tibi opus miſericordia pro tot commiſſis delictis, pro tot debitis pœnis, pro tot periculis euitandis.

Digitized by Google

Adde verò quod eſt maxime perpendendum in hac materia, non modo miſericordi promittitur miſericordia, ſed ita ſimul promiſſioni comminatio iungitur, vt niſi quis ſit miſericors, numquam ſperet miſericordiam. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum,* inquit Dominus, *dimittet & vobis pater cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra:* Vnde ſanctus Auguſtinus; *Induxit nobiſcum Deus pactum & placitum, firmumque chirographum vt dicamus, ſicut & nos. Qui vult dicere efficaciter, dimitte nobis debita noſtra, oportet quod dicat veraciter, ſicut & nos dimittimus.*

Matth. 6.

Quod ſi dicas de re parua tecum agi, paruum eſſe quod petitur aut quod negatur, reſpondet idem S. Auguſtinus, *Quia paruum eſt quod datur, magna impietate non datur. IVDICIVM ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.* Non tremis ad hæc verba? Non ſpectatur quid feceris, ſed quid non feceris. Non inquiritur quoties miſericordiā feceris: ſed quoties illam negaueris. Vix eſt vllus qui non aliquam aut qui non aliquoties faciat miſericordiam, ſed ſi recuſet facere cum deberet; hoc eſt quod diuino & tremendo ſubiacet Iudicio. O quàm multis id dicetur: *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus; quibus vero vel ad horam defecit oleum, fatuæ dictæ ſunt & reprobatæ.

l. contra aduerſ. legis & Proph.

Iac. 2.

Oſee 6.

Matth. 25.

Vide infra in hac parte, Hebdomadæ 6. & Dominica 12. Necnon in 4. parte, Dominica 21. & poſtrema Hebdomada.

SABBATO.

DE SEXTA BEATITVDINE, QVÆ EST MVNDITIES CORDIS.

Beati mundo corde. Matth. 5.

RATIO EST, *Quia Beati ſunt qui Deum videbunt.*
Sed qui mundo ſunt corde, Deum videbunt.
Ergo illi beati: Et amanda eſt illa cordis munditles.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

QVANTA eſſet facilitas explicandæ huius ſextæ Beatitudinis de æterna felicitate : tanta forte eſt difficultas eiuſdem declarandæ de hac præſenti vita, quod tamen huius conſiderationis eſt inſtitutum declarare, ſicut reuera eſt quod qui mundo ſunt corde, iam ex hac vita, vident Deum præſentem quo videri poteſt modo præſens in ſuis creaturis, & propterea ſunt Beati.

Et quidem primo quam ſint Beati qui ſic vident Deum, tripliciter explicari poteſt, ſecundum triplicem animæ facultatem quam exercent in recolenda Dei præſentia. Prima eſt Memoria ſeu cogitatio Dei præſentis, quando hoc ſolum eſſet quod cogitatur Deus præſens & quodammodo præſidens qualicumque creaturæ: mirum quantum lætificet; vnde in Pſalmis Dauid, *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear, propter quod lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.* Pſ. 15.

Quidquid aliunde te angat, memor eſto præſentis Dei, hunc angorem tuum permittentis: & ſtatim interna quadam ſuauitate afficieris, *Renuit*, inquit idem, *conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum.* Sic & de Machabæis: *Præſentia Dei magnificè delectati, proſtrauerunt hoſtes ſuos ad multa millia.* Pſ. 76. 1. Macch. 15.

Secunda facultas eſt Intellectus qui naturali ſeu ſupernaturali modo percipit quàm ſapienter Deus & amanter, ſeu, vt ait Sapiens, *Quam fortiter attingat à fine vſque ad finem, & diſponat omnia ſuauiter.* Sap. 8. Licet enim nonnulla ſint inſcrutabilia & quorum ratio inueſtigari non debeat, plurima tamen ſunt quæ non modo in ſe comprehenduntur, ſed ex ipſis alia longe à ſenſibus remotiora, quemadmodum ait Apoſtolus, *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Rom. 1. Hæc eſt cognitio veſpertina Angelorum de qua ſanctus Auguſtinus in Geneſim, cùm ſic in Creaturis videtur Deus, ſicut eſt matutina cum in Deo videntur Creaturæ. Quàm ſit verò ſuauis & iucunda illa cognitio vel ex eo facile colligi poteſt quod ſit altiſſimę contemplationis obiectum & cauſa, quæ ita mentem admiratione rapit & affixam Deo tenet, vt vix inde poſ-

Digitized by Google

Pſ. 91. ſit auelli. *Quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo: quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ: vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Sap. 13. *VANI enim ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui eſt: neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex.* Luc. 10. Hæc eſt optima pars quam qui eligit non auferetur ab eo.

At cùm Voluntatis quæ tertia eſt facultas, affectus iungitur intellectui, & in amorem cogniti Creatoris inardeſcit, ſuamque ſimul libertatem paternæ illius Prouidentiæ penitus abdicat: tum verè beatus ille quantùm hic eſſe poteſt qui ſic Deum videt & amat, quia nihil in humanis illum conturbat: non aduerſus fortunæ caſus, non iniuria temporis, non paupertas, non ægritudo, non ipſa mors: quia nihil horum eſt ſine Dei nutu, & quidquid à Deo eſt, præterquam quod non niſi ſapienter & prouide eſt ordinatum, hoc ſolo tamen quod à Deo eſt, ita placet bonæ voluntati ſeu bene in Deum affectæ, vt nihil aliud ſit in rebus quod illi placeat niſi quia ſunt à Deo. Pſ. 72. *Quid mihi eſt in cœlo? & a te quid volui ſuper terram.* Iud. 9. *TV feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti:* Sic ſancta Iudith Sic de Moſe narratur quod fide reliquit Ægyptum non veritus animoſitatem Regis: Hebr. 11. *Inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit*, Expendenda valde verba, & affectus conformes excitandi.

II. PVNCTVM.

SED mundi corde ſic inter cæteros maxime apti ſunt videre Deum. Cùm enim ſint illis affectibus inordinatis perpurgati qui ſuum duntaxat in Creaturis commodum aut delectamentum amant, facile penetrant ad Eum intus qui ſe illis communicat per Creaturas. Nam ſicut ibi reuera eſt, ſic ab eis adeſſe creditur adoratur, & quæritur: quid eſt ergo cur ab eis non inueniretur cùm ſe maxime facilem prębeat ſe inquirentibus, niſi quid obſtet: nihil autem in puro corde obſtet, imo puritas ipſa eum alliciat? Sap. 6. Quod egregie confirmat Sapiens ſub nomine Sapientiæ; *Clara eſt*, inquit, *& quæ numquam marceſcit Sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam: præoccupat qui ſe concupiſcunt vt illis ſe prior oſtendat: qui de luce vigilauerit ad*

Digitized by Google

illam, non laborabit; aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet. Cogitare ergo de illa, ſenſus eſt conſummatus, & qui vigilauerit propter illam, ſecurus erit, quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni Prouidentia occurrit illis. Initium enim illius veriſsima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt & dilectio cuſtodia legum illius eſt, cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt, incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.

Iam paulo ante dixerat Idem Sapiens de Impuris & profanis hominibus qui nihil niſi in Creaturis ſuam quærebant voluptatem, *Neſcierunt ſacramenta Dei*, quaſi diceret, ſicut in Myſteriis & Sacramentis aliud videtur & aliud creditur quod non videtur; ita in Creaturis aliud eſt quod apparet & aliud quod intus latet; Impuri autem illud tantum ſpectant quod apparet, puri verò & mundi corde quod etiam latet. *Ibid. 2.*

Dominus eſt, inquiebat ſanctus Ioannes; quando videlicet piſcantes Diſcipuli ad vocem ignoti hominis, *miſerunt in dexteram nauigij rete, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium; dixit ergo Diſcipulus ille quem diligebat* IESVS, *Petro, Dominus eſt.* Nempe ille præ cæteris in illa piſcatione Dominum nouit qui præ cæteris mundo corde & corpore habebatur. Vide caput quartum ſecundi de Imitatione Chriſti, & tibi dictum puta. *Ioan. 21.*

III. PVNCTVM.

ERGO *ex hac etiam vita, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, Videbunt quidem in fine, *Facie ad faciem*, inquit ſanctus Bernardus, *Videbunt etiam nunc, ſed per ſpeculum in ænigmate, & nunc cognoſcent ex parte, perfectè poſtea cogituri.* Sic & Diuus Thomas, *In hac etiam vita*, inquit, *purgato oculo per donum intellectus, Deus quodammodo videri poteſt.* Quod autem dicit per donum intellectus purgari oculum, id ex ſancto Auguſtino mutuatur qui hoc intellectus donum refert ad hanc ſextam Beatitudinem, ſiue quòd illo dono magis ac magis purificetur animus, ſiue quod per virtutem iam purificatus animus accipiat illud donum tamquam ſuæ virtutis prœmium, quo in Creaturis facilius Deum legat, eſt enim intelligere *quaſi intus legere*, vt ait idem ſanctus Thomas. Vnde etiam apertius confirmatur Veritas, & quantum puritati vacare debeas hinc facile diſces, quantùm vide-

Serm. 1. in Feſto omniũ Sanctorum.
1. 2. q. 69. a. 2.
2. 2. q. 8.
Ibid.

Digitized by Google

licet ſupra creaturas Creator eſt æſtimandus, & quantum impu-
ritati puritas præferenda. Nam ſicut corde purus Deum in omni-
bus videt, & videndo amat, atque amando ei totus inhæret ac
purior redditur: ita impurus non niſi creaturis adhæreſcit, & qui
Apoc. 22. *in ſordibus eſt ſordeſcit adhuc. APPROPINQVATE Deo, &*
appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda,
Iac. 4. *duplices animo. PLACEAT neceſſe eſt facies*, inquit ſanctus Ber-
nardus, *quæ in Dei claritatem intendere poteſt: neque enim id poſſet*
Serm. 62. in Cant. *niſi clara ipſa quoque eſſet & pura, vtique transformata in eandem*
quam conſpicit claritatis imaginem, alioquin ipſa diſſimilitudine reſi-
liret, inſolito reuerberata fulgore. Quia denique, vel ipſo naturæ
ductu, nomen ac notam impuritatis refugimus, vix ſe quiſquam
impurum & immundum fateatur, cùm tamen contrà, vix quiſ-
quam purus & mundus ſit, diligenter illud Sapientis memo-
Prou. 30. randum: *Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à*
ſordibus ſuis.

Vide in 1. parte, Feria 6. Hebdom. 4. in Aduentu. In Feſto S. Ioannis Euangeliſtæ. Feria 4. Hebdom. 2. poſt Epiphaniam; Et alibi paſſim, Verbo *Caſtitas.*

DOMI-

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

DE MIRA PETRI PISCATIONE, HVMILITATE ET AD CHRISTVM PERFECTA CONVERSIONE.

IN quatuor partes diuidi poſſet Euangelium, ſiue illius Conſideratio.

Prima continet prædicationem Domini factam in Petri nauicula.

ET SEDENS docebat de nauicula turbas.

Quò referri poſſunt hæ veritates.

Si quid nos reuocat à Doctrina Chriſti, vel ob id maxime recipienda eſt.

In 1. parte, Feria 6. Hebdom. 2. poſt Epiphaniam.

Quò tibi veritates Euangelicæ minus dignæ apparent quæ conſiderentur, hoc ipſo magis ſunt conſiderandæ.

In eadem 1. parte, Dominica 6. poſt Epiphaniam.

Niſi verbum Dei te conuertat, tu peruertes verbum Dei.

In 2. parte, Dominica Sexageſimæ.

Sedentem in cœlo Chriſtum & inde nobis loquen-

tem non audire periculoſius eſt quàm dum in terris loqueretur.

In eadem 2. parte, in Aſcenſione Domini.

SECVNDA pars cui ſimul & tertia iungitur, proponit duplicem Petri laborem valde diuerſum: primus quo multum laborauit, & nihil prorſus effecit: alter quo parum laboranti multum ei acceſſit.

PRAECEPTOR per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete: Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. De quo duplici labore dictum eſt copiosè in 1. parte, Sabbato Hebdomadæ 2. poſt Epiphaniam, & præſertim de primo qui ſtultus labor dicitur, & quo niſi diligenter aduertas conſumeris. De altero autem qui ſapientum eſt labor, quo laxatis ad verbum Chriſti retibus, id eſt, ex Chriſti ductu, obedientia, vel intuitu ſua quæque faciunt, quod eſt facillimum factu ac fructu vberrimum, poſſet hæc Sapientis pronuntiari ſententia. *Vir obediens loquetur victoriam*, id eſt, obedienti cuncta obedient. Qua de re fuſius interpretes, atque in primis Cornelius à lapide Prouerbiorum vigeſimo primo.

Prou. 21.

QVARTA & poſtrema pars, quæ hîc potiſſimùm expendenda relinquitur, piſcatorum & maxime Petri ſtuporem, humilitatem & integram conuerſionem complectitur, vbi certè mirum illud quod ait Petrus procidens ad genua Domini Ieſu, *Exi à me quia homo peccator ſum, Domine.* Quid eſt enim quod ſe tùm ita demittit, ita peccatorem confitetur, vt ſe indignum Chriſti conſortio iudicet? Quid peccauit obediendo, cum vel maxime tantum obedientiæ retulerit emolumentum? Non peccauit quidem dum obediuit, ſed dum obedientiæ tam proſperum retulit fructum, forſan peccaſſet, niſi ſe ita demiſiſſet.

Quamobrem in proſperis hæc eſt admodùm neceſſaria humilitas, ne alioquin proſpera degenerent in aduerſa, vnde hæc modò conſideranda proponitur Veritas:

Niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt.

RATIO EST, *Quia niſi te humilies in proſperis, diuinam in te iram prouocas.*

Digitized by Google

Sed ira Dei ſic prouocata prouocantem humiliat.

Ergo niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt; ſeu quod idem eſt, erunt in cauſa, cur à Domino humilieris & confundaris.

I. PVNCTVM.

AD hunc Pſalmi nonageſimi verſum: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, Rectè ait S. Bernardus, *Non ſine certi ratione Myſterij à ſiniſtris multos, ſed multò plures à dextris caſuros hoſtes. Quod videlicet abundantiori malignitate & velut copioſiore manu, dextris inſiſtere partibus, dextrum latus appetere conſueuiſſent.* Quænam ſint autem illæ partes, dextræ vel ſiniſtræ, quas ſic impetunt aduerſarij, trifariam explicatur.

Primò dicuntur eſſe perfecti & imperfecti, ſiue vt verbis ſancti Bernardi vtar, *Spirituales viri & carnales*, Quorum illi longe acrius impugnantur à Dæmone quàm iſti, nempe *eſca eius electa.*

Secundò non ſpirituales viros, ſed bona ſpiritualia per dextram intelligi; nec carnales, ſed carnalia per ſiniſtram, refert idem ſanctus Abbas, ac vehementius nos vrgeri ab hoſtibus animæ docet quàm corporis.

Tertiò denique Caſſianus & alij proſperitatem ſpiritualem & temporalem in dextris, aduerſitatem verò in ſiniſtris agnoſcunt, & vna omnes voce conſtanter affirmant multò plures proſperitate homines quàm aduerſitate cadere, ac proinde ſaluberrimum eſſe monitum in proſperis, vt quò ſe ingerunt feliciùs, eò cautius & modeſtius admittantur. Nam profectò, *Niſi te in illis humilies, illa te humiliabunt & confundent.* Coll. 6. c. 10.

Cuius quidem veritatis cùm plures afferantur rationes, tùm multis hæc videtur ſolidior, quod niſi te humilies in proſperis, Diuinam in te concitas iram: Habent enim hoc proſpera vt inflent animum niſi humilitate temperentur. Inflatus autem animus in quantis peccet quà loquendo quà cogitando, vix dici poteſt, vnde tandem grauiſſime offenſus Deus, *Eleuauerunt cor ſuum,* Oſeæ 13.
inquit, *& obliti ſunt mei.* Et rurſum, *Inſaniſti in me, & ſuperbia* 4. Reg 19.

tem non audire periculoſius eſt quàm dum in terris loqueretur.

In eadem 2. parte, in Aſcenſione Domini.

SECVNDA pars cui ſimul & tertia iungitur, proponit duplicem Petri laborem valde diuerſum: primus quo multum laborauit, & nihil prorſus effecit: alter quo parum laboranti multum ei acceſſit.

PRAECEPTOR per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete: Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. De quo duplici labore dictum eſt copiosè in 1. parte, Sabbato Hebdomadæ 2. poſt Epiphaniam, & præſertim de primo qui ſtultus labor dicitur, & quo niſi diligenter aduertas conſumeris. De altero autem qui ſapientum eſt labor, quo laxatis ad verbum Chriſti retibus, id eſt, ex Chriſti ductu, obedientia, vel intuitu ſua quæque faciunt, quod eſt facillimum factu ac fructu vberrimum, poſſet hæc Sapientis pronuntiari ſententia. *Vir obediens loquetur victoriam*, id eſt, obedienti cuncta obedient. Qua de re fuſius interpretes, atque in primis Cornelius à lapide Prouerbiorum vigeſimo primo.

Prou. 21.

QVARTA & poſtrema pars, quæ hîc potiſſimùm expendenda relinquitur, piſcatorum & maxime Petri ſtuporem, humilitatem & integram conuerſionem complectitur, vbi certè mirum illud quod ait Petrus procidens ad genua Domini Ieſu, *Exi à me quia homo peccator ſum, Domine.* Quid eſt enim quod ſe tùm ita demittit, ita peccatorem confitetur, vt ſe indignum Chriſti conſortio iudicet? Quid peccauit obediendo, cum vel maxime tantum obedientiæ retulerit emolumentum? Non peccauit quidem dum obediuit, ſed dum obedientiæ tam proſperum retulit fructum, forſan peccaſſet, niſi ſe ita demiſiſſet.

Quamobrem in proſperis hæc eſt admodùm neceſſaria humilitas, ne alioquin proſpera degenerent in aduerſa, vnde hæc modò conſideranda proponitur Veritas:

Niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt.

RATIO EST, *Quia niſi te humilies in proſperis, diuinam in te iram prouocas.*

Digitized by Google

Sed ira Dei ſic prouocata prouocantem humiliat.

Ergo niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt; ſeu quod idem eſt, erunt in cauſa, cur à Domino humilieris & confundaris.

I. PVNCTVM.

AD hunc Pſalmi nonageſimi verſum: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, Rectè ait S. Bernardus, *Non ſine certi ratione Myſterij à ſiniſtris multos, ſed multò plures à dextris caſuros hoſtes. Quod videlicet abundantiori malignitate & velut copioſiore manu, dextris inſiſtere partibus, dextrum latus appetere conſueuiſſent.* Quænam ſint autem illæ partes, dextræ vel ſiniſtræ, quas ſic impetunt aduerſarij, trifariam explicatur.

Primò dicuntur eſſe perfecti & imperfecti, ſiue vt verbis ſancti Bernardi vtar, *Spirituales viri & carnales*, Quorum illi longe acrius impugnantur à Dæmone quàm iſti, nempe *eſca eius electa.*

Secundò non ſpirituales viros, ſed bona ſpiritualia per dextram intelligi; nec carnales, ſed carnalia per ſiniſtram, refert idem ſanctus Abbas, ac vehementius nos vrgeri ab hoſtibus animæ docet quàm corporis.

Tertiò denique Caſſianus & alij proſperitatem ſpiritualem & temporalem in dextris, aduerſitatem verò in ſiniſtris agnoſcũt, & vna omnes voce conſtanter affirmant multò plures proſperitate homines quàm aduerſitate cadere, ac proinde ſaluberrimum eſſe monitum in proſperis, vt quò ſe ingerunt feliciùs, eò cautius & modeſtius admittantur. Nam profectò, *Niſi te in illis humilies, illa te humiliabunt & confundent.* *Coll. 6. c. 10.*

Cuius quidem veritatis cùm plures afferantur rationes, tùm multis hæc videtur ſolidior, quod niſi te humilies in proſperis, Diuinam in te concitas iram: Habent enim hoc proſpera vt inflent animum niſi humilitate temperentur. Inflatus autem animus in quantis peccet quà loquendo quà cogitando, vix dici poteſt, vnde tandem grauiſſime offenſus Deus, *Eleuauerunt cor ſuum,* *Oſeæ 13.* inquit, *& obliti ſunt mei.* Et rurſum, *Inſaniſti in me, & ſuperbia* *4. Reg 19.*

Digitized by Google

2. Par. 32. *tua aſcendit in aures meas*, Itemque ſæpius de ſuperbo, *Eleuatum eſt cor eius, & facta eſt contra eum ira.* Vnde illud Iob apte huc ſpe-ctat ex interpretatione ſancti Gregorij: *Si vidi ſolem cùm fulgeret* Iob 31. *& lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum:* Quaſi diceret, ſi me nimis exaltaui, ſi nimis exultaui in proſperis, fatuor me non parum in me irritaſſe Deum. Nonne & tu idem fateberis?

II. PVNCTVM.

SED *ira Dei ſic prouocata prouocantem humiliat.*

Cùm enim ira Dei ſit punitio irritantis Deum: cumque ordinarie pœna ſit proportionata culpæ, & *per quæ peccat quis,* Sap. 11. *per hæc torqueatur*, vt ait Sapiens: Hinc fit vt ordinaria ſuperbi pœna ſit humiliatio. *Dominus cogitauit hoc*, inquit Propheta, *vt detra-* Ier. 23. *heret ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ.* Ibid. 48. Rurſumque, *Inebriate eum calice iræ Domini quia contra* Ibid. 50. *Dominum erectus eſt*, Itemque ibidem. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus*, quia *veniet dies tuus, tempus viſitationis tuæ. Cadet ſuperbus & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum.* Quod cum adoleſcens Machabæus ſuperbo prædixiſſet Antiocho, tum poſtea quam id ve- 2 Macch 7. rum eſſet, expertus eſt, *Tu autem ô ſceleſte, noli fruſtra extolli vanis ſpebus, nondum enim omnipotentis Dei & omnia inſpicientis iudicium effugiſti*; Et poſt pauca: *Tu vero iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues.* Ibid. 9. Nempe ita humiliatus eſt vt *contigerit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis colliſione membra vexari. Idque qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans: itaut de corpore impij vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent: Odore etiam illius & fœtore, exercitus grauaretur: & qui paulo ante ſydera cæli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.*

Nonne hoc eſt humiliari! Et ne putes id tantum cadere in grauiores illos blaſphemantes & impios, qualis erat Antiochus, Audi Eccleſi. 6. quid te moneat Sapiens: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua come-*

Digitized by Google

dat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. Expende ſingula, & primum illud præcipuè quod ait, non te extollas in cogitatione animæ tuæ, quaſi diceret, ad iram Dei prouocandam, atque ad humiliationis pœnam ſubeundam ſufficit vna cordis elatio; Nam qui ſe ita extollit in aliquo fœliciori ſucceſſu vt vel ſibi nimis palpet, vel ſe aliis præferat, vel ſe paulo magnificentius prædicatum lætetur, tùm permittente Deo, reflabit oppoſitus ventus & ſiniſtri aliquid accidet quo confundetur & humiliabitur. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui.* Tunc *Pſ. 118.* illud ſaltem agnoſcis?

III. PVNCTVM.

NISI ergo te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt: Proſpera Deum irritabunt qui te confundet & humiliabit. *Conuerſi ſunt,* inquit, *ad irritandum me, Ergo & ego faciam in furore.* *Ezech. 8.* *Non parcet oculus meus nec miſerebor.* Certe nihil ad confuſionem & humiliationem acrius viro præſertim Religioſo, vel Sacerdoti, vel ſpiritalem vitam profitenti, quàm peccatum illud quod ne *Epheſ. 5.* nominari quidem vellet Apoſtolus: At vero illud eſt præcipue in quod elatos labi permittit Deus quos humiliat. *Multis,* inquit ſanctus Gregorius, *ſæpe ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit, quia dum* *26. Mor. c. 12. in 33.* *eos ſpiritus in altum erexit, caro in infimis merſit. Hi enim prius ſe-* *Iob.* *cretò eleuantur, ſed poſtmodum publice corruunt, quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus corporis. Sic ſic elati fuerant iuſta retributione feriendi, vt quia ſuperbiendo ſe hominibus præferunt: luxuriando vſque ad iumentorum ſimilitudinem deuoluantur.* Et poſt allatum eorum exemplum, quos vt refert Apoſtolus, *Tra-* *Rom. 1.* *didit Deus in deſideria cordis ſui, in immunditiam,* Sic pergit: *Curandum itaque eſt, & omni cuſtodia mens à ſuperbiæ tumore ſeruanda: Non enim ante oculos Dei vacuæ tranſuolant cogitationes noſtræ, & nulla momenta temporis per animum tranſeunt ſine ſtatu retributionis. Intus ergo videt Deus quod mentem eleuat, & idcirco permittit foris inualeſcere quod deponat. Intus prius extollitur, quod foris poſtmodum luxuriæ corruptione feriatur. Occultam videlicet culpam ſequitur, aperta percuſſio, vt malis exterioribus interiora puniantur, & cor publicè corruat quod latenter tumebat. Hinc quippe per Oſeæ contra Iſraelitas dicitur, Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt: qui vt*

Digitized by Google

oſtenderet quod cauſa libidinis ex culpa prorumperet elationis, mox ſubdidit dicens, & reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem eius: Ac ſi diceret, culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondit.

Sic ſanctus Auguſtinus apte ad rem noſtram vbi multa de peccato Dauidis. *In Pſ. 50.* *Admonemur*, inquit, *tali exemplo, non ſe quemquam debere extollere in proſperis rebus. Multi res aduerſas timent, res proſperas non timent. Periculoſior eſt res proſpera animo quam aduerſa corpori: prius corrumpit proſpera, vt inueniat quod frangat aduerſa. Fratres mei aduerſus fœlicitatem acrius vigilandum eſt, propterea videte quemadmodum eloquium Dei in noſtra fœlicitate tollat nobis ſecuritatem: ſeruite inquit Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In exultatione vt gratias agamus, in tremore ne cadamus. Hoc peccatum non fecit Dauid cùm perſecutorem Saülem pateretur, quando Dauid ſanctus Saülem inimicum patiebatur, quando illius perſecutionibus agitabatur, quando per diuerſa fugiebat ne in manus eius incideret, non concupiſcebat alienam, non adulterata vxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis ſuæ tanto in Deum intentior quanto miſerior videbatur.* Quod *Pſ. 85.* & alibi repetit ad hunc Pſalmi verſum, *Iucundetur cor meum, vt timeat nomen tuum, DANDO*, inquit, *timorem non nos faciat male exultare, & recedere de via. Quicquid proſperum venit, magis metuendum eſt. Quidquid etiam proſperum eſt ſecundum Chriſtum, & germanam Charitatem Chriſti, exultatio illa non nos faciat ſecuros, ſed ita iocundetur cor noſtrum vt timeat nomen Domini, ne aliunde iocundetur, aliunde feriatur.*

Eccleſ. 18. Denique illud eſt quod ait Sapiens: *Memento iræ in die conſummationis, & tempus retributionis in conuerſatione faciei. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatum paupertatis in die diuitiarum. A mane vſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Id eſt à proſperitate ad aduerſitatem, & ab elatione ad humiliationem, modicum intereſt temporis; ſtatim vnum ex alio ſequitur; ſi te in proſperis mane eleues, te ipſa proſpera veſpere depriment: vnde & conſequenter concludit: *Homo ſapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.* Hi ſunt videlicet dies delictorum qui ſunt proſperi niſi attendatur ab inertia, quia ſi fuerit iners animus, id eſt, ſibi relictus, erigetur in ſuperbiam & à ſuperbia deprimetur. *Ezech. 28.* *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti Sapientiam tuam in decore tuo: in terram pro-*

Digitized by Google

ieci te : producam ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram in conſpectu omnium videntium te. Certe ſi hæc non paues, ſtupendæ ſignum eſt ſuperbiæ.

Vide S. Gregorium, tertia parte Paſtoralis, admonitione 27. Vide & in 1. parte, Dominica 4. poſt Epiphaniam, vbi nauis Petri periclitatur; & vbi hæc Veritas exhibetur :

Peregrinantis in corpore animæ majus eſt periculum, quàm periclitantis in naui corporis.

In 2. item parte, Dominica 2. Quadrageſimæ : & Feria 2. Hebdomadæ 2. poſt Paſcha.

Sicut vinum nouum, ſic nouus honor maxime temperandus.

Necnon in 4. parte, tota Pent. Hebdom. 22. poſt Pentecoſten. DENIQVE quod *relictis omnibus ſequuntur Apoſtoli Dominum*, apte hûc reuocari poteſt quæ in 1. parte, Feria 3. Hebdomadæ ſecundæ Veritas declaratur :

Magis tenemur omnes, affectu noſtra relinquere, quàm effectu Apoſtoli.

FERIA SECVNDA.

DE SEPTIMA BEATITVDINE,

QVAE EEST PACIFICATIO.

Beati pacifici. Matth. 5.

RATIO EST, *Quia Beati ſunt illi qui filij Dei vocabuntur.*

Sed pacifici vocabuntur filij Dei.

Ergo & illi Beati : ac talis in pace beatitudo ſummopere conquirenda.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

AD duas proxime præcedentes apte adiungitur hæc ſeptima Beatitudo, quod videlicet non ſit ſatis proximum ſibi, aut ſe Deo reconciliare, quod fit per miſericordiam & munditiem cordis: ſed ad maiorem perfectionem oportet etiam alios & inter ſe, & cum Deo pacificare, quod eſt proprium huius ſeptimæ Beatitudinis.

Tanta eſt autem eius excellentia & ſublimitas, vt qui ſunt pacifici, ſint etiam ſingulari quodam modo vocandi filij Dei, id eſt tales futuri ſint hoc ipſo quo erunt pacifici, Nam vocari perinde eſt atque eſſe, cùm apud Deum qui nouit omnia prout reuera
Iſa. 5. ſunt, non ſit aliud eſſe & dici, ſicut apud homines *qui dicunt malum bonum & bonum malum.*

Quomodo vero id fiat vt Pacifici reuera ſint filij Dei, & quomodo inde Beati ex hac vita, hoc eſt modo attentius perſcrutandum: ac primo illud quàm verè beati ſint qui ſunt ſingulariter filij Dei. Hoc enim perinde eſt ac ſingulariter ſpectare ad Deum, hoc eſt ſingulariter ab eo eſſe, ab eo diligi, ab eo enutriri, foueri promoueri & omnium denique beneficiorum fieri participem
1. Par. 28. quæ à tali Patre redundant in filios. *Ipſum elegi mihi in filium, & ego ero ei in Patrem:* dixit Deus Dauidi de Salomone filio, vt ſic exprimeret quidquid dici & cogitari poſſet bonitatis & beneficentiæ diuinitus effundendæ in Salomonem. Nam cum omne bonum ſit vel honeſtum, vel vtile vel delectabile, quid honeſtius aut nobilius: quid vtilius & delectabilius quàm ſic Deum diligere ſicut filius diligit Patrem; aut ſic à Deo diligi & foueri ſicut à
Matth. 17. Patre Filius diligitur & fouetur? *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,* dicebat Pater de vnigenito Filio ſuo, quod quidem filio tam gratum erat & glorioſum vt hoc vno gloriaretur & exultaret.

2. Pet. 1. Sic certe ſanctus Petrus ex his, ait, verbis Chriſtum Dominum ſuam potiſſimum accepiſſe gloriam. *Accipiens*, inquit, *à Deo Patre honorem & gloriam voce delapſa ad Eum huiuſcemodi à magnifica gloria: hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.* Vnde ſi cuiuis hominum hæc cõmunicetur

Gratia,

Digitized by Google

Gratia, vt ſingulari quodam modo dicatur filius Dei, nonne dicetur quidquid dici poteſt ad ſtatuendam in terris beatitudinem magnificentius? O quàm profuſa Chriſti bonitas, quæ ſe in tam indignos effundit, vt nec ipſi velint eam accipere!

II. PVNCTVM.

S*ED pacifici vocabuntur filij Dei.*

Triplex eſt horum genus; ſunt enim qui ſecum pacem habent, ſed non cum aliis: ſunt qui ſibi & aliis pacati ſunt, ſed non vltra progrediuntur: at vero ſunt qui non modo ſecum & cum aliis pacem ſeruant, ſed eam etiam vbicumque poſſunt procurant, diſſidentes reconciliant, mutua componunt odia, lites dirimunt, auerſos placant animos, nihil denique intentatum relinquunt ad communicandam vbique pacem.

Iſti ſunt verè pacifici quaſi pacem facientes: & hi ſunt præter alios filij Dei, primò quidem, quia vnigenitum Dei filium proximè imitantur, *per quem omnia reconciliata ſunt cum Deo, & pacificata per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*, inquit Apoſtolus. Colоſſ. 1. Et rurſum: *Ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem & reconcilians ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Ephеſ. 2.

Deinde verò ſunt filij Dei quia ad ipſam Dei ſimilitudinem accedunt propius, Eſt enim Deus, *Deus pacis & non diſſenſionis, PAX eſt Dei,* Deus eſt ipſa pax; & pax eſt ipſa quodammodo Diuinitas, quæ ſicut in tribus Perſonis conſiſtit, ita tres Perſonæ in pace & vnitate ſubſiſtunt. 1. Cor. 14. Phil. 4. Sic proinde pacifici qui omnes inter ſe homines & cum Deo vellent ita vnire vt quod orabat Chriſtus Dominus, *Vnum eſſent, ſicut ipſe vnum eſt cum Patre & Spiritu ſancto*; hi plane Deo ſimiles ſunt ac proinde præcipuè filij Dei. Ioan. 17. Sic diſerte S. Gregorius Nazianzenus: *Qui pacis bonum amplexantur, ad Deum diuinaſque mentes accedunt. Pax amica meditatio mea, & decus meum, quam & Dei, & cuius Deum & quam Deum eſſe ſcriptura pronuntiat: velut in illo Apoſtoli loco, pax Dei, & Deus pacis, & ipſe eſt pax noſtra.* Orat. 1. de pace & 3. 2. Cor. 13.

Tertio denique, ſi, vt ait Apoſtolus, *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei:* Nonne pacifici præ cæteris diuino agun- Ephеſ. 2.

tur Spiritu qui tam arduum & ſublime peragant opus quale eſt pacificare diſſidentes, & quod eſt illi maxime proprium, *qui inhabitare facit vnius moris in domo?* Itane tu morem geris huic diuino Spiritui, ſiue vt te pacificari velis, ſiue vt alios pacificare poſſis?

Pſ. 67.

III. PVNCTVM.

BEATI *ſunt ergo pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; Atque è diuerſo, inquit ſanctus Gregorius, *ſi filij Dei vocantur qui pacem faciunt, procul dubio ſunt filij ſatanæ qui confundunt. Omnes autem qui per diſcordiam ſeparantur à viriditate dilectionis, areſcunt; qui etſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferunt, profectò nulli ſunt, quia non ex vnitate Charitatis oriuntur. Quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nihil eſt delectabilius diabolo extinctione Charitatis.* Tùm poſt pauca conuertens admonitionem ad pacificos, *Admonendi ſunt*, inquit, *ne tantæ actionis pondus leuigent, ſi inter quos fundare pacem debeant, ignorent. Nam ſicut multum nocet ſi vnitas deſit bonis, ita valde eſt noxium ſi non deſit malis. Si ergo peruerſorum nequitia in pacem iungitur, profectò eorum malis actibus robur augetur, quia quo ſibi in malitia congruunt, eò ſe robuſtius bonorum afflictionibus illidunt*; Et quæ fuſius proſequitur, ac tandem concludit; *Admonendi itaque ſunt qui faciendæ pacis ſtudiis occupantur vt prauorum mentibus prius amorem debeant internæ pacis infundere, quatenus eis poſtmodum valeat exterior pax prodeſſe: vt dum eorum cor in illius cognitione ſuſpenditur, nequaquam ad nequitiam ex huius perceptione rapiatur, dumque ſupernam prouident, terrenam nullo modo ad vſum ſuæ deteriorationis inclinent.*

3 parte Paſtor admonit. 24.

Hîc teipſum diſcute quam ſis ſtrenuus aut ignauus in hoc diuino negotio. Vide ſi quos noris diſſidentes quibus eos modis reconciliare poſſis; Aude hic fortius quam ſoleas. Aptiſſima eſt etiam admonitio Authoris de Imitatione Chriſti, *Tene te,* inquit, *primo in pace, & tùm poteris alios pacificare.* Vide caput tertium libri ſecundi vnde illud imprimis obſerua quod dicit, *Habe primo Zelum ſuper teipſum: & tunc Zelare poteris iuſtè etiam proximum tuum.* Videri & infrà debet Hebdomada decima, præſertim Feria 4. & Sabbato.

Digitized by Google

FERIA TERTIA.

DE OCTAVA BEATITVDINE, QVAE EST TOLERANTIA PERSECVTIONVM PROPTER IVSTITIAM.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Matth. 5.

RATIO EST, Quia Beati ſunt illi quorum eſt Regnum Cœlorum, etiam ex hac vita, quantum inchoari poteſt hoc regnum.

Sed tale Regnum illorum eſt qui perſecutionem patiuntur.

Ergo & Beati; Et ſic plane ſentiendum de nobis cùm perſecutionem patimur.

I. PVNCTVM.

CVM per virtutes in ſeptem Beatitudinibus comprehenſas pia Sanctorum vita inſtituatur: *Cumque omnes qui pie volunt viuere in Chriſto* IESV *perſecutionem patiantur*, rectè octaua hæc Beatitudo cæteris additur, vt ad quælibet toleranda parati potius ſimus quàm à virtute deficere. *Nihil horum timeas quæ paſſurus es* propter virtutem, nam vel hoc ſolo nomine Beatus eris, quia tuum erit regnum cœlorum: non illud tantum quod futurum ſperatur in æterna ſanctorum Beatitudine, ſed quod iam inchoatur in anima de quo dicitur: *Regnum Dei intra vos eſt:* & *Regnum Dei Iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.* 2. Tim. 3. Apoc. 2. Luc. 17. Rom. 14.

Hæc ſunt quæ modo attentius conſiderentur: atque illud imprimis vnde aliud deducatur quàm vere Beati ſint illi quorum eſt tale Regnum ſeu in quibus regnat Deus. Certe iam pridem dictum

Digitized by Google

eſt, & inſtar oraculi celebratum vniuerſim, quod illa demùm forent beata Regna in quibus vel Reges eſſent Sapientes, vel Sapientes eſſent Reges, quod nulli vnquam regno verius contigit quam interno Dei regno, vbi quæ regnat ipſa eſt Diuina Sapientia quę quanta-quanta eſt tota leges pręſcribit, mores compônit, acta
3. Reg. 10. dirigit & cuncta regit. *Beati viri tui, & beati ſerui tui,* dicebat Sa-
Matth. 12. lomoni Regina Saba: ſed quanto verius Regi Regum, *Qui pluſquam Salomon eſt*, Ne plura dicam quam ipſe de ſe dixit.

Luc. 10. *Beati oculi*, inquiebat ille, *qui vident quæ vos videtis & beatæ au-*
Matth. 13. *res veſtræ quæ audiunt.* At cur non ita beatum pectus eſſet, cur non beata anima quæ illum ipſum habet ſecum loquentem, ſecum omnia operantem, & ſibi dominantem? Denique quid hîc hæremus cùm dicenti cuidam, Beatum ventrem qui illum por-
Luc. 11. taſſet & vbera quæ ſuxiſſet; *Quin immo*, inquit, *Beati ſunt qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud:* Quibus paucis verbis, & quid eſſet illud regnum, & quam beatum eſſet, ſatis indicauit; Sed an tu audias & cuſtodias verbum illud in quo regnum Dei ſitum eſt, tu paulo attentius recogita.

II. PVNCTVM.

ATQVI *hoc Regnum, illorum eſt qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam.*

Hæc eſt illa ſcilicet vniuerſalis Iuſtitia, quà, vt iam dictum eſt, verbum Dei auditur & cuſtoditur: quà virtus omnis exercetur: quà leges illæ diuinæ ſeruantur quibus ſuos Chriſtus regit. At vero cùm quis propter talem Iuſtitiam iniuſtè patitur, ſignum eſt manifeſtum quod tam fidelis & conſtans eſt in illâ ſeruanda Iuſtitia, vt malit male tractari & perſecutionem pati, quàm vel vllam violare legem: vnde & illud ſequitur quod in eo ſit regnum Dei, aut quod is in regno Dei ſit; quandoquidem iſtud regnum non aliter floret aut viget quam per virtutem & conſtantem diuinarum legum cuſtodiam, in quà nullus magis excellit quam
2. Macch. 7. qui magis propterea patitur. *Parati ſumus mori magis quàm patrias Dei leges præuaricari. E cælo iſta poſſideo*, Nempe linguam & manus, *ſed propter Dei leges, nunc hæc ipſa deſpicio. EGO ſicut & fratres mei animam & corpus meum trado pro patriis & diuinis legibus.* Sic Machabæi perſecutionem patientes propter Iuſtitiam, facti ſicut.

regnum Dei: & illi fuerunt ſancti de quibus Apoſtolus: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt Iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones,* & quę fusè Apoſtolus proſequitur. Quid tu propterea pateris? aut quoties ne propterea patereris, maluiſti legem infringere? *Vbi eſt literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi Doctor paruulorum?* O præclarè dictum à Propheta! *Hebr. 11.* *Iſ. 33.*

III. PVNCTVM.

ERGO *illi Beati ſunt qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*; ſeu regnum illud Dei quod ad cœleſte perducit tam certo, quam certum eſt non regnare Deum in anima niſi per Iuſtitiam & per virtutes propter quas qui perſecutionem patiuntur, ipſi ſunt omnium aptiſſimi & digniſſimi cœlo fruendo: Propereaque dictum eſt in Apocalypſi: *Hic patientia ſanctorum eſt qui cuſtodiunt mandata Dei & fidem IESV.* *Apoc. 14.*

Et quidem hinc ſeruandæ patientiæ motiuum eſt efficax, ſed quomodo ſeruari debeat, aptè monet S. Gregorius. *Amonendi ſunt,* inquit, *patientes ne in eo quod exterius portant, interius doleant, ne tantæ virtutis ſacrificium quod integrum foris immolant, intus malitiæ peſte corrumpant, & cùm ab hominibus non agnoſcitur, ſed tamen ſub diuina examinatione peccatur, tantò deterior culpa doloris fiat, quantò ſibi ante homines, virtutis ſpeciem vendicat. Dicendum itaque eſt patientibus vt ſtudeant diligere quos ſibi neceſſe eſt tolerare, ne ſi patientiam dilectio non ſequatur, in deteriorem culpam odij virtus oſtenſa vertatur.* *3. p Paſtor adm. 10.*

Et poſt multa de hoc argumento, *Virtus itaque eſt, coram hominibus, aduerſarios tolerare; ſed virtus, coram Deo; diligere; quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit quod quidem ante eius oculos in altari boni operis, flamma Charitatis incendit.* Vide plura quæ pergit & illud præcipue caue quod monet euenire plerumque patientibus vt eo quidem tempore quo vel aduerſa patiuntur vel contumelias audiunt *nullo dolore pulſentur, ſed cùm poſt paululum hæc ipſa quæ pertulerunt ad memoriam reuocant, igne ſe doloris inflammant, argumenta vltionis inquirunt, & manſuetudinem quam tolerantes habuerunt retractantes, in malitiam vertunt, &c.* Nonne hoc tibi accidit aliquando? quis vero tum animus? an motum internum reprimis? an contines? Contine ſaltem linguam, & inuitâ etiam deprauata

Digitized by Google

natura, Benedic Dominum, & beatum te prædica quod patiaris. *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt*, ait ſanctus Iacobus: At cur non eos etiam modo qui ſuſtinent? cur non teipſum, quando eſt aliquid grauius ſuſtinendum? Iac. 5.

Videri debet in 2. parte, tota præſertim Hebdomada 2. Quadrageſimæ, vbi hæ proſtant Veritates:

Quò in cœlis corona gloriæ ſumetur vultu, hoc in terris calix ſumendus eſt.

Si propter Scripturas ſunt aduerſa toleranda, ſunt libenter toleranda.

Necnon Hebd. Paſſionis, Vbi hæc inter alias per opportuna.

Non quæſitæ cruces, ſunt magis exquiſitæ.

FERIA QVARTA.

DE EADEM OCTAVA BEATITVDINE, QVAE SPECTAT MALEDICTIONES AVT BENEDICTIONES MVNDI.

Beati eſtis cùm maledixerint vobis. Matth. 5.

Væ cùm benedixerint vobis homines. Luc. 6.

RATIO EST, *Quia illi Beati ſunt, aut miſeri, quibus benedicit, aut maledicit Deus.*

Sed illis benedicit Deus, quibus maledicunt homines; & è contra illis maledicit quibus benedicunt.

Ergo Beati eſtis cum maledixerint vobis; Et væ cùm benedixerint homines. Quod tam certa fide credendum eſt, quàm quoduis dictum ab Eo qui mentiri non poteſt.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

ILLVSTRANDÆ apertius octauæ Beatitudini quæ eſt vniuerſalis tolerantia perſecutionum omnium, adiungere voluit Dominus & hanc particulatim deſignare tolerantiam, cùm nos maledictis & probris inſequerentur homines, propter iuſtitiam & contra veritatem; quia tùm maximè natura eſt fragilis & tum precipue roboranda. Iterum ergo propterea beatos dicit eos qui paterentur cum his tribus condicionibus. Prima eſt vt maledicta inferrentur propter iuſtitiam ſiue propter bonum ac pium aliquod opus. Secunda, vt eſſent falſa maledicta ſeu quod idem eſt, mentirentur maledicentes. Tertia denique vt libens ac læta eſſet eorum tolerantia. *Non enim iſta perpeti fructuoſum eſt* ait ſanctus Auguſtinus, *ſed iſta pro Chriſti nomine, non ſolum æquo animo ſed etiam cum exultatione tolerare.* Sanctus item Gregorius ſapientiſſime monet, *Linguas detrahentium non debemus excitare ne pereant, ſed excitatas æquanimiter tolerare vt nobis meritum creſcat: aliquando tamen detractores debemus compeſcere ne Innocentium qui à nobis audire bona poterant, corda corrumpant, dum de nobis male diſſeminant.* L. 1. de Verbis Dom. in monte. c. 5. Hom. 9. in Ezech.

Et ratio quidem cur ita beati ſint, & cur ita exultare debeant qui ſic patiuntur, peti poſſet à futura mercede quam inde conſequentur in cœlis; ſed hæc præterea quæ affertur pro præſenti vita, attente eſt cogitanda, nempe quod illi beati ſint aut miſeri quibus benedicit aut maledicit Deus. Nam vt paucis omnia complectamur, id ſolum de Deo verum eſt quod Rex Balac de Propheta Balaam iactitabat, ***Noui quod benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris***; Vnde & ſacra ſcriptura vt vno verbo omnia bona vel mala comprehendat, non aliter quam his vocibus effert, ***Benedictio Domini, vel maledictio. BENEDICTIO Domini ſuper caput iuſti.*** Tum paulo poſt: ***Benedictio Domini diuites facit, nec ſociabitur eis afflictio.*** Id eſt vere diuites & beatos facit. ***Maledictus à Deo qui exaſperat matrem. TESTES inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem.*** Id eſt quidquid magis eſt in diuinis & humanis optandum vel timendum, ſiue pro præſenti ſiue pro futuro. Nonne ita ſentis? Nonne ipſa vox maledictionis Num. 22. Prou. 10. Ibid. Eccleſi. 3. Deut 30.

diuinæ terrorem incutit? Nonne hoc eſt quod ipſis damnandis
Math. 25. grauiſſimum reſeruatur: *Diſcedite à me maledicti*; Aut quod ſaluandi ſuauius audient, *Venite Benedicti Patris mei?* O quis tum animæ ſenſus!

II. PVNCTVM.

SED *cùm maledicunt homines propter iuſtitiam & mentiuntur, tum benedicit Dominus; aut cùm benedicunt mentientes, tum ipſe maledicit.*

Nam diuerſa plane ſunt iudicia Dei & mundi, ſeu illorum hominum qui non niſi ex deprauato concupiſcentiæ ſenſu de rebus iudicant; vnde id neceſſario ſequi debet vt cùm mundus maledicit, benedicat Dominus: aut è contra; Quia ratio cur maledicat mundus eſt iudicium quod de rebus piis habet ſiue de hominibus pietatem ſectantibus, cui mundano iudicio cum Deus oppoſitum habeat, hinc etiam oppoſitam benedictionem vel maledictionem infert, eóque copioſiorem quo maledictus ab hominibus maledicta libentius patitur. *Maledicent illi & tu benedices,*
Pſ. 108. dicebat Deo Dauid: Atque ipſe Deus: *Maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis quia non poſuiſtis ſuper cor.* Vtrum ex his
Mal. 2. duobus iudicium verius cenſes? Expende accuratè; hinc enim tota vis Concluſionis.

III. PVNCTVM.

ERGO *Beati eſtis cùm maledixerint vobis; & væ cùm benedixerint vobis homines.* Nam cùm ex benedictione vel maledictione Dei totam beatitudinem vel miſeriam veſtram metiri debeatis, ſi cùm vobis maledicunt homines, Dominus benedicit, aut cum benedicunt, Ipſe maledicit, Nonne beati eſtis cum
Gal. 4. maledixerint homines, aut miſeri cum benedixerint? *Vbi eſt ergo beatitudo veſtra*, dicebat Galatis ſanctus Apoſtolus, niſi videlicet in diuino ſit conſtituta iudicio? Quod vt manifeſtius pateat, atque vt inde etiam vehementius excitemur ad patientiam, cogitandum eſt quod illo ipſo momento quo magis vituperatis ab hominibus, magis à Deo commendaris & laudaris; At nonne hoc longe eſt præferendum? Nonne magis laudabile ſic laudari à laudato

Digitized by Google

à laudato quam ab illaudato? Quid porro eſt laudibilius Deo? Confer Deum cum mundo, confer vtriuſque iudicium, confer laudem & vituperium quæ ab eorum alterutro inferuntur. Nonne eſt quod præeligas iudicium & laudem Dei? Et tamen nonne ſæpius mauis laudes & benedictiones hominum quam ipſius Dei? O probrum! ó iniuriam Deo factam! *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?* Hæc aggeratio tot nominum idem ſignificantium, grauitatem rei denotat ſuprà quàm credi poſſit. *Popule meus*, ait Propheta, *qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Stat ad iudicandum Dominus, ſtat ad iudicandos populos.* Tum paulo poſt: *Et dixit Dominus: pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & compoſito gradu incedebant; decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro criſpanti crine caluitium.* Quaſi diceret, Domini eſt beatum dicere & facere, ſicut Domini eſt iudicare de rebus: cum autem de his iudicat, plane aliud eſt eius iudicium ab humano iudicio, nam quod homines ſtatuunt, ille euertit: & quod euertunt, ille ſtatuit. Huc etiam reuoca quod iam ſupra dixit ſanctus Auguſtinus; *Qui laudari vult Domine de tuo dono, & non quærit in illo tuam gloriam ſed ſuam, hic licet laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur: qui autem ab hominibus laudatur vituperante Te, non defenditur ab hominibus iudicante Te, nec liberabitur condemnante Te.*

Iſ. 46. *Iſ. 3.* *In Medit.*

Vide in 1. parte, Fer. 3. Hebdomadæ 2. in Aduentu. Die 19. Ianuarij. Fer. 4. Hebdomadæ 6. poſt Epiph. vbi hæc ſatis apta proponitur Veritas:

Qui nimis humana timet iudicia, non ſatis reueretur diuina.

Et alibi paſſim in ſingulis partibus, nominatim vero in 4. parte, Feria 3. Hebdom. 16.

Digitized by Google

FERIA QVINTA.

DE CVRA PROPRIÆ PERFECTIONIS ET PROXIMORVM, SECVNDVM TRIPLICEM VIRTVTIS, SEV VIÆ PERFECTÆ GRADVM, IN HIS TRIBVS CHRISTI DOMINI VERBIS CONTENTVM.

Vos eſtis ſal terræ.
Vos eſtis lux mundi.
Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Qui non gradatim procedit in via virtutis, non in via virtutis incedit, ſed vitij.

RATIO EST, Quia qui non gradatim procedit, præcipitatione totus agitur.
Sed præcipitatio, vitium eſt.
Ergo non in via virtutis incedit ſed vitij. Quod ſane eſt diligenter præcauendum.

I. PVNCTVM.

TOTVS hic ſermo quem Chriſtus Dominus in monte habuit, perfectionis eſt ſeu perfectæ vitæ viam demonſtrat, & conſilia ſubliminora ſuggerit omnibus, in quocumque vitæ ſtatu degentibus. Antequam verò ad ſingula parti-

Digitized by Google

culatim deſcendat, ſuos monet, & eos præcipue qui dirigendis aliiș præſunt, vt gradatim ad virtutem & perfectionem ipſi conſcendant, & ſic alios promoueant. Sunt autem hi tres præcipui gradus ſeu ſtatus incedentium in via perfectionis acquirendæ, vt refert ſanctus Thomas & alij. Primus eorum qui incipiunt per purgatiuam viam quæ eſt in receſſu à vitiis. Secundus eorum qui proficiunt per illuminatiuam quæ eſt in exercitatione virtutum. Tertius denique qui perfecti ſunt per vnitiuam quæ eſt in ſtudio inhærendi ac fruendi Deo. 2. 2. q 24. a 9.

Atque hi tres procedendi gradus deſignantur à Chriſto Domino per tria ſymbola ſuprà dictis verbis contenta. Primus nomine ſalis, *vos eſtis ſal terræ:* nam ſalis natura, vt ait Plinius, eſt mordens, adurens, repurgans, extenuans, & exſiccans, quæ omnia ſatis aptè conueniunt viæ purgatiuæ ſeu primo Incipientium ſtatui. Secundus gradus eſt in nomine *lucis*, vnde & illuminatiua via dicitur & qui in ea ſunt, Proficientes nuncupantur quo ſenſu, ait Sapiens, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit, vſque ad perfectam diem.* Tertius nomine Ciuitatis exprimitur, quæ, vt ait Philoſophus, eſt multitudo Ciuium per ſe ſufficiens ad viuendum, ſic Perfecti dum vni Deo inhærent & eo perfruuntur, ſibi & aliis abundè ſufficiunt ad perfectam vitam. *Vita ſibi ſufficientis Operarij condulcabitur, & in ea inuenies theſaurum.* *l. 31 c. 7. & ſequentib.* *Prou. 4.* *3. Polit.* *Eccleſ. 40.*

Quod vero præcipuè circa hos gradus obſerues, ſiue tecum ſiue cum aliis, propoſita Veritate continetur: Nempe vt gradatim ab vno in alium promouearis & promoueas tibi commiſſos, cùm alioquin, *non in via Virtutis incederes ſed vitij*; Quod ſic facillimum eſt declarare.

Hæc eſt enim prçcipitatio, quæ, vt expreſſe habet ſanctus Thomas, *In actibus animæ metaphorice dicitur ſecundum ſimilitudinem à corporali motu acceptam, dicitur autem præcipitari ſecundum corporalem motum quod à ſuperiori in ima peruenit ſecundum impetum quendam proprij motus, vel alicuius impellentis, non ordinatè deſcendendo per gradus.* Ipſiſſima ſunt ſancti Doctoris verba, qui pergens oſtendit gradus ordinatos in omni negotio ſapienter dirigendo: tum infert, *Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis vel paſſionis, pertranſitis, ſeu non tranſitis huiuſmodi gradibus, erit præcipitatio.* 2. 2. q. 53. a. 3.

Quæ ſi vera ſunt de quouis negotio ſeu actione vbi aliqui forte gradus reperiantur per quos oportet procedere; quanto magis

Digitized by Google

certa & rata erunt de proceſſu perfectionis qui totus eſt in gradibus ordinate conſtitutis, de quibus ſponſa: *Ordinauit in me Charitatem?* Sit ergo aliquis qui non gradatim, ſeu quod idem eſt, qui non per illos gradus ordinatos incedat, quid quam præceps dicendus eſt? & quid aliud ille inceſſus quàm præcipitatio? Hoc qui non videt in tenebris ambulat, *Et hæc eſt via impiorum tenebroſa*, de qua Sapiens, *qui neſciunt vbi corruant*. Velleſne ita periclitari?

Cant. 2.

Prou. 4.

II. PVNCTVM.

SED *ipſa inſuper præcipitatio, vitium eſt.*

Quid eſt enim vitium niſi mentis inordinatio? niſi ordinis ab æterna lege conſtituti violatio? Quid vero præcipitatio niſi talis inordinatio, cum aliter præcipitatio non fiat, vt dictum eſt, quam quia graduum conſtitutus ordo non ſeruatur? *Væ his qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas.* Et quidem in negotiis quibuſlibet peragendis vitium eſt, inquit ſanctus Thomas, ſub imprudentia contentum quo quis per impetum voluntatis vel paſſionis, gradibus prudentiæ contemptis in ruinam labitur; at in noſtra materia vitium eſt eò longe grauius & damnoſius quò materia ſeſe diffundit latius & ſpirituale bonum animæ propius tangit. Eſt enim temeritatis imprudentiſſimæ & præſumptionis intolerandæ, velle aliter eſſe perfectum quam prout ordinauit Deus. Nonne hæc eſt illius Superbia qui contrà quàm ſibi erat ordinatum, *Aſcendam*, dixit, *ſuper altitudinem montium: ſimilis ero Altiſſimo: veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Et tu Capharnaum*, inquiebat Dominus: *Numquid vſque in cœlum exaltaberis? Vſque in Infernum deſcendes.* Non expaueſcis ad hæc verba?

Eccleſ. 2.

ſuprà.

Iſ. 14.

Math. 11.

III. PVNCTVM.

QVI *non ergo gradatim procedit in via virtutis, non in via virtutis incedit ſed vitij*, Nempe præcipitationis & exitij apertiſſimi conſequentis. Nam *qui feſtinus eſt pedibus, offendet*, inquit Sapiens. Sunt quidem aliquando viæ quædam extraordinariæ quibus in momento nonnullos ad perfectionem Deus vocat, vt Apoſtolum Paulum qui *continuo non acquieuit carni & ſanguini*, Sed hæ raræ ſunt & ſingulares viæ de quibus iudicare ſpectat ad diſcre-

Pr. 19.

Gal. 1.

Digitized by Google

tionem ſpirituum; At prout ordinarie Diuina procedit Prouidentia, ſic pro certo habe non aliter te ad ſupremos Caritatis aut virtutum gradus peruenturum, niſi prius in inferioribus diu multumque te continueris. Sic præclare ſanctus Gregorius, ad hæc Ezechielis verba: *Et aſcendit per gradus eius. QVID enim ſunt gradus huius portæ niſi merita virtutum? Siue in cognitione mediatoris Dei & hominum hominis Ieſu Chriſti, ſeu in ſcientia Diuini eloquij, ſeu in ipſa fide quam de illo accepimus, quibuſdam gradibus ad altiora incrementa peruenimus. Nemo enim repente fit ſummus, ſed in bona conuerſatione à minimis quiſque inchoat vt ad magna perueniat. De his gradibus per Pſalmiſtam dicitur: Deus in gradibus eius dignoſcetur, dum ſuſcipiet eam. De his quoque gradibus beatus Iob loquitur dicens, per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum. Si quidam gradus in cordis aſcenſione non eſſent, Pſalmiſta non diceret: ambulabunt de virtute in virtutem. Nec mirum ſi de virtute in virtutem gradus ſunt, quando vnaquæque virtus quaſi quibuſdam gradibus agitur, & ſic per incrementa meritorum, ad ſumma perducitur. Alia namque ſunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio.* Quæ quidem ibi fuſius proſequitur, atque in librum Iob notatis locis.

Ezech. 40. Hom. 15.

22. Mor. c. 14. & l. 23. c. 6.

Sanctus item Bernardus aptiſſime, vbi de triplici oſculo, pedis, manus, & oris Domini: *Nolo*, inquit, *repente fieri ſummus; paulatim proficere volo. Quantum diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Citius placas Eum ſi menſuram tuam ſeruaueris, & altiora te non quæſieris. Longus ſaltus & arduus eſt de pede ad os, ſed nec acceſſus conueniens. Quid enim, recenti adhuc reſperſus puluere, ora ſacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentaris? Per manum tibi tranſitus ſit, Illa prius te tergat, illa te erigat.* Et poſt nonnulla: *Hæc via, hic ordo: primo ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. Secundò, manum quærimus ſubleuantis & roborantis genua diſſoluta. Poſtremò cùm iſta multis lachrymis obtinemus tùm domum audemus forſitan ad ipſum os gloriæ, caput attollere; pauens ac tremens dico, non ſolum ſpeculandum, ſed etiam oſculandum: quia ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus, cui adhærentes in oſculo ſancto, vnus ſpiritus, ipſius dignatione efficimur.*

1. Cant. Serm. 3. & 4.

Iam vero tu qui hæc audis, an ſic gradatim pergis in via Domini? Numquid ſummum ſine medio, vel medium ſine primo gradu affectas? Audeſne eò temere aſcendere quò Sancti verentur

Digitized by Google

accedere? Satiſne ſunt purgati omnes affectus tui quantum requirit Diuina Charitas? Cur non hæres diutius fundendis lachrymis ad pedes Domini & peccatis eluendis? Aut cur his immoraris longius, nec te vlterius promoueri, & altius erigi ſinis à Gratia?

Pſ. 118. O quam piè, quam prudenter dictum à Propheta: *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Tunc non confundar cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.*

Vide in 1. parte, tota Hebdomada 3. poſt Epiph. vbi de recurſu ad Directorem agitur.

FERIA SEXTA.

DE BONO EXEMPLO CVNCTIS DANDO, AD DEI GLORIAM.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Sicut humanæ aſpectu gloriæ non eſt opus ponendum, ita nec eius deſpectu deponendum.

RATIO EST, Quia idcirco humanæ aſpectu gloriæ non eſt vllum opus ponendum, ne quid diuinæ gloriæ quæ in operibus noſtris ſpectanda eſt, detrahatur.

Sed ſi humanæ deſpectu gloriæ opus inchoatum deponeretur, diuinæ aliquid etiam gloriæ poſſet detrahi.

Ergo ſicut humanæ aſpectu gloriæ non eſt ponendum opus, ita nec eius deſpectu deponendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

GENERALE hoc etiam eſt ſicut præcedens, Euangelicæ legis documentum, ad noſtram ſimul & aliorum perfectionem ſpectans, vt bono exemplo præluceamus omnibus, non ad humanam & propriam, ſed diuinam duntaxat gloriam. Neque enim niſi vera virtute aliis lucere poſſumus; neque eſſet vera virtus ſi humanam & non diuinam ſpectaret gloriam. Quando autem ſic eſt ordinata virtus, vix dici poteſt quantum valeat ad permouendos eorum animos quibus datur in exemplum. *Vt qui non credunt verbo*, inquit ſanctus Petrus, *per conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram.* Vnde & idem paulo poſt, *vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Cui conformiter ſanctus Paulus: *Quæ pacis ſunt ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in inuicem cuſtodiamus.* Et paulo poſt: *Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.* Id eſt, ad promouendum verum eius bonum; quod dum ita peragitur, tunc ædificari dicitur.

1. Pet. 3.
Ibid. 4.
Rom. 14.
Ibid. 15.

Verum quia in hoc facile poteſt ſubrepere appetitus propriæ gloriæ, ſic ab eo cauendum monet propoſita Veritas, vt tamen bono numquam deſis Exemplo: *Non eſt quidem humanæ aſpectu gloriæ bonum opus ponendum, ſed nec eius deſpectu deponendum aut deſiſtendum à cæptis.* Expende fideliter. Cur enim nolles propriam gloriam? Nempe ne quid diuinæ detraderetur gloriæ, quæ in omnibus operibus noſtris maxime ſpectanda eſt & colenda. Sic aperte Chriſtus Dominus, *vt glorificent patrem veſtrum.* Hic finis exempli dandi, & omnium agendorum; Vnde & Apoſtolus: *Omnia in gloriam Dei facite. Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Glorificatur autem Deus bono exemplo quatenus boni Author Deus agnoſcitur, ſicque totius operis laus Illi refertur & gloria. *Non enim poteſt homo accipere quicquam niſi fuerit ei datum de cælo.*

1. Cor. 10.
Ioan. 3.

Deinde, quòd notum fiat omnibus, quinam illius ſint ſerui, quid ſit ei ſeruire, quid eum colere, quid ille amet, quid oderit, in quo non minima eſt Diuinæ perfectionis cognitio & glorifica-

Digitized by Google

Ezech. 36. tio. *Vt ſciant Gentes me, cum ſanctificatus fuero in te, in oculis eorum.* Denique alij auertuntur à malo & excitantur ad bonum, ſicut illi Seraphim qui ſe alis ſuis prouocabant ad Diuinas laudes: vnde ſanctus Gregorius: *Alià ſuâ me percutit qui exemplo ſanctitatis pro-* *Ibid. 3. l. 24 Mor. c. 11.* *priæ, me ad melius accendit. Ala mea vicinum ferio, ſi quod imitetur oſtendo.* Itane inflammas? Itane inflammaris? Itane pure propter Deum? At certe agnoſce quantum hinc Diuinę obſtares gloriæ ſi tuam quæreres.

II. PVNCTVM.

S*ED ſi humanæ deſpectu gloriæ, bonum opus deponeres: ſi metu laudis à bono deſiſteres, Diuinæ aliquid etiam gloriæ poſſet detrahi.*

Detracto nempe opere in quo erat Diuina gloria, nonne ipſam *Num. 20.* detrahis gloriam? *Quia non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me, coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Stupenda certe verba in Moyſem & in Aaron dicta, qui quantum omiſerant facere in quo Deus ſanctificatus & glorificatus fuiſſet, tantum ſubtraxerant Diuinæ gloriæ. Deinde fieri poſſet vt prætermittendo bonum opus, male ageres aut male ædificares, & ſcandalum aliis pareres: Tum verò numquid contra Charitatem peccares & Dei Gloriam? Nam vt alias forte audiuiſti, vel boni ſunt qui te peccantem intuebuntur, vel mali; ſi quidem boni ſunt, dolebunt, murmurabunt quod bonum illud prætermittas aut malum committas; ſi vero mali ſint, ad idem committendum *Matth. 18.* incendentur, tuo ſe exemplo protegent: & *væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Neque tibi proderit quod bono fine mouearis fugiendæ videlicet vanæ gloriæ. Nam alia via eſt eius fugiendæ ſine vllo preiudicio Charitatis & ædificationis vt dice- *Rom 14.* tur. Atque vniuerſim Apoſtolus, *Ne ponatis*, inquit, *offendiculum* *1. Cor. 9.* *fratri vel ſcandalum. OMNIA ſuſtinemus ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.*

Atque vt euidentius videas non minus ſæpe offendi Deum & proximum, quando quid boni omittitur quouis bono prætextu, ac ſi malum committeretur, *Væ mihi eſt*, ait ibidem Idem Apoſto- *Ibid.* *Iſ. 6.* lus, *ſi non Euangelizauero.* Sicut ante Propheta dixerat: *Væ mihi quia tacui.* Quod argumentum fuſè proſequitur Diuus Gregorius tertia parte paſtoralis in ea admonitione quæ fit Prædicatoribus qui

Digitized by Google

qui præ nimia humilitate formidant apparere: *Quo reatu*, inquit, *conſtringantur aſpiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis ſubtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abſcondunt.* Nonne illa eſt impij Regis ſimulata pietas qui cum moneretur petere ſignum à Domino, *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* Numquid illa Prophetæ inconſulta humilitas, qui cùm iuſſus eſſet à Domino pergere Niuinem, *Surrexit vt fugeret in Tharſis à facie Domini?* Nonne hæc denique mali ſerui mala timiditas qui talentum ſuum exercere noluit ne forte humana tangeretur gloria, ſicque maluit nihil Deo & nihil ſibi & proximo laborare, quàm de labore gloriari? Væ nobis ſi ſic humiles & timidos habuiſſemus Apoſtolos! *Adm. 26.* *Iſ. 9.* *Ion. 1.* *Matth. 25.*

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo humanæ aſpectu gloriæ non eſt vilum opus ponendum: ita nec eius deſpectu deponendum:* Quia quod times in aſpectu, non minus eſt timendum in deſpectu, ſi non minus in iſto Diuinæ quid ſubtrahatur Gloriæ quàm in illo. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Id eſt, ſi vere inchoas opus tuum ad laudem & Gloriam Dei, bene ſpera, & perge in hoc Diuino opere, nam Deus te illa laudis ſuæ intentione reget & gubernabit ſicut freno reguntur equi. Et licet aliquo gloriolæ ſenſu pungaris, non interibis propterea, *Liberabo te à ſagitta volante in die* & reuocabo te ad vnam meam gloriam intendendam. Sic ſancto Bernardo accidit qui cum dicendo adrepentem & blandientem ſentiret gloriam: non propter te inquit cæpi, nec propter te deſinam: *Quaſi iactato ſemine germinandi radices ſubtrahit qui opus quod imitandum eſt non oſtendit.* Sic præclare ſanctus Gregorius in eadem tertia parte Paſtoralis, admonitione poſtrema. Vbi hæc duo Domini apte conciliat dicta quæ ſibi repugnare videntur, *Videant opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt:* Et *attendite ne iuſtitiam faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* QVALITER, inquit, *videnda eſſent, vel qualiter non videnda ex ſententiarum fine monſtrauit, quatenus operantis mens opus ſuum & propter ſe videri non quæreret, & tamen hoc propter cæleſtis Patris gloriam non celaret.* Quidquid autem contrà ſentiatur, non nocet ſenſus vbi non eſt conſenſus. Non eſt autem conſenſus niſi aduertas ad ſenſum & tibi in eo volun- *Iſ. 48.* *Pſ. 90.* *Adm. 36.*

Digitized by Google

tarie complaceas; Eſt verò facile cum Dei Gratia complacentiam illam excutere vel negatiue cogitationem abducendo, vel poſitiue renouando intentionem his aut ſimilibus corde vel ore prolatis verſiculis: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram! Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum.* (Pſ. 72.) *ET nunc, quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* (Pſ. 38.) *EGO autem ad Dominum aſpiciam.* (Mich. 7.) *AVERTE oculos meos ne videant vanitatem.* (Pſ. 118.) *SI quæro gloriam meam, gloria mea nihil eſt.* (Ioan. 8.) *NON nobis Domine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam.* (Pſ. 113.) *MIHI abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri.* (Gal. 6.) *QVI gloriatur, in Domino glorietur.* (2. Cor. 10.)

SABBATO.

DE CVRA RERVM MINIMARVM IN CVLTV DEI: AD HAEC CHRISTI DOMINI VERBA:

Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, Iota vnum aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Cura rerum minimarum rem procurat omnium maximam.

RATIO EST, Quia res omnium maxima eſt pura Caritas quâ diligimus Deum, & qua diligimur à Deo.

Sed cura rerum minimarum hanc procurat Caritatem.

Digitized by Google

Ergo rem procurat omnium maximam: Ac proinde vt diligentius illa cura foueatur, hæc alia Veritas additur;

Sæpe in minimis non eſt minima culpa.

Ratio poſt exponetur.

I. PVNCTVM.

AVDIENDVS ante omnia ſanctus Auguſtinus circa hæc Chriſti Domini verba quæ rerum minimarum commendant obſeruantiam. *Iota*, inquit, *minima eſt literarum, apex vero eius particula in ſummo: ſignificat ergo minima quæque ad effectum perducenda.* Quam perfecte autem minima quęque Chriſtus Dominus adimplerit & quàm certa ſit nota fidelis ſerui, ſic adimplere omnia, iam ſupra declaratum eſt in prima parte. Nunc vero cùm res maximi ſit momenti, rurſum hîc & infra etiam amplius, de eadem materia proponuntur Veritates tanto quidem breuiùs quantò ſunt per ſe claræ & apertæ. Prima oſtendit bonum quod in cura rerum minarum continetur. Secunda manifeſtat malum quod ex earum incuria prouenit, vt vtroque motiuo boni & mali ſimul exhibito, magis ad finem propoſitum cum Gratia moueamur. *Feria ſexta Dom ſexta poſt Epiph.*

Prima ſic habet & declaratur: *Cura rerum minimarum rem procurat omnium maximam.* Quid enim maius Caritate tùm qua nos Deum pure diligimus, tùm qua nos à Deo diligimur? *Aemulamini autem Chariſmata meliora*, inquit Apoſtolus: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, Quaſi diceret, quantumcumque vehemens ſit æmulatio, & quantumcumque bona ſint quæ vobis æmulemini & concupiſcatis: Supereminet tamen & præcellit illis omnibus quod iam vobis demonſtraturus ſum bonum, nempe Caritas de qua toto ſequenti capite diſſerit, & quod ita concludit, *Nunc autem manent fides, ſpes, Charitas, tria hæc; major autem horum eſt Charitas*, Id eſt major & maxima rerum omnium. Denique *Charitas, Deus eſt*, ait dilectus Diſcipulus, *& qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Poteſtne aliquid dici maius cùm præſertim de pura Caritate ſit ſermo, id eſt, *de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta?* *1. Cor. 12.* *Ibid. 13.* *1. Ioan. 4.* *1. Tim. 1.*

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *cura rerum minimarum hanc procurat Charitatem.*

Primò quidem de Caritate qua Deum diligimus, ſic aperte patet, quia numquam eſt certior Caritas quam in effectu, id eſt quàm in agendo vel patiendo, vnde eſt illud frequentiſſimum ſancti Gregorij: *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis.* Quantò verò etiam minùs de proprio, ſeu minus de noſtro commodo vel incommodo permiſcetur in illo exhibendo opere, tantò certe opus exhibitum, maior eſt probatio dilectionis, Quia dilectio tum erit purior & ſincerior. Hoc eſt autem opus quod inducit & procurat Cura rerum minimarum, non diligit lingua & ſermone qui curat minima, *Sed opere & Veritate:* Cura minimorum eſt opus & opus pene continuum, pene ſingulis continuatum momentis prout occurrunt frequentiſſimè. Opus vero eſt puræ dilectionis ſi quod eſt aliud, neque enim hic ſpectatur magnum præmium ſicut in arduis illis & heroicis virtutum actibus; neque grauis timetur pœna ſicut in grauibus culpis. Timor ille ſanctus & caſtus & perfectus eſt *quem*, vt ait Caſſianus, *non pœnarum terror nec cupido præmiorum ſed amoris generat magnitudo quo vel filius indulgentiſſimum Patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx ſolicito reueretur affectu dum eius non verbera, neque conuicia, ſed vel TENVEM AMORIS FORMIDAT OFFENSAM, atque in omnibus non ſolum actibus, verum etiam verbis attonita ſemper pietate diſtenditur, ne erga ſe quantulumcumque feruor dilectionis illius intepeſcat.*

Hom. 30 in Euang.

1. Ioan. 3.

11. Collat. c. 13.

Iam verò quod is à Deo diligatur qui ſic Deum diligit, quis dubitet niſi qui de Bonitate aut fidelitate illius dubitet, qui dixit, *Ego diligentes me diligo; & qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Id eſt qui non expectant interdiu quid operentur, ſed ipſo ſtatim lucis exordio ſimul ac vigilant, vigilant ad me, mihi laborant, mihi operantur, quidquid tandem agant & operentur: mihi viuunt, Illi ſunt præ cæteris qui me inuenient, nempe iſta cura & vigilantia me totum allicit vt me totum illis communicem, me præſentem & præſidentem ſingulis eorum operibus exhibeam, me cognitorem bonorum omnium quæ faciunt, & compenſatorem eximium. *Ecce ego declinabo ſuper eum quaſi fluuium pacis: ad*

Prou. 8.

Iſ 66.

Digitized by Google

vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. O quis Eum non diligat à quo ſic diligitur!

III. PVNCTVM.

C*VRA ergo rerum minimarum rem procurat omnium maximam*; Nempe Charitatem, qua nihil eſt maius, & quæ non magis pure exhibetur quam dum in minimis non propter res ipſas mandatas, ſed propter Mandantem talis adhibetur cura & vigilantia nihil vt omnino committatur vetitum, nihil iuſſum omittatur, quantumcumque exiguum. *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Matth. 25.

Hic eſt verus Dei timor de quo dicitur, *Qui timet Deum, nihil negligit*, & de quo vere etiam dici poteſt, qui nihil negligit, is eſt qui timet Deum, is eſt qui ſe pure & ſincere Deum timere indicat. *Cuius timoris magnificentiam*, vt Caſſiani verbis vtar, *Iſaias vnus Prophetarum eleganter expreßit: Diuitiæ, inquiens, ſalutis ſapientia, & ſcientia; timor Domini, ipſe theſaurus eius:* quaſi diceret, ſicut ex multis diuitiis conflatur theſaurus, ita multæ ſalutis diuitiæ ex multis bonis operibus: & multa bona opera ex caſto timore Domini, qui bene in omnibus operari facit. Eccl 7. Coll. 11. c. 13. Iſ. 33.

In portis noſtris omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi. Sponſa eſt ſic Sponſo loquens: ſed mirum quod ſic de pomis cum illo agat! quid vilius quam pomum vbi præcipue tam multa ſunt vt in portis & in obuiis quibuſque locis pateſiant? At ſponſo ſic grata ſunt & accepta illa poma, id eſt, minima quæque & obuia quæ amore ſponſæ ipſi offeruntur, vt hoc vno maximè delectetur. O fœlix anima quæ ſic in minimis Chriſto ſuo placere nouit! Quia tamen minima ſunt, nec tanti videntur ab omnibus pretij & ponderis, vt inde vel Chriſto magnus honor aut offenſa redundent; Idcirco ſequens adiungi debuit Veritas: Cant. 7.

Sæpe in minimis non eſt minima culpa.

RATIO EST, Quia non eſt minima culpa cum interuenit aliquis Dei vel Diuini mandati contemptus: quod quidem per ſe patet. Sed in minimis non ſeruatis, ſæpe interuenit aliquis Dei vel diuini mandati contemptus: nempe quia ſunt minima negliguntur, & in illo neglectu nonnullus inuoluitur præcepti & Præ-

Digitized by Google

cipientis contemptus: Sic luculente ſanctus Hieronymus, *Neque vero*, inquit, *eorum te ſeducat error qui ex arbitrio ſuo eligunt quæ potiſſimum mandata faciant, quæue quaſi vilia ac parua deſpiciant: nec metuunt ne ſecundum diuinam ſententiam, minima contemnendo paulatim decidant. Stoicorum quidem eſt, peccatorum tollere differentiam & delicta omnia paria iudicare, nec vllum inter ſcelus & erratum diſcrimen facere; Nos vero etſi multum inter peccata diſtare credimus, quia & legimus: tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tantò enim facilius abſtinemus à quocumque delicto, quantò illud magis metuimus, nec citò ad majora progreditur qui etiam parua formidat. Et ſanè neſcio, an poſſimus leue aliquod peccatum dicere quod in Dei contemptum admittitur. Eſtque ille prudentiſſimus qui non tam conſiderat quid iuſſum ſit, quàm Illum qui iuſſerit, nec quantitatem imperij, ſed Imperantis cogitat dignitatem.* Sanctus quoque Bernardus ſic piè & ſolide de hoc argumento diſſerit; *Cum per contemptum vertuntur in vſum & conſuetudinem, tunc non peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, IN MINIMIS QVOQVE MANDATIS, CVLPAM FACIT NON MINIMAM, & conuertit in crimen grauis rebellionis, næuum ſatis leuem ſimplicis tranſgreſſionis. Denique in quo inobedientiæ crimen abſque dubio ſit, apud Samuelem aduertite: Quaſi, inquit, peccatum ariolandi eſt, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Non ait, non acquieſcere, ſed nolle acquieſcere, vt non iuſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperba contemptio ſcelus idololatriæ reputetur. Non eſt enim idipſum nolle obedire & non obedire. Hoc quippe interdum erroris eſt, nonnumquam & infirmitatis, illud vero aut odioſæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Quod & ipſum repugnare eſt & reſiſtere Spiritui ſancto, & ſi ad mortem vſque perdurauerit, blaſphemia eſt non remittenda ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro.*

l. 2. Ep. 20. ad Celant. — *Tract. de præcepto & diſpenſat. c. 14.*

Itemque alibi; *Diſcite fratres iuſtum Iudicem Deum; non modo quid fiat ſed & quo animo fiat, conſiderate: & cauete deinceps ne quis parua reputet quantumlibet parua ſi ſcienter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde ſuo, leuia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimiſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis.*

In Conuerſ. S. Pauli Serm. 1.

Nonne ergo in minimis non eſt minima culpa? Quid tibi vide-

Digitized by Google

tur de illo Dei contemptu, de illa peruicacitate & malitia, de illa impœnitentia & blaſphemia? Nonne tibi ſatis graues videntur culpæ? Sed dices forte, nihil has ad te ſpectare, nihil te in tuis quotidianis culpis cogitare de tot nefandis criminibus, longe tibi aliam eſſe mentem, te prorſus deteſtari quidquid grauius Deum offendit. Eſto id dicas, eſto id ſentias, eſto id ita ſit in aliquibus culpis. Sed an putas ita eſſe in omnibus? an putas tibi de te ſentienti credendum? Quis blaſphemus non iuraret ſe nolle Deum offendere, ſibi non cogitanti excidere blaſphemiam, ſe ne quidem de peccato cogitare! An putas verò quod ſemper excuſetur? Non eſt neceſſe ad incurrendum crimen expreſſa vt vocant mente cogitare de crimine: ſatis eſt non ignorare eſſe crimen quod committis; ſatis eſt poſſe latere aliquid in objecto capitalius quam quod apparet; ſatis eſt te poſſe agnoſcere tali te obnoxium eſſe vitio quod licet primò leue ſit, poſſit tamen ingraueſcere & augeri niſi aduertas.

At vero nonne eſt quod ita de te ſentias? Nonne quæ minima peccas, idcirco peccas quia ſic peccare vis, quia non curas emendari, quia non putas eſſe grauia? Nonne in his emendandis ſæpe monita, ſæpe lumina, ſæpe gratias accepiſti, quæ tamen omnia negligis? Quid hoc eſt autem niſi quod aiebat ſanctus Bernardus, *contumacem eſſe, impœnitentem eſſe, & Spiritui ſancto reſiſtere?* Si fragilitate duntaxat peccares, peccatum eleuare & excuſare poſſet materiæ leuitas; ſed peccare ex praua conſuetudine quam non curas deponere, vel ex naturali propenſione quam non vis cohibere, hoc eſt peccare grauiter, licet in leuibus & minimis culpis; hoc eſt peccare aduertenter, ex malitia, ex contemptu atque ex obſtinata mente, quandoquidem neque te horum pœnitet, neque putas tibi vnquam ab iſtis eſſe reſipiſcendum. Hæc eſt *peccati* *Hebr. 3.* *fallacia*, qua ne obduremur tantopere cauet Apoſtolus, ſic enim fallit prætentâ quadam leuitatis ſpecie, ſub qua grauitas & malitia major obtegitur quàm tibi forte appareat. Atque idcirco quod toties audiuiſti, *Ab omni ſpecie mala te contine. Noli iudicare ſecun-* *1. Theſſ. 5.* *dum faciem. Minue offendiculam, & nimis odito execrationem.* *Eccleſi. 17.*

Vide in 2. parte, Hebd. 1. & 3. poſt Paſcha, necnon Dominica 4. vbi hæc proponitur Veritas:

Inordinata quæuis affectio, licet parum ſit mala, non eſt tamen paruum malum.

Digitized by Google

DOMINICA
QVINTA POST PENTECOSTEN.

DE IRA REPRIMENDA.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Iudicio. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Hæc eſt iræ noſtræ iniquitas, quòd in aliis ſemper iniuſta, ſemper in nobis iuſta videatur.

Vel ſic:

Hoc ipſo ira eſt injuſtior, quod nulli vmquam iraſcenti, ſua ira videtur injuſta.

RATIO EST, Quia hoc ipſo aliquid eſt iniuſtius, quò & pluribus, & quò maiorem infert iniuriam.

Sed ira, hoc ipſo pluribus & maiorem infert injuriam, quò minus iraſcenti videtur iniuſta.

Ergo & eſt iniuſtior, & proindè magis cauenda: ſiue, ne excitetur, ſiue ne excuſetur.

I. PVNCTVM.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

QVOD occurrit hodie Euangelium, ipſa ſunt ſermonis in monte habiti verba quæ conſequenter occurrunt conſideranda. Sic enim poſt antecedentia conſiderata pergit Dominus: *Dico autem vobis quia niſi abundauerit Iuſtitia, veſtra pluſquam Scribarum & Pharizæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non occides, qui autem occiderit, reus erit Iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnes qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio, qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare*; Et quæ ſequuntur.

Ex quibus primum illud liquet quàm longe perfectius ſit Euangelium lege Moſaïca, & quàm ſupra religioſiores illos antiquos quales erant Pharizæi, nos religioſiſſimi & perfectiſſimi eſſe debeamus, cùm illis tantum expreſſe vetaretur homicidium; nobis autem ipſa ira, ſeu ipſa prima cauſa vnde eſt homicidium, ad quod ex iracundia venitur per quoſdam gradus qui exprimuntur; Nempe ſi quis iratus dixerit, raca, id eſt, ſi ex commotione aliquid iniurioſum protulerit, licet nihil in particulari ſignificet. Tùm vero id erit acerbius, quando fatuum pronuntiarit, quæ eſt iniuria certæ & notæ ſignificationis, vnde tandem procedunt rixæ, contentiones, & homicidia.

Vt igitur ad radicem ſecuris ponatur; de ira reprimenda ſerio eſt cogitandum; Et quia, vt ait ſanctus Auguſtinus, *Nulli iraſcenti ira ſua videtur iniuſta*; *hoc ipſo*, ait propoſita Veritas, *eſt ira iniuſtior & hoc ipſo magis cauenda.*

Ratio autem quæ affertur eſt euidens, quoad primam ſaltem partem qua declaratur quid ſit iniuſtum & quid iniuſtius. Nempe hoc eſt ex communi ſenſu iniuſtum quod eſt iniurioſum ſeu quod iniuriam affert alteri; vnde quo quid grauiorem iniuriam afferet, & quò pluribus inferet, erit illud certe iniuſtius, nonne hoc patet? Nonne idcirco pœna grauior denuntiata eſt dicenti raca quam iraſcenti? & dicenti fatue, quam dicenti raca? Quia videlicet in his poſtremis iniuria maior eſt, & eſt iniuſtior ille qui ſic aperte infamat fratrem ſuum quàm qui leuius afficit. Numquamne id

Digitized by Google

tibi accidit? Numquamne iniuriam hanc intuliſti? & quomodo reparaſti? O quam prouide Sapiens: *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò: ne poſtea emendare non poſſis, cùm dehoneſtaueris amicum tuum.*

Prou. 25.

II. PVNCTVM.

S*ED ira hoc ipſo pluribus & maiorem infert iniuriam quò minus iraſcenti videtur iniuſta.*

Nam ſic iratus credet ſe habere cauſam iraſcendi, & cauſam illam refundat neceſſe eſt, non modo in proximos quibus iraſcitur, ſed & in ipſum Deum qui permittit occaſiones quas iratus vocat cauſas iræ ſuæ. Quàm vero id ſit iniurioſum & Deo, & proximo, & ipſi iraſcenti, paulo attentius conſidera. Deo quidem, quia facit Deum authorem ſui peccati, *Qua impietate nihil deteſtabilius,* eſſe putat ſanctus Auguſtinus. *Numquid irritum facies Dei iudicium vt tu iuſtificeris?* Et quidem Deus author eſt ſeu Cauſa permittens aut etiam effectrix illius incommodi quod ſentire homo poteſt & vnde ſuccenditur: ſed cur ita ſuccendatur & exardeſcat, ſolius hominis culpa eſt qui tale incommodum ſic volente Deo, patienter ferre deberet. *Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuſcemodi ſermones? Numquid iniquitas apud Deum? abſit.*

l. 1. de ordine. *Iob. 40.* *Iob. 15.* *Rom. 9.*

Deinde vero ſi in eos à quibus ſe læſum iratus credit, cauſam iracundiæ ſuæ referat, mirum quantis illos probris laceſſat, quàm multis ſe purgando verbis vtatur, & quàm multò pluribus ad inſimulandos alios atque in inuidiam adducendos abutatur, quæ omnia quantam ſecum inuehant iniuriam quis non videt. *Vir enim iracundus prouocat rixas.* Et rurſum: *Ira non habet miſericordiam nec erumpens fuor: & impetum concitati ferre quis poterit?*

Prou. 15. *Ibid. 27.*

Ac denique ſic ſibi iniurioſus eſt ipſe iratus, cum vel negat ſe poſſe continere, vel cum numquam aut ſeriùs peccatum agnoſcit cuius cauſam à ſe excludit; atque ita vix vmquam Deo, vix proximo & vix ſibi placatus miſerrimam viuit vitam, & in ſempiternum ruit interitum, vnde Sapiens, *Iracundia animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt*, & apud Iobum, *quid perdis animam tuam in furore tuo?*

Eccleſ. 1. *Iob. 18.*

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

HOC *ipſo eſt igitur ira iniuſtior quò nulli iraſcenti ſua ira videtur iniuſta*; Nam ſic pluribus nocet & grauiorem infert iniuriam, quo vno verbo omnem dixeris iniuſtitiam. Sic de Caïno dicitur, *Quod à Sapientia receſſit iniuſtus in ira ſua*: quia videlicet prætendebat cauſas iræ ſuæ. Sap. 10.

His iracundis apte ſanctus Gregorius in ſuis admonitionibus, *Nonnumquam vero*, inquit, *quod eſt grauius, iræ ſuæ ſtimulum, iuſtitiæ zelum putant; & cum vitium virtus creditur, ſine metu culpa cumulatur.* Et poſt pauca: *Admonendi ſunt iracundi, vt æmulationi quam ſe habere exiſtimant, manſuetudinem ſubiungant. Idcirco namque Spiritus ſanctus in columba & in igne monſtratur, quia videlicet omnes quos implet & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu ſancto plenus eſt qui aut in tranquillitate manſuetudinis, feruorem æmulationis deſerit; aut rurſum in æmulationis ardore, virtutem manſuetudinis amittit.* 3. parte Paſt. adm. 17.

Itemque in alia admonitione: *Sæpe vero*, inquit, *dum quoſdam maior ſcientia erigit, à cæterorum ſocietate diſiungit, & quaſi quò plus ſapiunt, eò à concordiæ virtute deſipiunt. Hi itaque audiant quid per ſemetipſam Veritas dicat, Habete Sal in vobis, & pacem habete inter vos. Sal quippe ſine pace non virtutis eſt Donum, ſed damnationis argumentum. Quo enim quiſque melius ſapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcuſabiliter & multò maius merebitur ſupplicium quia prudenter, ſi voluiſſet, potuit euitare peccatum. Quibus quoque recte per Iacobum dicitur, quod ſi zelum amarum habetis inter vos, & contentiones ſunt in corde veſtro, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem, non eſt iſta ſapientia deſcendens deſurſum, ſed terrena, animalis, Diabolica: quæ autem deſurſum eſt Sapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica. Pudica videlicet quia caſtè intelligit; pacifica autem quia per elationem ſe minimè à proximorum ſocietate diſiungit.* Adm. 23. Iac. 3.

Admonendi ſunt diſſidentes vt nouerint quod tam diu nullum boni operis Deo ſacrificium immolant, quàm diu à proximorum Charitate diſcordant, ſcriptum namque eſt, ſi offers munus tuum ad altare, &c. Ex qua præceptione penſandum eſt quorum hoſtia repellitur, quam intolerabilis culpa monſtratur.

Dicereſne tuam illam culpam quà tam facile commoueris in

alios, & tam difficile reconciliaris, culpam eſſe intolerabilem: cùm vix eam eſſe culpam agnoſcas? O quantùm noſtris palpamus vitiis! ô quantum nocet iſta palpatio!

Plura ex aliis partibus paſſim occurrunt quæ huc facile reuocári poſſint, ſiue de ferendis & condonandis iniuriis; ſiue de ipſa comprimenda ira, ſiue de manſuetudine, ſiue de reconciliandis animis; Præſertim verò hæc opportuniora deſignantur loca.

In 1. parte, In Vigilia natalis Domini. Die 16. Ianuarij. Dominica 5. poſt Epiphaniam.

In 2. parte, Feria 3. poſt Sexag. Feria 3. poſt Dom. 2. Quadrag. Tota Hebdomada 3. Quadrageſimæ, & Feria 2. quartæ Hebdòmadæ. Dominica Palmarum. Feria 3. Hebdomadæ 3. poſt Paſcha, vbi referuntur decem iniuriæ quæ per iracundiam inordinatam Chriſto inferuntur.

In hac 3. parte: Feria 3. Hebdomadæ 3. Feria 4. Hebdom. 4. Tota hac pene ſequenti quinta Hebdomada, præſertim Feria 2. 5. & 6. Feria 4. & 6. ſextæ Hebdomadæ. Feria 3. Hebdom. 9. Feria 5. Hebd. 10. Feria 3. Hebd. 14.

In 4. parte, Feria 4. & 5. Hebdomadæ 16. Dominica 21. Vbi hæc non ſilenda declaratur Veritas:

Quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers, ne parcat tibi Deus.

FERIA SECVNDA.

DE EXCELLENTI CASTITATE QVAM A SVIS EXIGIT CHRISTVS DOMINVS, HIS VERBIS:

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandaliZat te, erue eum, & projice abs te. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam. Matth. 5.

Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum. Marci 9.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Qui non ſeruat conſilia quia non ſunt præcepta : nec ipſa etiam præcepta ſeruabit.

RATIO EST, Quia quando quædam inter ſe ſunt ita connexa, vt vnum ex alio pendeat, qui vnum deſerit, deſeretur ab alio.

Sed ea quæ ſunt conſilij & præcepti, in hac præcipue materia Caſtitatis, ſunt ita inter ſe connexa vt vnum ex alio pendeat.

Ergo ſi vnum deſeris, & aliud te deſeret; ſi conſilia non ſeruas, nec ſeruabis præcepta; ſeu potius, vt præcepta ſerues, ſerua conſilia.

I. PVNCTVM.

CVM præcepta quædam Decalogi Chriſtus Dominus in illo ſuo ſermone ſuſcepiſſet declaranda: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis? Ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te*, Et cætera. Vbi tria refert Dominus: Primò ipſum præceptum de non mœchando, quod approbat & confirmat; Deinde explicationem præcepti quæ comprehendit etiam concupiſcentiam internam, adeout qui viderit & concupierit mulierem, iam peccarit. Tertium denique, vt ipſum aſpectum contineas, ne concupiſcas. Hoc eſt enim ſibi eruere oculum, dum eius vſus continetur. Ex occaſione autem oculi eruendi, etiam manus abſcindendæ meminit: & aliàs, pedis amputandi. Quæ tria membra corporis, tria ſignificant ad excellentiam Caſtitatis multum conducentia. Primum quidem per oculum, ne omnino conjiciatur in mulierem. Secundum quod per manum deſignatur, ne vllo modo tangatur mulier, aut familiarior cum ea conuerſatio habeatur. Tertium in pede adumbratum, vt ipſæ etiam euagationes per vrbem, circuitus & concurſus, quàm cautè fieri poterit euitentur.

Atque hæc tria ſic expreſſa, non ſunt ita certe imperata ſicut

mœchari & concupiſcere, ſunt enim tantùm monita & conſilia: Sed ne putes propterea minus eſſe obſeruanda: Nam hæc eſt certa Veritas, *Quod qui non ſeruat conſilia quia non ſunt præcepta, vix aut ne vix omnino ipſa præcepta ſeruabit.* Ratio quæ affertur vniuerſalis eſt, atque in eo fundatur quod de mutua aliquorum inter ſe connexione dicitur, quæ quando tam arcta eſt & conſtricta, vt vnum ab alio naturali quadam conſecutione pendeat, ſic etiam naturaliter & quaſi neceſſario ſit vt vno poſito vel ſublato, ponatur aliud vel tollatur. Hoc videre eſt in naturalibus, in artificialibus, in ciuilibus, in moralibus & Diuinis. Tolle radicem ab arbore, an erit fructus? Si nullum eſt ædificij fundamentum, aut ſi fundamentum in arena ponitur: qualenam erit ædificium? Si nulla fides ſit inter homines, ſi nulla in ciuitate iuſtitia, ſi nullius in mundo ius ſeruatur, & æquum bonum: an erit pacata Ciuitas? Sint inordinati omnes cuiuſquam motus, nihil in eo cum Ratione fiat; an erit in illo Virtus homine? Si denique Diuinam tollis Gratiam, nonne tollis æternam Gloriam? Quia videlicet tanta eſt connexio inter illa naturalia vel artificialia, ciuilia, moralia, & Diuina, vt qui vnum ex alia detrahit, vtrumque ſubtrahat. O quanta inde in animum tuum pernicies cùm diuina deſeris vnde æterna pendent? Aut cùm humana non ſatis curas quibus Diuina connectuntur! *Quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies?* Eccleſi. 25.

II. PVNCTVM.

SED ea quæ ſunt conſilij & præcepti in hac præcipuè materia Caſtitatis, ſunt ita inter ſe connexa, vt vnum ex alio pendeat.

Nempe ex viſu aut conuerſatione familiari ſic excitatur Concupiſcentia, & alij lethales motus, vt propterea Sapiens ſapientiſſime & fuſiſſime monuerit: *Ne reſpicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec aberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit: ſpeciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt, colloquium enim illius quaſi ignis* Eccleſi. 9.

Digitized by Google

exardeſcit. Cum aliena muliere ne ſedeas omnino ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem. Quid clarius quid expreſſius? Itemque in eodem libro; *Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri; melior eſt enim iniquitas viri quam mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium.* Quaſi dicat, minus periculoſum eſt Caſtitati conuerſari cum malo homine, quàm cum bona muliere quæ facile inducit hominem in peccatum & in confuſionem. *Ib. 42.*

Sic conformiter ſancti omnes loquuntur Patres, imprimiſque Diuus Gregorius ad hæc Iobi verba; *Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne cogitarem quidem de Virgine: VT enim cogitationes cordis caſte ſeruare potuiſſet, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aſpiceret quod poſtmodùm inuitus amaret. Valde namque eſt graue quod caro deorſum trahit, & ſemel ſpecies formæ, cordi per oculos illigata vix magni luctaminis manu ſoluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione verſemus, prouidendum nobis eſt quia intueri non decet quod non licet concupiſci. Vt enim munda mens in cogitatione ſeruetur à laſciuia voluptatis ſuæ, deprimendi ſunt oculi quaſi quidam RAPTORES AD CVLPAM.* Et ibidem explicans illa Ieremiæ Verba: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras. Quiſquis per has corporis feneſtras incautè exterius reſpicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus deſideriis, incipit velle quod noluit.* *Iob. 31.* *22. Mor. 2.* *Ier. 9.*

Nonne hoc ipſum eſt quod habet propoſitio? Nonne eſt illa connexio quam dicimus inter conſilium, *ne aſpicias:* & præceptum, *ne concupiſcas?* cùm ab vno tam facile itur ad aliud, vt etiam quaſi nolens & quaſi inuitus, eò pertraharis. O quàm nimis vere dictum, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* *Thren. 3.*

III. PVNCTVM.

QVI *non ſeruat ergo conſilia quia non ſunt præcepta: nec ipſa etiam præcepta ſeruabit;* Quia præceptum ita pendet à conſilio, ita ſe inuicem vtraque ligant & ſociant, vt diſſoluto vno, ſoluatur & aliud. *Deſpexiſtis omne conſilium meum: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, acciderit.* Vnde iterum ſapienter Sapiens: *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit. In via ruinæ non eas, & non offendes* *Prou. 1.* *Eccleſ. 32.*

in lapides; nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. *RESISTO ſeductionibus oculorum*, dicebat ſanctus Augu-
10. Confeſſ. 34. ſtinus, *ne implicentur pedes mei quibus ingredior viam tuam: & erigo ad te inuiſibiles oculos vt tu euellas de laqueo pedes meos.*

Quando ipſe actu & de facto eruendus eſſet oculus, ad euitandum vel vnum peccatum, *Expediret*, inquit Dominus, *vt vnum membrorum deperiret quam vt totum corpus periret:* Quantò magis cùm ſit tantum temperandus aſpectus? Quod certe ipſi Ethnici docuerunt & fecerunt; Sancti vero viri qui non fecerunt, ſancti eſſe deſierũt. Diſce aliorum exemplo ſapere; diſce & tuo qui nimis forſan expertus es quantum ab oculo, à manu, & à pede ineſſet damni & detrimenti. *Nec ſanctior Dauide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod Paradyſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit.* Sic apte ſanctus Hieronymus.

Math. 18.

Ep. 1 ad Nepot.

Vide in 1. parte, Feria 6. Hebdomadæ 4. in Aduentu, vbi demonſtratur:

Securior eſt Caſtitatis victoria fugiẽdo, quàm pugnãdo.

FERIA TERTIA.

DE TRIPLICI HOMINVM GENERE QVI HIS TRIBVS NOMINIBVS EXPRIMVNTVR, OCVLO, MANV, ET PEDE; *QVIQVE VT NOBIS SCANDALO ESSE POSSVNT, ITA DEBENT A NOBIS AMPVTARI SEV CAVERI.*

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & projice abs te.

Et ſi dextra manus tua; Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum. Matth. 5. & 18. Marci 9.

VERITAS

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Solum pietatis genus eſt in re ſaluti aduerſa, ſuis eſſe crudelem.

RATIO EST, *Quia quando agitur ſalus animæ, quicumque illi ſint quibuſcum agitur, ſolum pietatis genus eſt, eſſe efficacem.*

Sed in tali occurſu, eſſe efficacem cum ſuis, perinde eſt ac illis eſſe crudelem.

Ergo ſolum pietatis genus eſt in re ſaluti aduerſa ſuis eſſe crudelem. Quod certe attenta eſt conſideratione dignum.

I. PVNCTVM.

SANCTORVM Patrum is eſt communis ſenſus, vt his nominibus, *oculo, manu, & pede*, Parentes vniuerſim, Propinqui, affines & amici intelligantur. *Non de membris corporalibus loquitur ſed de amicis*, inquit ſanctus Chryſoſtomus. *In dextro oculo & manu, propinquorum affectus intelligitur*, ait ſanctus Hieronymus: rurſumque, *omnis truncatur affectus & vniuerſa propinquitas amputatur, ne per occaſionem pietatis, vnuſquiſque credentium ſcandalis pateat.*

Quia vero hi poſſunt eſſe in triplici genere vt ſint ſuperiores, æquales, vel inferiores, ſic apte exprimuntur his tribus membris; nempe *Oculo*, Superiores, vt Pater, Dominus, Magiſter: *Manu*, Æquales vt frater, cognati, ſocij, amici: *Pede* Inferiores vt filij, ſerui, diſcipuli.

Sunt autem nobis ſcandalo, quando ſunt cauſa peccati, quando vel nimio affectu, cultu, reſpectu, & eorum denique conſideratione omittimus bona quæ alioquin videmus agenda; vel committimus mala quæ alioquin non auderemus. Quid tum igitur facto eſt opus? erue oculum & projice abs te, abſcinde manum, & pedem amputa, id eſt, diſcede ab illis aut ab eorum cultu: ne vllo eorum affectu propterea pecces: nullo plane, & potius illis

Digitized by Google

Eccleſiaſt. 42. renunties : ſicut iam pridem monuit Sapiens : *Ne pro his omnibus confundaris : & ne accipias perſonam vt delinquas.* Quod ſi tibi durum, impium & crudele videtur, audi Diuum Hieronymum : *Solum pie-* *Ep. 1. ad Heliodor.* *tatis genus eſt in hac re, eſſe crudelem.* Nempe vbi agitur animæ ſalus ſolum pietatis genus eſt eſſe efficacem, id eſt, totum illud adhibere quod eſt neceſſarium. Nonne id meretur ſalus animæ ? *Quam da-* *Math. 16.* *bit homo commutationem pro anima ſua ?* Cur alioquin dixiſſet Sa- *Eccleſ. 4.* piens : *Agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia?* *Serm. 64. de Verbis Dom.* *QVANTVM laborat homo,* ait ſanctus Auguſtinus, *quando mors imminet, fugiendo, latendo, quidquid habet dando, & ſe redimendo, laborando, cruciatus moleſtiaſque ſuſtinendo, medicos adhibendo, & quidquid aliud homo poteſt ? ſi ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tanta inſtantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur vt aliquantò plus viuatur : quomodo agendum eſt vt ſemper viuatur ? Et, ſi prudentes dicuntur qui omnibus modis agunt vt differant mortem, & viuant paucos dies, ne perdant paucos dies ; quàm ſtulti ſunt qui ſic viuunt vt perdant diem æternum ?* Velleſne ex his eſſe ſtultis?

II. PVNCTVM.

SED in tali occurſu eſſe efficacem cum ſuis, perinde eſt ac illis eſſe crudelem.

Primò eſt magis explicandũ, quinam ſit ille occurſus ſeu caſus in quo agatur cum aliis de ſalute tua. Quãdo videlicet talis eſt affectus erga quodlibet horum hominum genus de quibus dictum eſt, vt propterea pecces, vel nimis eos amando vel ex nimio eorum amore, cultu, timore & aliis affectibus, nonnulli acquieſcendo & conſentiendo prauitati. Tunc manifeſte ſalus animæ agitur, non modo quia peccas, ſed quia tale peccatum niſi mature prouideas ita eſt connaturale & proprium, vt vix agnoſcas, vix reſipiſcas & conuertaris, ac tandem pereas. Nam præterquam quod tegitur pio quodam reſpectu, nec forte malum apparet; tanta eſt naturæ corruptæ in hac materia deceptio & fallacia, vt quò magis animus inueteretur in vitio, eo minus illud ſentiat & doleat. *Mich 7.* *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce ; ab ea quæ dormit in* *Math. 10.* *ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui : quia filius contumeliam facit Patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Hæc Propheta, tùm Chriſtus

Digitized by Google

Dominus; vnde apparet, quale vtrimque damnum immineat ſiue à filiis, Patri: ſiue à patre, filiis. Vnde *& aries bellicus* dicitur à ſancto Hieronymo quod ex vtraque parte viciſſim impetat & vim faciat. Sic itaque agitur animæ ſalus & illius qui ſcandalizat & qui ſcandalizatur & qui eſt cauſa peccati & qui cauſam in ſe admittit; *Scandalizabuntur & inuicem tradent.* *Matth. 24.*

At quale tandem remedium, vt ſit opportunum & efficax? Nēpe vt pater à filio, & filius à patre, vt dilectus à dilecto, amicus ab amico, frater à fratre, diſcipulus à magiſtro ſeparentur, diuellantur, diſcindantur, ſeu reipſa commercio & contubernio: ſeu conſuetudine ſeu affectu, quouis denique fiat modo, ita fiat vt iam affectui nihil prorſus indulgeatur, hoc eſt vnicum & ſingulare remedium, ſed nonne hoc crudele? Nonne hoc ipſum quod Chriſtus Dominus affirmabat, *Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere ſed gladium, veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum & filiam aduerſus matrem ſuam, &c.* *Matth. 10.* Quidquid contra reclamet natura, quidquid ſanguis opponat, quidquid affectus, pietas, & totus mundus obiiciat. *Non dixit prælium*, inquit Diuus Chryſoſtomus *ſed quod difficilius, gladium*, aſperitate Verborum excitans. Admirare tam aſpera in tam miti IESV.

III. PVNCTVM.

SOLVM ergo pietatis genus eſt in hoc eſſe crudelem negotio. Oportet nempe eſſe efficacem; nonne in id conſenſiſti, vbi agitur animæ ſalus? At nonne efficacitas in hoc vno vertitur vt nullo modo affectui contra ſalutem indulgeatur? Ad hoc quid dicis, quid opponis niſi quia nimis hoc durum, nimis crudele? Fatendum eſt, crudele eſſe; ſed non nimis, nec ita durum quin emolliri poſſit alio præſtantiori pietatis affectu, nempe Chriſti & ſalutis animæ. Nam, vt ait idem ſanctus Hieronymus, *Facile rumpit hæc vincula amor Chriſti & gehennæ timor. Facile pectus obdurat mundo & emollit Chriſto, qui Chriſtum loquentem audit, Qui amat patrem aut matrem pluſquam me non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam:* *Matth. 10* Vbi rurſum ſanctus Hieronymus: *Amandi parentes &*

filij poſt Deum; quod ſi vterque amor ſeruari non poſſit, odium in ſuos, pietas in Deum eſt.

Dicitur odium ſicut & crudelitas ratione videlicet efficacitatis, quæ talis eſt in effectu quaſi ſi odium & crudelitas in affectu eſſet, cùm tamen non deſit Pietas & manſuetudo, ſed tale genus eſt pietatis vt ſit odium & crudelitas. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos.* Magna crudelitas! At vide pietatem: *Hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum ſeruauerunt: Iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Iſrael. HAEC æmulare, in his eſto;* Audi Sapientem: *A filiis tuis caue & à domeſticis tuis attende. Audite me Magnates, & omnes populi, & Rectores Eccleſiæ auribus percipite. Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & non dederis alij poſſeſſionem tuam ne forte pæniteat te. In omnibus operibus tuis præcellens eſto; ne dederis maculam in gloria tua.* Quam mundus vocat Ciuilitatem & ſplendorem, diuina Scriptura vocat maculam. Vtri magis credes?

Deut. 33.
Eccleſ. 32.
Ib. 33.

FERIA QVARTA.

DE PERFECTA MORTIFICATIONE TRIPLICIS CONCVPISCENTIAE, IN HIS ETIAM CHRISTI DOMINI VERBIS COMPREHENSAE.

Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te.

Et ſi dextra manus tua; Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum. Matth. 5. & 18. Marci 9.

VERITAS PRACTICA.

Quò minus Concupiſcentiæ mortificabis, eò magis à Concupiſcentia mortificaberis.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia quò minus Concupiſcentiæ per mortificationem reſecabis, eò plus ſemper ſupererit immortificatum & reſecandum.*

Sed quò plus ſupererit Concupiſcentiæ reſecandum, eò major erit in ea mortificanda labor & moleſtia: quod eſt magis à concupiſcentia mortificari.

Ergo & quò minùs Concupiſcentiæ mortificabis, eò magis à Concupiſcentia mortificaberis: Ac proinde cùm à perfecta mortificatione nihil te magis deterreat quam labor, diſce minorem eſſe laborem in perfecta quam in imperfecta; ſicque excitare potius ad illam perfectam, quàm ab ea retraharis quod ſit perfectior.

I. PVNCTVM.

TRIPLEX concupiſcentia quæ hîc etiam deſignatur *oculo*, *manu* & *pede*, Concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ de qua ſanctus Ioannes in Epiſtola ſua. *1. Ioan. 2.* Concupiſcentia carnis per *manum* exprimitur quæ eſt ſymbolum ſenſualitatis prout communiter intelligitur illud Sapientis, *Manus in manu non erit innocens*; Et de impudica, *Prou. 11.* expreſſe Alius, *Vincula ſunt manus illius*. Concupiſcentia oculorum *Eccleſ. 7.* ipſo aperte *oculo* declaratur de quo ſic Eccleſiaſtes, *Non ſaturatur* *Eccl. 1.* *oculus viſu*, id eſt cupiditas habendi numquam expletur.

Denique ſuperbia vitæ per *pedem* adumbratur, de quo Pſaltes: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, id eſt motus ſeu affectus. *Pſ. 35.* Quod ſi pes ille venerit, ſi te manus ſi oculus ſcandalizauerint, ſi qui vno verbo triplicis huius Concupiſcentiæ motus inſurgant: ſtatim reprimendi, & tam perfecte atque integre mortificandi ſunt, velut ſi ipſe oculus erueretur, ſi pedes aut ſi manus amputarentur. *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem. CONCVPISCENTIAM malam* hæc eſt *Coloſſ. 3.* ſecuris ad radicem ponenda, nam *radix omnium malorum eſt Cupiditas*. *1. Tim. 6.* Hæc eſt arbor bona facienda & fructus eius bonus, id eſt, ab *Matth. 12.* ipſa radice progrediendum, aut arbor mala facienda & fructus eius malus: alioquin nihil fiet.

Digitized by Google

Et quia difficultatis horror, ab illa perfecta mortificatione te plerumque ſolet auertere; Audi & expende Veritatem propoſitam; *Quo minus Concupiſcentiæ mortificabis, tantò magis à Concupiſcentia mortificaberis:* Non diminues laborem & mortificationem, ſed augebis: tantum abeſt vt parcendo mortificandis integre Concupiſcentiis, tibi & labori parcas, quin potius in te mortificando longe magis laborabis, quia videlicet quò minus reſecabis eò plus ſemper reſtabit in te reſecandum. Sunt enim in vnoquoque noſtrum certi gradus vitioſæ cuiuſpiam qualitatis, ex quibus quanto pauciores demas, certum eſt quod eò plures remanent; vt in aqua calida vbi fuerint octo gradus caloris, ſi vno tantum aut altero refrigeſcat, nonne alij ſeptem aut ſex gradus remanebunt? Sic de ſuperbia in animo, de voluptate, de auaritia, & de omni praua concupiſcentia quæ habet ſuos naturales & acquiſitos gradus, quibus creſcit aut decreſcit, ea proportione qua ſimiles vel contrarij motus exercentur. Sic dicitur in Scripturis Deus *punire à facie malitiæ nequitiam*, id eſt, à grauitate nequitiæ quæ per plures malitiæ gradus multiplicata cernitur. Sic Sapiens de quodam nequiſſimo: *Septem nequitiæ ſunt in corde illius.* Id eſt, vel multæ numero nequitiæ, vel vnius & eiuſdem nequitiæ multi gradus. Noſtine quanti ſint in te? Si te ignoras, periculoſum eſt: ſi tuam noſti malitiam, nec emendas, etuerò id pernicioſiſſimum.

Oſeæ 10. *Prou. 26.*

II. PVNCTVM.

SED quò plus ſuperest Concupiſcentiæ reſecandum, eò plus ſemper laboris & moleſtiæ tibi reſtabit in ea mortificanda. Quod eſt ab ipſa Concupiſcentia magis mortificari, & affligi.

Nam tota quam pateris difficultas in exercitio virtutum non aliunde naſcitur quàm ab immortificata Concupiſcentia. Si labor eſt in te humiliando, ſuperbia eſt quæ huic humiliationi repugnat, & quanta eſt ſuperbia, tantus eſt labor. Nonne id iam audiuiſti ex Propheta: *Superbia tantum eſt, quieſce:* quieſce ab aliis inquirendis cauſis tuæ difficultatis: ſuperbia ſola in cauſa eſt. Quieſce à ſuperbia, non laborabis in humilitate exercenda. Quieſce, ſeu quietem tuam præpone vanitati, ambitioni, & aliis Concupiſcentiis; præſtat enim quieſcere ſine mundana gloria, quàm in ea comparanda ſemper laborare ſine vlla quiete. Nonne ſi Iſraelitæ

Iſ. 30.

Digitized by Google

non poſſident pacificè terram promiſſam, hoſtes ſunt Amorrhæi; Iebuſæi & alij quos non ad internecionem vſque deleuerunt? Et quanti ſuperſunt hoſtes robore & numero, tot tantæque ſunt illis difficultates ne tranquille viuant: ſic plane tecum. *Si nolueritis interficere habitatores Terræ: qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ. TVNE es ille qui conturbas Iſrael?* Dicebat Achab Eliæ: cui Propheta reſpondens, *Non ego,* inquit, *conturbo Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui reliquiſtis mandata Domini.* Non eſt Religio, non eſt Virtus, non eſt Humilitas, non Superior, non regula non quidquam aliud præter te præter tuam prauam Concupiſcentiam, quod te conturbet & laborem præbeat. *Tolle cupidinem & inuenies requiem, dimitte omnia & inuenies omnia;* Lege caput integrum, & mirare tuam ignauiam ſi veritati credis: aut ſtupiditatem ſi non credis.

Num. 33. *3. Reg. 18.* *l. 3. de Imit. Chr. c. 32.*

III. PVNCTVM.

Q*VO minus igitur Concupiſcentiæ mortificabis, eò magis à Concupiſcentia mortificaberis: eò magis in te mortificando laborabis:* quia cauſa laboris & moleſtiæ quæ eſt immortificata cupiditas, tanto magis erit immortificata, & tanto erit major cauſa, ſeu tantò majoris moleſtiæ cauſa, quantò minus erit mortificata cupiditas.

Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix, quæ certe grauior eſt quam pruina. *Propter frigus, piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.* Nonne id grauius quam arare? *Omnis piger ſemper in egeſtate eſt,* ait Idem ad excitandam ſcilicet diligentiam, in qua ſi labor eſt, longe eſt major in egeſtate toleranda. Sic Apoſtolus: *Qui parcè ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet:* Id eſt, qui ſe parcè mortificat, modicum ſuæ mortificationis fructum feret: qui vero plenè & perfectè, atque adeo ſe totum ſuis purgat cupiditatibus; aut non laborabit, aut labor erit gratus, qualis eſt eorum qui meſſem colligunt. *Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit,* inquit ſanctus Cyprianus, *nam ex cupiditatibus metus veniunt; qui cupiditates vincit, de peccato triumphat; qui cupiditates vincit, malum generis humani ſub pedibus ſuis iacere oſtendit; qui cupiditates vicit, pacem ſibi perpetuam dedit; qui cupiditates vicit, libertatem ſibi quod eſt etiam in-*

Iob. 6. *Pr. 20.* *Ib. 21.* *2. Cor. 9.* *l. de Diſciplina.*

genuis difficillimum reddidit. Qui dominari verò neſcit cupiditatibus, ait ſanctus Ambroſius, *is quaſi equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* L. 1. de Virg.

Labor eſt certe in vincendis cupiditatibus: ſed nonne eſt major in illis ſubeundis damnis quæ à non victis cupiditatibus enaſcuntur? Vnde iterum atque iterum vide quod ſi fugis laborem domandæ cupiditatis, quare non illum potius fugis qui ab indomitis manet ſubeundus? Reſponde & confundere. Nec dicas, plus fore meriti, quando labor augebitur; Nam labor qui ex defectu virtutis prouenit, non auget meritum ſed minuit; Talis eſt autem labor immortificatæ concupiſcentiæ; defectus virtutis eſt, ac proinde etiam defectus eſt meriti: *Labor eſt ſtultorum qui affliget eos,* vt ait Sapiens. Eccle. 10.

Vide in prima parte, Sabbato Hebdomadæ ſecundæ poſt Epiphaniam: Et vide *vt ſemper mortificationem IESV in corpore & in animo tuo circumferas: vt doctrina & vita IESV vbique in te manifeſtetur.*

FERIA QVINTA.

DE SVBLIMI PERFECTIONE EVANGELICA QVAM CHRISTVS DOMINVS PROPONIT HIS VERBIS.

Audiſtis, quia dictum eſt: oculum pro oculo, & dentem pro dente? Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te

angariauerit

Digitized by Google

angariauerit mille paſſus, Vade cum illo, & alia duo. Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris. Matth. 5. Luc. 6.

VERITAS PRACTICA.

Si quid videtur difficile quod dixit Chriſtus, hoc ipſo facile redditur quòd Chriſtus dixit.

RATIO EST, Quia quidquid ſit difficile, facile redditur, quando voluntas permouetur ad illud libenter acceptandum.

Sed ſi quid difficile videatur, quod Chriſtus dixit, hoc ipſo quod Chriſtus dixit, voluntas permouetur ad illud libenter acceptandum.

Ergo & hoc ipſo facile redditur. Quod certe Conſideranti valde eſt opportunum.

I. PVNCTVM.

RECTE obſeruant Interpretes, quæ hîc dicuntur à Domino, poſſe eſſe præcepta, vel conſilia tantum, vel nec præcepta nec conſilia. Præcepta ſunt primo negatiua vt euitetur omne peccatum ſi quod in tali materia poſſit contingere vt vindictæ appetitus, ſcandalum religionis, & ſi quid ſimile. Deinde præcepta ſunt etiam affirmatiua, vt ſi quando ſe daret occaſio multùm illuſtrandæ Diuinæ Gloriæ, vel iuuandi proximum & ſalutis eius promouendæ: tunc quod iubetur, obſeruemus oportet: atque interim ita ſimus affecti & parati ad hanc obſeruantiam, vt potius nobis perire omnia, & vitam ipſam tolli vellemus quam vel Deum offendi, vel ſcandalizari proximum, vel Religioni probrum vllum noſtra inferri culpâ.

Conſilia tantum ſunt, quoties non talis vrgeret neceſſitas, ſed vel vtilitas aliqua proximi ſolum permoueret, vel maius noſtrum ſpirituale bonum, vel ad propitiandum Diuinum numen, impetrandumque aliquod ſibi vel proximo, donum cœleſte.

Digitized by Google

Nec præcepta vero ſunt nec conſilia, quando hinc publica læderetur Iuſtitia, quando daretur impiis impunita licentia, quando denique rectæ rationi & prudentiæ, non carnali non politicæ, ſed Chriſtianæ aduerſarentur. *Cognoui Domine quia æquitas judicia tua: æquitas teſtimonia tua: omnia mandata tua æquitas.*

Pſ. 118.

Verùm quia procliue eſt homini ſeſe in his palpare, & fingere ſæpe eſſe Rationem & prudentiam vbi ſola eſt naturalis repugnantia & difficultas, Idcirco diligenter contrà obfirmandus eſt animus, & attente conſideranda Veritas, *Quod ſi quid difficile & arduum dixit Chriſtus, hoc ipſo facile redditur conſideranti quòd dixit Chriſtus.*

Ratio eſt euidens ipſo naturæ lumine, & quotidiana experientia quâ docemur quod quidquid difficile nobis proponatur. ſi ſimul voluntati proponitur aliquid quo permoueatur ad illud libenter acceptandum, tunc facile redditur & iucundum: quia Volenti nihil difficile. Atque hinc, vt ait Sapiens, *Pecuniæ obediunt omnia,* Quia voluntas hominis ſic facile allicitur & permouetur: quando autem eſt allecta & permota voluntas in aliquid, ſibi ad illud aſſequendum ſubſternit omnia quantumcumque ſint ardua & difficilia.

Eccl. 10.

Hinc & illud eiuſdem Sapientis in Prouerbiis, *Anima ſaturata calcabit fauum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet*; Id eſt, quamtumcumque res ad agendum propoſitæ, ſint ſuaues, vel aſperæ, ſi ſe tamen voluntas aliter perſuaderi permiſerit, & ſuauitatem aſpernabitur, & aſperitatem amplectetur.

Prou. 27.

Numquid forte propterea dictum eſt ab alio Sapiente: *Non quia difficilia ſunt, non audemus: ſed quia non audemus, difficilia ſunt.* Expende quàm ſit id verum & probroſum.

Sen. Ep. 104.

II. PVNCTVM.

SED *ſi quid videatur difficile quod Chriſtus dixit: hoc ipſo quod Chriſtus dixit, voluntas permouetur ad illud libenter acceptandum.*

Nempe imprimis Chriſtus ad id exequendum quod dixit, confert Gratiam, quâ vel ſola ſi permouetur voluntas, tam libenter tunc acceptat quod proponitur, quàm potenter permouetur à Gratia. *Sufficit tibi Gratia mea.*

2. Cor. 12.

Deinde, ſuppoſita fide & Gratia, quidquid ad inflectendam

Digitized by Google

noſtram voluntatem poteſt eſſe in perſona efficax, nonne id totum in Chriſto loquente ſic reperitur, vt potius neges Chriſtum dixiſſe aliquid, quam te neges velle quod dixit? Nonne eſt ipſe Rex tuus? Paſtor & legifer tuus? Redemptor & ſingularis Benefactor tuus? Mediator & Pontifex tuus? Tuus denique de cœlo datus Doctor & præceptor? At nonne iſta nomina in humanis rebus voluntatem noſtram inflectunt? Cur non in Diuinis? *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* *Ioan. 6.*

Denique ſi aliquo inſigni bono ſibi apte repreſentato voluntas trahitur; aut ſi malo denuntiato deterretur, quid melius quàm quod promittit Chriſtus? Quid damnoſius quam quod minatur? Quid honeſtius aut vtilius aut Iucundius quàm proxime ſequi Chriſtum? Quid infœlicius quàm ab eo vel latum vnguem diſcedere? *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Nonne hoc libenter diceres? *Phil. 1.*

III. PVNCTVM.

S*I quid ergo videtur difficile quod dixit Chriſtus; hoc ipſo facile redditur quod Chriſtus dixit:* Quia quod voluntas libenter acceptat, ſibi facile reddit: libenter autem acceptat quod dixit Chriſtus, perſuaſa quod ille dixit, perſuaſa quod nec dicendo fallit nec fallitur; perſuaſa quod nihil verius doctrina Chriſti, nihil melius bono quod ſuadet. *A iudiciis tuis non declinaui quia tu legem poſuiſti mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo?* Aduerte quam rationem reddat cur & mandata faciat & cur omnia facienda dulciſſima reperiat, quia, inquit, *Tu legem poſuiſti mei,* Quaſi diceret, licet aſpera lex & mandata eſſent difficilia, quia tamen conſidero Deum eſſe qui talem mihi poſuit legem, quod forte non facerem aut nonniſi repugnanter propter rei difficultatem, libenter tamen & facile facio propter Te Domine qui ſuauis & mitis cùm ſis, facis omnia ſuauia. Quod & alibi diſtinctius exprimit, *Propter verba labiorum tuorum, Ego cuſtodiui vias duras:* Duras ex ſe, ſed in Te ſuaues, & propterea cuſtodiui tanquam mihi caras & pretioſas. Non quid præcipiatur cogito, ſed Quis præcipiat; & tum ſi quæ eſſet aſperitas in præcepto, ſtatim emollitur dum Præcipientem cogito. *Pſ. 118.* *Pſ. 16.*

Digitized by Google

Nonne hoc ipſum poſſes tanto magis cogitare & dicere, quantò eſt aliquid in Domino IESV quod ſuauius afficiat & potentius alliciat? Certe id tam ſuaue erat ſancto Bernardo vt nihil ſibi ſapidum & ſuaue ſentiret niſi IESVM ſonaret; Tibi verò niſi proſpicias, nihil aſperius inſonabit quam vbi IESVS apertius loquitur, & præſens adeſt, in his ſcilicet verbis & factis vbi ſummam ſuæ legis Euangelicæ poſuit gratiam. Audi ad confuſionem & inſtructionem tuam ſanctum illum Chriſti IESV cultorem. *Quid æque mentem cogitantis impinguat, quid ita exercitatos reparat ſenſus, Virtutes corroborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fouet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus ſi non oleo iſto infunditur: Inſipidus eſt ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas non ſapit mihi, niſi legero ibi IESVM. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi IESVS. IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Eſt poſt pauca, ſic ad rem noſtram propiùs, *Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Si quidem cum nomino IESVM, HOMINEM MIHI PROPONO MITEM ET HVMILEM CORDE, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum: Eundemque ipſum Deum omnipotentem qui ſuo me & exemplo ſanet & ROBORET ADIVTORIO: Hæc omnia ſimul mihi ſonant cùm inſonuerit IESVS. Sumo itaque mihi exempla de homine, & exemplum à potente. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu: Pone me, inquit, ſignaculum in corde tuo; ſignaculum in brachio tuo.* Tu rariùs de illo cogitas; Aduerte, & vide in 1. parte, Feria 4. primæ Hebdomadæ in Aduentu hæc explanatur Veritas:

Serm. 15. in Cant.

Nulla in re frequentius Spiritui ſancto reſiſtitur, quàm quod infrequentiùs de Chriſto cogitatur.

FERIA SEXTA.

DE DILIGENDIS INIMICIS.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Si naturæ humanæ durum eſt obedire Chriſti præcepto, longe eſt durius Gratiæ, naturam humanam non obedire Chriſto.

RATIO EST, Quia id cuique rei durius cenſendum eſt quod rationabilius ei repugnat.

Sed rationabilius repugnat Gratiæ, naturam humanam non obedire Chriſto præcipienti dilectionem inimicorum, quàm naturæ repugnet obedire.

Ergo & id Gratiæ eſt durius, ac proinde magis obediendum.

I. PVNCTVM.

CONSIDERANDA ſunt verba Chriſti Domini quibus non modo præceptum ſed & modus diligendi inimicos continetur. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.*

Ex quibus colliges primò ad hoc præceptum tria requiri, corde, ore, & opere exequenda. Corde, vt diligamus Inimicos;

Digitized by Google

ore, vt oremus pro ipſis; opere, vt eis benefaciamus. Deinde præcepti dignitas & excellentia demonſtratur, cùm dicitur *vt ſitis filij Patris veſtri*. Ac denique apparet eius neceſſitas cum vix alioquin vlla ſit Charitas proximi; nam addit, *ſi enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Quod ſi *naturæ humanæ durum eſt, huic obedire præcepto: quàm longe durius Gratiæ, naturam humanam non obedire Chriſto?* Quod vt accuratius expendatur, præmitti debet, quod vnicuique rei cenſendum eſt id eſſe durius quod rationabilius ei repugnat. Non eſt videlicet durum niſi quia repugnat, & quo magis repugnat, eò durius cenſeri debet, Eſt vero duplex repugnantia; vna ſenſus ſeu naturæ corruptæ; & altera Rationis. Ac quidem de repugnantia ſenſus non eſt queſtiò, nec vnquam eſſe poteſt in re ſpirituali & diuina; cùm vbi talis repugnantia repe-
Rom. 8. ritur, ſit ſemper Rationi ſeu Gratiæ ſubjicienda. *Debitores enim ſumus non carni vt ſecundum carnem viuamus, ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* In hoc vno tota ſiſtit vita ſpiritualis & virtus.

Repugnantia vero rationis duplex item conſiderari poſſet, nempe rationis Inferioris & Superioris, ſed indinſtinctè hìc pro eadem accipitur, intelligendo Rationem rectè ordinatam, cui quidquid magis repugnat, aut quidquid ſecundum eam, cuicumque rei magis eſt repugnans, id omnino debet dici eſſe durius &
Gen. 31. moleſtius. *Inique & dure agis mecum, quare ita egiſti*, dicebat Laban Iacob; Imo tu quam iniquius mecum & durius, reſpondit Iacob, tum vero probat dictum ex repugnantia cum æquitate & Ratione.

1. Pet. 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem non modo de ea quæ in vobis eſt ſpe*, vt exigebat ſanctus Petrus: ſed de omni prorſus actione, vt ſanctus Thomas reſpondit rogatus aliquid memorandum quod poſtremum diceret iam iam moriturus: *Nihil*, inquit, *agite cuius non poſſitis probatam rationem reddere.*

II. PVNCTVM.

SED *rationabiliùs, ſed iuſtiùs, ſed ſecundùm illam Rationem rectè ordinatam longè magis repugnat Gratiæ, naturam humanam*

Digitized by Google

non obedire Chriſto præcipienti dilectionem Inimicorum; quàm repugnet ipſi naturæ obedire tali præcepto.

Etenim quænam eſt illa naturæ humanæ repugnantia? Nonne eſt tota ſenſualis aut rationis illius interioris quæ ſecundum conſiderationes terrenas & caducas de rebus diſſerit & iudicat? Cur enim non diligas inimicum? Reſponde & reſponſionem examina, num ſapiat carnem aut ſpiritum, terram aut cœlum, Dæmonem aut Dominum IESVM? *Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Sic Chriſtus repellendam docuit carnis prudentiam. *Matth. 16.*

At vero quod humana natura non obediat præcipienti Chriſto, repugnantia eſt Gratiæ ſeu Diuini Spiritus ſecundum Rationem recte ordinatam. Sicut enim Ratio fide illuſtrata cunctis aperte clamat omnem Creaturam & præcipuè rationalem eſſe Chriſto ſubiectam, ſic prorſus infert ſibi repugnare ſi non illi obediat. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et alibi: *In eo enim quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Decebat Eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem, conſummare.* Id eſt ſic perfecte glorioſum eum facere vt nihil deeſſet ad eius gloriam: deeſſet vero aliquid ſi quid non eſſet ei plenè ſubiectum. *Eph. 1.* *Heb. 2.*

Et quidem varij ſunt Tituli quibus id Chriſtus promeruit, de quibus iam ſupra in prima parte nonnihil dictum eſt. Primus eſt Excellentia perſonæ qua Deus homo, vnde ſi *Regi quaſi præcellenti*, ſubiiciendi ſumus, quanto magis Chriſto cuius miniſtri ſunt Angeli? Secundus, Filiatio, ſeu quia filius Dei eſt, hoc enim vel ſolo nomine Pater *filium conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.* Tertius eſt, Humilitas & ſubiectio quâ *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & humiliauit ſemetipſum, factus obediens, vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & Infernorum.* Id eſt, omnes vbique locorum ei ſubiiciantur. Sed & quartus eſt Titulus in eius morte qua factus Redemptor omnium, hoc ipſo etiam omnium factus eſt Dominus; *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* Serius *1. Pet. 2.* *Hebr. 1.* *Phil. 2.* *Rom. 14.*

Ibid. ocyus, *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, ſcriptum eſt enim, viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* Quintus eſt donatio Patris, quando iam non eſſet tot Titulis meritus, tamen Bonitate ſua Pater hoc illi dediſſet quod Filius agnoſcebat ſibi *Ioan. 17.* datum, dicens patri: *Dediſti ei poteſtatem omnis carnis.* Et rurſum: *Matth. 28.* *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra.* Sextus eſt, perpetua Gratiarum communicatio quam influit in totum Eccleſiæ corpus & in membra ſingula, quæ certe non minorem ei debent ſubiectionem quàm membra Capiti. Septimus denique vt plures omittam alios, eſt ipſa eius electio quæ fit à cunctis fidelibus per Baptiſmum in quo eſſe velut pactum & Chirographum ſancti Patres affirmant quo nos Chriſto totos dedimus & conſecramus.

Pſ. 115. *O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus*; Non ſufficit ſemel profiteri, quia tam multa ſunt nomina quibus eius Dominio toti aſtringimur, vt quantum illa iam Rationi humanæ nota ſunt, tantum reclamet Ratio ſi non ipſa natura humana ſe totam illi ſubdat.

III. PVNCTVM.

ERGO *ſi naturæ humanæ durum eſt obedire Chriſti præcepto; longe eſt durius Gratiæ, naturam humanam non obedire Chriſto*, Cui tot Titulis & nominibus eſt deuincta, vt ne ipſe Chriſtus poſſit quemquam eximere à debito ſeruitutis & obſeruantiæ. Nam in hoc ipſe Chriſtus obedit Patri qui vult omnes nos ipſi eſſe ſubiectos, ac proinde etiam non poteſt non id velle Filius qui nunquam diſſentit à Patre; *Vt omnes*, inquit, *honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* At certe qui non obedit Filio non illum honorificat, & Pater ſe vltorem futurum talis inobedientiæ iam pridem teſtatus eſt: *Ponam*, *Ioan 5.* inquit, *verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit,* *Deut. 18.* *Ego vltor exiſtam.* Quaſi diceret, quando in re ab illo imperata vel vetita nihil aliud eſſet quam quod imperauit & vetuit: ſi quis ei non paruerit, hoc ipſo punietur. Et tametſi rationes poſſent fingi contra id quod iubetur, nulla tamen nec dici nec fingi poteſt contra iuſſionem ab illo factam, quam omnino ratam fixamque volo.

Atque

Digitized by Google

Atque hoc præcipue ſpectandum eſt in hoc præcepto, quidquid ſit de re ipſa quæ præcipitur, quidquid contra opponas, Chriſtus eſt Dominus qui præcipit, *Contra quem non eſt Ratio non eſt* Pr. 21.
Sapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium. A DOMINO egreſ- Gen. 24.
ſus eſt ſermo: Non poſſumus extra placitum eius quidquam aliud loqui. EGO Dominus, non oderis fratrem tuum in corde tuo. EGO Domi- Leuit. 19.
nus, leges meas cuſtodite. Quem emphaticum loquendi modum videtur vſurpaſſe Dominus cùm hic dicit, *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* Quaſi diceret, quidquid mundus, quidquid natura humana, quidquid Ratio, quidquid legis antiquæ dicant Interpretes, EGO qui ſupereminco iſtis omnibus, *Dico vobis,* Iubeo, præcipio, & mihi præcipienti obedire debetis.

At rurſum dices, hæc quidem eſſe vera in ſpeculatione vt dicitur, ſed in praxi ſemper dura & aſpera. Eſto id quidem vt dicis, quid porro inde? Numquid propterea non obediendum? Numquid non ſubiicienda natura Gratiæ quia nonnihil laborat in illa ſubiectione? Nimirum *interroga iumenta & docebunt te: &* Iob. 12.
volatilia cæli & indicabunt tibi. Loquere terræ, loquere cœlo, *& reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris.* Intuere ſolem, numquid naturale illi eſt & proprium moueri motu continuò? At iubetur ſtare in gratiam hominis, Et ecce ſtat contra naturam, *Obediente* Ioſ. 10.
Domino voci hominis. Numquid natura eſt ignis comburere quidquid tangit; aut aquæ vehementis abſorbere quidquid attingit? Vtrumque tamen elementum ſeſe continet, & Deo iubente, ho- Dan. 3.
mines intactos ſeruat. Numquid Leoni, numquid ſerpenti aut Matth. 14.
aliis belluis naturale eſt, vt homines deuorent & enecent? Non Dan. 14. Act. 28.
deuorant tamen Deo vetante. Quid Coruo voracius? & tamen Eliæ panem portat illæſum. Quid in mari ferocius quam imma- 3. Reg 17.
ne illud Cete quod Ionam accepit in vtero & inde viuum reddi- Iona. 1.
dit? Quid morbis, quid morte, quid Dæmone dirius aut implacabilius? Cedunt tamen Chriſto iubenti, & vno verbo, vix vlla eſt Creatura, quæ non iuſſa fuerit contra naturalem inclinationem homini deſeruire; iuſſiſque ſtatim paruit. Itane homo, homo ille ſupra Creaturas ratione præditus vt Dominum ſuum cognoſcat & imperanti lubens volenſque pareat, non parebit! O quàm verè dictum, *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra Inſenſa-* Sap 5.
tos. Iam enim ratione pugnarunt & vicerunt irrationabilia rationabilem. Certè non iam homo, *comparandus iumentis inſipien-*

Digitized by Google

tibus aut ſimilis illis effectus, ſed longe infra omnes à ſeipſo degenerat! *Memento nouiſſimorum, & deſine inimicari.* Id eſt, ſicut in inſtanti morte ſic modo deponendum omne odium, *Quia fortis vt mors dilectio.*

Eccleſ. 18. Cant. 8.

Vide in 2. parte, Sabbato Hebdomadæ 3. Dominica Palmarum, & Feria 2. Hebdomadæ 3. poſt Octauas Paſcha, vbi hæc habetur Veritas:

Charitas non quærendo ſua, melius inuenit, quàm ſi quæreret.

SABBATO.

DE RESPECTIBVS HVMANIS FVGIENDIS.

Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis; alioquin non habebitis mercedem apud Patrem veſtrum. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Qui ſuam Iuſtitiam facit vt videatur, maximam quæ fieri poſſit, iniuſtitiam videtur facere.

RATIO EST, Quia maxima iniuſtitia eſt vſurpare quod Dei eſt, ipſo Deo inuito & vetante.

Sed qui iuſtitiam ſuam facit vt videatur, ſibi vſurpat quod Dei eſt, ipſo inuito & vetante.

Ergo maximam quæ fieri poteſt Iniuſtitiam videtur facere: ſeu potius, ne faciat, attendat quod Chriſtus Dominus monet.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

EGREGIE ſanctus Ioannes Chryſoſtomus primo de Compunctione libro, poſtquam enumerauit multitudinem vitiorum quibus inuoluimur: *Si quis*, inquit, *potuerit ab iſtis ſe nexibus exuere, cautiuſque & attentius quæ mandata ſunt, adimplere, malum ingens ſuperbia continuò obrepit in qua eſt grauior lapſus.* Cui conformiter ſanctus Auguſtinus, *Niſi humilitas omnia quæcumque bene facimus & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita quam intueamur; & appoſita cui adhæreamus, & impoſita quâ reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu ſuperbia: Vitia quippè cætera in peccatis, ſuperbia vero etiam in rectè factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur.* Quamobrem opportunè Chriſtus Dominus, *Attendite*, inquit, *ne Iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* Nomine autem Iuſtitiæ intelliguntur omnia bona opera quorum tres ſunt præcipuæ ſpecies de quibus ipſe conſequenter agit toto capite ſexto ſancti Matthæi, nempe Eleemoſyną, Ieiunium, & Oratio; quæ tria diſtinctè ſpectant Deum, proximum, & noſipſos. 1. de Comp. Ep. 56.

Atque vt in eorum actibus exercendis hoc attendamus quod monet Dominus, attente conſideranda eſt Veritas qua hic docemur, *Quod ſi noſtram Iuſtitiam fecerimus coram hominibus, vt videamur ab eis, videbimur maximam quæ fieri poſſit, Iniuſtitiam facere.* Quia videlicet maxima illa cenſenda eſt iniuſtitia, quando quod Dei eſt maximè proprium, ipſo nolente & prohibente Deo, ſibi quis vſurpat. Cùm enim omnis vſurpatio rei alienæ inuito rationabiliter Domino, ſit iniuſtitia, certè quò res vſurpata magis eſt propria & cara Domino ſuo, quò Dominus à quo ſubripitur eſt altior ſeu quò altiori & ſuperiori iure rem poſſidet, quò denique magis rationabiliter eſt inuitus, tunc omnium iudicio illa rei alienæ vſurpatio dicenda eſt maior iniuſtitia, ſeu magis iniuſta & grauis in ſuo genere, vt pote quæ in ſe magis comprehendat quæcumque faciunt ad grauitatem iniuſtitiæ.

At verò quid poteſt eſſe aut cuinam poteſt eſſe magis proprium, quàm quod Dei eſt, Deo, qui à ſe vno habet quod habet, & à quo pendent creata omnia? Quis vero eſt altior Dominus

Pſ. 96. quam qui eſt *Altiſsimus ſuper omnem terram* : Et qui tali iure ſua poſſidet vt nec Ipſe ſuo ſe iure poſſit exuere. Si autem ſua nolit communicare, niſi quantum permittit libertati hominum qui ab eo nolente & inuito, ſibi quæ Dei ſunt non verentur vſurpare, quis cogitari poſſit magis rationabiliter inuitus & nolens quam qui ſuprema eſt Ratio rerum omnium, & prima quarumlibet regula rationum? Ezech. 18. *Numquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt, dicit Dominus?* Vnde aperte patet quanta ſit illa iniuſtitia, quàm grauis & extrema, ſi quis quod Dei eſt maxime proprium, ſibi vſurpet, Deo nolente & vetante? Pſ. 118. *Iniuſte iniquitatem fecerunt in me.* Nonne id agnoſcis.

II. PVNCTVM.

SED qui Iuſtitiam ſuam facit vt videatur ab hominibus, vſurpat ſibi quod Dei eſt, ipſo Deo inuito & nolente.

Vſurpat enim gloriam illius Iuſtitiæ quam facit vt videatur, vt æſtimetur, vt laudetur, & glorificetur. Quæ quidem Gloria ſic proprium Dei bonum eſt vt ſingulariter Deus dicatur in Scripturis, Pſ. 23. 1. Cor. 2. *Rex & Dominus Gloriæ*, quaſi diceretur, neminē ſibi poſſe illam prætendere niſi quantum ipſi Deus voluerit communicare, aut niſi qui talem prætendit gloriam ſe reum faciat vſurpatæ rei Diuinæ contra vel præter Diuinam voluntatem. Neque id gratis dicitur, ſed firma eſt conſtanſque ratio fundata in duobus Diuinis titulis ſeu attributis quæ ſunt ita Diuinitati propria vt non poſſit eſſe Deus quin ſit Principium & Finis omnis iuſtitiæ, totiuſque boni operis à quocumque hominum facti: ac proinde quin omnis Gloria quæ ex tali permanat bono, ſit Deo maxime propria. *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer: & gloriam meam* Iſ. 48. *alteri non dabo. Ego ipſe, Ego primus, & Ego Nouiſsimus.* Quaſi diceret, ſicut Ego ſum primum principium à quo quidquid ſit, oritur: ita Ego ſum Finis ad quem debet referri omne opus, & Ibid. 10. omnis operis gloria. Quod ſic declarat apertius: *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? Aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus qui vtique lignum eſt:* Perinde ac ſi diceretur, ſicut rei bene geſtæ non datur gloria Inſtrumento, ſed Agenti per Inſtrumentum; ſic plane Deo qui primarius eſt Agens omnium bo-

Digitized by Google

norum operum debet referri Gloria : *Omnia opera noſtra operatus es nobis, Domine Deus noſter.* Ibid. 26.

Agunt quidem cum Deo & cooperantur ad bonum opus homines, aliter ac inſtrumentum inanime, vnde & merentur ſuis bonis operibus mercedem ſibi promiſſam : Sed nihil propterea deperit Deo, nihil quod Dei eſt, poteſt idcirco detrahi : nihil propterea Gloriæ ſibi poteſt homo vſurpare. Primò quidem quia homo cum non ſit ſuiipſius principium neque finis, non poteſt propter ſe ita operari vt finis quem ſibi proponit deſtruat finem Dei; deſtrueret autem finem Dei ſi propriam quæreret gloriam, & non Diuinam : Neque enim hic eſt finis Dei agentis cum homine, vt homo ſuam quærat gloriam : ac proinde nec poteſt eſſe finis agentis cum Deo hominis, *Noli propter eſcam*, Noli propter tuam gloriam, *deſtruere opus Dei.* Rom. 14.

Deinde ſi quæ merces promiſſa eſt operanti homini, bene operanti promiſſa eſt, ſeu bonis eius operibus. At non poſſunt illius bona eſſe opera qui in ſuis operibus velit videri ab hominibus vt laudetur, hæc eſt vanitas quæ pœnam potius meretur quam præmium; *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis :* Et expreſſe dictum à Domino; *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum.* Iſ. 5.

Denique ſi operanti bonum precatur Apoſtolus *Gloriam & honorem & pacem,* opportune quidem, ſed an propterea qui operatur bonum poſſit illam ambire & ſibi vſurpare non dixit Apoſtolus, imo cum Chriſto vetuit, *Non glorietur omnis caro in conſpectu eius. NON efficiamur inanis gloriæ cupidi. NIHIL per contentionem, neque per inanem gloriam. GLORIA in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt. NON quærimus ab hominibus gloriam : neque à vobis, neque ab aliis. SOLI Deo Honor & Gloria.* Poteratne loqui expreſſius contra quærentes ſuam Gloriam? Rom. 2. 1. Cor. 1. Gal. 5. Phil. 2. Ibid. 3. 1. Theſſ. 2. 1. Tim. 1.

III. PVNCTVM.

QVI *ſuam ergo Iuſtitiam facit vt videatur ab hominibus, maximam quæ fieri poſſit iniuſtitiam videtur facere :* Quia quod Dei eſt maxime proprium, ipſo inuito & nolente ſibi vſurpat. Vnde apte ſanctus Bernardus, *Gloriam meam, Dominus ait, alteri non dabo : Et ſuperbus, Ego, inquit, mihi eam licet non dederis, vſur-* Serm. 4. de Natiuit. Dom.

Digitized by Google

pabo. Poteſtne aliquid iniurioſius & iniuſtius cogitari? Cogita duos homines in eodem opere laborantes, quorum vnus alio longe minus de ſuo conferat, longè minus laboret, & tamen totum quod ex labore colligitur emolumentum ſibi omnino attrahat, defraudetque ſocium operis, ſua debita parte, licet reclamantem & contradicentem. Numquid tibi videtur illa eſſe *merces defraudata*, quæ à ſancto Iacobo clamare dicitur, *Et clamorem eius in aures Domini Sabbaoth introire?* Velleſne tam crudelem in homines exercere iniuſtitiam? Hæc eſt vero, hæc eſt iniuſtitia quam contra Deum meditaris quando iuſtitiam tuam facis vt videaris & lauderis. Laboras cum Deo in opere, ſed profecto longe minus quàm ipſe Deus: Et tamen totum laboris pretium, totumque operis emolumentum tibi aſſumis, nihil prorſus Deo reſeruans, qui ſibi ſolam gloriam reſeruatam volebat!

Iac. 5.

Væ ei qui multiplicat non ſua! vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum? Vſquequo in ſuam perniciem accumulat terrenam gloriam, quæ velut lutum erat calcanda & quam tamen in dies ſibi multiplicat & condenſat, quia nihil familiarius nihil vſitatius nihil copioſius iſta vanitate quæ quæritur in iis quæ apparent coram hominibus: & hanc vnam referet ex cunctis ſuis operibus, vanitatem! O lutum verè denſum quo vana inficietur anima & cuius pondere demergetur ad infima, niſi ſibi proſpiciat! *Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſaccelli pondera doloſa?* Numquid poſſum approbare, & non punire illum qui tam iniuſte & fraudulenter agit cum proximo, & cum Deo, vt nonniſi ſubtractis eorum bonis diteſcat? Nonne percuſſit Herodem Angelus, *Eò quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus, expirauit?* Non omnes vani & ſuperbi ſic forte ſuperbiunt & peccant ſicut iſte Herodes; ſed quantumcumque minus ſuperbiant, magis tamen peccant quàm putent: & grauius punientur quam timeant: Nam verè Deo Dauid confitebatur: *Odiſti obſeruantes vanitates, ſuperuacue.* Quamobrem deinceps ex Conſilio Sapientis: *Bono animo gloriam redde Deo:* Et dic ſæpe cum Domino, *ſi ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.*

Hab. 2. · Mich. 6. · Act. 12. · Pſ. 30. · Eccleſ. 35.

Vide in 1. parte, Feria 2. Hebdomada 2. in Aduentu, vbi hæc ſtatuitur Veritas:

Nulla re homo quantumuis glorioſa gloriari poteſt.

Et alibi paſſim, Verbo, *Gloria*, *Humilitas*, *Intentio*.

Digitized by Google

DOMINICA
SEXTA POST PENTECOSTEN.

DE MVLTA TVRBA, EX PAVCIS PISCICVLIS ET PANIBVS A DOMINO SATVRATA.

Cum turba multa eſſet cum Ieſu nec haberent quod manducarent, conuocatis Diſcipulis, ait illis : miſereor ſuper turbam , quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent, &c. Marci 8.

VERITAS PRACTICA.

Non quod times, timendum eſt, ne deſit tibi Deus, ſed ne tu deſis Deo.

RATIO EST, Quia non eſt timendum niſi malum quod à te pendet vt caueas, & cui præcauendo timor eſt opportunus.

Sed quod times ne deſit tibi Deus , non eſt ita malum , quod à te pendet vt caueas , ſicut ne tu deſis Deo.

Non illud igitur quod times timendum eſt, ſed aliud quòd minus times, & vnde ad Diuinam prouidentiam pluris refert.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

SAT quidem notum eſt omnibus miraculum illud quod hodie nobis proponitur, ſed non eſt ſatis conſideratum. Tria vero ſunt præcipue quæ attentius expendas & admireris.

Primum eſt quam multæ turbæ ſequerentur Dominum, quanta vis & virtus Domini qui tam multos ad ſe alliceret, & tamen nos illi Domino toties reſiſtimus! O quam prudenter Apoſtolus. *Videte ne recuſetis loquentem.*

Heb. 12.

Secundum, quanta deuotio, quantus feruor & quale ſtudium vniuerſi huius populi qui ad deficientem vſque vitam Dominum ſequebatur! Ecce iam triduo perſeuerant ieiuni, nec cogitant aut loquuntur de cibis; non exibunt à Domino, niſi iuſſi diſcedere, ſi vero dimittantur, non peruenient domum; *Deficient in via,* inquit ipſe Dominus: & præſto ac parati omnes deficere prorſus ac mori pro eo; Nos vero vix ad horam illum poſſumus ſuſtinere! *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam.*

Eccleſi. 2.

Tertium denique, quàm pie, quàm paterne Dominus miſertus fuerit omnium, & ſic extremæ prouiderit eorum neceſſitati, vt ſaturatis omnibus qui aderant, multa cibaria ſuperfuerint alendis aliis. Non eſt, homo timide, non eſt timendum ne quid tibi vnquam depereat pro Chriſti cultu, non eſt timendum ne nobis Ille deſit qui ne minimæ deeſt creaturæ. Et tamen quantæ curæ tuæ & quantæ ſolicitudines pro futuris euentibus: quanti metus & tremores ne quid nobis deficiat? *Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.* Nō arguit Pſaltes Regius quod trepidauerint, ſed quod trepidauerint timore vbi non erat timor: Id eſt, quòd nimis timuerint vbi erat minus timendum: & minus timuerint, vbi erat magis timendum. Quod cùm ſit valdè arguendum, tùm valde frequenter etiam id nobis accidit, quoties videlicet nimis diffidimus Diuinæ prouidentiæ. Tunc enim, *non quid times, timendum eſt, ne tibi deſit Deus, ſed ne tu deſis Deo.*

Pſ. 13.

Ratio eſt plurimum conſideranda, & in plures alios deriuanda vſus: Non eſt videlicet, non eſt timendum, niſi malum illud quod à te pendet cum diuina ope, vt caueas, & cui præcauendo timor eſt opportune adhibendus.

Hîc

Digitized by Google

Hic enim agitur de timore non ſubitaneo non naturali non prout eſt pura cordis paſſio, ſed de illo timore qui aduertentī animo & plane libero ſic concipitur vt ſit actus rationis deliberatus & ſit ipſe actus rationabilis & virtutis. Nam aliud eſt eſſe actum rationis & actum rationabilem. Rationis actus eſt ille omnis qui aduertenter efficitur, licet ſit malus & inordinatus: at ille ſolus eſt rationabilis qui ex ratione ſubiecta Legī æternæ profluit, dicique debet virtus & æternum mereri præmium.

De hoc itaque ſolum timore ſermo eſt cùm dicitur: Non eſt timendum niſi malum quod à te pendet vt caueas, quaſi diceretur ſi prudenter ſi rationabiliter eſt timendum, non eſt timendum niſi malum illud quod à te caueri poteſt & cui præcauendo timor eſt opportunus ſiue accommodatus & neceſſarius, quis enim timor qui ſine cauſa eſt niſi timor inanis & vanus & irrationabilis & noxius? At quæ poteſt eſſe probata timoris cauſa niſi ſit eius quædam neceſſitas & vtilitas ad malum præcauendum? Quænam porro poteſt eſſe vtilitas ad hunc finem, quando tale eſt malum vt ſit extra hominis poteſtatem illud cauere, quantumcumque timeat & expaueſcat? Nonne his diceretur, *Quid timidi eſtis modicæ fidei? Videte ne turbemini. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* *Matth.* 8. *Ibid.* 24. *Ioan.* 14.

Sicut enim ab illa triſtitia nos dehortatur Sapiens in qua nulla eſt vtilitas, ſic plane à timore cuius finis & fructus eſt nullus. Quod fuſe argumentum proſequitur ſanctus Ioannes Chryſoſtomus: *Remedia*, inquit, *medicinalia propter illos tantum morbos facta ſunt quos tollere poſſunt, non propter illos quos nihil adiuuare poſſunt: putà medicamentum oculos lippientes tantum iuuare valens, nullum vero alium morbum, propter oculorum ægritudinem tantum factum eſſe dicere quis poſſet; non propter ſtomachum, non propter manus, non propter vllum aliud membrum.* Quaſi diceret: non recte, non rationabiliter aſſumeretur ad alterius morbi quàm oculorum vſum, quia hic vnus eſt eius vſus, hæc vna eius vtilitas vt oculos non alias corporis ſanet partes. *Eccleſi.* 30. *Homil.* 5. *ad Pop.*

Sic de triſtitia, ſic de timore pergit dicere, *Percurramus*, inquit, *ingruentium nobis malorum quodque, & triſtitiam ſuperadducamus, & videamus quid ex hac fiat vtilitatis? Mulctatus eſt quiſpiam pecuniis? Triſtatus eſt, mulctam non emendauit; Filium amiſit? Doluit, mortuum non reſuſcitauit. Flagellatus eſt quis, alapis caſus, contumeliis affectus?*

Doluit, non reuocauit contumeliam. In morbum quis incidit & ægritudinem grauiſsimam? Doluit, ægritudinem non ſuſtulit ſed & difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodeſſe triſtitiam. Peccauit quis? Triſtatus eſt? peccatum deleuit & diſſoluit debitum.

At de his infra commodius; nunc id ſufficiat, quod ſicut non eſt triſtandum de malo cuius à triſtitia nullum eſt remedium, ſic plane nec timendum illud malum cui timor prodeſſe nequit, cum alioquin timor non modo eſſet inutilis ſed & malignus & prope illi ſimilis quem Iudæis olim minatus eſt Dominus: *Non quieſces*
Deut. 28. *neque erit requies veſtigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mærore, & erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die & non credes vitæ tuæ. Mane dices, quis mihi det veſperum? Et veſpere, quis mihi det mane? Propter cordis tui formidinem qua terreberis & propter ea quæ tuis videbis oculis.*

Poteſtne hoc miſerando timore miſerius aliquid cogitari?

II. PVNCTVM.

SED quod times, ne deſit tibi Deus, non eſt malum quod à te pendeat & cui præcauendo timor ſit opportunus, ſicut malum illud ne deſis Deo.

Quid eſt enim quod times, ne deſit tibi Deus? Dupliciter poſſet intelligi; Primo ne deſit tibi ſuis gratiis ad euitandum malum, & bonum bene agendum, quod certè malum eſſet; ſed non eſt il-
Dom. 3. poſt Epiph. lud quod times nec eſt profecto quod timeas ſicut in prima parte
Eccleſ. 17. declaratur ad illa Sapientis verba: *Non dixeris, per Deum abeſt.*

Secundò quod magis times, hoc eſt, ne tibi ex humanis illis rebus quas appetis, vel quas tibi credis eſſe neceſſarias Deus deſit ſubminiſtrare & prouidere, vnde harum defectu minùs commode vel delectabiliter, vel honorificè tibi ſit in hac vita. Nonne hoc eſt quod magis times quando agitur de danda Eleemoſyna, de longiore tempore pietati concedendo, de remittendis debitis &
Mal. 3. de piis eiuſmodi perſoluendis operibus? *Vanus eſt,* inquiunt ſimiles tui, *vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius?* Hoc eſt, hoc eſt quod timetur, emolumenti periculum & iactura.

Verum quale ſit illud malum & an à te pendeat, ſicut aliud,

Digitized by Google

ne deſis Deo, nunc perpendendum. Certe negari non poteſt, eſſe aliquod malum, malum naturæ, malum vitæ temporalis, malum huius mundi, malum coram hominibus, malum ita vulgo iudicatum: Sed an putas illud malum, eſſe vere malum & non potius bonum ſi bene acceptetur? Adeone hoſpes & peregrinus es in Euangelica diſciplina, vt neſcias, malum illud eſſe illud bonum & beatitudinem qua Chriſtus ſuos donat? An ignoras beatos eſſe pauperes, beatos illos qui lugent, beatos qui perſecutionem innocenter patiuntur & qui vno verbo ſubiacent illis quæ tu vocas malis? *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* Nonne illis abundarunt malis Apoſtoli? Nonne Chriſto propinquiores? Nonne ipſe Chriſtus in illis totam exegit vitam? Nonne *idcirco bona mundi contempſit omnia, & mala quæuis ſuſtinuit, vt nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis timeretur infelicitas?* Nonne hæc pridem ex ſancto accepiſti Auguſtino? Matth. 5. Luc. 6. Iac. 2.

Sed eſto, ſint illa mala, prout vulgo ſentiuntur; an ſi tu illa times, aut mala eſſe deſinent, aut tibi non euenient? Times ægrorum ſterilitatem? An illam timor tuus impediet? Mortem reformidas? An propterea non aliquando morieris? Aduerſa quæcunque metuis? An idcirco nullis vrgebere? *Foris vaſtabit eos gladius & intus pauor*, Id eſt, quantumcumque mala paueant, non deſinent eſſe mala. Tantum abeſt, vt pauore mitigentur, quin potius augeantur; Quod foris gladius infert, hoc intus ſuffert pauor. Deut. 32.

AT verò, *ſi Deo deſis*, hoc eſt videlicet, hoc eſt vere malum, hoc eſt malum quod à te totum pendet, hoc eſt malum cui præcauendo timor eſt opportunum remedium.

Quid eſt enim Deo deeſſe niſi quod tuum erat præſtandum, illi negare: niſi quem debebas cultum, non tradere: niſi quam exigebat in ſe confidentiam, diffiteri: niſi, vno verbo, peccare? At nonne hoc eſt verè malum, nonne hoc eſt duplex malum de quo expreſsè dicitur: *De malo ad malum egreſſi ſunt: & me non cognouerunt, dicit Dominus*. Id eſt, à malo peccati ad malum impœnitentiæ ſeu indurati animi tranſeunt; vel à malo relicti Creatoris ad malum requirendæ creaturæ ſe conuertũt: Quæ ſunt illa duo mala propter quæ cœli debeant *Obſtupeſcere & eorum portæ deſolari vehementer*. Nam quanto infinitè Creator excedit crea- Ier. 9. Ibid. 2.

Digitized by Google

turam, tantò malum culpæ quod Creatoris malum eſt, malum eſt grauius malo pœnæ quod creaturæ ſolum eſt malum.

Quàm ſit porro à te illud malum, tam apertè liquet quam illud malum, eſſe peccatum: quàm illud eſſe voluntarium: quàm illud eſſe puniendum. *Quid enim punit aut odit Deus quam propriam* S. Ber. Serm. 3. in Reſ. Dom. *voluntatem*, qua ſcilicet peccatum perpetratur, & qua vna ſublata infernus non erit; quia non erit peccatum? *Scito & vide quia ma-* Ier. 2. *lum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum & non eſſe timorem mei apud te, Dicit Dominus Deus exercituum*, Quia ſcilicet, quod erat poſtremum hîc à nobis demonſtrandum, ſi fuiſſet timor, non fuiſſet illud malum; Nam vt teſtantur omnes Scriptu- Prou. 15. 16. ræ; *Per timorem Domini declinat omnis à malo.*

III. PVNCTVM.

NON *quod times igitur, timendum eſt, ne deſit tibi Deus: ſed ne* Pſ. 33. *tu deſis Deo.* Nam, præterquam quod *nihil deeſt timentibus* Pſ. 22. *Deum*, Et verè omnis ſicut Dauid poteſt affirmare, *Dominus regit me & nihil mihi deerit:* Licet etiam concederemus deeſſe aliquid, quid tandem illud? Nam quod timendum eſt timore rationabili de quo hîc agitur, malum eſſe debet quod à nobis ſic pendeat vt timore caueatur: quorſum enim alioquin timor? Non eſt autem tale illud malum *ne deſit tibi Deus:* quale profectò eſt, *ne tu deſit Deo.* Quis nempe non illud videat tam procul à te eſſe, quam iſtud totum tuum? Quis non illud intelligat quod dicebat Matth. 5. 6. Dominus, non eſſe in quouis ſolicito poteſtatem *Faciendi capillum ſuum nigrum vel album, neque ad ſtaturam ſuam poſſe quidquam cogitando adijcere?* Sunt hæc vni Deo propria, ſunt hæc Diuina eius opera; Tibi autem quod tuum eſſet, præſcripſit: Cur quæ ſunt Dei, præſumis attingere: & quæ ſunt tua, negligis? Nun- Eccleſ. 4. quamne admonentem audiuiſti Sapientem: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.*

Addo, quod eſt valde conſiderandum, quoties de timore malorum agitur: non tam illud eſſe timendum malum quod vix continget, quam quod frequenter euenit: Malum autem quod times, *Ne deſit tibi Deus*, præterquam quod exile malum Pſ. 33. eſt, vix etiam accidat; *Non eſt quippe inopia timentibus Deum:*

Digitized by Google

Qua de re infra fuſius: At contra, *Ne deſis Deo*, malum non modo pernicioſiſſimum eſt, ſed tam frequens & prope quotidianum, vt ſi paulo attentius quid in eo pecces attendas, totum te in illo viuere, totum te in illo eſſe malo perſpicies.

Quamobrem Cum ſancto Chryſoſtomo concludamus, & illud fixum maneat, Quid ſit dolendum, quid timendum: Non quod extra nos malum accidit, ſed quod in nobis à nobis efficitur: *Ne igitur*, inquit, *propter mortem triſteris; natura enim eſt: Triſtare propter peccatum, voluntatis enim eſt culpa. Si quis mortem minetur, Dic ipſi: Inſtitutus ſum à Chriſto non illos timere qui corpus interimunt, animam vero occidere nequeunt. Si rei familiaris publicationem minetur, reſponde, nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & reuertar illuc: Nihil in hunc mundum intulimus, manifeſtum eſt quod nec exportare quidquam poterimus. Et ſi tu non abſtuleris, mors ſuperueniens auferet, & ſi tu non iugulaueris, naturæ lex finem afferet. Nihil igitur eorum timeamus quæ nobis naturâ afferuntur, ſed illa quæ ex mala nobis proueniunt voluntate.* Homil. 6. ad Pop.

Vide in hac 3. parte, Dominic. 14. & in 4. Fer. 2. Hebdomad. 21. vbi hæc Veritas exhibetur:

Si quod creditur neceſſarium, petenti deſit: credendum potius eſt non illud eſſe neceſſarium, quàm quod petenti deſit.

ALITER etiam quæ ſupra eſt declarata Veritas, ad majorem perſpicuitatem ſic proponi & illuſtrari poſſet:

Qui nimis timet ne ipſi deſit Deus, non ſatis timet quod eſt magis timendum, ne ipſe Deo deſit.

RATIO EST, Quia qui non ſatis confidit Deo, non ſatis timet ne Deo deſit.

Sed qui nimis timet ne ipſi deſit Deus, non ſatis confidit Deo.

Ergo is etiam non ſatis timet ne ipſe Deo deſit, quod tamen longe magis eſt timendum & cauendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

PRIMA propoſitio ſic breuiter expeditur. Eſt enim Deo deeſſe, non accipere media quibus nos vti vult Deus ad coagendum & collaborandum cum ipſo. Medium verò frequentius & opportuniūs quod ad vſum nobis proponit, eſt Confidentia, de qua iam ſæpe ſuprà, & de qua ſemper ſuperſunt dicenda ex Scripturis, quæ hoc medium ita commendant ſiue ad ſpiritualia, ſiue ad temporalia bona obtinenda, vel auertenda

Pſ. 36. mala, vt in eo totum ponant quod petitur: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Id eſt, propone illi quidquid volueris, & dum ſperes in eo, dum confidas in eius bonitate & prouidentia, certus eſto quod de re propoſita ſtatuet & ordinabit

Ibid. quidquid erit conuenientius. *Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos,* QVIA SPERAVERVNT IN EO. *Dulcis cauſa*, inquit ſanctus Bernardus,

In Pſ. 90. *Attamen efficax, attamen irrefragabilis. De quacumque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos. Ecce numera tribulationes, ſecundum multitudinem earum, conſolationes eius lætificabunt animam tuam, dummodo ad alium non conuertaris, dummodo clames ad eum, dummodo ſperes in eum, nec humile aliquod vel terrenum, ſed altiſſimum ponas refugium tuum.*

O ſuauitatem Diuinæ Prouidentiæ quæ ſe in re tam facili, tam profuſe communicat! quid facilius quam in eo ſperare qui poteſt omnia & qui promittit omnia in ſe ſperantibus? Et tamen quàm pauci ſunt qui vere ſperent in Domino.

II. PVNCTVM.

SED *qui nimis timet ne ipſi deſit Deus, non ſatis confidit Deo.* In hoc enim eſt præcipue Confidentia, vt quidquid accidat, non defectu auxilij, non defectu Potentiæ vel Bonitatis Diuinæ id credatur accidere, ſed alia ex cauſa quam iuſtè permittit Deus ad maius noſtrum bonum. *Ipſe enim dixit; Non te deſeram*

Ioſue 1. Hebr. 13 *neque derelinquam*, ait Apoſtolus, *itaut confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* At certe cum id dixit Deus, non ſic intellexit aut intelligendum voluit quaſi

Digitized by Google

nihil mali accideret illis quos protegeret: fuerunt enim ex his multi ſubmerſi aquis, igne conſumpti, & aliis obnoxij calamitatibus, licet expreſſe dixerit: *Cum tranſieris per aquas tecum ero; & cum ambulaueris in igne, non combureris.* Is. 43. Vere tamen dixit Deus non defuturum, nec reuera defuit ſicut dixit: Quià dum comburerentur, illis adfuit; & tùm ipſos comburi cum adeſſet Deus, & cùm ſic fieri vellet, erat illis melius quam ſi combuſti non eſſent.

Ex quibus illud patet quod dicitur, in hoc præcipue defectum Confidentiæ verti, *Si quis nimis timet ne ipſi deſit Deus:* Vt ſicut propriè Confidentia tùm eſſe dicitur quando firme ſperatur numquam defuturum Deum ſicut promiſit; ſic diffidentia aut defectus Confidentiæ tùm eſſe agnoſcatur quando dubitatur vel quando nimis anxie pertimeſcitur nùm forte deſit, quaſi non poſſet, aut quaſi nollet adeſſe. Quod quidem accidit Moyſi percutienti petram & Aaroni fratri eius, vnde & ipſi percuſſi ſunt hac animaduerſione vt terram promiſſionis propterea non ſint ingreſſi. *Quia non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in Terram quam dabo illis.* Num. 20.

O pauendum ſupplicium deficientis Confidentiæ! ô tremendum Exemplum Diuinæ ſeueritatis in eos qui ſic deficiunt!

III. PVNCTVM.

QVI nimis igitur timet ne ipſi deſit Deus, non ſatis timet quod eſt magis timendum, ne ipſe Deo deſit: Quia non ſatis confidit Deo, quod eſt Deo deeſſe, & non ſatis Deo confidere ſic indicat quod nimis timeat in ſuis neceſſitatibus ne ſibi deſit aliquid; aut ſi forte, Deo ſic permittente deſit aliquid, ne tùm deſit Diuina Prouidentia, ne tùm deſit eius Potentia vel Bonitas, quod certe eſt impium cogitare, & quod valde timendum eſt ne tacite cogitet quiſquis non confidit & quiſquis nimis timet. *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Matth. 8. Cur nimis timent niſi quia non ſatis confidunt Deo? Aut cur non ſatis confidunt Deo niſi quia non ſatis bene cogitant & ſentiunt de illius Potentia vel Bonitate? Niſi quia nimis timent ne forte nolit: ne forte non ſit ſatis beneuolus? Nam ſi certò ſibi perſuaderent illum affuturum, aut illum æque bonum ac potentem vt adſit & confortet, quid timerent? Hoc autem ti-

Digitized by Google

mere, hoc ſentire, hoc cogitare ne non ſatis bonus ſit aut beneuolus Dominus, certe eſt ita ſentienti timendum & tremendum, ſiue quod valde offendat Deum, ſiue quod ita offenſus grauiter puniat offendentem. *Timidis & incredulis pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure quod eſt mors ſecunda.*

Apoc. 21.

Epheſ. 5.

Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hac enim, venit ira Dei in filios diffidentiæ. Vide quænam ſint illa inania verba, & quam damnoſè te ſeducant. Vide quid mundus contra Veritatem propoſitam obiiciat, quid Caro, quid amor proprius vnde eſt ille tuus nimius timor. Quare ſic times cum nihil accidat niſi volente aut permittente Deo? Reuolue hîc iterum quæ ſupra dicta ſunt: Times paupertatem, times opprobrium, times morbos, times mortem, times aliquid ſimile: *Inania verba ſunt, timores nocturni ſunt*; non euenient hæc forte mala: Sed eſto veniant, Nonne eſt moriendum? Nonne eſt aliquid patiendum in hac vita? Putaſne malum eſſe, pati? Putaſne paupertatem eſſe miſeriam? *Inania verba ſunt*, ſic vrge pluribus: & perge tibi proponere quantùm ſeducant; nempe alios ſenſus de bonis & malis inducunt quàm Chriſtus in Euangelio docuerit: alios de Bonitate Dei motus quàm vera pietas excitet, admouent; Quaſi hoc ſit tantum Deo eſſe bonum & beneuolum ſi nos ab omni temporali malo liberet, & quidquid caducum petierimus, indulgeat, atque in concupiſcentiis noſtris nos foueat. O ſeductionem peſſimam! O formidandam Bonitatem! *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.*

Ier. 10.

Numquam diſiungas Confidentiam à timore, nec timorem à Confidentia. Time ne nimis timeas quod non eſt timendum: & non ſatis timeas quod eſt verè tremendum. Sicut times Deum ſic illi prorſus confide quia ſic timetur, ſic colitur Deus per fidem & confidentiam. Sic aperte Sapiens: *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius, & non deflectatis ab illo, ne cadatis; Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia.*

Eccleſi. 2.

Videri poſſunt quæ de fiducia frequenter alibi proponuntur.

Vera fiducia confidenti numquam infida.

In 2. parte, Feria 3. Hebdom. 4. poſt Octauas Paſchæ.

Non

Non certius in ſpem itur quam contra ſpem.
In 3. *parte, Feria* 3. *Hebdom*. 7.

Ad hæc autem verba de acceptis & multiplicatis panibus:

Et accipiens ſeptem panes gratias agens fregit & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ, & manducauerunt & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. Marci 8.

Opportunæ forent hæ Veritates Practicæ.

Si vis quod non habes, da quod habes.
In 1. *parte, Dominic*. 2. *poſt Epiphaniam*.

Numquam melius homo ſibi proſpicit, quam ſi minus ſibi proſpiciens totum ſe in Deum ſuaque omnia projicit.
In 1. *parte ſexto Decembris, paulo aliter expreſſis terminis*.

Non tam ſpectatur quid dones in Diuinis, quam quid non dones.
In 3. *parte, Feriæ* 6. *Hebdom*. 8.

Quod præſertim ſpectat Chriſtus, non eſt quid ad ſe afferas ſed quid à te auferas.
In 3. *parte, Fer*. 3. *Hebdom*. 13.

Ars omnium artium quæſtuoſiſſima, eſt eleemoſyna.

CELEBERRIMVM eſt ſancti Ioannis Chryſoſtomi Dictum, quod vt apertius appareat cum propoſitis Euangelij verbis conuenire, præmitti debet illorum Patrum ſententia qui hanc *Homil.* 33. *ad Pop.*

Digitized by Google

panum multiplicationem ſenſu quodam morali referunt ad eleemoſynæ compenſationem & commendationem. *Saturata ſunt tanta millia*, inquit ſanctus Auguſtinus, *& nihil minoratum eſt,* & creuit eis *cibus, dum impenditur victus, ſic & eleemoſyna ſi indigentibus erogetur.* Sanctus item Cyrillus Alexandrinus: *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quaſi magna voce dicitur, quanto plura Dabis liberaliter ac miſericorditer, tanto tibi plura largiùs confluent.* Nam, & ait ſanctus Leo: *Ille qui in ſuis paſcitur, qua potuit augere dando, poteſt multiplicare ſumendo.* Et rurſum: *In omni hoc opere, illa interuenit manus quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.*

l. 50. Hom. 39. *l. 2. in Ioan. c. 18.* *Serm. 1. de Ieiun. decimi menſis, & collectis.* *Serm. 10. de Quadr.*

Cùm hæc autem eleemoſynæ virtus & efficacia variis exprimi poſſet verbis & ſenſibus, tum quæ aureo illo ex ore profluxit Veritas de arte omnium quæſtioſiſſima, conuenientiſſimè proponitur, & ex eodem facillimè declaratur: *Si enim*, inquit, *artis eſt, ad aliquam vtilitatem peruenire: Eleemoſyna verò nihil eſt vtilius: clarum eſt profectò quod & ars, & omnium artium eſt optima.*

Talis autem ratiocinatio ſic procedet planius, & in ſuas partes diſtribuetur æqualius:

Illa eſt omnium artium quæſtuoſiſſima quæ minori ſumptu majorem facit prouentum.

Sed Eleemoſyna minori ſumptu majorem facit prouentum.

Ergo eſt ars omnium quæſtuoſiſſima. Nec proinde timendum ne quid inde rei domeſticæ deteratur.

Quod ſane motiuum adiunctum aliis plurimum valet ad exercitium bonorum operum, eſtque illud primum quod ſic proponit ſanctus Leo: *Multis diuinarum ſcripturarum teſtimoniis edocemur, quantum eleemoſynarum meritum, & quanta ſit virtus. Certum eſt enim vnumquemque noſtrum animæ ſuæ benefacere quoties miſericordia ſua inopiæ ſuccurrit alienæ. Prompta ergo & facilis, dilectiſſimi apud nos largitas eſſe debet, ſi credimus ſibi vnumquemque id præſtare quod indigentibus tribuit.* Quaſi diceret, Tametſi ſuppetunt ex ſcripturis multa & eximia quibus ad beneficentiam permoueamur, quia tamen inani iacturæ metu hinc retardamur, tollendus eſt iſte metus, vt ſimul tollatur tarditas in largiendo. Tunc enim nihil erit quo minus prompta & facilis eius euadat largitas, qui firme ſemel ſit perſuaſus nihil adeo ſibi largitate ſua deperire, vt potius multùm accreſcat.

Serm. 1. de Collectis.

Digitized by Google

Cum autem in prima propoſitione nihil poſſit eſſe dubij, hoc vnum ex ſecunda ſupereſt demonſtrare, quod inter omnes artes eleemoſyna minori ſumptu majorem facit prouentum. Tres autem modi ſunt quibus id patet: Primus eſt, cùm eleemoſynæ tam certo promittitur regnum cœlorum, quàm crebro repetitæ habeantur in ſcripturis hæ promiſſiones: *Eleemoſyna facit inuenire vitam æternam: DA pauperibus & habebis theſaurum in cælo; FACITE vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. DIVITIBVS huius ſæculi præcipe, facile tribuere, communicare theſauriſare, ſibi fundamentum bonum in futurum vt apprehendant veram vitam.* Tob. 12. Matth. 19. Luc 16. 1. Tim. 6.

Qualis enim ille eſt, Deus immortalis, qualis ille prouentus, qui promittitur eleemoſynæ, quæ quando ex tota rerum vniuerſitate conflaretur, quid tandem illa eſt rerum vniuerſitas præ cœlo potiundo, præ vita conſequenda æterna, præ regno beatorum poſſidendo? *Tanquam momentum ſtateræ*, inquit Deo Sapiens, *ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram*; At certè non exigitur totus terrarum orbis, vt cœlum promittatur & detur, non centeſima, non milleſima, non definita qualibet eius portio petitur, ſed qualis illa cumque fuerit particula, vel vnius frigidæ potus aquæ, quale quantumque eſt regnum cœlorum, huic tantillæ ſitientibus datæ aquæ totum promittitur, totum traditur, totum in æterna relinquitur ſæcula poſſidendum! Sap. 11.

O mira prouidentia & bonitas Creatoris, exclamat ſanctus Leo, *vt vno facto duobus vellet eſſe ſuccurſum:* Viro ſcilicet miſerando & miſerenti. Nec reticendum quod ait ſanctus Petrus Chryſologus: *Manus pauperis, Abrahæ ſinus eſt vbi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Theſaurus cæli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit ne in terra pereat reponit in cælum, theſauriſate*, inquit, *vobis theſauros in cælo; Manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti, quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo homo pauperi terram vt accipias cælum. Da nummum vt accipias regnum, da micam vt accipias totum. Da pauperi vt des tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.* Notanda certe ſententia. Serm. 1. de collectis. Serm. 8.

Secundo, quia forte dici poſſet non eleemoſynæ ſed aliis ſimul infuſis & acquiſitis virtutibus, aut gratiis & Sacramentis concedi beatitudinem, age videamus in peccatore vel infideli deſti-

tuto prorſus omni alio promerendæ beatitudinis titulo, quin potius multis iam nominibus ſit inferorum reus; videamus inquam quid poſſit eleemoſyna: Videamus quidquid eſt vſquequaque neceſſarium ad miſerandum damnandi ſtatum cum beato permutandum, illud poſſe ac reipſa efficere. Quid illud tandem eſt? Enumera gradatim omnes quæ requirantur ad infidelem animam vel peccatricem, gratias & virtutes ſiue quibus præueniatur ad fidem, ſiue quibus adiuuetur ad reſipiſcentiam, quibus confortetur ad perſeuerantiam, quibus excitetur ad diuinarum actus virtutum, & quælibet Chriſtianæ mentis officia, quibus contra cunctos roboretur hoſtes: videbis ſigillatim omnia vel vniuerſim in Scripturis ita promitti & dari eleemoſynæ, nihil prorſus illi vt negetur quod vel deſiderari poſſit, vel concedi ad perfectè beateque viuendum.

Tob. 4. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ſic enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini: quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſauriſas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam.*

Eccleſ. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & Deus proſpector eſt eius qui reddit gratiam: meminit eius in poſterum, & in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.*

Ib. 7. *Pauperi porrige manũ tuam vt perficiatur propitiatio & benedictio tua.*

Ib. 17. *Eleemoſyna viri quaſi ſignaculum cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.* Quaſi ſigillum eſſet, vel quaſi ſyngrapha ſigillo Dei obſignata, vt ſtato tempore, mercedem ei rependat.

Ib. 29. Quod & conſequenter confirmans. *Conclude*, inquit, *eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.*

Serm 50. de 2 temp. *ET alia multa ſunt*, inquit ſanctus Auguſtinus, *Diuini eloquij documenta quibus oſtenditur multum valere eleemoſynam ad extinguenda & delenda peccata; proinde illis quos damnaturus eſt, imo plus illis quos Coronaturus, ſolas eleemoſynas imputabit tanquam dicens, difficile eſt vt ſi examinem vos, & appendam vos & ſcruter diligentiſsime facta veſtra, non inueniam vnde vos damnem: Sed ite in regnum: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Non ergo itis in re-*

Digitized by Google

gnum quia non peccaſtis, ſed quia veſtra peccata eleemoſynis redemiſtis. Non certe magnis eleemoſynis; cùm de cibo & potu ac ſimilibus cuilibet obuiis expreſſa fiat mentio; magna vero & multa redimantur peccata cum alioquin niſi factis eleemoſynis redempta eſſent, ſempiternis fuiſſent in inferno luenda ſuppliciis.

Tertio denique quod ſupradictis additum, valde illuſtrat propoſitam quæſtionem, non cœleſtium modo rerum eleemoſyna prouentum facit maximum ex minimis quas largitur rebus, quod certe multum eſt; ſed ipſorum etiam temporalium tantam aduenit copiam commodorum, quantam nulla poſſit ars alia ſuo comparare artifici. Quod quia vix credi poſſet, idcirco pluribus & Scripturæ & Patres in eo firmiter decernendo, inſiſtunt.

Nec mirum quidem eſſet ſi veteres tantùm ſcripturæ quæ carnali populo carnalia & temporalia magis proponebant, iſtud adſtruerent & identidem inclamarent: *Quoniam Dominus retribuens eſt & ſepties tantum reddet tibi:* Hoc eſt multoties quam dederis: ſed quis non miretur cœleſtium & temporalium aſſertorem Dominum de his etiam temporalibus loqui ſic abundanter, *Date & dabitur vobis, menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum: eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Quod & egregia ſimilitudine repræſentabat Apoſtolus, *Qui parce ſeminat parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Tum paulo poſt: *qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.*

Eccleſi. 35.
Luc. 6.
2. Cor. 9.

SEMEN eſt eleemoſyna, Diuus ait Chryſoſtomus, *quia non eſt ſumptus ſed reditus.* Sic & ſanctus Auguſtinus: *Fœcundus eſt ager pauperum, cito reddit donantibus fructum. Si vis eſſe mercator optimus, fænerator egregius, da quod non potes retinere.* Sanctus etiam Leo: *Conſtans eſto Chriſtiane largitor; da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas, noli metuere diſpendium, noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua cum bene erogatur augetur. Quamuis enim non habeas niſi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fænus exerceat, & hac vſurarum arte diſceſcat.*

Serm. 75. de Verb. Dom.
Serm 6. de Ieiunio.

Quæ plura de his videri poſſent, quia ſunt obuia, prætermit-

Digitized by Google

tuntur, ſatiſque patet ex dictis quod erat demonſtrandum, talem inter omnes artes eſſe eleemoſynam quæ minori ex impenſa maiorem fructum referat, ac proinde magis eſſe quæſtuoſam. Quod & plurimum confirmatur ex his quæ affert declarando ſuo dicto Diuus Chryſoſtomus; *Et artium quidem ſæcularium*, inquit, *vnaquæque ſuum habet quod accepit meritum, verbi gratia, agricultura paſcit, textoria veſtit, imo vero nec hoc vlla poteſt à ſemetipſa vobis conferre. Et ſi libet, agriculturam examina primam, nam niſi ligonem habuerit & vomerem, falcem, ſecurim & alia plura mutuetur: & carpentariam vt aratrum pangat, & iugum paret & plauſtrum, vt ſpicas excutiat: & coriariam vt & lorum faciat: & ædificatoriam vt & arantibus tauris ſtabulum ædificet & ferentibus agricolis domum: & ſucciſoriam vt ligna ſecentur: & piſtoriam: poſt hæc omnia nuſquam apparebit. Similiter & textoria, cum aliquid faciat, multas ſecum artes conuocat vt propoſita ſecum expediant: quod ſi non acceſſerint, & manum porrexerint, hæc quoque ſimiliter vt illa remanebit inops. Et artium quæque alterius indiget artis: Cum autem oporteat miſereri, nihil aliud nobis opus eſt ſed ſola volantas eſt neceſſaria.*

Homil. 35. ad Pop.

Quod ſi dicas quod pecuniis opus eſt & habitationibus, & veſtimentis & calceamentis: illa lege Chriſti verba quæ de vidua dixit, & ab anguſtia deſiſte: licet valde ſis pauper, & mendicantibus pauperior, ſi duo minuta contuleris, totum expleſti: etſi des panem eum habens ſolum, ad perfectionem artis veniſti. Hanc itaque ſuſcipiamus artem & ſcientiam, & obeamus, melius eſt enim hanc ſcire quam eſſe regem & diademate coronari: Non enim eſt hæc ſola eius præcellentia quod aliarum non indiget, verum & diuerſarum rerum eſt expeditoria & multarum quidem & omnigenarum. Domos enim ædificat in cœlis ſemper manſuras, & qui ſe conſecuti fuerint docet quemadmodum immortalem fugiant mortem & tibi theſauros donat qui nunquam aſſumuntur, ſed omne damnum effugiunt tam à latronibus quam à vermibus & tempore. Si quis circa frumentorum conſeruationem hoc ſolum te docuiſſet, quid non reddidiſſes vt inabſumptum multos annos poſſes conſeruare frumentum? Ecce autem hæc non in frumento tantum, verum & in omnibus docet & quomodo parta, & anima & corpus indiminuta conſeruentur oſtendit.

Luc. 21.

Et quid opus eſt omnia particulatim dicere huius artis merita? hæc namque te docet quomodo poſſis ſimilis Deo fieri, quod eſt omnium ſumma bonorum. Vides quomodo non vnum huius eſt opus ſed multa?

Digitized by Google

Non alterius indigens artis domos ædificat, texit veſtes, inabſumptos parat theſauros, facit vt mors ſuperetur, diabolum cohibet, Deo reddit ſimiles. Quid igitur hac arte fuerit vtilius? Nam aliæ quidem cum dictis & cum præſentis ſoluuntur vita, & morbo laborantibus artificibus nuſquam apparent, & earum opera durare non poſſunt, & laboris indigent & laboris multi, & aliorum mille: Hæc autem cum mundus præterierit maxime tunc apparet, cum fuerimus mortui maxime tunc coruſcat & opera monſtrat à ſe geſta, nec laboris indiget nec alterius huiuſmodi cuiuſpiam operationis: verum & ægrotante te fructum affert & annis confecto & ad futuram tecum vitam emigrat, nec vnquam te deſerit. Hæc & Sophiſtis & Oratoribus potentiorem te efficit. Nam illi quidem in ſuis præcellentes artibus multos habent æmulos: Hac autem pollentes, infinitos habent pro ſe orantes: & illi quidem hominum aſſiſtunt tribunalibus, iniuriam patientibus exhibentes patrocinium, at & frequenter iniuriam facientibus: hæc autem Chriſti adſtat tribunali, non tantum patrocinans, verum & ipſi perſuadens Iudici vt reo patrocinium præſtet, & pro eo ſententiam ferat: & licet millies peccauerit, coronat & victorem promulgat. Ait enim Deus, date eleemoſynam, & omnia erunt munda.

Et poſt multa, *Hæc qui hîc erogas, illic ſunt, repetitur mutuum, fænus, & debitum. Nam Chirographa tibi Deus fecit, ait enim qui miſeretur inopis fænerat Deo. Arrhabonem tibi dedit & vades, & hoc cum Deus ſit. Quem arrhabonem? Præſentis vitæ ſenſibilia, ſpiritualia futurorum primordia; quid itaque differs & torpes, cum iam tanta receperis & hæc expectes?*

Quò etiam illud eiuſdem referas, *Hic erudiamur vt magna in dandis eleemoſynis largitate vtamur, quò datis paruis adipiſcamur magna. Quomodo enim paria ſunt, dic obſecro dare parum argenti & obtinere peccatorum remiſſionem? Paſcere eſurientem, & in die illa horribili fiduciam aſſequi & audire verba nulli regno conferenda, eſuriui & dediſtis mihi quod comederem.* Et nonnullis interiectis: *talia* inquit, *animaduertentes, ita reſpiciamus pauperes quaſi operarios qui occaſiones ſalutis dare nobis poſſunt & eis largiter hilarique promptitudine cum eis communicemus.* Hom. 34. in Geneſ.

Sanctus denique Proſper vbi agit de promiſſionibus Dei & præſertim de iſta Chriſti quæ habetur Lucæ vndecimo: *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis:* ſic accommodate concludit, *O quam breue compendioſumque ſacrificium* Parte 2. c. 7.

quod intrinſecus atque extrinſecus totumque hominem mundat; Tum inter varia quæ conglobat eleemoſynæ commoda, *hæc*, inquit, *fænerat Deum, hæc continet regnum cælorum; hæc eſt quæ diſcernit agnos ab hædis: hæc eſt quæ ad dexteram collocat iudicis: hæc angelis ſociat: hæc ex ſeruis filios Dei fieri præſtat. Concurrite omni ex genere peccatores, concurrite omnes ex vitiis erroribuſque leproſi: Concurrite omnes quolibet flagitio maculati atque immundi pœnitentes: concurrite ad tam magnum compendioſum, vtileque ſacrificium cum omni lætitia offerentes. Hilarem enim datorem diligit Deus. Prout quiſque quod offerat habuerit; hoc offerat munus. Quod ita noſter princeps ſacerdotum inſtituit, acceptumque præ omnibus eſſe mandauit, vt vſque ad duo minuta calicemque aquæ frigidæ menſuras huius perduxerit ſacrificij: pacem promittens, & ſi hæc deſunt, hominibus bonæ voluntatis.*

Licet porro hæc ita ſint & quantumcumque ſuis affecto rebus multum valere poſſint ad perſuadendam in pauperes largitatem, quia tamen ad hanc perſuaſionem diuina eſt opus fide quę in multis eſt valde modica; idcirco qui nimio rerum ſuarum tenentur affectu, vix ſe perſuaderi patientur: vnde & quibus Chriſtus panem & piſces multiplicauit, ij erant, qui ſuis ita renuntiauerant vt omnium obliti de vno ſequendo Chriſto vel de ſua vna ſalute negotianda mouerentur; Quamobrem hæc opportuna etiam videretur Veritas Practica:

Niſi pauper affectu ſis, vix ſatis affectus eris in pauperes.

RATIO EST, *Quia vix ſatis affectus eris in pauperes ſi ex parte tantum neceſſitatibus eorum proſpicis; & qua etiam parte proſpicis, multum deficias.*

Sed niſi pauper affectu ſis, ex parte tantum neceſſitatibus pauperum proſpicies: & qua etiam parte proſpicies, multum in illa deficies.

Ergo & vix ſatis affectus eris in pauperes; nec quod debes exolues, nec te omiſſæ miſericordiæ tantùm fructu priuabis, ſed te culpæ reum & pœnæ conſequentis conſtitues.

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA propoſitio probe intellecta, probe probata eſt; atque etiam vt apertius intelligatur, non eſt longiori opus diſcurſu. Quis enim illum ſatis affectum erga Iuſtitiam & ſuos Creditores credat, quibus cùm debeat centum quæ poſſit commodè reddere, reddat tantùm quinquaginta quæ non ſint etiam ſatis probati pretij? Quis illum ſatis affectum ad pietatem & obedientiam pronuntiare auſit, qui cùm totam poſſet & deberet quadrageſimam ieiunare, mediam tantùm obſeruet, & laxius quàm ieiunij leges ferant. Nonne propterea condemnatus eſt 1 Reg. 13. Saül quod ex duobus quæ à Samuele mandatis acceperat, vnum 15. penitus non præſtitit: & aliud ex parte tantum expleuit? Nonne hoc erat eorum vitium quibus Dominus per Prophetam: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Et quibus per ſeipſum: Iſ. 58. *Væ qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquiſtis quæ* Matth. 23. *grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Sic planè cùm ex multis, vt pòſt dicetur, partibus, neceſſitati pauperum ſit à nobis proſpiciendum: quis credat ſuo ſatis muneri facere, ſi cùm poſſet & teneretur omnes explere partes, vnam tantum attingat, in qua etiam obeunda, multùm deficiat? *Vos non intratis, nec introëuntes ſinitis intrare.* Quaſi diceret Dominus: Matth. 23. cùm vtrumque præſtandum eſſet, neutrum facitis. Et licet in introducendis aliis videamini veſtram conferre induſtriam: vos tamen in hac parte ita deficitis, vt nihil reſtet quod præſtetis. Quò illud ſpectat: *Omni habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non* Ibid. 25. *habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo:* Vnde ſequitur: *& inutilem ſeruum eÿcite in tenebras exteriores.* Nempe inutilis ſeruus qui quod debet non facit: & qui quod etiam facit, non bene facit.

II. PVNCTVM.

SED *niſi pauper affectu ſis, ex parte tantum neceſſitatibus pauperum proſpicis: & qua etiam parte proſpicis, multum deficies.*

Pauperem affectu eſſe, perinde eſt, ac non affectum eſſe diuitiis. Sicut enim diues in Scripturis dicitur non is tantum qui diuitias poſſidet, ſed qui vel cum affectu poſſidet vel poſſidere deſiderat, vel non poſſidere metuit: ſic pauper ſpiritu & affectu qui

ſiue careat, ſiue abundet diuitiis, nullo earum affectu tenetur.
Prou. 13. Vnde eſt illud Sapientis : *Eſt quaſi diues cum nihil habeat : & eſt quaſi pauper cum in multis diuitiis ſit.* Niſi tu autem ſis ita pauper & nullo plane inordinato affectu circa diuitias mouearis, ex parte tantum neceſſitatibus pauperum prouidebis : Nam illa inordinata cordis affectio, ſi te omnino non impediat à largiendo aliquid, obſtabit tamen quò minùs tantum largiaris, quantum neceſſe eſt, ſeu quantum pauperis exigit præſens neceſſitas.

Vel enim ſimulabis te neſcire, vel non poſſe, vel eſſe alios qui commodius poſſint : aut denique, te non teneri, licet eſſe poſſit præceptum quando videlicet ſatis apparet pauperum extrema indigentia. Tunc enim illud diuinum valet præceptum :
Deut. 15. *Ego præcipio tibi vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi qui tecum verſatur in terra.* Id eſt, quem noſti pauperem. Alioquin, *ſi non paviſti, occidiſti*, ait ſanctus Ambroſius, refertque Diuus Thomas,
2. 2. q. 32. a. 5. vbi de his expreſſe agit. Iam verò quid eſt quod tùm à dando te auocet niſi affectus deprauatus ? Cum enim, vt ſupponimus, non ignores extremam illam pauperis neceſſitatem, cum probe poſſis illi ſuccurrere, cum ſatis ſcias quanta inde lucra vel detrimenta importentur, prout debitum perſolueris vel neglexeris, quid eſt quod illud negligas, niſi quia nolis ? aut quid eſt quamobrem nolis niſi quia nimis illud amas quod eſſet dandum ? Recte enim Diuus Auguſtinus :
Ep. 43. *Cum ſuperflua terrena diliguntur, arctius adepta quàm concupita conſtringunt : aliud eſt enim nolle incorporare quæ deſunt, aliud iam incorporata diuellere.* Quod ſi dicas te neſcire vnquam extremam egeni neceſſitatem, vide quid dicas, & hic vide fallaciam quam Dominus vocat diuitiarum : ſic enim diuitiæ fallunt ſe amantes, ſic inducunt illos in eam mentem vt ſibi fingant ſe neſcire quod ſciunt, vel quod ſcire poſſunt, & quod neſcire peccatum eſt. Quod apte Sapiens ſic expreſſit :
Prou. 13. *Animæ doloſæ errant in peccatis : Iuſti autem miſericordes ſunt, & miſerentur*, id eſt, qui non ſincere ambulant, ſibi fingunt non id eſſe peccatum quod appetunt : qui autem iuſti ſunt & ſinceri nihil tale fingunt, ſed quando exercenda eſt miſericordia, tunc illam vere colunt & exercent.

Quod ſi etiam dicas te non ſemper poſſe, te tuas habere neceſſitates quibus prouideas, vide hic iterum quam ſint fallaces tuæ diuitiæ ſeu diuitiarum cupiditates; Vide an quas dicis neceſſitates,

Digitized by Google

ſint meræ vanitates, & profuſi ſumptus; Vide nùm tibi quadret illud Prophetæ, quamque ſit expaueſcendum: *In alis tuis inuentus eſt ſanguis pauperum & innocentum*; Id eſt, in laxis illis veſtibus quæ ne deeſſent, illud pecuniarum exhauſtum eſt quod multis alendis pauperibus ſufficiebat & cuius defectu perierunt. Ier. 2.

Aut ſi forte mauis in futuros & impendentes aduerſos caſus quod non largiris reſeruare, ac dum interim fame pauperes enecantur, tu vanas tuas ſolicitudines quas mentito nomine vocas neceſſitates nutrias ac ſuſtentes, an te tuo putabis ſolutum debito? Caue id putes, nam vel hoc ſolo nomine quo ſunt ſuperflua quæ tu reſeruas non ſunt tua ſed pauperum, quo ſenſu dixit ſanctus Baſilius, & refert etiam Diuus Thomas loco ſuprà memorato: *Panis eſt famelici quem tu tenes: nudi tunica quam in conclaui conſeruas: diſcalceati calceus qui penes te marceſcit: indigentis argentum quod poſſides inhumatum.* Et horum radix malorum ſola eſt cupiditas non repreſſa, ſolum illud quod non ſis affectu pauper.

ATQVE vt etiam liberalius tecum agam, quam tu agas cum egenis: non immorabor diutius in his quæ à te omittuntur; nec vltra quæram an ſatis ſit quod largiris, ſed quali animo largiaris videamus: & quod eſt alterum propoſitionis caput, *quam multum in hac etiam parte deficias quam obire videris*, expendamus.

Nonne quod in largiendo præcipue commendatur, eſt, hilaris ac promptus animus, qui quod agit, libenter agat? Nonne ſic expreſſe Scriptura; *Bono animo gloriam redde Deo: In omni dato hilarem fac vultum tuum. QVI miſeretur, in hilaritate. NON ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Nonne quibus illa deeſt in tribuendo hilaritas multum illis deeſt in hoc ipſo quod tribuunt? At reſponde quibus illa deeſt hilaritas niſi quibus ipſa deeſt de qua nobis hic quæſtio, *paupertas ſpiritus & affectus?* Nonne quanta eſt rei dandæ cupiditas, tanta eſt datæ triſtitia; & quantæ eſt iſta maior triſtitia, tanto eſt illa minor hilaritas quæ ſumma eſſe debuerat? Eccleſi. 32. Rom. 12. 2. Cor. 9.

O quam verè ſanctus Auguſtinus; *Plerumque fit à triſtibus & à murmurantibus vt careant tædio interpellantis, non vt reficiant viſcera indigentis. Si panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti.* In Pſ. 42. O pauendam ſententiam.

III. PVNCTVM.

HINC *igitur euidenter patet quod niſi pauper affectu fueris, vix ſatis affectus eris in pauperes:* Vix ſatisfacies debito ſuccurrendi pauperibus in extrema illorum neceſſitate: Vix illud fateberis debitum; Vix illam agnoſces neceſſitatem, aut ſi quam forte agnoſcis, dolebis te id ſcire quod ignorare non potes, & quidquid in illo dolore dones, donum ita deteretur vt fructu ſuo careat. Hinc aptè Sapiens: *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis,* (Eccleſ. 5.) Nam vel amore, ſibi eas reſeruabit: vel amorem earum reſeruans non niſi triſtis dabit quidquid dederit: Quod vtrumque perinde eſt infructuoſum. Vnde & Alius etiam opportune: *Nihil eſt iniquius,* (Eccleſi. 10.) inquit, *quam amare pecuniam, hic enim animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* Quaſi diceret, mauult pecuniam quam animæ ſalutem: pecuniâ illâ quam ſibi ſeruat, ſibi ſuam vendit & perdit animam, dum magis proſpicit conſeruandæ pecuniæ quàm ſeruandæ animæ. Qua profecto in re videtur omnem exuiſſe humanitatem & ſine vllis miſericordiæ viſceribus crudelem vitam ducere.

Quod & Propheta, more ſuo, ſic inſigniter obuelauit: *Et dixit* (Oſeæ 12.) *Ephraim; Diues effectus ſum, inueni idolum mihi:* Nempe diuitias ſeu diuitiarum affectum quem vt idolum colit qui non eſt pauper affectu & velut quidam idololatra, quæ ſunt Diuini cultus & ſalutis animæ, pene videtur abjicere.

Quamobrem, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere,* (Pſ. 61.) ſi cor non appoſueris, facile fluent è tuis manibus in manus pauperum; ſi vero conſideraueris quam inaniter aliunde fluant, non minus facile perſuadeberis cor illis tuum non apponere, ne tu cum illis effluas & pereas. Sic illa duo ſimul inter ſe conueniunt, *cor non apponere diuitiis, & diuitias libenter elargiri,* vt vtrumque ſibi viciſſim ſeruiat, & obſecundet. Non eſt videlicet diuitiis cor apponendum vt illas libenter largiaris: Si vero etiam libenter largitus fueris, ſic diſces cor non apponere: Quemadmodum *dilectio facit præcepta ſeruare,* vt ait ſanctus Auguſtinus, *& præcepta ſeruata faciunt dilectionem:* (Tract. 82. in Ioan.) ſic de contemptu pecuniarum ad eleemoſynas, & de eleemoſynis ad contemptum pecuniarum ſanctus Ioannes Chryſoſtomus: *Dans,* inquit, *eleemoſynam ſicut oportet dare, diſcit*

Digitized by Google

aſpernari diuitias: Qui pecunias didicit aſpernari, malorum radicem excidit: itaque non minus accipit quam præſtat beneficium, non eo ſolum quod debitum & retributio ſit eleemoſynæ repoſita, verum & quod anima ſapiens & alta fiat & diues. Qui dat eleemoſynam diſcit non admirari pecunias, neque aurum. Hac autem inſtructus mente maximum in cælum aſcendendi principium accepit, & innumeras contentionis & litis & inuidiæ & triſtitiæ ſuſtulit occaſiones; Atque in vnum multa contrahens: *Cum velit pauper fieri, ſuæ purgat oculum animæ.* Quaſi diceret, quod purgatus animæ oculus contulit acquirendæ paupertati: hoc acquiſita paupertas refert oculo animæ magis ac magis ſemper purgando. Hom. 36. ad Pop.

De his vide plura, Verbo *Eleemoſyna*, in hac & ſequenti parte.

HAC Hebdomada, quæ ſuperſunt conſideranda ex Sermone Domini, referuntur ad ſeptem Petitiones Orationis Dominicæ, ibidem expreſſas, quibus quia ſingula vitia quæ dicuntur Capitalia opponuntur: ex hac potiſſimum oppoſitione Veritates Practicæ deducentur.

FERIA SECVNDA.

DE PRIMA PETITIONE ORATIONIS DOMINICÆ, CVI SVPERBIA OPPONITVR.

Sanctificetur Nomen tuum. Matth. 6. & Luc. 11.

VERITAS PRACTICA.

Primæ petitioni prima ſe opponit Superbia; Quod illa petit, hoc iſta impetit.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia quod prima petitio petit, eſt, vt ante omnia Diuinum celebretur Nomen.*

Atqui hoc prima impetit & expugnat ſuperbia.

Ergo primæ petitioni prima ſe opponit: & quod illa rectè petit, iſta directè impetit. Vnde profectò eſt vt quam ſit damnoſa ſuperbia, manifeſtius agnoſcatur.

I. PVNCTVM.

IN duobus Euangelij locis ac diuerſis, vt putatur, temporibus, pronuntiata eſt hæc cœleſtis & Diuina Oratio, quæ Domini ſeu Dominica nuncupatur. Primo quidem hîc continuans ſuum ſermonem Dominus, tum vero poſt interrogatus de orandi modo, ſic vbique nos idem edocet; *Cum*
Luc. 13. *oratis dicite, Pater noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum.* Hæc eſt prima petitio de qua priùs quam mediteris, Agnoſce hîc & venerare in Chriſto Domino tria illa notiſſima Diuinitatis attributa, quorum primum eſt Bonitas quæ in eo apparet quod ita particulatim & diſtinctè nos docere voluerit quid eſſet orandum. Secundum eſt Sapientia quæ relucet in admirabili ſtructura huius orationis in qua & precatio bonorum, & deprecatio malorum tali ordine connectuntur, vt quæ ſunt potiora, præcedant; & ſic paucis omnia verbis comprehendantur, nihil vt deſit petendum, quod non in aliqua petionum includatur. Tertium eſt Potentia quam manifeſtè declarat, promittendo certum huic orationi effectum, dummodo ſincerè, ex animo, & non fictè pronuntietur. Non enim omnes ſincere orant, non omnes ex animo volunt quod ore poſtulant, aliud ore petunt, & aliud corde appetunt.
Prou 16. *Septem nequitiæ ſunt in corde viri*, vt ait Sapiens, id eſt ſeptem capitalia vitia quæ ſeptem petitionibus huius orationis Dominicæ ſic opponuntur vt vel non ſit pronuntianda oratio, vel deponendum vitium. O fœlicem neceſſitatem deponendi vitij cum quo nec ipſa legitime poſſit oratio Dominica pronuntiari!

Ac primæ quidem petitioni primum ſeſeopponit vitium, nempe ſuperbia quæ hoc ipſum plane expugnat & impetit quod illa petit. Quid eſt enim quod prima petit petitio, quid eſt dicere,

Digitized by Google

quid eſt à Deo petere cum illi dicitur: *Sanctificetur nomen tuum?* Expende accurate, & diſce illud eſſe quod primum eſt ex omnibus deſiderandis optandum & petendum: nempe vt agnoſcatur Deus ab omnibus, vt ante omnia Diuinum celebretur nomen, vt de Deo omnes magnifice ſentiant & loquantur: vt quàm ſit ſanctus, quàm bonus, quàm colendus omnibus innoteſcat, & reuera Eum omnes ita colant, & prædicent, *Tremiſcant & paueant omnes Deum Danielis, Ipſe eſt enim Deus viuens & æternus in* Dan. 6. *ſæcula.*

Sic dicitur ſanctificari nomen Dei, vt interpretatur ſanctus Auguſtinus, quatenus Dei notitia talis habeatur vt non niſi ſanctus prædicetur & nihil de illo niſi ſanctum cogitetur & dicatur. Nihil denique ſanctum in vnaquaque creatura putetur, niſi ab illo ſanctitatem deriuet: ac proinde omnis omnium Sanctorum gloria in illum referatur. Addit vero Diuus Chryſoſtomus, ſic perfecte ſanctificari nomen Dei, ſi per ſanctam noſtram vitam agnoſcatur eſſe ſanctus, ſi nos ita ſancte viuimus, vt ex ſanctitate vitæ noſtræ agnoſcant omnes gentes ſanctum eſſe Deum noſtrum, & eum vnum colendum. Sic fuſiùs orabat Sapiens: *Sicut in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis, vt cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus, quoniam non eſt Deus præter te Domine.* Eccleſi. 36. Hoc autem dicitur primum eſſe optandum & petendum, quia hic eſt finis noſter, vt Deum custodiamus reuereamur & colamus: hæc eius gloria propter quam nos condidit: *Et omnem*, inquit, *qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Iſ. 43. Finis autem ante omnia primum eſt quod in mente & intentione habendum eſt vt ad illum cætera referantur. Nam vt ait ſanctus Thomas, *Cauſarum adinuicem ordinatarum ſi prima ſubtrahatur, neceſſe eſt alias ſubtrahi. Prima autem* 1.2 q.1.a.2. *eſt cauſa finalis:* Vnde & illud vulgare in Ethicis, *Finis cognitio, vitæ humanæ eſt ordinatio:* Sicut ſagittarij, quem ſpectemus ſcopum habeamus. Cùm itaque ſit ille ſcopus quò nos omniaque noſtra dirigere cum Diuina Gratia debeamus: quid aptius quàm hoc primum petere, quam hoc primum exoptare, quam hoc primum & poſtremum cum Chriſto dicere; *Pater, clarifica Nomen tuum.* Ioan. 12.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

A*T QVI hoc prima impetit & expugnat ſuperbia.*
Eccleſi. 10. Primò quidem vt eſt, *Initium omnis peccati*, quemadmo-
1. 2. q 84. a. 2. dum dicit Sapiens, & ſicut interpretatur Diuus Thomas in hoc
2. 2. q. 162. a. 7. ſenſu quod in omni peccato peccator prætendat aliquam excellentiam ex qua vel ad quam mouetur in peccatum. Eſt autem talis excellentiæ prætenſio maxime propria ſuperbiæ quæ proinde dicitur cauſa & radix omnis peccati ex parte auerſionis à Deo; ſicut cupiditas ex parte conuerſionis ad Creaturas. Cum itaque omnia in genere peccata, & vnumquodque in particulari obſtent quo minus ſanctificetur nomen Domini quo à nobis modo ſanctificari debet; idcirco recte dicitur huic petitioni primam ſeſe opponere ſuperbiam quæ prima eſt in omni peccato, vnde & Tobias
Tob. 4. filio: *Superbiam numquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.*

Deinde vero ſtrictius conſiderata ſuperbia vt eſt ſpeciale peccatum, expugnat & impetit quod dictum eſt, de ſanctificando Dei nomine: quia cùm ſit inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, ſic mouet hominem ad ſui nominis celebrationem & commendationem, vt primum id ſit quod ſuperbus deſideret, quod prætendat, quod pro fine habeat, & quod primum à Deo peteret, ſi auderet:
Gen. 11. *Celebremus nomen noſtrum: FACIAMVS nobis*
1. Macch. 5. *nomen. IN cælum conſcendam: aſcendam ſuper altitudinem nubium,*
Iſ. 14. *ſimilis ero Altiſſimo.* Hi ſunt proprij motus ſuperbiæ qui nulla habita ratione ſanctificandi Diuini nominis, vnum ſuperbi quem mouent hominis nomen & exiſtimationem prætendunt euehere & celebrare. Quod quidem non modo non eſt ſanctificare & prædicare nomen Domini, quod primum petebatur in oratione Dominica, ſed è contra manifeſte eſt ſeſe opponere illi Diuino nomini prædicando, quatenus inordinate id prætenditur vel tanquam finis operum, vel in modo ardentiori expetendæ propriæ gloriç, vel ex alia denique circumſtantia quæ ordinarie comitatur hunc inordinatum propriæ excellentiæ appetitum: vnde præclare Sapiens, *Initium ſuperbiæ eſt, apoſtatare à Deo*, Id eſt, vt expli-
Eccleſi. 10.
2. 2. q. 162. a. 7. cat ſanctus Thomas, hæc eſt prima ſuperbiæ pars, deficere à Deo, ſeu quod idem eſt, reuocare hominem à Deo celebrando & colendo,

Digitized by Google

lendo, ad ſe potius celebrandum & colendum. O deteſtandam ſuperbiam propter quam homini à Deo dicitur, *Cum ſis homo, & non Deus, dediſti cor tuum quaſi cor Dei!* Expende verba & expaueſce. *Ezech. 28.*

III. PVNCTVM.

PRIMAE *ergo petitioni prima ſe opponit ſuperbia, & quod illa petit, hoc iſta impetit,* Quatenus illa Diuinum ante omnia & in omnibus petit celebrari nomen, atque illi vni referri quæ debetur gloria: Contrà verò ſuperbia de ſolo ſuperbientis nomine & celebratione cogitet, moueatur, & omnia idcirco moueat. *Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt & ſaturati ſunt, & leuauerunt cor ſuum & obliti ſunt mei.* Id eſt, Cùm ego paſcerem eos, cùm eis benefacerem, non Paſtorem aut Benefactorem reſpexerunt, ſed paſcua, ſed ſua bona & dona quæ magis dilexerunt quam donantem, & ſuis naturalibus donis & bonis ſic repleti & ſaturati ſunt vt nihil aliud præter ſe commendandos & celebrandos cogitarint. *Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput ex quo totum corpus,* Vide locum Apoſtoli & compungere quod non modo in indifferentibus & obuiis quibuſque objectis ſe ſuperbus reſpiciat & reſpiciendum velit magis quam Deum, ſed in ſanctioribus illis obſeruantiis & piis exercitationibus, quales ſunt Oratio, Eleemoſynæ, & Ieiunia; tùm vbi maxime Deus eſſet ſpectandus, minus ſæpe attenditur, & vbi animus magis eſſet deprimendus, tùm magis exaltatur. *Oſee 13.* *Coloſſ. 2.*

Vnde in antecedenti & conſequenti ſermonis texru Dominus, *Neſciat*, inquit, *ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito. Cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo.* Quaſi diceret, vnum Deum cura cui placeas, & humanam illam complacentiam quæ ſeſe contrà ingerit prorſus abjicias. *Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra.* *1. Theſſ. 2.*

Neque id tantùm initio operis præcauendum, ſed in medio & extremo fine, Nam vt ait ſanctus Gregorius, *Opera noſtra, tribus modis, antiquus hoſtis inſequitur, vt videlicet hoc quod rectum coram hominibus agitur, in interni Iudicis conſpectu vitietur. Aliquando nam-* *1. Mor. 38.*

Digitized by Google

que intentionem polluit; aliquando in ipſa actione ſe quaſi in itinere opponit, vt cùm per propoſitum mentis ſecurior quiſque egreditur, ſubjuncto latenter vitio quaſi ex inſidiis perimatur. Aliquando vero nec intentionem vitiat, nec in itinere ſupplantat, ſed opus bonum in fine illaqueat, quantoque vel à domo cordis, vel ab itinere operis longius receſſiſſe ſe ſimulat, tanto ad decipiendum bonæ actionis terminum aſtutius expectat.

Certe quando abeſſent cætera quæ tam multa ſunt ad coercendam ſuperbiam; iſta conſideratio plurimum valere debet, quod ſic impetat & euertat illud primum omnium nobis à Chriſto propoſitum quod deſideremus, quod petamus, quod impetremus; ſicque fiat vt nihil petas, nihil proſit oratio, & forte id tibi poſſit
Ioan. 16. objici quod Apoſtolis: *Vſque modo non petiſti quidquam in nomine*
2. Reg. 12. *Domini. NE nomini meo aſcribatur victoria:* Habeto illud Ioab frequens & familiare, ac vide in 2. parte Dominicam 5. poſt Paſcha.

FERIA TERTIA.

DE SECVNDA PETITIONE ORATIONIS DOMINICAE, CVI AVARITIA OPPONITVR.

Adueniat Regnum tuum. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Qui terrena nimis deſiderat, timet potius quàm reuera deſideret, vt adueniat regnum Dei.

SENSVS EST, Non tantum de deſideriis rerum habendarum, ſed vel maximè de affectu rei habitæ & poſſeſſæ qui

Digitized by Google

quanto eſt vehementior, tanto magis timere facit quàm optare aduentum illius regni quod petendum proponitur.

RATIO EST, *Quia quiſquis ex deprauatione affectus valde timet mortem, timet potius ne adueniat Regnum Dei, quàm reuera illud deſideret.*

Sed qui terrena nimis deſiderat, aut qui ſuis nimis afficitur, valde timet mortem ex deprauatione ſui affectus.

Ergo & magis timet ne adueniat Regnum Dei, quàm vere illud deſideret; Quod quia valde eſt inordinatum, cauendum iſtud vitium vnde eſt tanta inordinatio.

I. PVNCTVM.

TRIPLEX hîc regnum intelligi poſſet; primum illud de quo dicitur, *Regnum Dei intra vos eſt.* Secundum de quo Luc. 17. paſſim Scripturæ; *Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur* Pſ. 21. *Gentium*; Nempe vt vbique regnet pro ſua voluntate & pro eo ac meretur. Tertium denique quò alia duo nos ducunt, eſt regnum cœleſte & æternum quo in Beatis tam perfecte regnat quàm vult ipſe regnare. *Poſſidete paratum vobis regnum*: Hoc eſt propriè Re- Matth. 25. gnum quod petimus, *Vt adueniat.* Nempe vt eò aliquando perueniamus cum ipſi placuerit: Vel indicamus nos iam eſſe paratos, nos nihil in terris remorari, nos vnum Cœlum & cœleſtia cogitare & concupiſcere, *Expectantes beatam ſpem & aduentum glo-* Tit. 2. *riæ magni Dei & ſaluatoris noſtri IESV Chriſti.* Sic enim ipſe nos ſemper eſſe paratos voluit, velut ſeruos expectantes Dominum, quacumque hora veniret aut vocaret. *Et hoc gratiſſimi ſerui eſt,* inquit ſanctus Chryſoſtomus, *Neque inhærere præſentibus, neque* Hom. 20. *magnum aliquid quæ videntur putare; ſed ad Patrem ſemper vrgeri, ſemperque in futura geſtire: quod certe de optima oritur Conſcientia, & mente terrenis omnibus exuta.*

Quæ poſtrema ſancti Doctoris verba ſunt valde notanda; ſicut enim facile eſt nihil deſideranti vel inordinate amanti in terris, deſiderare quæ ſurſum ſunt; ſic valde difficile & rarum eſt vt qui terrena nimis amat, velit cœleſtia. Atque hinc eſt quod huic petitioni directe opponitur illud vitium quod Auaritia ſeu nimius &

Digitized by Google

Serm. 196. de Temp. inordinatus terrenorum affectus dicitur. Nam vt ait S. Auguſtinus: *Non ſolum auarus eſt qui rapit aliena, ſed etiam qui cupide ſeruat ſua*; Siue ergo plura deſideret, ſiue ſua nimis amet, Is certe timet potiùs ne adueniat illud regnum Dei quam vere illud deſideret; quod cùm ſit tam alienum ab ea mente quam conformare debemus ſecundæ huic petitioni, profectò hinc patebit luculente quam ſit damnoſus ille terrenorum affectus.

Vt autem liqueat manifeſtius quod aſſeritur, *Reformidari potius, quam deſiderari regnum cæleſte*, ab Auaro aut à quouis qui terrenis inordinate afficitur, ſic procedit Ratio: Qui ex deprauatione affectus nimis timet mortem, timet potius quam deſideret illud regnum. Nam cùm morti neceſſariò ſubeundæ coniunctum ſit illud regnum, neque aliter euenire poſſit tale regnum quam per mortem & per iacturam rei quam nimis amat: Certe qui nimis timet mortem ex illo prauo affectu, timet ſimul & illud regnum. Si naturalis tantum eſſet amor vitæ ex quo timeret mortem, dici forte poſſet non timeri propterea regni illius aduentum niſi ex quadam concomitantia & conſecutione quæ non eſſet vitioſa: ſed quando timor eſt ex deprauato rei terrenæ affectu, timor ille mortis includit ſimul quodammodo timorem regni, quia quandam habet repugnantiam cum illo regno, peribit illa res quæ amatur, ſi adueniat regnum: & quia non vult ſibi rem talem perire, idcirco non vult etiam tale regnum & talem viuendi ſtatum in quo re amata priuetur.

Sap. 2. *Et neſcierunt Sacramenta Dei*, ait Sapiens; *neque mercedem ſperauerunt Iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum*, Id eſt, non cogitauerunt, non expenderunt quale eſſet illud regnum cœlorum, quali honore & gaudio beatificarentur animæ ſanctæ: qui deprauatis ſunt affectibus, hæc non cogitant, hæc non curant, hæc negligunt quodammodo præ ſuis amoribus, & mallent priuari cœleſtibus, ne terrenis priuarentur. *Euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cælum neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* *Dan. 13.* Ne ſic de aliis hæc cogites, quin tibi bonam eorum partem applices.

II. PVNCTVM.

SED *qui terrena nimis deſiderat, aut qui ſuis nimis afficitur, valde timet mortem ex deprauatione ſui affectus*, Id eſt, præter natu-

Digitized by Google

ralem quem habere poſſet timorem mortis ex naturali affectu vitæ; ſic timet mortem ex illo deprauato affectu, vt licet eam naturaliter ex amore vitæ non timeret, timeret tamen ex amore rei quam inordinate amat. Nam hæc eſt inordinati affectus pœna vt quantum quis aliquid inordinate amat, tantùm timeat illo priuari; & quia mors eſt priuatio rei illius amatæ, idcirco ſingulariter hoc reſpectu mors ab eo timetur: *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Eccleſ. 41. Apte hic enim quod ſupra ſanctus Auguſtinus: *Arctius adepta quam concupita conſtringunt: alind eſt nolle incorporare quæ deſunt, aliud iam incorporata diuellere.* Notanda certe verba quibus & conformia ſunt quæ in libro Iob referuntur, Ep. 43. *Diuitias quas deuorauit, euomet: & de ventre illius extrahet eas Deus.* Id eſt; quantus eſt dolor corporis quando per Iob. 20. vim & violentiam extrahuntur de ventre quæ ſumpta ſunt alimenta: ſic plane dolet animus, ſic horret, ſic formidat quando quod ſibi incorporauit, extrahendum eſt ab inuito & renitente. *Deos meos quos mihi feci, tuliſtis; & dicitis, quid mihi eſt!* Expende ſingula & contremiſce. Iud. 18.

III. PVNCTVM.

QVI *terrena igitur nimis deſiderat, timet potius quam reuera deſideret vt adueniat regnum Dei.* Timet enim priuationem rei deſideratæ vel poſſeſſæ, quæ cùm repugnet regno cœlorum poſſidendo, timet ſimul ne adueniat illud regnum; Et vel omittenda eſt hæc ſecunda petitio, vel fallacia committenda, vel certe deprauatus affectus corrigendus. *Emundate manus, peccatores: & purificate Corda, duplices animo.* Iac. 4.

Hinc opportune in conſequenti ſermonis textu Dominus, *Nolite*, inquit, *theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea domolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures nec effodiunt nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Matth. 6.

Expende ſingula ex quibus varia purificandi affectus à terrenis motiua & media deſumunt ſancti Patres. Vnus modo ſufficiat ſanctus Auguſtinus, *Non eſt*, inquit, *cor mundum, quod in terra volutatur, ſordeſcit enim quod inferiori miſcetur naturæ.* Et alibi, *Fru-*

Digitized by Google

mentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra? Leua cor tuum in cœlum ne putreſcat in terra. Atque in eundem ſenſum explicat illum Pſalmi ſexageſimi ſecundi verſiculum: *Introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij.* Rurſumque in alium
In Pſ. 103. Pſalmum, vt oſtendat quanto ſint in periculo qui terrena ſapiunt, illud affert ex Geneſi dictum ſerpenti, *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, Et ſubdit: *Vbi dictum eſt Draconi, terram manducabis, dictum eſt præuaricatori, terra es, & in terram ibis. Cibus ſerpentis eſſe non vis, noli eſſe terra. Corpus quod geris terra eſt, ſed tu noli eſſe terra: ſi non ſapis terrena, non es terra, ſi non es terra, non manducaris a ſerpente cui cibus datus eſt terra.*

Quomodo denique ſit talis corrigendus affectus, Audi Eundem admonentem: *ſi iſta terrena diligitis, vt ſubjecta diligite, vt famulantia diligite, vt munera Amici, vt beneficia Domini, vt arrham Sponſi.*
Iſ. 44. Alioquin vere quod Propheta dixit, *Amantiſſima eorum non proderunt eis.* Imo & multum nocebunt: *Cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viam, errauerunt.* *2. Pet. 2.*

Vide in 2. parte, Feria 4. Cinerum.

FERIA QVARTA.

DE TERTIA PETITIONE ORATIONIS DOMINICAE: ET DE IRA QVAE EST ILLI OPPOSITA.

Fiat Voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Nihil Iracundi minùs volunt, quàm quod magis pater Deum velle.

RATIO EST, Quia nihil iracundi minus volunt quàm quod ſentiunt ſine remedio malum.

Sed nihil magis patet Deum velle quàm quod eſt ſine remedio malum.

Ergo nihil iracundi minus volunt quàm quod magis patet Deum velle: vnde manifeſte patebit quam ſit ira oppoſita huic tertiæ petitioni, & quàm propterea diligenter ſit reprimenda, ne nobis orantibus contradicamus.

I. PVNCTVM.

TRIA hîc apte ſimul conueniunt conſideratione digna. Primum eſt petitionis huius cum præcedenti connexio; Quid enim aptius ad regnum cœleſte promerendum quàm ſi fiat Dei voluntas? *Nam qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt*, ait Dominus, *ipſe intrabit in regnum cælorum.* Math. 7.

Secundum eſt ipſa in ſe conſiderata petitio, quid iuſtius quàm vt à nobis Diuina fiat voluntas? Nam præterquam quod eſt regula noſtræ voluntatis, nonne ſeruorum & filiorum eſt Domini ſeu Patris ſui voluntatem adimplere? *Omnia quæcumque præceperit Dominus noſter rex, libenter exequemur ſerui tui.* 2. Reg. 15. *OMNIA quæcumque præcepiſti mihi, faciam, pater.* Tobiæ 5. Sic ſerui loquuntur Domino, ſic Filius Patri.

Tertium denique eſt, præſcriptus ille modus faciendæ in terra Dei voluntatis, *Sicut in cælo fit*, Cur enim minùs à nobis fieret quam à Beatis? An quia liberi ſumus qua libertate poſſumus illi contradicere? Abſit vt *libertatem ſic demus in occaſionem carnis:* Quin potius, *quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malitiæ, libertatem*, Sed *ſicut ſerui Dei.* Gal. 5. 1. Pet 2. *ET ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Sic ſemper ſentiendum & dicendum eſſet cum Iuda Macchabæo. 1. Macch. 3

Sed contra obſtat Iracundia. Nihil enim æque pugnat cum Diuina voluntate quam hoc vitium, ſicut nihil æque pugnat cum ira quam Diuina voluntas. Hæc ſibi aduerſantur ſecumque pugnant, non vt contrarium contrario, quemadmodum cætera vitia contraria ſunt Diuinæ voluntati, ſed vt contradictorium contra-

Digitized by Google

dictorio vel vt negatiuum poſitiuo: Quæ ſunt oppoſitionis genera grauiora.

Hinc nata Veritas modo expendenda, *Quod nihil Iracundi minus volunt quam quod magis patet Deum velle.* Et ratio in promptu eſt quia nihil illi minus volunt quàm quod ſentiunt ſine remedio malum. Malum quidem nolunt vnde iraſcuntur, ſed ſi malo eſſet remedium, forte adhiberent & ſic minus iraſcerentur, aut facilius ſedarentur. At cùm ſe in aduerſis ita oppreſſos vident vt nullus ſit remedio locus, cùm iactura eſt irreparabilis, cùm inſanabilis plaga, cùm morbus deſperatus, cùm denique nullum effugium; tùm illos videas efferari, tum excandeſcere tum indicare nihil ſibi minus gratum & volitum quam tale genus aduerſitatis! *Vtinam mortui eſſemus in Aegypto: Vtinam pereamus: vtinam periiſſemus inter fratres noſtros.* Nonne ſic ſæpius commoueris. *Num 14. & 20.*

II. PVNCTVM.

SED nihil magis patet Deum velle quàm quod eſt ſine remedio malum.

Nullum quidem eſt pœnæ malum quod non Diuina fiat voluntate. *Bona & mala*, inquit Sapiens, *vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt:* ſed tamen illud malum quod eſt ſine remedio, magis aſſeueranter Diuina fieri voluntate dicendum eſt, quia ſic & abſolute, & firmiter eſt ordinatum, vt aliter fieri nequeat. *Sufficit tibi: nequaquam vltra loquaris de hac re, ad me.* Sic Deus loquitur de ſuis abſolutis decretis, quæ tùm dicuntur abſoluta, vbi de malis agitur, quando nullum reſtat remedium. Nam ſi adhibendo remedio via eſſet: non ità dici poſſet eſſe abſoluta voluntas de tali malo, quantùm ſcilicet ad eius durationem: Imo forte vellet Deus vt quod ſupereſt remedium non negligas, ſicut expreſſe ait Sapiens: *Fili in tua infirmitate non deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Da locum Medico: etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te quia opera eius ſunt neceſſaria.* *Eccli. 11. Deut. 3. Eccleſi. 38.*

De ſolo itaque illo malo quod curari & euitari non poteſt dici debet, magis patere quod Deus illud velit, quia non poteſt aliter fieri: non poteſt cogitari quod aliter velit Deus: fruſtra & temerè vires humanæ contenderent Diuinum peruertere ordinem. Vnde Idem Sapiens eodem quo ſupra capite, poſtquam dixit tantiſper *Ibid.*

Digitized by Google

tiſper lugendum eſſe mortuum, ſic ſapienter monet non eſſe propterea producendam triſtitiam: *Neque enim*, inquit, *eſt conuerſio, & huic nihil proderis, & teipſum peſſimabis*: Quaſi diceret, ratum fixumque eſt de mortuo, non reuocabitur tuis ad vitam lachrymis, fruſtra illum diutius ploras, nihil illum iuuant iſti flebiles luctus, tibi autem obſunt, quatenus abſolutæ Dei voluntati videris contraire. *Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo tu qui es qui reſpondeas Deo?* Rom. 9.

LII. PVNCTVM.

NIHIL *igitur Iracundi minus volunt quàm quod magis patet Deum velle*, Cùm nihil illi minus velint quàm illud quod ſentiunt ſine remedio malum, & quo ita iraſcuntur vt iræ ſuæ modum non teneant. Et tamen illud eſt malum quod maxime & indubitanter Diuina voluntate factum eſt, & infectum eſſe nequit. *Nolite rebelles eſſe contra Dominum*; ſic contra rebellant Iracundi, ſic contra Dominum, ſic contra eius voluntatem, ſic contra ſeipſos commouentur. Quâ certe commotione nihil ſtultius, nihil iniquius. Quid enim ſtultius quam velle quod fieri nullo modo poteſt, aut quam nolle quod ipſe petas? Tu petis vt fiat Dei voluntas, & contra iraſceris quia fit aut quia facta eſt? Quid eſt hoc niſi petere ne fiat, quod ipſe petis? Audereſne Deo dicere, audereſne Deum orare ne fiat eius Voluntas? Cur ergo audes iraſci quando magis innoteſcit tibi eius Voluntas? Num. 14.

Quid porro iniquius quàm in abſoluta Dei decreta inſurgere? Quam in Sapientiam & Iuſtitiam eius contendere? Quàm ratum & fixum eius regendi mundi ordinem velle immutare? *Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquieſcit? Vtique qui arguit Deum, debet reſpondere ei.* Sic Deus fuſe apud Iobum ſibi contradicentibus. Iob. 39.

Cum vero huius contradicentis iræ multa ſint & grauiſſima detrimenta, tum etiam apta remedia referuntur à Domino in conſequenti Sermonis diſcurſu, ab his Verbis; *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, ad hæc vſque, *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit & alterum contemnet*: ſic enim Deo iraſci & contendere nihil aliud eſt quàm ſe ab eius dominio ſubtrahere. Matth. 6.

Digitized by Google

Habes & illuſtre exemplum in Dauide qui cum ægrotantem puerum valde lugeret, lugere deſtitit mortuum, quia videlicet mortuo non erat remedium quod ſperabat ægrotanti. Sed nihil illuſtrius & potentius in hac materia quam quod Chriſtus Dominus dixit & fecit prout declarat ſanctus Auguſtinus: *Pater*, inquit, *ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, HAEC humana voluntas erat, proprium aliquid & tamquam priuatum volens. Sed quia recto corde voluit eſſe hominem, vt quidquid in illo aliquantum curuum eſſet, ad illum dirigeret qui ſemper eſt rectus: Verùm non quod ego volo, ait, ſed quod tu Pater. Sed quid poſſit mali velle Chriſtus? Quid aliud poſſet velle quam Pater? Quorum vna eſt diuinitas non poteſt eſſe diſpar voluntas. Sed ex perſona hominis transfigurans in ſe ſuos quos in ſe transfigurauit cum ait: eſuriui & dediſtis mihi manducare: oſtendit quandam hominis propriam voluntatem, oſtendit & correxit te. Ecce vide te, inquit, in me, quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati, aliquid proprium velle; Difficile eſt vt non tibi contingat, ſed ſtatim cogita qui ſit ſupra te: Illum ſupra te, te infra illum: Illum Creatorem, te creaturam: Illum Dominum, te ſeruum: Illum omnipotentem, te infirmum, corrigens te, ſubjuganſque voluntati eius ac dicens, verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater.*

1. Reg. 12. — In Pſ. 32.

Vide plura paſſim de Ira, & de conformanda noſtra voluntate cum diuina.

FERIA QVINTA.

DE QVARTA PETITIONE ORATIONIS DOMINICAE, ET DE VITIO INTEMPERANTIAE ILLI OPPOSITO.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Luc. 11. Matth. 6.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Ipſa Intemperantis oratio qua panem orat, intemperans eſt & temeraria.

RATIO EST, Quia illa oratio dicitur ſuo modo intemperans & temeraria quæ plura malo fine petit, quàm petenda proponantur à Domino.

Sed talis eſt Intemperantis oratio qua panem orat.

Ergo & ipſa eſt ſuo modo intemperans & temeraria, proindeque Intemperanti vel non orandum, vel potius ſerio cogitandum de Intemperantia corrigenda.

I. PVNCTVM.

TAMETSI non deſunt Interpretos qui per panem hîc alimenta ſpiritualia intelligant, quale eſt vel ſanctiſſimum Sacramentum, vel orationis donum, aut verbi Diuini pabulum, lectionis ſacræ nutrimentum & ſimilia; tamen communior & verior ſententia eſt, temporalia ſeu corporalia peti quantum neceſſitas humanæ vitæ poteſt illa exigere. Petuntur autem à Deo vt intelligamus & ab eo omnia prouenire & ad eum omnia referenda eſſe. Nec enim *nobis viuimus nec manducamus, ſed Deo*, inquit Apoſtolus. Solius verò panis fit mentio vt ſciamus non ad voluptatem ſed ad meram neceſſitatem, corporalia eſſe petenda; Et hîc panis dicitur quotidianus, ideſt vulgaris & obuius, atque in vnum duntaxat hodiernum diem expetitur, quaſi non vltra diem victuri eſſemus, neque de hac vita plures ad dies extendenda cogitaremus. *Rom. 14.*

Superſubſtantialis porrò ab vno Euangeliſta nuncupatur, quod ſuper ſubſtantiam noſtram adueniat & adiiciatur; vel quod ſuperet reliquas corporeas ſubſtantias, hac in re, quòd vitam conſeruat humanam; vel certe quod quidquid corporale ſumimus velut aliquid ſupernaturale & ſpiritale ſit ſumendum: cùm aliter corpus noſtrum non ſit nutriendum quàm vt ſeruiat ſpiritui. *Matth. 6.*

Digitized by Google

ad Dei cultum & æternam animæ ſalutem. O præclaram temperantiæ ſeruandæ formam ſiue in ſubſtantia ſiue in modo ſiue in fine! Vnde apte ſanctus Chryſoſtomus Chriſtum Dominum ait velle, *Nos vndique accinctos eſſe, ac quibuſdam veluti pennis fidei inſtructos, ſemper ad cæleſtia ſubuolare, nec amplius indulgere naturæ quàm quod nobis ipſe neceſſitatis vſus expoſcit.*

Sed quàm longe ab hac mente Intemperans! Quàm longe alius à Chriſti Domini fine ac intentione viuit, non modo dum ventri ſeruit, ſed dum etiam Deum orat! Nam *ipſa eius oratio qua panem petit, tota eſt intemperans & plane temeraria.* Quod quidem facile demonſtrat Ratio quâ primo dicitur illam eſſe orationem intemperantem & temerariam quæ plura petit & malo fine quàm quæ petenda proponuntur à Chriſto Domino. Sicut enim proprie dicitur homo Intemperans qui violatis temperantiæ legibus excedit in cibo vel potu: Sic proportione quadam, oratio quæ illum exceſſum cibi & potus petit, dici poſſet intemperans quia materiam intemperantiæ continet: nec alio fine funditur quam vt intemperanter vſurpetur quod petitur. Sic ſuperba diceretur oratio vel alio infecta vitio cuius materiam complecteretur & praxim exercendam. Sic oratio Adoniæ filij Dauidis qua Sunamitidem à patre derelictam rogauit ſibi in vxorem, iudicata eſt
3. Reg. 2. à Salomone fratre, ambitioſa & fraudulenta; quia ſic reipſa regnum Iſraeliticum ambiebat. Sic oratio Balaami Prophetæ im-
Num. 31. pudica ſimul & auara & impia dicitur, quia his erat implicita vi-
2. Pet. 2. Apoc. 2. tiis quæ vel ipſe orans patrabat vel ab Iſraelitis patranda conſulebat. Cur non pari modo intemperans illa erit oratio quæ intemperantiæ vitium redolebit? An non talis eorum fuit precatio qui neglecto manna quo veſcebantur in deſerto petierunt ſibi carnes
Num. 11. Eccleſ. 2. ad veſcendum? Nonne porro talis oratio temeraria & ſceleſta dicenda eſt quæ vel à Deo non petenda petit, vel non aliter petit quam vt ipſe Deus offendatur? Nonne eſt ille impius qui à Scriptura dicitur, *accedere ad Dominum duplici corde, velut hypocrita & malignus cuius cor plenum eſt dolo & fallacia?*

II. PVNCTVM.

S*ED talis eſt Intemperantis oratio quâ panem orat.* Cùm enim Intemperans non ſit contentus iis quæ ſub no-

Digitized by Google

mine panis petenda Dominus voluit, ſed alia multò plura ſibi velit indulgeri quibus intemperanter viuit: interrogandus eſt, an dùm orat panem, comprehendat hæc ſuperflua quibus vtitur, vel non comprehendat. Si primum ait, manifeſte reddit orationem ſuam intemperantem prout ſupra deſcripta eſt; nam orando comprehendit ſuæ Intemperantiæ materiam, & eo fine comprehendit atque orat, vt vitio ſeruiat. Quid amplius deſiderari poſſit ad vitium orationi ſuæ inducendum? *Canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem!* Iſ. 56.

Quod ſi ſecundum reſpondet, ſi ſe ait non comprehendere orando, quæ manducando abſumet, vrgendus eſt & inquirendus vndenam illa expectet & à quo habeat quæ à Deo non petit nec expectat? An putat eſſe aliquid ad vitæ vſum quod à Deo non ſit, quod à Deo non ſit petendum & expectandum? Dicet forte, iam id ſibi eſſe à Deo datum, iam conceſſis vti, iam ſibi ſubminiſtrata omnia quibus perfruatur. At verò nonne etiam tibi panis erat datus? Cur panem petis quem habes, aut cur non alia ſimul petis eſculenta quæ non minùs abundant quàm ipſe panis? An exiſtimas, à Deo quidem panem & alia quædam leuiora eſſe petenda: non autem exquiſita illa quibus naturæ indulgetur? An ignoras idcirco peti panem non quod tibi deſit, ſed vt agnoſcas à Deo eſſe quem habes: ac ſimiliter quæcumque poſſides ſic à Deo petenda eſſe vel cognoſcenda ſic à Deo prouenire? *E cœlo iſta poſſideo.* 2. Macch. 7.
OMNE Datum optimum deſcendens à patre luminum. *QVID habes* Iac. 1.
quod non accepiſti? Sic loquuntur, ſic ſcribunt, ſic ſentiut Sancti 1. Cor. 4.
quique.

Quod ſi datis & acceptis tibi licere putas ad arbitrium, & ad libidinem vti, non ad rationis & virtutis præſcriptum, vide quantis te implices impietatum nodis! Vide ſic excuſari rerum omnium creatarum abuſum: vide ſic vitia vniuerſa purgari à vitio & crimine: ſic Diuina mandata eludi: ſic condemnari Diuinam iuſtitiam; ſic pares cœlis inferos facere: ſic nullum fore peccatorem, nullum ſuperbum, nullum auarum, nullum intemperantem. Nam hi vtuntur rebus ſuis, vtuntur creaturis, vtuntur Donis Dei, ſic ſeſe prouocant ad eorum vſum quia ſic ſibi data putant; *Venite*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura* Sap. 2.
tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus; Multaque alia in hunc ſenſum multiplicant apud Sapien-

Digitized by Google

tem, quæ ſi tu probas, certe impius es. Probas verò ſi creatis vtendum pro arbitrio putas; ac denique illud putas, ſi orando panem, aliud oras quam quod nomine panis debet intelligi, vel ſi non credis orandum quidquid aliud intelligas.

III. PVNCTVM.

I*PSA ergo Intemperantis oratio quà panem orat, intemperans eſt & temeraria & vitioſa & blaſphema & execrabilis.* Nam vel orat Intemperans illa omnia quibus intemperanter vtetur, vel aliqua tantum orat & non omnia quibus abutetur. Quod vtrumque
Pſ. 108. quàm ſit impium & capitale quis non videt? *Oratio eius fiat in*
Hebr. 12 *peccatum, fiant dies eius pauci. NE quis profanus vt Eſau qui propter*
Ibid. 13. *vnam eſcam, vendidit primitiua ſua. OPTIMVM eſt Gratia ſtabilire*
Dan. 5. *cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.*

Cum in ſacris vaſis Rex Baltazar & alij Babylonij largius biberent & epularentur liberius, *In eadem hora*, inquit Scriptura, *apparuerunt digiti quaſi manus ſcribentis, Mane, Thecel, Pharez.* Nimirum abuti ſacris ad Intemperantiam ſuam, id valde iniurioſum eſt Deo, & pernicioſum. Quid autem ſacratius quàm ipſa ore Dominico conſecrata oratio? Et quis abuſus manifeſtior, quam
Phil 3. ſic illam proferre ad vitium? *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.*

Cùm verò multa contra hoc vitium paſſim in Scripturis & Patribus: tum quæ conſequenter in Sermone ſuo Dominus habet, reuolui poſſunt, ab his Eius Verbis: *Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis:* Et quæ reliquo continentur capite; Ex quibus tria præcipue ad Veritatis praxim referes.

Primum quod non omnis quidem ſolicitudo de cibis vetatur,
Luc. 21. ſed ea tantum quæ nimia eſt & inordinata: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.*

Secundum quod nimia tunc cenſetur ſolicitudo quando nos implicat, quando nos diſtrahit ab oratione, quando magis applicat animum ad illa bona corporalia poſtulanda, quàm ad cœle-
Pſ. 43. ſtia, aut quàm ad debitum & temperatum eorum vſum. *Conglu-*
Thren. 5. *tinatus eſt in terra venter noſter. AEGYPTO dedimus manum & Aſſyriis, vt ſaturaremur pane.*

Digitized by Google

Tertium denique, Non ſufficit hîc dicere, te nihil cogitare de his & ſentire, dum oras: nam ſi te noſti deditum gulæ nec illi ſtudeas temperandæ, non oras panem quo animo eſt orandus, nempe animo paucis contento; animo probe inſtituto in omnibus: animo ad omnia æque parato: animo denique perquam *Scienti & abundare & ſatiari, & eſurire, & penuriam pati.* *Phil. 4.*

Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur, ne cùm manducas multum, odio habearis. Ceſſa prior, cauſâ diſciplinæ, & noli nimius eſſe ne forte offendas. Tortura viro infrunito. *Eccleſ. 31.* Id eſt, dolor corporis & animi viro intemperanti, viro neſcienti vel nolenti ſcire modum temperandæ vitæ. Vix aliud eſt quod magis ignorent homines, quàm temperate viuere, quod tamen præcipue ſciendum eſſet ſiue ad corporis ſiue ad animi valetudinem. Hinc illud Leuitici, *Vt ſciatis quid comedere & quid reſpuere debeatis.* Itemque ſancti Petri, *Curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in virtute ſcientiam, In ſcientia autem abſtinentiam.* *Leuit. 11.*

Obſecro te piiſſime Deus meus, præſerua me à curis huius vitæ, ne nimis implicer: à multis neceſſitatibus corporis, ne voluptate capiar. *l. 3. c. 26.* Sic perge orare fuſius cum Authore libri de Imitatione Chriſti. Et vide in 1. parte, Dominica 4. Aduentus, vbi hæc Veritas exhibetur:

Sibi, non Domino viuit, qui temperatè non viuit.

FERIA SEXTA.

DE QVINTA PETITIONE ORATIONIS DOMINICAE: CVI OPPONITVR INVIDIA, ODIVM, ET SIMILIA VITIA.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Sicut pauci dimittunt ſuis debitoribus, ita & paucis ſua dimittuntur debita.

RATIO Conſequentis eſt manifeſta, cùm aliter nulli dimittantur debita niſi qui dimiſerit ſuis debitoribus. Quàm pauci verò ſint qui dimittant ſuis, hæc demonſtrat ratiocinatio.

NISI dimittant ſicut Deus ipſis dimittit, non dimittunt.

Sed pauci ſunt qui ſic dimittant ſicut Deus ipſis dimittit.

Ergo nec dimittunt: Ergo nec ipſis etiam poſt dimittetur. Quod cùm ſit damnoſiſſimum, hæc accuratè diſcenda eſt dimittendi forma quam Deus ſeruat & ſeruandam præſcribit.

I. PVNCTVM.

QVÆ præceſſerunt quatuor Petitiones, totæ ſunt in exorandis bonis: Quæ tres verò ſequuntur, in deprecandis malis ſunt poſitæ: cumque inter omnia mala præcipue numerentur peccata, idcirco ante omnia petimus iis liberari. Dicuntur autem debita quod peccando debitores ſimus Diuinæ Iuſtitiæ, à qua ſi abſolui & dimitti volumus, dimittenda ſunt etiam quæ nobis ab aliis deberentur. Hanc ſingulariter adiecit conditionem Dominus: *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, quam & paulo poſt repetens ſic declarat apertius. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet à vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Quod certe Bonitatis Diuinæ inſigne eſt argumentum; ſic enim *in noſtra poteſtate futurum de nobis iudicium ponit*, vt ait ſanctus Ioannes Chryſoſtomus: Quid amabilius? Sic ſuauiter & fortiter obligat atque adſtringit homines ad mutuam inter ſe reconciliationem ineundam; Quid deſiderabilius? Sic multiplicis in proximos exercendæ miſericordiæ materiam nobis exhibet, vnde & paris meriti ſeges ampliſſima nobis in æternum comparetur; Quid glorioſius?

Et

Digitized by Google

Et tamen miſeri Condicionem non admittimus ! malumus nobis noſtra non dimitti debita quàm Debitoribus noſtris dimittere ! aut vellemus potius Diuinam Iuſtitiam nihil iuris in nos exigere, quàm nos erga proximum de prætento iure noſtro vel tantillum decedere ! Tanta eſt odij, Inuidiæ, rancoris, & ſimilium contra Caritatem vitiorum in animis noſtris obſtinatio, vt propterea, *Pauci ſint admodum quibus ſua dimittuntur debita, quia pauci ſunt & valde rari qui ſuis dimittant debitoribus.*

Quæ certe Conſideratio præ multis quæ in hac materia poſſent inſtitui, videtur efficaciſſima, quia damnum inde emergens ſic euidenter proponit, vt remedium malo ſuggerat eadem prorſus ratione quà malum detegit. Hæc eſt autem Ratio qua demonſtratur paucos & raros eſſe qui vere parcant & ſuas remittant iniurias. Nam niſi remittant ſicut ſibi remitti volunt à Deo, & ſicut reipſa Deus nobis remittit, non ſunt dicendi remittere, non ſunt exiſtimandi condonare. Nimis aperta vox eſt Domini quàm vt in dubium reuocetur : *Nonne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum ?* Neque enim Illud *ſicut* ſimilitudinis eſt quemadmodum dicitur, *Eſtote vos perfecti*, SICVT, *& pater veſter cæleſtis perfectus eſt :* ſed eſt æqualitatis vt ad eum prorſus modum quo nobis peccata dimittit ſic dimittamus aliis, quantùm in nobis erit. Nam hoc eſt expreſſe & ſignanter quod illi ſeruo nequam exprobrat, hoc eſt quod ait *oportuit*, Id eſt, neceſſarium fuit, ad hoc ipſum te obligaui cùm tui miſertus ſum. *Matth. 18.* *Ibid. 5.*

Et hoc quidem ex ipſa rei natura tam manifeſtum eſt vt etiamſi nihil expreſſe dixiſſet Dominus, tamen ipſa exhibita miſericordia ſimilem exhibendam imperaret. Quæ eſt enim comparatio ſerui ad Dominum, & conſerui ad conſeruum ? Quæ comparatio centum denariorum ad decem millia talenta ? Vnde ſi ſeruo dimiſſa ſunt hæc ingentia debita, quanto magis ſeruus dimittere debuit ſua ſocio leuiſſima ? Quod & modus loquendi valde confirmat : *Nonne oportuit*, quaſi diceret ; nonne id clarum & apertum eſt inde ſequi obligationem paris miſericordiæ faciendæ ? Atque vt etiam omnis tolleretur loquendi ambiguitas, verba factis probauit, & reipſa ſeruum puniuit quod non eandem reddidiſſet gratiam Debitori quam à Creditore receperat. Quod certe diuina Iuſtitia non exigeret niſi hoc peccatum eſſet, neque peccatum hoc eſſet niſi eſſet obligatio reddendæ ſimilis gratiæ.

Digitized by Google

Sed quâ illum pœnâ puniuit? neque enim genus pœnæ vacat myſterio, nempe eodem ſe plane modo gerit erga Immiſericordem ſeruum quo ipſe in conſeruum ſe geſſerat. Seruus imitari Dominum noluit in miſericordia: Seruum imitabitur Dominus in immiſericordia, in iudicio & in Iuſtitia. Et licet ſeruo iam condonata eſſent debita, licet Deus dimiſſa ſemel peccata non reuocet: tamen non miſereri aliis ſicut Deus noſtri miſeretur, tale eſt peccatum, vt qui hoc peccet, perinde puniatur ac ſi præterita eius
3. p. q. 88. a. 2. peccata non fuiſſent dimiſſa, non tantum propter Ingratitudinem quæ committitur poſt acceptum beneficium; ſed propter formam præſtiti beneficij, vt ait expreſſe ſanctus Thomas: Cum enim forma beneficij accepti ſit condonatio peccati, hæc forma ſeu ratio dati beneficij ita obligat ad ſimilem gratiam conferendam vt qui deſit iſti obligationi, ſupra modum ſit ingratus, & talis ingratitudo reatum virtualiter vt aiunt, contineat ante dimiſſi peccati.

Poteſtne aliquid dici aut fieri grauius & manifeſtius ad indicandam Propoſitionem, quam & Apoſtolus diſertis ſemel ac iterum
Epheſ. 4. verbis comprobat; *Donantes inuicem ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. DONANTES vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet*
Coloſſ. 3. *querelam: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* O SICVT DONAVIT VOBIS, Expende.

II. PVNCTVM.

S*ED pauci ſunt qui ſic dimittant ſicut ipſis Deus dimittit.*
Zacch. 1. Primo enim Deus ſtatim atque rogatur parcit: *Conuertimi-*
Ezech. 33. *ni ad me, & conuertar ad vos. IMPIETAS impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit.* Sed & præuenit rogantem ſuis gra-
Iſ. 65. tiis quibus ad rogandam veniam excitat. *Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.*
Ier. 3. *ET dixi cum feciſſet hæc omnia, Ad me reuertere.* Sic nos oporteret
Rom. 12. ſtatim miſereri, ſic ſtatim iræ dandus locus eſſet vt diſcederet, ſic
Epheſ. 4. omni modo cauendum, ne ſol occidat ſuper iracundiam noſtram. At verò quàm rari & quàm pauci ſic miteſcunt! quam multi contra perpetes inimicitias gerunt! *Quid agemus nos in die Iudicij,* ait ſanctus Hieronymus, *ſuper quorum iram non vnius diei, ſed tantorum annorum ſol teſtis occubuit!*

Digitized by Google

Deinde quoties ex animo rogatur Deus, ſemper dimittit, & numquam verè pœnitenti negat veniam: *Miſericordia & veritas tua ſemper ſuſceperunt me. DIVES in omnes qui inuocant eum.* Quod præcipue verum eſt in dimittendis culpis, cùm alia quæ petuntur bona, ſæpe ob iuſtas cauſas vel differat vel non concedat, ſed vere pœnitentem numquam à ſe repellit, etiamſi decies, centies aut millies iam ipſi alia condonarit: *In æternum miſericordia eius.* Atque hoc ipſum ſimiliter vt præſtaremus nonne aperte Chriſtus, cùm quærentem Petrum quoties in ſe peccanti fratri parceret? an vſque ſepties? ſic commonuit, *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties,* Id eſt, quoties omnino in te peccabit. Pſ. 39. Rom. 10. Pſ. 99. Matth. 18.

Itane verò ſolent homines? Itane tu vel quinquies aut rarius etiam in te peccanti dimittis? Nonne hoc vnum omnes vel maximè ſibi opponunt ne parcant, quia non ſemel ſed multoties in idem recidit? Quis eſt hic & laudabimus eum qui decies ſe oſtendentem tam benigne recipiat quam ipſe à Deo receptus eſt poſt centenam culpam?

Tertio denique, quando ſe nobis rogantibus reconciliat Deus, ſic plene omnem ex animo dimittit offenſionem, vt perinde nouis ac continuis paratus ſit nos proſequi & cumulare beneficiis, velut ſi à nobis offenſus numquam eſſet; quin ſæpe *abyſſus abyſſum inuocat*; abyſſus miſeriæ abyſſum miſericordiæ: *& vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundet gratia.* Quod vt proxime imitemur, tot Scripturæ nos admonent quot paſſim clamant, *Vincendum eſſe in bono malum.* Pſ. 41. Rom. 5. Rom. 12.

At quotus quiſque eſt qui ſic ex animo parcat? qui ſic iniurias benefactis remuneret? Nonne id omnibus ſatis ſuperque videtur ſi offendentem non oderint, ſi male illi nolint, ſi malum malo non reddant? Nonne hoc ſæpe allegas; non teneor illi loqui, non benefacere, niſi fortè in extrema neceſſitate, non illum admittere in meum conſortium, non in primam denique gratiam reuocare? Nonne addis quod omnes ſic ſentiunt, quod ſic omnes loquuntur & ipſi quoque religioſi ſic viuunt! O quàm vere quàm tremende Sapiens: *Abſcondunt odium labia mendacia*, ſic dicunt ſe non odiſſe proximum, & ſic ſæpe mentiuntur & in peiori viuunt periculo quàm ſi aperte odiſſent; nam ſaltem peccatum non abſconderent, ſaltem ſe noſſent, & ſui forte puderet ſtatus: ſed quando abſconditum eſt peccatum, *Manet vulnus in pectore,* inquit Prou. 10.

Digitized by Google

ſanctus Chryſoſtomus, *& curando vulneri ſubtrahitur manus*. Velleſne ſic Deum tibi non loqui, tibi non benefacere? tibi non aliter reconciliari?

III. PVNCTVM.

SIC ergo pauci ſuis dimittunt debitoribus, ac proinde ſic paucis ſua dimittuntur debita, Quia rata eſt & irreuocabilis ſententia Domini; *Sic Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*, Sicut videlicet remittit vnicuique Deus. Quod & in ſequenti textu Sermonis in monte habiti tàm fuſe grauiterque inculcat, nihil vt luculentius & efficacius videatur exprimere. *Nolite*, inquit, *iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini; Dimittite & dimittemini. In quo enim Iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*. Siue enim conſideretur quid iam nobiſcum fecerit Deus, condonando nobis noſtra delicta; ſiue quid facturus ſit nobis quotidie peccantibus, perinde valet ad Veritatis propoſitæ declarationem, cùm ex vtraque differentia temporis ſiue præteriti ſiue futuri, hoc vnum & idem intelligatur quod eſt in praxi ſeruandum, non alium eſſe modum remittendi debita Debitoribus noſtris, quàm illum qui à Deo ſeruatur in remittendis noſtris debitis. Cumque ſuperſint adhuc multa nobis à Deo remittenda debita, ſeruemus tam diligenter illum miſerendi proximo modum quàm ſtudioſe volumus nobiſcum miſericorditer à Deo agi. Caueamus ab iis vitiis quæ nos ab illo ſeruando modo reuocant. Non ſpectemus quid alij dicant aut faciant, quia reuera pauci ſunt qui recte in hac materia ſentiant, & rari ſunt qui non ſibi blandius palpent & naturæ corruptæ aſſentiantur quàm oporteret pro ſuæ ſalutis cura.

Matth. 18.

Matth. 7.
Luc. 6.

Cogitemus potius quid Chriſtus Dominus, quid Apoſtoli, quid ſancti Patres, de hac re dixerint & fecerint. Expendamus non ſtrictim non perfunctorie, ſed religioſe ſed Chriſtianè ſed ſincerè, Illud appoſitum à Chriſto Domino, *ſicut*, quod eſt tanti ponderis & valoris vt non aliter omnino putemus nos poſſe remittere aliis debita quàm *ſicut* iam noſtra dimiſit Deus: Nec ſperemus aliter nobis ea quæ quotidie contrahimus eſſe dimittenda quam *ſicut* dimiſerimus. *Hoc eſt pactum nobis cum Deo initum, nec*

Digitized by Google

vlla alia ſententia, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſic oramus vt paciſcamur cum Domino: in qua pactione ſi mentimur, orationis totius nullus erit fructus, nulla delictorum venia, nulla remiſſio.* Hoc ipſum eſt quod petimus, nobis vt non aliter parcat Deus quam ſicut parcimus. Vnde ſi, vt par eſt, non parcis, ſi non ex animo, ſi non omnino; ſic tibi ne parcat Deus, à Deo petis dum oras; *Dimitte nobis ſicut dimittimus. Qui ſic petit*, inquit ſanctus Chryſologus, *& debita non relaxat, iſte ſe etiam per quod orat, accuſat. Tantum ſibi donari poſtulat & remitti quantum ipſe donat & remittit: Deum taliter inuitat ad pactum. Sic dicendo, homo, indulgentiæ modum menſuramque veniæ tu tibi dediſti, qui à Domino tantum tibi petis dimitti, quantum dimiſeris ipſe conſeruo. Homo, penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentiæ ius, tu tibi remiſſionis auctor es conſtitutus. Gratis petis veniam qui tibi in alio indulgere contemnis! De ſupplicantis pectore, veniæ fons emanat, & ad veniam refluit quidquid pietatis exuberat, & effundit in alterum quando indulget ſibi tantum, quantum alteri condonauerit.*

De Serm. Dom. in monte.

A Sermone 67. ad Serm. 72.

Atque hæc ad Verbum ſanctus ille Pater, variis ſermonibus in orationem Dominicam, quæ ad Veritatem elucidandam de modo dimittendi præcipue faciunt; tùm vero ex Eodem pauca hæc habe quæ ad eius Praxim plurimum mouent. *Homo, ſi ſine peccato eſſe non potes & vis ſemper dimitti tibi totum, dimitte ſemper: quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum: quoties vis dimitti tibi, toties tu demitte: Imo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo intellige quia remittendo aliis, tu tibi veniam dediſti.*

Serm. 67.

Vide in 1. parte, die 16. Ianuarij. In 2. parte, tota Hebdomada 3. Quadrageſimæ. In 3. parte. Feria 6. Hebdom. 3. poſt Pentec. In 4. parte. Feria 5. Hebdom. 16. & Dominica 21.

DE SEXTA PETITIONE ORATIONIS DOMINICAE; CVI REPVGNAT IMPVDICITIA.

Et ne nos inducas in tentationem. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Hanc ad cæteras impudentiam Impudicus adjicit, vt Deum orando irrideat.

RATIO EST, Quia is Deum orando irridet qui hoc ipſum libens volenſque facit quod ne à Deo fiat, Deum orat.

Sed Impudicus dum ſe inducit in tentationem, hoc ipſum libens volenſque facit, quod ne à Deo fiat, Deum orat.

Ergo is Deum orando irridet. Quod quàm ſit impudens & cauendum, ſatis patet.

I. PVNCTVM.

SIC de veteribus & præteritis eluendis culpis ſatagendum eſt, vt nouæ ne contrahantur non minus diligenter ſit curandum. Quamobrem aptè poſt præcedentem, hæc ſequitur Petitio, quâ ne inducamur in tentationem, id eſt ne in peccatum incidamus, Deum precamur. Nec enim poſſumus ſine Dei auxilio peccatum euitare, quod vt intelligamus, petimus illud auxilium: & ſub nomine tentationis decliuandæ petimus, quia ordinariè loquendo, non ſtatim & derepente peccatum committitur, ſed pedelentim & progreſſu quodam qui dicitur tentatio ſeu ſolicitatio in malum morale: quod eſt peccatum. Cui proinde tentationi reſiſtendum cum Gratia ſicut ipſi peccato; Nam niſi reſiſtas, induceris in tentationem, induci autem eſt conſentire & peccare.

Dicitur verò Deus nos inducere in tentationem, cùm permittit nos ei conſentire, denegando eas gratias quas ſi habuiſſemus, forte reſtitiſſemus. *Tentare dicitur,* inquit ſanctus Chryſologus; *cùm contumaciter euntes ad tentationem, laqueos derelinquit: ſic Adam tentatoris incurrit inſidias, dum ſui præcepta deſerit Conditoris:* Sicque intelligendus eſt Diuus Iacobus, dum ait: *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt,* Id eſt, per ſe poſitiuè neminem inducit in laqueum & in tentationem.

Serm. 60.

Iac. 1.

Digitized by Google

Vnuſquiſque autem tentatur à propria Concupiſcentia, deinde Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum autem generat mortem.

Quod licet de omni Concupiſcentia ſeu de quolibet peccato dici poſſit, tamen id verius eſt & frequentius vſurpatur de Impudicitia cui maxime proprium eſt tentari & tentationi ſuccumbere prout infra declaratur. Quamobrem hoc vitium inter alia, ſextæ huic Petitioni repugnat, & Impudicis vel non orandum, vel orantes, *hanc ad cæteras impudentiam adjicient vt orando Deum irrideant.* Quæ ſane Conſideratio multum valere poteſt ad pudorem conciliandum. Quæ verò affertur Ratio ad propoſitam Veritatem declarandam, tam plana eſt & aperta vt ſuis ſolis conſtet & probetur loquẽdi terminis. Quis enim dubitet quin is Deum orando irrideat qui hoc ipſum libens volenſque facit quod ne à Deo fiat, Deum orat? Vel enim orando credit Deum non latere quid habeat in animo, quid velit facere, quidue ſit reuera facturus; vel hoc ipſum latere. Si primum, Nonne aperta eſt irriſio? Nonne aperta eſt ſimulatio ſiue orationis contradictio quâ ſe idem nolle ſimul indicat & idem velle? Nolle ſcilicet quod orat non fieri, velle tamen hoc ipſum, quia hoc idem actu & reipſa vult facere? *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis!* Hoc in oculis Dei cogitare! Hoc in eius conſpectu efficere, nec reuereri vultum eius, nec Majeſtatem pauere; nec Iuſtitiam reformidare! O Impudentiam. *Eccleſi.* 2.

Quod ſi alterum dicat, ſi latere Deum putet quod maligno gerit animo, & tamen oret quaſi ſcientem & probe noſcentem omnia, nonne & aliud genus eſt Irriſionis non minus execrandum? Quaſi ſi orando palpet, quaſi ſi eius oratio ſit Dei aſſentatio, quaſi ſi fingenda laus ſit vt Deum laudet! *Ego ego ſum, ego vidi, dicit Dominus.* *Ier.* 7.

II. PVNCTVM.

SED Impudicus dùm ſe inducit in tentationem, hoc ipſum libens volenſque facit, quod ne à Deo fiat, Deum orat.

Dicitur Impudicus præ cæteris ſe inducere in tentationem, tribus de cauſis. Prima, qui hoc vitium præcipue tentatione peragitur, id eſt progreſſu quodam & gradatim ab vno ad aliud: nam cùm ſit aperte peccatum & valde fœdum, repugnat ipſa ra-

Digitized by Google

tio, quapropter non ita ſubitò Tentator repræſentat ipſam vitij fœditatem, nec priùs ad prauum actum ſolicitat quin antè cogitationem impuram præmiſerit, ac primò quidem leuem & ſubitaneam, tùm diuturniorem & firmiorem; deinde à cogitatione ad auditum procedit, ab auditu ad viſum, à viſu ad colloquium, à colloquio ad tactum, cæteraque infanda quibus ille vecors irretitur qui à Sapiente deſcribitur, *Quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius, velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur.* (Prou. 7.)

Deinde, ſic impudice tentari & ſolicitari, frequentiſſimum eſt inter omnia vitia, vnde aptè ſanctus Ambroſius: *Sæuus criminum ſtimulus libido eſt, quæ numquam manere quietum patitur affectum, nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat*; Et quæ plura proſequitur. (l. 1. de Cain & Abel. c. 5.)

Denique procliue eſt admodum, tentationi cedere, & dum ignem Impudici ſuo ſinu fouent, ab igne comburi & conſumi. Sic enim Sapiens: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* (Prou. 6.)

Quamobrem euidentiſſimum eſt quàm facile Impudicus præ cæteris ſeſe ipſe inducat in tentationem, vnde & aliud non minus aperte patet, quod illum ipſum libens volenſque facit quod ne à Deo fiat; Deum orat. Quid enim orat dum Deum orat ne ſe inducat in tentationem? Nonne hoc ipſum eſt quod ille facit dum impuros legit libros, dum arridet obſcænis verbis, dum aſſueſcit profanis congreſſibus, Dum *omnia denique quæ deſiderant oculi eius non negat eis, nec prohibet cor ſuum quin omni voluptate fruatur, & oblectet ſe in his quæ præparauerit?* Nonne ſunt illa quæ inducunt in tentationem? Nonne ſunt illa de quibus dicitur, *Certiſſime auertent corda veſtra?* (Eccl. 2.) (3. Reg. 11.)

III. PVNCTVM.

HANC *igitur ad cæteras, impudentiam impudicus adjicit, vt Deum orando irrideat*, Quandoquidem in illam ipſam tentationem ſeſe vltro inducit, in quam ne à Deo induceretur, Deum orabat; Quod non minus irridere ac tentare Deum eſt

quàm

Digitized by Google

quàm ſi quis temerè ſeſe præcipitem aut in aquas aut in ignem projiceret, rogaretque Deum ſe vt ab aquis & igne liberaret. Quid diceres de hoc inſano homine niſi quia inſanit & mente captus eſt? At vero ſi ſit ſanæ mentis, ſi ſui probè compos, nec tamen deſiſtat à crimine, criminique ſuam adiungat orationem qua liberari petat à præcipitio in quod ſe inducit, quid niſi execrandam dicas & blaſphemam huiuſmodi orationem? *Non tentabis Dominum Deum tuum:* Aut ſi tentare audes, audes & irridere, audes & prouocare eius patientiam, *Vt qui ſpernit ſpernatur, & qui contemnit contemnatur.* *Deut. 6. Matth. 4. Iſ. 30.*

Sic expreſſe Apoſtolus Impudicis: *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.* Quaſi diceret: Nolite errare vel in apparenti bono quod putatis facere, dum oratis: vel in vanis excuſationibus quibus voſmetipſos fallitis: ſic enim quantum in vobis eſt, Deum irridetis, Deum impudenter contemnitis. Sed non ita Deus irridetur, non ſic ſe ſinet contemni; quin potius illi præcipue Illuſores illudentur, & quæ in carne inceperint, in carne perficientur, ex illis ipſis concupiſcentiis quibus indulſerunt, flagellum fiet quo cædantur, *Erunt quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus,* illi hoſtes interni quos edomare neglexerunt. *Gal. 6. Num. 33.*

Sic & grauiter ſanctus Petrus Chryſologus in hanc ſextam petitionem: *Hoc petere,* inquit, *miles multis modis cogitur, ne fragilitas plus auſa & de ſe tumore præſumens, nec virium ſuarum modum colligens in conflictu male cauta ſuccumbat, deinde offenſus Deus tradat tentationibus quos relinquit.* Vide itaque ne hic erres, vide ne dicas te nihil horum cogitare dum oras, vide ne tibi perſuadeas ſerio & vere te orare ne inducaris in tentationem, niſi tu ipſe ſimul velis abduci ab his quæ te in eam inducunt. *Auferes malum de medio tui. DECLINATE de ſemita, Auferte offendicula de via populi mei. Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. QVIS miſerebitur Incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? Et ſic qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus eſt in peccatis eius.* *Serm. 68. Deut. 13. Iſ. 57. Ibid. 58. Eccleſi. 12.*

Vide in 1. parte, Fer. 6. Hebdom. 4. Aduentus, vbi hæc habetur Veritas:

Digitized by Google

Securior eſt Caſtitatis victoria fugiendo, quàm pugnando.

Et Sabbato Hebdom. 6. poſt Epiphaniam.

Hæc ſponſæ fides eſt, vt ſicut neminem præter Sponſum velit diligere, ita velit à nullo diligi.

Item in hac 3. parte, tota pene Hebdomada 5. Et alibi paſſim, vbi de tentationibus, & de Caſtitate. Ac præſertim in 2. parte, Dominica 1. Quadrageſimæ.

Si Tentatorem permiſeris ingredi, non ſe permittet egredi.

Faciliùs ejicitur quàm excluditur.

Digitized by Google

DOMINICA
SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

DE SEPTIMA PETITIONE ORATIONIS DOMINICÆ, CVI ACEDIA SEV PIGRITIA OPPONITVR.

Sed libera nos à malo. Matth. 6.

ET DE EVANGELICA LECTIONE:

Non poteſt arbor mala bonos fructus facere, omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Matth. 7.

VERITAS PRACTICA.

Vult & non vult Piger. *Prou.* 13.

SENSVS EST, tàm de malo à quo petimus in Oratione Dominica liberari, quàm de bono ad quod in Euangelica lectione prouocamur. Sic enim vtrumque vult & non vult piger, vt tamen abſolutè & ſimpliciter nolle potius quam velle liberari à malo, aut facere bene dicendus ſit: vnde patet manifeſtè quam ſit directe oppoſitum ſeptimæ petitioni & Euangelio ſeptimum hoc vitium quod Acedia ſeu pigritia & negligentia dicitur.

RATIO autem cur volens & non volens piger dicatur potius abſolute nolle quam velle, hæc eſt inter alias, quod qui non adhibet media neceſſaria quæ poſſet adhibere ad finem aliquem obtinendum, non vult ſimpliciter & abſolute illum finem, licet dicatur & videatur velle.

Sed piger ſiue acedioſus & negligens non adhibet media neceſſaria quæ poſſet adhibere vt liberetur à malo, & faciat bonum ad quod tenetur.

Ergo ſimpliciter & abſolute potius nolle dicendus eſt quàm velle, licet perinde dicatur velle ac non velle; Quod certe quam damnandum ſit Acediæ vitium euidenter declarabit.

I. PVNCTVM.

NON eſt diſtinctè & apertè malum explicatum à quo in poſtrema petitione Orationis Dominicæ liberari petimus, vt facilius intelligamus ſub hoc generali nomine *Mali*, omne malum contineri quod aduerſatur ſaluti animæ, perfectioni ſtatus, & tranquillitati vitæ, quale eſt quodcumque peccatum committendum, quæcumque aduerſitas aut proſperitas eò nos inducens, quicumque tandem hoſtium vel viſibilium vel inuiſibilium metus, vnde damnum aliquod & nocumentum poſſimus accipere, vt auertat illud Deus & ab eo nos liberet, hoc eſt quod paucis hîc Verbis petimus; & quod abundantius orandum ſuadet Apoſtolus, dum ait,
1. Tim. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Sic dum in hodierno Euangelio commendatur Bonum faciendum, non aliter determinatur illud bonum quàm nomine *fructus arboris*, vt intelligatur illud eſſe omne bonum quod vnicuique faciendum eſt in ſuo ſtatu. Sicut enim alius eſt fructus ceraſi & alius pruni, pomi & pyri, cæterarumque terræ arborum; ſic plane aliud eſt bonum ab Eccleſiaſtico, ſeu Religioſo; & aliud à laico & ſæculari faciendum; ſicut longe di-

uerſa eſt eorum Condicio. Aliud diues, aliud pauper tenetur facere. Sanis & ægrotis ſua ſunt diuerſa bona facienda. Senili aliud & aliud iuuenili ætati competit. *Vnicuique*, ait Apoſtolus, *ſicut diuiſit Dominus: Vnumquemque ſicut vocauit Dominus, ita ambulet & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo, vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, in hoc permaneat apud Deum*, Id eſt, in hoc ſit aſſiduus, in hoc ſe conſtanter exerceat, in hoc præcipue Deo ſeruiat, hoc vnum agat quod eſt proprium ſuæ vocationi; 1. Cor. 7.

Hi ſunt enim fructus à quibus quiſque cognoſcitur, nùm bona vel mala ſit arbor. Hæc eſt Diuina voluntas quæ in regnum cœlorum introducit, dicente hìc Domino: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Matth. 7.

Verùm hæc eſt Acediæ ſeu pigritiæ propria quædam & ſpecialis malitia vt quem inuaſerit & occupet, non ſinat eum velle aut liberari à malo quo premitur, aut facere bonum quod debet in ſuo ſtatu. *Vult & non vult piger*, inquit Sapiens, videtur velle quia ſic orat ſic ſtatuit ſic loquitur, ſed abſolute non vult.

Ratio fuſiori conſideratione perpendenda eſt, quàm ſermone exponenda, tum quia ſatis eſt euidens, tum quia proponitur alia Veritas ex hodierno Euangelio pluribus enarranda. Sic itaque paucis declaratur quod licet hic piger & acedioſus dicatur velle ſicut non velle, dicendus tamen eſt proprie & reipſa non velle: nam Voluntas quæ dicitur efficax & quæ ſola proprie eſt voluntas, in hoc talis eſſe agnoſcitur, & ab ea voluntate diſtinguitur quæ non eſt proprie voluntas ſed velleitas tantum & complacentia quædam, vt expreſſe ait ſanctus Thomas, in hoc inquam diſtinguitur quod operi neceſſario non parcat, quod nihil agendum negligat, quod denique omnia illa quæ ſunt ad finem intentum neceſſaria & poſſibilia media tàm verè adhibeat quam vere vult illum finem. Vnde hæc vſitatiſſima in Scholis effata: *Volitio finis, volitio eſt mediorum ad finem: & nolitio mediorum, nolitio eſt finis.* 1. p. q. 19. a. 6. 1. 2. q. 8. a. 2.

Vis ſanus fieri? Aiebat Chriſtus Dominus paralytico, *Surge tolle grabatum tuum, & ambula*; Quaſi diceret, Apparebit, vtrum re-uera velis, ſi ſurgas & tollas grabatum tuum, nam hæc ſunt media quæ tibi ordino & præſcribo ad ſanitatem recuperandem: Sicque reipſa ſurgens indicauit ſe velle & ſic ſanatus eſt. E con- Ioan. 5.

Digitized by Google

tra vero Illi qui vocati fuerant ad nuptias licet fingerent ſe velle
Matth. 22. ire niſi occuparentur, dicuntur omnino noluiſſe: *Et nolebant,* inquit, *venire:* Quia non adhibebant media ordinata. O quàm multi tales, quam multi ſic ſeipſos decipiunt dum ſe putant velle
2. Tim. 2. quod reuera nolunt, aut etiam nolle quod volunt. *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Vide infrà in hac parte, Feria 2. Hebdomadæ 12. Et in 4. parte, Feria 5. Hebdom. 28. & Feria 2. Hebdom. 27.

II. PVNCTVM.

SED piger ſiue acedioſus & negligens non adhibet media neceſſaria quæ poſſet adhibere, vt liberetur à malo, & faciat bonum ad quod tenetur.

In hoc enim eſt proprie acedia & pigritia vt quod eſt officij particularis, & debiti perſoluendi non expleat; timet laborem, tædio rei afficitur, alia omnia facit, mira cauſatur & excuſat, rem in dies procraſtinat, fingit impoſſibilitatem, aut nimiam
Prou. 22. difficultatem: *Dicit piger: leo eſt foris, in medio platearum occidendus*
Ibid. 26. *ſum.* Et rurſum idem Sapiens, *Dicit piger: leo eſt in via & leana in itineribus: ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Quaſi diceret de omni pigro quod de eo dicit qui ſtertens in lecto ſuo, non ſurgit; non adhibet media ſine quibus res non conficitur: & in eo cognoſcitur eſſe piger quod non omnem adhibeat operam quæ eſt opportuna & neceſſaria fini quem videtur prætendere.

Quod & ibidem variis inculcat loquendi modis: *Abſcondit piger*
Ibid. 19. *manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam. PROPTER frigus*
Ibid. 20. *piger arare noluit, PER agrum hominis pigri tranſiui, & ecce totum*
Ib. 24. *repleuerant vrticæ.* Quibus diuerſis locutionibus hoc vnum intendit exprimere, in quo quis agnoſcatur eſſe piger & negligens, nempe in defectu laboris neceſſarij adhibendi. Nonne ex hac nota te cognoſces? Nonne ex hoc defectu tuam inſpicies negligentiam?
Ibid. 6. Nonne labori parcis & operæ? *Vſquequò piger dormies? Quando conſurges è ſomno tuo?*

III. PVNCTVM.

SIC ergo vult, & non vult piger, vt ſimpliciter & abſolute nolit aut liberari à malo, ſicut videtur petere, aut facere bonum ſicut ſe ſimu-

Digitized by Google

lat velle : Quia hoc ipſo quò piger eſt non adhibet media opportuna ad vtrumque neceſſaria. *De noſtro enim*, ait ſanctus Hilarius, *beata illa æternitas promerenda, præſtandumque eſt aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cæleſtibus obtemperemus, ac talibus officiis cogniti Deo ſimus.* Notanda hæc poſtrema verba, quaſi diceret, ſic reuera cognoſcemur velle. Nam hoc eſt cognoſci à Deo quod tale reuera eſt & non ficte, ſic ergo cognoſcemur à Deo velle, cum reipſa volemus; & tùm reipſa volemus cum id præſtabimus quod ex parte noſtra præſtandum eſt. Vt è contra qui hoc non agunt, non cognoſcuntur à Deo velle, quidquid petant quidquid orent, quia coram Deo & reipſa non eſt velle aliquid quando non id facis ſine quo illud non potes aſſequi.

Sic apte ſanctus Hieronymus: *Delectant præmia cum pollicentur, deterrent certamina cum iubentur: ſic volunt & nolunt; finem appetunt, non tamen amplectuntur media.* Sic varia quæ habetur lectio horum Sapientis verborum, *Vult & non vult piger,* Rem plane confirmat. Septuaginta namque legunt, *In deſideriis eſt omnis piger, ſeu otioſus aut non operans,* Nam Græcè eſt ἀεργὸς, & ſenſus eſt, qui non operatur quantum debet operari non eſt dicendus in vera eſſe voluntate, ſed in quibuſdam deſideriis quæ videntur voluntas & non ſunt. Quod & Hebræa ſic enuntiant, *Concupiſcens & non, anima pigri.* Id eſt concupiſcit & non conſequitur anima pigri quod deſiderauit, quia fugit laborem ſine quo deſiderata non habentur. Denique ſe ipſe Sapiens ſic explanat: *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiſcit & deſiderat.* Quaſi dicat, ſuis ipſe piger deſideriis obruitur, tam multa quotidie profert vt vel ipsâ enecetur multitudine; vel potius, cùm ipſe ſolis deſideriis inefficacibus ſit contentus, hinc certe perit & occiditur, quia non illa ſufficiunt ad vitam ſpiritualem ſuſtentandam & æternam promerendam; Vel denique, cùm piger totus ſit in ſuis illis voluendis ac reuoluendis deſideriis, neque quidquam actu efficiat, videtur eſſe quaſi ſine anima, videtur quaſi non viuere, videtur quaſi occiſus, quia ſine vlla eſt vera voluntate. Quantum ad id ſpectat quod concupiſcit, videtur velle quia concupiſcit, ſed non vult quia noluerunt manus eius operari, quod eſt proprie nolle: ſic autem nolle quid aliud eſt quam voluntatem & animam & vitam ſibi eripere.

In Prouerbia.

Eſtius in Prou. 13.

Prou. 21.

Digitized by Google

O numquam ſatis deplorandam Inertiam! Quæ ſpes ſalutis Inerti & deſidioſo cùm nec ipſam ſalutem velit! *Fili hominis quid fiet de ligno vitis?* Quando ſcilicet eſt præciſum & aridum? *Ecce igni datum eſt in eſcam, vtramque partem eius conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam; Numquid vtile erit ad opus? Etiam cùm eſſet integrum, non erat aptum ad opus, quanto magis cùm illud ignis deuorauerit & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis?* Hæc eſt arbor quæ non facit frúctum bonum, quæ propterea excidetur, & in ignem mittetur.

Ezech. 15.

Et nè tibi palpes, quaſi nihil tibi hinc ſit timendum, quaſi non illa ſis arbor excidenda, perge in ſequenti Conſideratione te melius noſſe.

Alia Veritas Practica, ex eodem hodierno Euangelio.

Quà ratione fit vt plures dici poſſint malæ quam bonæ arbores; eâdem prorſus fiet, ni caueas, vt mala potius quam bona ſis arbor.

RATIO EST, Quòd idcirco plures dici poßint malæ quam bonæ arbores quia cùm bonum ſit ex integra cauſa, malum autem ex quouis defectu, facilius eſt in pluribus reperiri defectum quàm integram cauſam.

Sed in te hæc ratio valet, in te facilius reperitur defectus ex quo eſt malum, quàm integra cauſa quæ eſt neceſſaria vt bonum eſſe poßit.

Ergo quà ratione fit vt plures dici poßint malæ quàm bonæ arbores: eadem prorſus fiet, ni caueas, vt mala potius quàm bona ſis arbor. Quamobrem in id diligenter inuigilandum.

I. PVNCTVM.

IAM pridem ab Antiquis illis Philoſophis dictum erat, hominem eſſe velut inuerſam arborem, cuius radix ſurſum erecta eſſet ac velut in cœlo fixa, quod inde ſuam traheret originem, atque inde producendis operum fructibus aptum

aptum & conuenientem hauriret ſuccum. Et vero ſicut ſteriles & infrugiferæ ſunt quædam arbores, quædam vero fecundæ & vberes, ita plane ex hominibus, ſic alij boni & alij mali ſunt vt vnuſquiſquè in particulari bona vel mala dici poſſit arbor. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum,* dicebat Dominus; *aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur. HOC præceptum eſt,* inquit ſanctus Auguſtinus, *vt ſimus arbores bonæ; Illud vero facite arborem malam, monitio eſt vt caueamus; nec putemus ſi mali ſimus, bona opera habere: prius enim eſt mutandus homo vt opera mutentur.* Matth. 12.

Quàm ſit autem malæ timendum arbori, Id eſt, homini non ferenti fructum bonum ſatis patet, ſatiſque fateberis: ſed an tibi ſit timendum quaſi malæ arbori, non ſic forte agnoſcis. At certe ſaltem non debes præſumere te tam certo eſſe bonam arborem, aut ſic ſemper fore, vt ſine vllo timore ſis, cum nemo hominum id certo ſciat: meritoque ſit vnicuique timendum in illa ignorantia & incertitudine: Vnde apte Apoſtolus cuidam te ſanctiori; *Noli altum ſapere ſed time. Si enim naturalibus ramis*, Id eſt Rom. 11. Iudæis, *non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo Bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Quamobrem licet etiam certus eſſes de præſenti te bonam eſſe arborem, tibi tamen eſſet timendum quia incertus eſſes de futuro: ſemperque cauendum eſſet ne forte excideres à bonitate tua & excidereris à bonitate & ſeueritate Diuina. Iam vero cùm neque de præſenti certus ſis; Imo cùm ex certa ratione ſit euidens quod niſi diligenter & ſolicite caueas, tu mala potius quam bona ſis arbor, nonne erit quod illam diligentem adhibeas cautelam & ſolicitudinem: primò quidem in indaganda illa ratione, ac deinde in praxi frequentanda quam ſecum infert cognita Veritas?

Sic autem commode Ratio indagari poterit ſi attente perſcruteris quid ſit quod malam faciat arborem: & quid, quod plures malæ ſint quam bonæ arbores; nam ſi hæc eadem ratio in te locum habeat, profecto mala ſis arbor neceſſe eſt. Hoc eſt porro quod malam facit arborem, nempe ſi nullos fructus ferat, aut pauciores quàm ferre deberet, aut omnino malos: ſic plane homo malus dicendus eſt ſi vel nulla, vel pauciora bona faciat vel

denique ſi plura mala quam bona edat opera. Ex operibus namque velut e fructu arbor cognoſcitur. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

l. de Diu Nom. c. 4. Sed vnde agnoſcetur fructus? Vnde opus eſſe bonum vel malum diſcernetur. Ex hac nimirum regula quam poſt Diuum Dionyſium tradunt omnes Theologi: *Bonum ex integra cauſa: malum ex quouis defectu.* Sic expreſſe Sanctus Thomas: *Non eſt actio bona ſimpliciter niſi omnes bonitates concurrant: quia quilibet ſingularis defectus cauſat malum, bonum autem ex integra cauſa.* Vnde & illud eſt Sapientis, *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*; Siue vt habent Septuaginta, *Bonitatem perdet*, Quia ex vno defectu deficit Bonum quod non conſtat ſine ſuis cauſis.

1. 2. q. 18. a. 4. ad 3.

Eccl. 9.

Cauſæ vero ſine quibus non eſt bonum, referri poſſunt ad has vulgares quatuor quæ dicuntur, Materia, Forma, Efficiens, & Finis. Debet eſſe materia ſeu obiectum bonum vel ſaltem indifferens & non malum. Nam ſi quid ex objecto ſuo malum eſt vt mendacium, vel ex accidenti, vt res vetita vel non ordinata, licet aliæ fuerint cauſæ, tota peribit actio. Sic de cæteris ratum eſt cauſis: Tametſi materia, finis, & efficiens adſint, ſolaque deſit forma, totum deeſt. *Iuſtè quod iuſtum eſt proſequeris.* Efficiens dicitur homo liber & in gratia. Nam ſi peccator eſt, vel non liber, nihil agit ad æternæ vitæ præmium, quidquid bonum & bene agat. *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Denique Finis eſt tam neceſſarius vt propterea Dominus dixerit: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit: OCVLVM hic accipere debemus ipſam intentionem*, inquit ſanctus Auguſtinus de qua ipſe fuſe, & ſanctus Gregorius in Moralibus.

Deut. 16.

1. Cor. 13.

Luc. 11.

28. Mor. c. 13.

Ex his vero patet quod hic præcipue ſpectandum eſt, longe plures eſſe malos quam bonos, quia longe facilius eſt in homine, ſiue in humanis actionibus reperiri vnum defectum ſeu vnam deficientem cauſam, quam totas ſimul colligatas? *Non eſt qui faciat bonum. Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum:* Id eſt tam pauci ſunt qui coram Deo & abſolute bonum faciant, vt vix vnus è multis reperiatur. Non deſunt quidem qui multa bona faciant, ſed illa quæ videntur hominibus bona, non ſic videntur Deo, quia non conſtant ſuis cauſis, *Seminauerunt triticum,*

Pſ. 13.

Bellarm.

Ier. 12.

Digitized by Google

& ſpinas meſſuerunt; hæreditatem acceperunt, & non eis proderit, confundemini à fructibus veſtris. Hoc eſt certe pauendum.

II. PVNCTVM.

SED in te, hæc ratio valet; in te faciliùs reperitur defectus ex quo eſt malum, quàm integra cauſa quæ eſt neceſſaria vt bonum eſſe poſſit.

Tu quis es qui hæc legis? Nonne homo? Nonne *vanitati ſimilis?* Nonne *venundatus ſub peccato?* Nonne is *cui malum adhæret?* Nonne is *qui videt aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuantem ſe in lege peccati quæ eſt in membris ſuis?* Nonne hæc in te inuenis, nonne hæc in te vides & ſentis? At vero illa ſunt propter quæ facilius in vnoquoque reperitur defectus quàm integra boni cauſa. Illa ſunt quæ niſi omnino reprimantur, cauſæ ſunt defectuum omnium: aut ſi ex aliqua parte reprimantur, tantorum ſunt cauſa defectuum quanta pars ſupereſt reprimenda. *Claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Nonne hic eſt defectus animi ſicut & corporis, *Claudicare? VSQVE QVO claudicatis in duas partes?*

Pſ. 143. *Rom. 7.* *Pſ. 17.* *3. Reg. 18.*

Aut itaque eſt omnino comprimendum quod in te deficit, aut aliquid ſemper deficiet: Aut comprimenda eſt vanitas ſeu illa propenſio quæ te ad vanam tui conſectandam famam trahit, aut deerit finis in cunctis tuis operibus. Ah quoties defuit! Aut coercenda libido illa quæ te ad opus ex genio, & non ex ordine, non ex intuitu Diuinæ voluntatis attrahit, aut deerit operi ſua materia, ſuaue forma; Non erit illud opus quod vellet Deus, non erit illa forma quam adhiberi vellet. *Si in die Ieiunij tui inuenitur voluntas tua, non eſt Ieiunium quod elegit Dominus, Cùm veniretis in conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris?* Quaſi diceret, licet ea ſacrificia quæ immolatis, ſint à me ordinata, & materiam contineant boni operis, quia tamen non ea facitis qua religione & pietate vellem, non ſunt mihi grata, quia deeſt illis ſua forma, ſua virtus, ſuum decus, & proinde *facta ſunt mihi potius moleſta, laboraui ſuſtinens.*

S. Bern. ex Iſ. 58. *Ibid. 1.*

Sic plane tecum reputa de his tuis operibus quæ vel ex amore proprio, vel ex incuria & negligentia facis. Nonne vides quantum illis deſit eius perfectionis & excellentiæ quæ à te requirere,

Digitized by Google

tur? Tantùm puta illis deeſſe ſuæ formalis & efficientis cauſæ. Nam quæ forte ſufficerent, à laico vel à nouitio facta, multum deficiunt in te ſpectata, ſi plus quam à laico vel à nouitio, requirat à te Deus. Hinc nempe eruuntur cauſarum Differentiæ, diuerſuſque valor. Spectatur ætas Agentis, Condicio, Status, Vocationis tempus, Gratiarum numerus, Talentorum qualitas, cæteræque ſpiritus Diuiſiones. Vnde tu quantum ætate prouectus es in Diuino cultu, ſi ætati opera tua non reſpondent, tantum deficiunt ab integritate & plenitudine quam ex illa tot annorum perſona
Dan 5. religioſa deriuare debuerant, diceturque tibi; *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Quid reſpondebis?*

III. PVNCTVM.

QVA *igitur ratione fit vt plures dici poſſint mala quam bona arbores: eâdem prorſus fiet, ni caueas, vt mala potius quam bona ſis arbor.* Nam non erit in te fructus bonus, non erit in te bonum, non erit ex integra cauſa, non erit conforme ſtatui, non reſpondens ætati & Gratiæ, non adimplens eam Iuſtitiam quam ex ac-
Ezech. 19. cepto talento debes operari. *Ventus vrens ſiccauit fructum eius: marcuerunt & areſfactæ ſunt virgæ roboris eius.* Quis ille ventus vrens, vnde tanta ſiccitas & ariditas, niſi vana ipſa Gloria qua fit vt aliud quàm velit Deus opereris, vel alio modo vel fine; ſicque deſint operibus tuis ſuæ cauſæ: & deſint eſſe bona & probata opera? *Ini-*
Ier. 5. *quitates veſtræ declinauerunt hæc; & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis:* Id eſt impediuerunt quo minus illud cenſeretur bonum quæ vos bene facere putabatis.

Hoc eſt verò quod te non aduertentem decipit, cum ſit aliquid partim boni partim mali quod agis, Tu parte boni reſpecta, malum non intueris quæ cum inficiat totum opus, nihil ex opere tuo ſupereſt præter inanem illam quam de illo habes opinionem.
Num. 19. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.*

Nec mireris id eſſe in morali ſtatu, quod frequentiſſimum eſt in naturali. Vides ſæpe in formis remiſſis plurimum eſſe admixtum contrarij, nec repugnare aliquid eſſe calidum quod multum habeat frigiditatis; Ita plane in virtutibus & bonis operibus tuis tam multa ſunt admixta mala vt non virtutes ſed vitia potius dicenda ſint. Blandiris tibi forſan de deuotione, de obedientia, de

Digitized by Google

humilitate aut de aliqua demum virtute quam exerces : at non vides quot quantoſque ſimul Indeuotionis, Inobedientiæ & ſuperbiæ committas actus : vereque de bonis tuis ſpiritualibus dici poſſit quod Propheta de terrenis Iudæorum, *Olineta veſtra & ficeta veſtra comedit eruca.* Totum abſumit vanitas vel negligentia. *Amos 4.*

Atque hinc pauenda illa expoſtulatio quæ ſæpe alias tum vero hîc opportunè à Domino: *Scio opera tua quia nomen habes quod viuas & mortuus es. Eſto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.* Quid autem veniens, de ſterili arbore Colono ſit dicturus iam ipſe dixit: *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* *Apoc. 3.* *Luc. 13.*

Videri multa poſſunt in ſingulis partibus quæ huic ſeruiant Veritati, præſertim vero in 1. parte, Die 3. & 4. Ianuarij. Feria 5. Hebdomada 3. poſt Epiph. In 2. parte, Dominica Septuageſimæ Feria 2. Hebdomada 2. in Quadrageſima. Feria 5. Hebdom. Paſſionis. Feria 4. Hebdom. 4. poſt Paſcha. Die 1. Maij vbi hæc in primis opportuna Veritas :

Si tempus reſpicis comparandæ tibi virtutis, vix vllam tibi comparatam reſpicies.

In 3. parte Feria 2. Hebdom. 1. Sabbato Hebdom. 5. Feria 5. Hebdom. 8. Fer. 2. Hebdom. 9. Die 6. Auguſti. In fine vbi de votis religioſis, vnde hæc commode depromi poſſint.

Religioſus aut quiuis alius infra vel ſupora regulam aut ſortem viuens, ficus eſt ficum non ferens.

Quod te imparatum magis reddit ad ferendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere.

Quanto minus puniri timet infructuoſus, tanto iam magis punitus eſt.

In 4. etiam parte Sabbato Hebdom. 19. Feria 3. Hebdom. 21. tota pene Hebdomada 23. Feria 5. Hebdom. 27.

Digitized by Google

CVM ſint autem Euangelij plures aliæ diuerſæque partes vide ad ſingulas, quid referri poſſit aliunde depromptum.

Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium.

Hæc ſunt apoſtolatus & perfectioris vitæ duo ſigna certiora, velle abſtinere libenter ab omnibus bonis, & omnia mala ſuſtinere.

In 1. parte, Die 2. Decembris.

Sæpe videtur eſſe Charitas, & eſt magis carnalitas.

In 2. parte, Feria 4. Hebdom. 1. poſt Octauas Paſchæ.

Loquendo de diuinis, quantò magis luces quàm ardes, tantò minùs in te diuina lucet charitas.

In 2. parte, Fer. 6. Hebdom. 2. poſt Octauas Paſch.

Qui eminentior eſt in illa quæ dicitur eminens ſcientia, minùs inter homines eminere cupit.

In 2. parte, Fer. 3. Hebdom. Pentecoſtes.

Amori potius ab amore timendum eſt, quàm à timore.

Sabbato Hebdom. Pentecoſtes.

Optabilius bonum bellum, quam mala pax.

In 3. parte, Sabbato Hebdom. decim. quæ tota eſt de miſſionibus, de modo ac materia concionandi.

A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Affectum probat effectus.

In 3. parte, Fer. 2. Hebdom. 9.

Numquid colligunt de ſpinis vuas; aut de tribulis ficus?

Malæ vitæ mors bona, rara eſt.

In 4. parte, tota Fer. Hebdom. 28.

Digitized by Google

Sicut prima & puerilis ætas index eſt ſecuturæ vitæ præſentis, ita hæc vita præſens indicium eſt futuræ pòſt æternitatis.

In 3. parte, Die 24. Iunij.

Omnis arbor bona, bonos fuctus facit.

Salutis animæ nulla eſt certior certitudo, quàm in certo vocationis gradu attingendo.

In 1. parte, tota pene Hebdom. 5. poſt Epiphan. vbi de vocatione cuiuſque ſtatus quæ tanto eſt perfectior, quanto magis ſuæ reſpondet arbori ſeu perfectioni ſpecificæ.

In paruis major eſt ſerui Dei fidelitas.

In 1. parte, Fer. 6. Hebdom. 6. poſt Epiph.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

Ad memoratas ſupra veritates de modico cuiuſque fructu nec non de pœna conſequente, poſſent hæ adjungi.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

In 2. parte, Sabbato Septuageſimæ.

Nimia firmitas, infirmitas.

In 2. parte, Feria 2. Sexageſimæ.

Verbum Dei non redit vacuum: aut proſit neceſſe eſt accipienti: vel obſit.

In 3. parte, Fer. 2. Hebdom. 8.

Vide & In 4. parte, Fer. 6. Hebdom. 24. vbi de diuite Epulone.

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.

Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. *2. Tim. 2.*

In 1. parte, Die 1. Ianuarij.

Fruſtra multiplicas medicaminà, ſanitas non erit tibi:

Digitized by Google

Quod grauius in te eſt malum, hoc minus vis ſanari.

In 1. parte, Fer. 5. Hebdom. 6. poſt Epiph.

Quæ cauſa eſt cur pauci ſalui ſint, hæc in te cauſa eſt cur ex illis forte non ſis.

In 2. parte, Dominica Septuag.

Si ordinatis ad ſalutem mediis non vteris, Mediatore Chriſto abuteris.

Sabbato poſt Quinquag.

Qui ſibi non contradicit in ſuis malis deſideriis, ſibi contradicit in bonis.

In 2. parte, Dominica 5. poſt Paſcha.

Qui cum affectu incompoſito Deum conſulit, non Deum ſed Deo conſulit. Non à Deo conſilium petere, ſed Deo dare velle videtur.

In 2. parte, Fer. 4. Hebdom. Pentecoſtes.

Niſi diligenter aduertas, quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod petis iniuſtius.

In 3. parte, Sabbato Hebdom. 7. poſt Pentecoſt.

Quò ſæpe vehementius Deum oras, ore quidem illi adſtas propius, ſed corde diſtas longius.

In 3. parte, Fer. 4. Hebdom. 14.

Ore facta Confeſſio, ſæpe factis à te negatur.

In 4. parte, Fer. 2. Hebdom. 15. poſt Pentecoſt.

Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt ipſe intrabit in regnum cœlorum.

Multa de hac Diuina voluntate adimplenda vide in indicibus, verbo *voluntas*. Multa item de regno cœlorum deſiderando & inquirendo vide in 2. præſertim parte, tota Hebdomada 5. poſt Paſcha, & in 3. parte tota Hebdomada 3. poſt Octauas Pentecoſt. ac demùm in 4. parte, Die 1. Nouembris.

HAC

Digitized by Google

HAC Hebdomada, quidquid poſt Sermonem Domini proximè dictum vel factum refertur ab Euangeliſtis, ita conſideratur, vt ad ſeptem præcipuas Virtutes referatur: quarum aliæ ſunt tres Theologicæ; aliæ quatuor Cardinales. Omittitur tamen hiſtoria Leproſi mundati quia de eo per integram Hebdomadam actum eſt in prima parte, Dominica & Hebdomada tertia poſt Epiphaniam.

FERIA SECVNDA.

DE FIDE CENTVRIONIS A CHRISTO DOMINO COMMENDATA.

Amen dico vobis, non Inueni tantam fidem in Iſrael. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Majoris eſt animi ſe Diuinæ fidei ſupponere, quàm ſe illi opponere.

RATIO EST, Quia majoris eſt animi ſeipſum vincere quàm à ſeipſo vinci.

Sed qui ſe Diuinæ ſupponit fidei, ſeipſum vincit: qui ſe vero illi opponit, à ſeipſo vincitur.

Ergo majoris eſt animi ſe Diuinæ fidei ſupponere, quàm ſe illi opponere. Quod tamen pauci putant.

I. PVNCTVM.

CVM introiſſet Capharnaum Dominus, acceſſit ad eum Centurio qui in ea ciuitate præſidio Romanorum præerat, ac proinde Gentilis erat, ſed credens in Deum & in Chriſtum. Acceſſit autem primo per ſeniores Iudæorum. Deinde per amicos ſuos: vt eſt apud ſanctum Lucam: Ac tertio per ſemetipſum cum Christus iam vicinior eſſet domui vt interpretatur ſanctus Chryſoſtomus. Tùm vero conueniens Dominum, his eum rogabat Verbis, *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur:* Cui ſtatim Dominus: *Ego veniam & curabo eum.* At ille, *Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade & vadit; & alij, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc & facit:* Quaſi diceret, vt interpretatur ſanctus Auguſtinus, Ego ſub poteſtate Tribuni mei & Cæſaris conſtitutus, & merus homo, ſi quid ſubditis meis impero, mox obtineo: quanto magis Tu qui ſub nullius es poteſtate, & præes omnibus Creaturis, vt pote filius Dei, poteris imperio tuo quidquid volueris. Id autem audiens IESVS, *miratus eſt*, ſeu mirantium more ſe habuit, & ita locutus eſt vt aſtantes idem admirari atque imitari doceret: *Amen dico vobis, non Inueni tantam fidem in Iſrael:* Non inueni, qui tam pie, tam facile, tamque certo crederet.

Luc. 7.

Alio quidem & diuerſo ſenſu poterant Ethnici & politici homines mirari hanc Centurionis facilitatem in credendo, quod vir nempe militaris & generoſus, nimis ſe videretur abjicere, nimiſque de magnitudine animi detrahere, ſeſe ſummittendo dictis huius hominis. Sic enim ſelecta illa Ingenia quæ dicuntur fortia, ſic tantùm de fortitudine Ingenij detractum putant, quantum facile eſt in credendo Ingenium. At contrà Dominus ſic miratur & admirandam præbet Centurionis fideus vt Centurionem propterea maxime laudet ab animi præſtantia & fortitudine, tantumque abſit vt aliquid de generoſitate ſua credendo detraxerit, quin potius, ſic ſe præſtantem Ingenio, & animo fortem oſtenderit, atque ita promeruerit ſanitatem ſeruo ſuo: *Vade & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.* Hinc ergo nata Veritas modò expendenda & numquam ex animo deponenda. Quod, quidquid

Digitized by Google

dicant ſui adulatores & adoratores Ingenij, *longe majoris eſt animi Diuinæ ſe fidei ſupponere quàm ſe illi opponere.*

Ratio eſt ita euidens vt mirum ſit non videri ab his qui ſe perſpicaciones autumant, niſi forte illi ſint de quibus Dominus: *In Iudicium Ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Sic autem breuiter & dilucidè procedit Ratio: Longe majoris eſt animi ſeipſum vincere, quàm à ſeipſo vinci: In hoc enim ſita eſt ipſa virtus quæ dicitur animi fortitudo. *Reuera*, inquit ſanctus Ambroſius, *iure ea fortitudo vocatur, quando vnuſquiſque ſeipſum vincit.* Et Clemens Alexandrinus: *Magni animi virtus non ſolum in ferendis caſibus, ſed etiam in eo quod reſiſtat voluptati & cupiditati, dolorique & iræ, & in ſumma cuiuis rei quæ nos vel vi vel fraude aliqua illicit.* Sic ſanctus Papa Gregorius: *Quid fortius quàm omnes animi ſui motus rationi ſubigere, omnia carnis deſideria, ſpiritus virtute frænare, proprias voluntates abjicere, contemptis viſibilibus, ea quæ non videntur, amare? Vnde & Salomon ait: Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.*

Ioan. 9. *l. 1. de Offic. c. 36.* *l. 7 Strom.* *In Pſ. 2. Pænit.* *Prou. 16.*

Lactantius denique fuſe id proſequutus: *Ille*, inquit, *ſolus vir fortis debet iudicari qui temperans eſt, moderatus, & iuſtus.* Et poſt multa de Herculis laboribus, *opera ſunt iſta fortis viri, hominis tamen. Illa enim quæ vicit fragilia & mortalia fuerunt. Nulla eſt enim, vt ait Orator, tanta vis quæ non ferro ac viribus debilitari frangique poſſit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt, quæ ille nec fecit vmquam nec potuit. Hæc qui faciat non modo ego cum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Vellem adjeciſſet de libidine, luxuria, cupiditate, inſolentia, vt virtutem eius impleret quem ſimilem Deo iudicabat. Non enim fortior iudicandus eſt qui leonem quàm qui violentiam in ſeipſo incluſam feram, ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres dejicit, quàm qui cupiditates auidiſſimas coercet.* Et quæ plura pergit ex quibus ita patet fortis & magni hoc eſſe animi, ſeipſum vincere, vt ſi à teipſo vincaris, minime magnus nec fortis vmquam haberi poſſis. *Abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.*

l. 1. de Inſtit. c. 9. *Thren. 1.*

II. PVNCTVM.

SED *qui ſe Diuinæ ſupponit fidei, ſeipſum vincit: qui ſe vero illi opponit, à ſeipſo vincitur.*

Digitized by Google

Hoc eſt enim ſeipſum vincere, cùm quidquid in nobis contra Deum, rectamque rationem inſurgit, retrænamus & ſubjicimus Deo: ſicut è contra Ille à ſeipſo vincitur qui rectæ Rationi oppoſitis motibus cedit, ſiue illi ſint animi ſiue corporis motus: nam hæc eſt ordinata conſenſio partium hominis vt quemadmodum rationi appetitus, ita & Deo ſubordinetur Ratio: vnde id tandem fit vt ſicut appetitus naturalis aut ratio quæ dicitur inferior, multa ſuggerunt contra Diuinam fidem; ſic plane is ſe vincat qui appetitum & humanam rationem Diuinę ſubjiciat Fidei; vel à ſeipſo vincatur qui Diuinam fidem humanæ ſubjicit rationi. *In carne enim ambulantes*, inquit Apoſtolus, *non ſecundum carnem militamus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes: & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti.* Quaſi diceret, vbi agitur de fide, non ſpectamus quid caro vel humanum ingenium ſuadeat: Imo ſi quid forte ſuadet quod repugnet fidei, habemus arma parata quibus id expugnemus: & hæc arma non ſunt humanæ artes, non politicæ formæ loquendi vel agendi, non Sophiſmata Philoſophica, non aliud denique quo ſolent vti homines huius ſæculi peritiores: ſed arma ſunt longe his potentiora, potentiam quippe Diuinam continent, arma ſunt ipſa Fides, ipſa Diuina authoritas cui fides innititur, & quâ qui armantur tam potentes ſunt ad expugnanda cuncta quæ ſeſe contra opponunt vt nihil ſit tam aſtutum & munitum quod non dejiciant; nihil tam altum & eminens quod non ſubjiciant fidei. Atque ita intellectus ipſe humanus ne quid forte humanum ratiocinari præſumat, quaſi conſtrictus & captiuus tenetur, vt obſequatur Chriſto, ſicque fit tandem vt dum quiſque fidelis ſic ſe ſupponet fidei, ſeipſum vincet: & ſic de vnoquoque fideli Chriſtus triumphabit. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra.* Et hæc ipſa fides, armatura eſt qua certamen initur & qua comparatur victoria. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei. INDVTI loricam fidei.*

2. Cor. 10.

1. Ioan. 5. Eph. 6. 1. Theſſ. 5.

III. PVNCTVM.

M*AIORIS eſt igitur animi Diuinæ ſe fidei ſupponere, quam ſe illi opponere,* Nam ſic ſe animus vincit dum ſe continet

ne quid contra fidem opponat; Dùm ſe verò vincit animus, fit ſeipſo major, & quo ſe magis vincit, eò ſe majorem facit. *Magnarum hic vigor eſt mentium*, inquit ſanctus Leo, *& valde fidelium lumen eſt animarum, incunctanter credere quæ corporeo non videntur intuitu; & ibi figere deſiderium quò nequeas inferre conſpectum*: Sic apte S. Hieronymus: *vis ſcire quantus ſit ardor bene credentium? audi Apoſtolum: Et ſi nos, aut Angelus de cælo aliter Euangelizauerit nobis, anathema ſit. Id eſt, in eo maxime apparet vis animi & viger eorum qui credunt, quando ſic credunt vt quidquid contra fidem apparet, quamtumcumque appareat credibile, ſtatim execrentur.*

Serm. 2. de Aſc. Dom.

Ep. 61. ad Pamma.

Nihil certe debilius Ingenio quod nihil poteſt credere niſi quod intelligat. Primo enim ignorat quid ſit fides; Deinde ita de ſe præſumet vt putet poſſe intelligere quæ credenda proponuntur. Ac tertio denique ſe vniuerſa Eccleſia cui promiſit Deus infallibilitatem fidei, prudentiorem, peritiorem & perſpicationem fingit, quà inſania quid inſanius fingi poteſt. Vnde illud egregium Diui Auguſtini. *Diſputare contra id quod vniuerſa Eccleſia ſentit, inſolentiſſimæ eſt Inſaniæ.*

Ep. 118.

Eant nunc & ſe iactitent fortiora Ingenia, debilitatem noſtram irrideant, ſuam vnam deprædicent fortitudinem. Ecce Illius Viri Iudicio qui omnium cenſenſu Ingenij fuit excellentiſſimi, non alij quàm inſolentiſſime inſani ſunt iudicandi. Itane vero qui ſint dementes, ſint mentis & animi fortioris? Audiant verò Prophetam, ſi quid ſuperſit bonæ mentis: *Cum fueritis velut quercus deffluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua: Erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtuppæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque, & non erit qui extinguat.* Id eſt, ocyus tardius præclarum illud veſtrum Ingenium apparebit quam fuerit aridum & inane; apparebit fortitudo illa prætenta & præſumpta quàm fuerit ſtuppea, ſtraminea, fictitia & omnino nulla. Apparebit ex aliis veſtris operibus quam imbecillus eſſet animus, cum nihil forte, nihil ſolidum, nihil diuturnum, nihil permanens & ſibi conſtans efficiatis; ſed veſtra omnia ſcintillant ſolum & luceſcunt ad momentum, tum ſtatim euaneſcunt.

Iſ. 1.

Sic plane, nihil imbecillius in agendo & patiendo quam qui ſe animo iactant ita fortes vt nihil credant niſi quod animo placuerit: nutant in omnibus, palpant in meridie, Duces cæci, *Semetipſos paſcentes, nubes ſine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores au-*

Iudas.

Digitized by Google

tumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum. Id eſt, præter inanem ſonitum & effuſam iactantiam nihil in eis eſt.

At verò verè Credentibus nihil eſt fortius, nihil generoſius non modo in eo quod credentes ſeipſos vincunt, ſed quod vbi ſemel ſeipſos ſic vicerunt, inde ad alia quantumuis ardua ſic ſe fortes præbent, vt manifeſte appareat nihil eſſe Fide ac Fideli maius &
Hebr. 11. fortius. Lege Apoſtolum vbi Fortiores quoſque veteris teſtamenti nominatim compellat, & à fide omnes ſuæ fortitudinis commendationem habere teſtatur. Intuere vnum Abrahamum qui
Rom. 4. Pater omnium Credentium dicitur, quantæ opus fortitudinis eſt aggreſſus cum Iſaacum filium immolauit. Nonne à fide hæc eius fortitudo profecta eſt? At quanta quanta fuerit eius fides nonne in eo præcipue excelluit quod ſupra omnem intelligentiam crederet, quod ſeipſum prius credendo mactaret quam filium: atque in ſeipſo ſic mactando, ſic vincendo, ſic fidelis, ſic fortis, ſic iuſtus & ſanctus eſt habitus vt eſſet cæteris documento, majoris eſſe animi ſic ſe Diuinæ fidei ſupponere quam ſe illi opponere.
Ibid. *Non eſt enim ſcriptum tantùm propter ipſum*, inquit Apoſtolus, *ſed & propter nos quibus reputabitur credentibus in Eum qui ſuſcitauit IESVM Chriſtum D. N. à mortuis.*

Ez. 2. *Increduli & ſubuerſores ſunt tecum.* Attende diligenter. Et Vide quæ multa paſſim de Fide proponuntur.

FERIA TERTIA.

DE SVSCITATO VIDVÆ FILIO IN CIVITATE NAIM.

Et de ſpe retinenda in deploratis rebus.

Noli flere. Luc. 7.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Non certius in ſpem itur, quàm contra ſpem.

RATIO EST, Quia tunc magis & melius ſperatur in Diuinis, cùm ſpes eſt purior, ſeu cùm in Diuinis ſolum ſperatur.
Sed quando humana deſunt ſubſidia, tunc ſpes eſſe poteſt purior.
Ergo & major & certior; Ergo & eò melius ſperatur, & eò magis ſperandum eſt in Diuinis quo humana deſunt ſubſidia. Ergo & non certius in ſpem itur quàm contra ſpem, exemplo Abrahami qui vt ſcribit Apoſtolus, contra ſpem in ſpem credidit. Contra Rom. 4.
id ſcilicet quod naturaliter fieri poterat, credidit & ſperauit diuinitus euenturum.

I. PVNCTVM.

E*T factum eſt*, inquit ſanctus Lucas, poſt ſanatum Centurionis ſeruum, *Deinceps ibat (Ieſus) in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo Diſcipuli eius, & turba copioſa. Cum autem appropinquaret porta Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt, Et ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.*

Nihil hîc difficile quoad intelligentiam: multa verò ſunt quæ voluntatem cum Dei Gratia in ſpirituales & Diuinos affectus excitent, de quibus in quarta parte, Dominica decima quinta, cuius eſt hoc Euangelium. Nunc quoniam ad virtutem Spei refertur Conſideratio: Contempiarè tantiſper quàm deploratæ res eſſent huius Viduæ quæ filium ſuum Vnigenitum deflebat mortuum: Et tamen illi tunc ait Domus: *Noli, flere*, Bene ſpera, reſurget filius. Sic plane nobiſcum agit per Scripturas ſuas: ſic mœrentes

conſolatur, ſic ne deſperemus in ipſis deſperatis rebus adhortatur, ſic vt magis tum ſperemus prouocat, quia *numquam certius in ſpem itur quàm contra ſpem*, Numquam ſecurius ſperandum in Diuinis ſubſidiis quàm cùm humana deſunt. Quæ certe Veritas ſi ſemel perſuaderi poſſit, multùm valere poterit ad corroborandam noſtram confidentiam, quia omnem prorſus tollit diffidentiam, cùm concludat eo vel maxime ſperandum eſſe tempore quo ſolemus magis diffidere de Diuinis ſubſidiis.

Sic autem facile ſuaderi poteſt: Nam tunc vel maxime ſpes eſt certa & ſecura, quando eſt pura & ſincera; quando purè & ſolùm ſperatur in Deo, & nulla ſimul in creatura. Multum enim deducit de ea ſpe quam in ſe haberi vult Deus, quando ſimul ſperatur in re humana aliqua, vnde licet ipſe Dominus vtatur creaturis ad ſubſidium ſuum nobis conferendum, vehementer tamen cauet ne in ipſis confidamus, & potius illas ſubtrahet, & ſubminiſtrabit media quædam minus apta & idonea fini quem prætendit, vt agnoſcamus euidentius totum à Deo prouenire opus. *Multus tecum eſt populus*, ait Dominus Gedeoni, *nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Iſrael, & dicat, meis viribus liberatus ſum.* Itaque ex triginta duobus millibus qui aderant, primo quidem viginti duo millia receſſerunt; tum verò ex decem millibus Trecenti tantum ſelecti ſunt qui pugnarent in aduerſarios: & modus pugnandi ſic determinatus fuit, vt loco gladiorum, lagenas vacuas ſimul ac lampades manu geſtarent, eaſque inter ſe complođerent & confringerent; neque aliter hoſtes aggrederentur. Cur ita porro? Vt ſpes militum ſcilicet eſſet purior, vt purius in vno Deo ſperarent: non in ſuis armis & viribus quæ nullam ad certandum & vincendum habebant aptitudinem. Sic, *quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus vt confundat Sapientes: & infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus: & ea quæ non ſunt vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius:* Atque vt qui ſperant in eo vere poſſint dicere, *Exaudi vocem eorum qui nullam aliam ſpem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.* Itane verè poſſes orare?

Iudicum 7. *1. Cor. 1.* *Eſther 14.*

II. PVNCTVM.

SED *quando humana deſunt ſubſidia, ſic ſpes in vno Deo purius figi poteſt.*

Non

Non eſt quidem expectanda extrema neceſſitas vt recurratur ad Deum, cùm in ipſarum vſu facultatum plus in Deo ſemper quàm in rebus ſit ſperandum: ſed neſcio qua infidelitate animi fit vt dum adſunt facultates & media comparandis rebus quas volumus, longe magis in ipſis confidamus mediis quàm in ordinatione Diuina quæ his vult vti. Quod ex eo vel euidenter apparet, quod quando ſubtrahuntur illa media, tum plane toti diffidimus, quaſi Deo ſublata eſſet poteſtas nos adiuuandi, vel quaſi tota vis & poteſtas ſperati adiutorij eſſet poſita in illis mediis, & non in Deo. *Numquid manus Domini inualida eſt! Et male locuti ſunt de Deo:* Num. 11.
dixerunt, numquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Numquid & Pſ. 77.
panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo. Ideo audiuit Dominus & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael, quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.

Deſint ergo oportet illa humana ſubſidia, ſimuſque in arcto poſiti ſicut Rex Ioſaphat & qui cum eo erant, vt poſſimus in vno Deo pure ſperare & dicere: *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo* 2. Par. 20.
vt poſſimus huic multitudini reſiſtere quæ irruit ſuper nos: ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Tum verè huius Regis pura & ſincera ſpes erat quia non erat aliud in quo ſperaret. Quod ex eo plurimum confirmatur quod cum paulo poſt feciſſet fœdus cum Ochozia Rege Samariæ vt ſi redirent hoſtes, ab eo iuuaretur, minus ſpei retinuit & confidentiæ, minus pure & ſincerè in vno ſperauit Deo. Vnde & illi dictum à Domino: *Quia habuiſti fœdus cum* Ochozia, Ibid.
Percuſſit Dominus opera tua, contritaque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis. Ac propterea forte dictus eſt *ambulaſſe in via patris ſui Aſa,* Qui Rex alioquin probus, religioſus & confidens Deo, tamen aliquando minus purè illi vni confiſus eſt: vnde & à Propheta quodam ſic eſt argutus: *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in* 2. Par. 16.
Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus, de manu tua. Nonne Aethiopes & Lybies multo plures erant quadrigis & equitibus & multitudine nimia, quos cùm Domino crediſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.

Nota illud *perfecto corde*, Quaſi diceret, qui pure & ſincere credunt aut ſperant. Neque enim iſte Rex omnino non ſperauit in

Deo, ſed non perfecte non purè quia videlicet ſimul fidebat in humanis aliis ſubſidiis quorum ſi fiduciam abieciſſet, puriori & perfectiori corde ſperaſſet in Domino. Quod & rurſum illi eidem Regi obiectum eſt cùm ægrotaret, multiſque medicis abundaret, *Magis in eorum arte confiſus eſt quam in Domino*, Et idcirco tam parum in Deo ſperaſſe dicitur vt *nec eum in ſua infirmitate quæſiuiſſe dicatur*; Non quod forte omnino non quæſiuerit, ſed non ſpe illa pura qua quærendus & implorandus erat, & qua eum quæſiuiſſet, ſi tot medicos non habuiſſet.

Ibid.

O quàm verè dictum de probatis & fidelibus Dei ſeruis, quod *fidem ſiue ſpem ſuam numquam mutant ab eo*; Siue illis adſint ſiue deſint humana præſidia, nam qui minus ſperant quando deſunt humana quam quando adſunt, iſti ſpem ſuam mutant.

Tobiæ 2.

III. PVNCTVM.

ERGO *non certius in ſpem itur quàm contra ſpem*; Non certius & ſecurius ſperatur in Diuinis, quam cum deſunt humana in quibus ſimul ſperetur: quia non certius ſperatur in Domino, quam dum in eo vno purè ſperatur: Numquam vero purius in eo vno ſperatur quam cùm alia deſunt in quæ ſpes diuidatur & corrumpatur. *Videte quod Ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam & ego ſanabo; & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Quaſi dicat, poſſunt quidem in ſubſidium vocari creaturæ prout à me ſunt ordinatæ in talem finem: ſed ſic ſemper ſpectanda eſt illa Diuina ordinatio, vt numquam ſubſidium creaturæ ſeparetur à ſubſidio Creatoris, quaſi aliud eſſet quod à creatura, & aliud quod à Creatore recipitur, nam vnus eſt Deus à quo & ipſa creatura recipit quidquid confert ſubſidij, & ſine quo nihil poteſt. Vnus eſt proprie Deus qui rem omnem conficit, Ille eſt qui mortificat & viuificat, qui percutit & qui ſanat. Creaturæ ſunt velut Inſtrumentum quibus ad nutum vtitur, & ſine quibus æquæ poſſet ſolus quidquid cum illis facit.

Deut. 32.

Vel ſic interpretare: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam & ego ſanabo*: Quaſi diceret, Tunc maxime adero laturus opem inuocantibus me, quando dejecta erunt omnia, ſi tum in me ſperent; occidam idcirco & percutiam vt de occiſo & de percuſſo

ſperetur, & tum eos viuere faciam & ſanabo. Quia tum ſpes erit purior, ſpes erit certior, & ſic in me ſperantem numquam expectatione ſua defraudabo. Sic Pſaltes Regius: *Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati ſunt quia Deus adjutor eſt eorum: & Deus excelſus, redemptor eorum eſt.* Ac rurſum: *Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, Infirmati ſunt, nec fuit qui adjuuaret: & clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.* *Pſ. 77.* *Pſ. 106.*

Sic vnuſquiſque vt ſperet in deſperatis rebus, apte Propheta: *Qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.* Quò etiam Illud Iobi transferri poteſt: *Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant:* Id eſt, quò res magis acciſæ ſunt & diminutæ, eò ſpes humana minor eſt, ſed Diuina major eſſe debet; quantùm humana deficit, tantùm Diuina ſuficit. TVMVLVS HVMANÆ CONFIDENTIÆ SVNT INCVNABVLA DIVINÆ SPEI, *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo,* tum vel maxime ſpem puram & certam in eum figam. Hæc eſt *ſpei confeſſio*, quam vocat Apoſtolus, *indeclinabilem*, id eſt, *firmam & conſtanter retinendam.* Tibi hoc præcipue dictum puta, quia in hoc præcipue deficis. Et prope illi ſimilis es de quo apud Iobum dicitur, *Non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndique gladium.* *Iſ. 50.* *Iob. 14.* *Ibid. 13.* *Hebr. 10.* *Iob. 15.*

Vide alibi paſſim vbi de Confidentia.

FERIA QVARTA.

DE MVLIERE PECCATRICE QVAE DILEXIT MVLTVM.

Et de Charitate in Deum.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Quæ Charitas dicitur vniuerſa delicta operire, ea prius dicenda eſt vniuerſim aperire.

RATIO EST, Quia Charitas non operit delicta noſtra niſi quatenus ipſa delicta remittuntur.

Sed non remittuntur niſi aperiantur.

Ergo quæ Charitas delicta operit, ea prius aperit; & quanto planius aperit, tanto plenius operit.

I. PVNCTVM.

CIRCA hoc tempus, & in Ciuitate quadam Galilææ, vbi tùm morabatur Dominus, contigit quod de Muliere peccatrice conuerſa, quæ putatur eſſe Maria Magdalena, narrat ſanctus Lucas, poſt Sermonem quendam à Chriſto habitum cum Diſcipulis ſancti Ioannis Baptiſtæ, de quibus aliàs. *Rogabat*, inquit, *Dominum quidam de Phariſæis vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in Ciuitate peccatrix vt cognouit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum Vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*

Videri poſſunt apud Euangeliſtam reliqua, & imprimis expendi quæ Dominus ipſe teſtatur de multa eius Charitate qua factum eſt vt ei remiſſa fuerint peccata multa. Hæc eſt enim Charitas de qua dicitur à Sapiente in Prouerbiis, *quod vniuerſa delicta operit*, ſiue vt referunt ſancti Petrus & Iacobus, *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Quæ quidem de Charitate proximi deque eius delictis ab ea ſufferendis intelligi poſſent: Sed nos hîc ad Charitatem Dei referimus, & ad propria noſtra delicta quæ per illam Charitatem qua Deum diligimus ſic operiuntur, vt ea prius aperiantur; *Neque enim aliter Charitas operit quin ante aperiat; & tanto illud plenius, quanto iſtud planius.*

Prou. 10. 1. Petr. 4. Iac. 5.

Digitized by Google

Quod cùm ſit ad praxim vberrimum, tum præcipue modò eſt expendendum, vt diſcamus quàm clare quàm diſtincte quam plane cuncta ſint in Confeſſione detegenda, ſi volumus ea plene tegi & operiri. Et ratio quæ affertur, exemplo Magdalenæ plurimum illuſtratur, ſicut & huius exemplum ex allata ratione magis declaratur. Quid eſt enim quod in illa muliere & in nobis Charitas vniuerſa delicta operiat niſi quod ipſa delicta remittat, vel quod idem eſt, niſi quod per illam Charitatem remittantur, ſiue, vt vocant diſpoſitiuè, ſiue formaliter, ſiue meritorie, nihil ad rem noſtram refert, cùm hoc certum ſit & indubitatum, quocumque id fiat modo, ſic Charitate operiri & tegi peccata, vt vel ea ſemper Charitas remittat operiendo; vel niſi remittat, numquam operiat neque tegat.

Quodcumque horum Verborum adjungatur in Scriptura cum voce peccatum ſignificante, non alium efficiet ſenſum quam remiſſionem peccati. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata,* id eſt remiſſa, ſic enim de more Hebræorum pars vna verſus, explanat aliam. Sic cum Idem dicit, *operuiſti omnia peccata eorum*; Idem prorſus eſt ac primum quod immediate dixerat, *remiſiſti iniquitatem plebis tuæ.* Sic *ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur,* Id eſt, non remittas ſaltem quoad pœnam ſed ſemper eorum peccatum vindica. *Pſ. 31.* *Pſ. 84.* *2. Eſdr. 4.*

Quid enim aliud eſſe poſſet, operiri & tegi peccatum coram Deo niſi eſſet remitti? An poſſet eſſe peccatum in homine, & ſic tegi vt non videret illud Deus? Quo tandem velo tegeretur, quo tegumento poſſet operiri! Non certe Charitatis quæ tam fidelis eſt Deo ſuo vt ipſa etiam peccatum videre non poſſit quin oderit, & odiendo tollat. *Qui diligitis Dominum, odite malum*; Id eſt, oſtendite vos vere illum diligere, odiendo malum. *Pſ. 96.*

II. PVNCTVM.

SED *non remittuntur peccata niſi aperiantur:* De venialibus quidem non eſt neceſſe omnia ſic aperiri vt non poſſint omitti aliqua, quia nec neceſſe eſt omnia ſimul remitti vt aliqua remittantur, & ſunt præterea plures alij modi quibus aliter remitti poſſint quàm confeſſione. De mortalibus itaque ſola eſt quæſtio, quæ tamen ita eſt euidens vt nulla de his

Digitized by Google

ſupereſſe poſſit dubitatio, quin omnes omnia teneantur aperire quantum quidem meminiſſe poſſunt, & quin omnes in hac parte ſuæ ſatisfaciant Conſcientiæ. Verùm vt alias eſt obſeruatum, *Prou. 13.* nimis verum eſt & nimis viget illud Sapientis Prouerbium, *Animæ doloſæ errant in peccatis.* Sunt quædam ſcilicet ſibi doloſæ animæ, quæ dolo malo ſua ſibi tegunt peccata ne cogantur ea confiteri & deponere, aut ſi prorſus ea ſibi non poſſint ita tegere quin appareant, fingunt ſibi tamen non eſſe adeo grauia vt ſint mortalia, nam mortale quidem ſibi videntur deteſtari; nollent aliena ſurripere, ſed tamen ſibi ſeruare aliqua, quæ ſciunt non eſſe ſua, non verentur. Nollent actum fornicationis aut adulterij committere, ſed tamen affectus in corde prauos fouere & congreſſus liberiores habere non reformidant; nec aperiunt ea in Confeſſione, aut tam leuiter, quaſi nihil eſſet, quia non putant eſſe mortalia; nollent enim mortale vt ſibi fingunt, & cùm præterea nolint ea deponere, nimio enim rerum aut perſonarum affectu detinentur, non poſſunt de his conteri vel atteri; ac proinde nolunt de his confiteri.

Et quidem rectè hi nolunt confiteri de quibus nolunt conteri, ſed malè quod nolint ea deponere; ſed malè quod nolint de illis conteri; ſed male quod non putent ea eſſe mortalia, quia non ſunt grauiora in illo genere quæ committi poſſunt. In hoc nempe ſunt animæ ſibi doloſæ & quæ errant in peccatis; nam ſic ſibi palpant & fingunt, vt eò peccent liberius quo ſe fingunt peccare leuius. Error ſane frequentiſſimus & pernicioſiſſimus; affectata eſt ignorantia quæ non excuſat; ſatis poſſent agnoſcere grauitatem peccati ſi vellent, & velle tenentur quia res eſt tanti momenti vt inde ſalus eorum pendeat, inde nulla *Ep. 4.* Confeſſio, inde nulla remiſſio. *Hanc culpam*, inquit ſanctus Ambroſius, *ſacerdotes non auferunt, neque peccatum eius qui in dolo ſe offert.*

Hæc erant videlicet operienda, ſicut & alia quæuis mortalia vt remitterentur; nec excuſat quod ignores aut quod non putes ita eſſe, quia ſic tibi dolo malo palpas, ſic Conſcientiam obtundis, ſic veram animæ ſcientiam vis ignorare, & ex his eſſe *Iob. 21.* qui dixerunt Deo, vt eſt in libro Iob, *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolimus*; Quod & paulo poſt ibidem ſic declaratur, *Ib. 34.* *De Induſtria receſſerunt à Deo, & vias eius intelligere noluerunt.*

Digitized by Google

Quidquid dicat qui talis eſt, quidquid ad ſui defenſionem excuſet, *Verba oris eius iniquitas & dolus , noluit intelligere , vt bene ageret.* Pſ. 35.
Quod vnum proferunt eſt, quia non putant eſſe mortale ; Sed quod contrà reſpondetur eſt, nolunt putare , nolunt ſcire , & nolle ſcire perinde eſt ac nolle facere, licet ſcias ; nam fraudulenter nolunt ſcire ne ſcilicet teneantur facere quod nolunt , ſi ſcirent eſſe faciendum : quaſi minus eſſet, nolle ſcire quid facias, quam nolle quod ſcias, facere. Sic miſeri clamant in ſuis æternis pœnis : *Iuſtitiæ lumen non luxit nobis : & ſol intelligentiæ non eſt* Sap. 5.
ortus nobis : Nec tamen eorum clamor auditur vt exaudiatur, quia eorum culpa eſt quod non intellexerint quæ ſcire poterant & quæ debebant diſcere. Nonne hoc expaueſcendum ?

III. PVNCTVM.

SIC ergo eſt de his delictis quæ non putantur aperienda quaſi non ſint lethifera, ſic prorſus eſt de his delictis velut de cæteris mortalibus, Quod *quæ Charitas dicitur vniuerſa delicta operire, ea prius dicenda eſt vniuerſim & particulatim aperire*, Cùm alioquin non remittantur, ſicut nec alia non aperta, neque excuſet ignorantia quia eſt voluntaria, quia eſt doloſa & maligna, *Latet enim eos, hoc volentes*, inquit ſanctus Petrus. Et certe hoc eſt 2. Pet. 3.
quo præcipue Mulier illa peccatrix commendatur, hoc eſt quo præcipue pœnitentiam ſuam indicauit, hoc eſt quo præcipuè veniam meruit, quando ſcilicet ſic vniuerſim ſe peccatricem detexit & aperuit, vt non minus ſe fateretur peccaſſe in his quæ putantur leuia quàm quæ grauiora cenſentur. Idcirco enim in oculos & in capillos ſuos piè deſæuit vt quod in illis peccauerat, quantumcumque minus eſſet & leuius, non minus tamen confiteretur & plangeret quam quod peccaſſe poſſet grauius.

Sic præclare de illa ſanctus Gregorius, *Oculis terrena concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lachrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Vnde poſt multa concludit ; *Ad vos ergo fratres, ad vos* Hom. 33. in Euang.

Digitized by Google

oculos mentis reducite, & pœnitentem peccatricem mulierem in exemplum vobis imitationis anteferte. Quæcumque vos in adoleſcentia, quæcumque in Iuuentute deliquiſſe meminiſtis, deflete, morum operumque maculas lachrymis tergite. Quaſi diceret, cùm Iuniores & liberiores in peccando eſſetis, non putabatis eſſe lethalia & confitenda quæ iam in cultu Dei prouecti agnoſcitis non fuiſſe prætermittenda: Quamobrem *illa vobis in mentem & confeſſionem reuocate, quantiſque modo digna fletibus eſſe perſpicitis, tantum ea flete, & ſic omiſſas culpas diluite.*

Sic ſanctus Ambroſius, vbi de Lazaro fratre Mariæ Magdalenæ; *IESVS compatitur Dilectæ ſuæ & dicit defuncto Lazaro, veni foras: hoc eſt, quid iaces in tenebris Conſcientiæ, & delictorum tuorum ſordibus, quodam reorum carcere? Exi foras, delictum tuum prode, vt iuſtificeris: Ore confeſſio fit ad ſalutem.* Obſerua vocari *tenebras Conſcientiæ & quendam reorum carcerem*; Vt deſignet ibi eſſe aliquid quod ignoretur & quod tamen ignoratum non excuſet, quia crimen eſt, hoc ignorare: & huius criminis rei detinentur in quodam veluti carcere Conſcientiæ, quia captiui & cruciati tenentur à ſua cupiditate quæ dum impedit ne ſe cognoſcant & aperiant, valde angitur, & damnoſus planè ſtatus de quo cogitare & apud alios dicere non ſemel aut aliquoties ſed crebro neceſſe eſt. Vide quæ his affinia tranctantur in 1. parte, tota Hebdomada 3. poſt Epiphaniam.

l. 1. de Pænit. c. 7.

Plures aliæ Veritates de Charitate & Contritione poſſent hîc exponi, quas ſatis erit proponere.

Amantis lachrymæ eò ſuauiores, quò amariores.

RATIO EST, Quia tales lachrymæ tantò ſunt ſuauiores, quantò ſunt magis ſatisfactoriæ. Sed quò ſunt amariores, tanto ſunt magis ſatisfactoriæ. Ergo & ſuauiores. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. VADE in pace. SCIVNT*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *qui eius quod dico, fecerunt periculum, quantam lætitiam habeant hi fontes lachrymarum.* Vide in 2. parte, Dominica in albis. *Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris.*

Iſ. 38. *In Pſ. 6.* *Iſ. 12.*

Alia vero Veritas ſic inuerſo modo poſſet formari.

Amori nihil eſt amarius, quàm quod ſentitur ſuauius.

RATIO EST, Quia quod ſentitur ſuauius eſt ipſe amoris ſeu dilectionis actus.

Sed

Sed amori nihil eſt amarius ipſa dilectionis actu. Siue propter peccata quibus aliquando dilectum offendit vel quibus adhuc offenditur: ſiue quod non ſatis amet quem agnoſcit tot modis diligendum: ſiue quod ſe videat ab eo ſeparatum cui ſe vnitum vellet ardentiſſime, ſiue ob alias cauſas: certum eſt quod ſit amara quædam *mors & dura ſicut Infernus æmulatio*, qua de re inter alios, *Cant. 8.* Richardus à ſancto victore de quatuor gradibus huius quam vocat *violentæ Charitatis*: quam dicunt *ſuauem quandam eſſe tyrannidem, piam ſæuitiam, & optandam crudelitatem.*

Alia his conformis Veritas:

Nihil eſt ad amorem augendum magis præſens, magis opportunum, magiſque appoſitum, quam quod amori fuit aliquando magis oppoſitum.

RATIO EST, Quia nihil amori fuit aliquãdo magis oppoſitum quàm peccatum & quæ peccati ſunt cauſæ, vel effectus, vt ſunt vanitates ſæculi, mundi illecebræ, & vitæ mollioris deliciæ.

Sed animæ conuerſæ à peccato, & amanti Deum ſuum nihil eſt ad amorem ſuum augendũ magis præſens, magiſque appoſitum, quàm ſui peccati quondam admiſſi conſideratio & deteſtatio; Sic enim mirum quantum Dauid Magdalena, Petrus, Auguſtinus, & alij peccatores in Amorem Diuinam excreuerunt cogitantes ſe Illum offendiſſe quem cognoſcunt tantopere diligendum. *Peccatum meum contra me eſt ſemper. DILIGENTIBVS Deum omnia* *Rom. 8.* *cooperantur in bonum*, Etiam ipſa peccata, vt diſerte ait ſanctus Auguſtinus, *Quid ergo? peccabimus vt magis Deum amemus?* Abſit, *l. de Correpti & Grat. c. 1.* ſed potius quia iam nimis in eum peccauimus, ſic peccata defleamus, vt noſtris fletibus in amorem eius emolliamur & toti colliqueſcamus.

Amanti Deum animæ magis mirum eſt, quòd non à mundo ſic ametur & colatur Deus, quàm ſit mirum Mundo non amanti, quòd ab Amante ſic ametur.

RATIO EST, Quia vbi eſt potior ratio cur aliquid fiat, magis mirum eſt ſi non fiat, quàm aliud cuius efficiendi non eſt par ratio.

Digitized by Google

Sed longe eſt potior ratio cur Deus à mundo ſic ametur & colatur, vt ab amante colitur, quàm vt non ametur ſicut à mundo non amatur. Ergo id magis mirum. Et tamen ita ſtupet mundus ad aſpectum vnius amantis Deum, & tam illi mirum videtur quod ita Deum amet: vt quia mirum ſic videtur, paucorum id eſſe videatur, & non cuiuſuis animæ quæ tamen tota facta eſt ad amandum Deum ſuum!

Si ſcires quid ſit offendiſſe Deum, non minus forte fleres, quam hæc peccatrix mulier. At vero non excuſaris quod illud neſcias.

RATIO huius poſtremæ partis quæ ſola videtur probanda, hæc eſt quod non excuſeris ſi illa neſcias quæ potes & teneris ſcire. Sed potes & teneris ſcire quid ſit offendiſſe Deum. Ergo non excuſaris quod neſcias. Et tamen hoc vno videris duritiam cordis tui probare.

Amor Dei mors eſt ſui.

RATIO EST, Quia verus amor ſic amantem in amatum tranſmutat, vt amantis anima ſit potius vbi amet quam vbi animet. Sed talis tranſmutatio mors eſt ſui. Ergo & amor Dei qui verus eſt amor, mors eſt ſui, aut non eſt verus amor, vnde tam certum eſt paucos verè amare Deum quàm certò liquet paucos ſibi eſſe mortuos. Vide infra in Feſto S. Mariæ Magdalenæ, Die 22. Iulij.

FERIA QVINTA.

DE FVGATO DÆMONIO CAECO ET MVTO;

Atque de noſtra per Chriſtum Fortitudine contra Inimicos.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet, ſi autem fortior eo ſuperue-

Digitized by Google

niens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Luc. 11.

VERITAS PRACTICA.

Qua facilitate vincimur, eadem vincere poſſumus.

RATIO EST, *Quia idcirco vincimur, quòd nolimus decertare & vincere.*

Sed eadem facilitate poſſumus velle quod nolumus.

Ergo & eadem vincere qua vincimur, adjuuante ſcilicet Chriſto Domino qui dat velle & poſſe.

I. PVNCTVM.

QVOD ſancti Matthæus & Lucas non niſi poſt alia multa referunt de Dæmonio per Chriſtum eiecto, id ſanctus Marcus ad hanc noſtram hiſtoriæ ſeriem conſequenter videtur attexere. Sic porro res habet. Cùm oblatus eſſet Domino quidam Dæmonium habens, cæcus & mutus, ſtatim ita curauit eum vt rectè loqueretur & videret. Quod dum admirantur turbæ, Pharizæi calumniantur & audent blaſphemando dicere, *hic non ejicit Dæmones niſi in Beezebuth principe Dæmoniorum:* Tùm verò IESVS calumniam multis refutat ac de ſua in Dæmonem poteſtate fuſius diſſerit, quæ videri poſſunt, & ita conſiderari vt mireris & inquiras apud te vnde tandem fieri poteſt quod ita Dæmon contra nos adhuc præualeat, qui victus, ſpoliatus, & exarmatus à Chriſto eſt. Non aliunde profectò accidit niſi quod ſponte cedimus Inimico; Nolumus contrà obſiſtere, contrà decertare & vincere; Nam ſi vellemus, poſſumus: *Et qua facilitate vincimur, eadem plane cum Chriſto vinceremus.*

Matth. 12. Luc. 11. Marci. 3.

Digniſſima certe Veritas quæ attente perpendatur: Ac primum illud indubitatum eſt quod idcirco tantum vincimur quod nolimus decertare. Neque enim vt præclare ſanctus Ioannes Chry-

ſoſtomus, *ſua fortitudine fortes ſunt Inimici noſtri, ſed noſtrâ ignauiâ*; Nam quamtumlibet importunè, acriter & moleſte nobiſcum pugnent, ſi tamen nolimus peccato conſentire, nihil efficient; Nam de hoc noſtro conſenſu eliciendo totum eſt quod inter nos agitur negotium & certamen; Vnde fit vt ſicut non vincimur niſi quia conſentimus, ita non conſentimus niſi quia nolumus contra reſiſtere & decertare, malumus cedere quam pugnare & vincere.

In Pſ. 91. *Aures tuæ*, inquit ſanctus Auguſtinus, *poſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem, quare huc flectuntur, hinc auertuntur? Non ceſſat Satanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit inuitum, In tua poteſtate eſt conſentire aut non conſentire. Si aliquid perſuadente Satana mali feceris, dimitte Satanam, accuſa te.* Et alibi. *Serm. 197. de Temp.* *Alligatus eſt tamquam innexus canis catenis & neminem poteſt mordere niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate conuinxerit. Iam videte, fratres, quàm ſtultus eſt homo ille quem canis in catena poſitus mordet.* Et quæ plura ibi habet, partimque iam ſuprà ſunt commemorata. Sic egregie ſanctus Gregorius Nazianzenus: *In Sent. Tetraſt. 52.* *Quid nos omnibus in rebus miſerum hoſtem, nempe Diabolum accuſamus, eique noxas omnes noſtras aſcribimus, cùm ipſi ſcelerata noſtra viuendi ratione poteſtatem demus? Tibi ipſi vel ſoli potiſsimum ſuccenſe. Ignis enim noſter eſt, flamma autem aduerſi ſpiritus.* Adde his *Exhort. ad Caſt.* Tertullianum: *Princeps generis & delicti Adam voluit quod deliquit*, & poſt pauca: *Diaboli opus vnum eſt tentare quod in te eſt, an velis: At vbi voluiſti, ſequitur vt te tibi ſubigat, non operatus in te voluntatem,* *In Hemartig.* *ſed nactus poſſeſsionem voluntatis.* Quod & verſibus non contemnendis ſcite Prudentius cecinit.

Ille quidem fomes noſtrorum & cauſa malorum eſt.
Sed tantum turbare poteſt, aut fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito ſuggeſta leoni
Armamenta damus.

O nos profecto miſeros, ſed non miſerandos, qui ſcientes volentes ſic in noſtram perniciem facile ruimus, vt non aliter ab hoſte vincamur quàm quia nolumus vincere.

II. PVNCTVM.

SED *eadem facilitate qua nolumus, poſſemus cum Chriſto & velle & vincere.*

Digitized by Google

Ipſum velle, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſi volumus eſt; ſi nolumus non eſt. Non enim vellemus, ſi nollemus.* Itemque alibi, *peccatum eſſe tam liberum & voluntarium ſcribit, vt hoc à Paſtoribus cantetur in montibus: à poetis in theatris: ab indoctis in circulis: à doctis in bibliothecis: à magiſtris in Scholis: à Pontificibus in templis: à genere humano in orbe terrarum.* Sic apte ad rem noſtram Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Arbitrij libertas parem in vtramque partem, motum habet.* Id eſt, æque poteſt cum gratia velle, ac poteſt nolle. Hæc ſola eſt differentia, quod ex ſe poſſit velle malum & nolle bonum: non poſſit autem velle bonum ſine gratia; ſed vt præclare ait ſanctus Auguſtinus: *Liberum arbitrium non ideo tollitur quia iuuatur: ſed ideo iuuatur quia non tollitur.* l. 5. de Ciuit. c. 10. l. de Duab. anim. c. 11. In Apologetico. Ep. 89.

Quantam autem facilitatem ad volendum & vincendum à Diuino recipiamus auxilio, ſic luculente ſanctus Hieronymus ad Euſtochium: *Si Dæmonum*, inquit, *te multitudo turbauerit, & ad ſingula incitamenta vitiorum cœperis æſtuare, & dixerit tibi cogitatio tua, quid faciemus? Reſpondebit tibi Elizeus, noli metuere quia plures nobiſcum ſunt quàm cum illis; & orabit & dicet, Domine aperi oculos puellæ tuæ vt videat: & apertis oculis videbis igneum currum qui te ad exemplum Eliæ in aſtra ſuſtollat, & tunc læta cantabis: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Quo de argumento fuſiſſimè Caſſianus tota Collatione ſeptima & octaua. Sed hîc modo ſufficiat expendere quod inde documentum proponit ſanctus Auguſtinus, ad afficiendam voluntatem, ſicut ante ad inſtruendum intellectum: Sic enim non minus pie quam breuiter: *Suadere Diabolus & ſollicitare poteſt: cogere omnino non poteſt: & ideo cum per Dei adiutorium in tua poteſtate ſit, vtrum conſentias Diabolo; quare non magis Deo quàm ipſi obtemperare deliberas?* Ep. 22. de Cuſt. Virg. Hom. 12. inter 50.

III. PVNCTVM.

S*IC ergo non modò manifeſte patet quod quà facilitate vincimur, eadem poſſumus vincere:* Sed etiam euidenter admonemur, vt quanti noſtra refert in hac pugna vinci vel vincere, tantum ſtudij & vigilantiæ deinceps adhibeamus: vt quod æque cum Chriſto poſſumus, vincamus potius quam vincamur. *Subditi ergo eſtote Deo*, inquit ſanctus Iacobus: *reſiſtite autem Diabolo & fugiet à vobis:* Quaſi diceret: Alterutri horum duorum vos eſſe oportet ſubditos: vel Deo vel Diabolo: Videte vero ſimul conjunctim Iac. 4.

Digitized by Google

quanta ſit vtriuſque diſtantia: Et cum in veſtra poſitum ſit libertate, vtri vos eorum ſubdatis; videte num ſit ſatius, Deo ſubdi quam Diabolo. Neque vero difficultatem pugnæ vel victoriæ cauſemini, nam hoc vnum à vobis deſideratur, vt *reſiſtatis Diabolo*, vt contrà ſtetis, vt ne illi aſſenſum detis, & hoc ſufficit, ſic enim ſtatim fugiet. Quid eſt autem facilius quam negare aſſenſum? Licet enim ad illum eliciendum multas proponat hoſtis illecebras; plus tamen valet Gratia ſiue ad retundenda Inimici tela, ſiue ad acuendos pugnantium animos, quàm poſſint vlli

1. Ioan. 4 contra nos aduerſarij. *Major eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo*, inquit alius Apoſtolus.

1. Pet. 3. At vero Princeps Apoſtolorum. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Cui cohærens ſanctus Bernardus, hæc

Serm 85 in Cant. apte ad noſtrum propoſitum: *Si Diabolo ſuggerente vel ſæculo ſuadente quod non oportet, aſſenſum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiſeris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probaſti, cui malitia omnino nil nocuit, vide ne magis profuerit.* Et nonnullis interjectis, vt oſtendat quanta id facilitate poſſis cum Chriſto: *Quidni omnia poſſibilia ſunt innitenti ſuper eum qui omnia poteſt? Quantæ fiduciæ vox, omnia poſſum in eo qui me confortat! Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quod*

l. de Parad. c. 2. *omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant.* Ingentis etiam audaciæ vox illa ſancti Ambroſij, *Non metuamus Diabolum qui euſque infirmus eſt, vt & ipſe caſurus ſit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam, ſed non accepit copiam ſubruendi, niſi ſua ſponte labatur infirmus affectus qui ſibi auxilium non norit accerſere.*

Ep. 1. Denique rem totam videtur conficere peramica illa quæ eſt Pici Mirandulani adhortatio ad pugnam: *Vocatur ad coronam qui vocatur ad pugnam, atque ad eam præſertim in qua nemo vinci poteſt inuitus: neque aliis nobis vt vincamus viribus opus eſt, quam vt vincere ipſi velimus. Magna Chriſtiani fælicitas, quoniam & in eius arbitrio poſita eſt victoria, & omnis vincentis voto, omnique expectatione*

Nahum 2. *majora ſunt futura præmia. CONTEMPLARE viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.*

Vide in 1. parte, & in aliis, vbi de fortitudine; nominatim verò In die S. Stephani qui plenus gratia & fortitudine ſic nos certare fortiter docuit, vt iniuriam inferat Gratiæ maximam qui ſic non certat fortiter. Et in 4. parte, Fer. 4. Hebdom. 21.

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

DE VERBIS OTIOSIS IN DIE IVDICII CONDEMNANDIS.

Et de vſu Temperantiæ in continenda lingua.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. 12.

VERITAS PRACTICA.

Quæ eſt Regula Temperantiæ in edendo, eadem eſt in loquendo.

RATIO EST, Quia regula Temperantiæ in edendo, eſt neceſſitas.
Sed hæc eadem eſt in loquendo regula.
Ergo quæ eſt regula Temperantiæ in edendo, eadem eſt in loquendo.
Vnde ex oppoſito hæc alia Veritas ſic formari poteſt:

Eadem eſt oris intemperantia in loquendo, quæ eſt in edendo.

RATIO EST, Quia vbi eſt eadem regula Temperantiæ contra quam peccetur, ibi eſt eadem oris Intemperantia.
Sed eadem eſt regula Temperantiæ in loquendo quæ eſt in edendo.
Ergo & eadem vtrobique dicenda eſt oris Intemperantia, & ex æquo deteſtanda ſimul ac fugienda.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

CVM Chriſtus Dominus Phariſæorum ſermonem impietatis & blaſphemiæ condemnaſſet, tunc de pernicioſo linguæ abuſu ac de loquendi vitiis multa diſſeruit, quæ non modo præſentes qui aderant, ſed & abſentes quoſque ſpectabant vt inde proficerent. *Progenies viperarum*, inquit, *quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali! Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Formidanda certe ſententia, & ad continendam linguam valde opportuna.

Sed quia quid ſit verbum otioſum aut quale ſit malum, vix nouimus; ex notiori aliquo vitio deducenda eſt notitia, & audienda Veritas quâ refertur, *Vel Eandem eſſe regulam Temperantiæ, vel Eandem eſſe oris Intemperantiam in loquendo, quæ eſt in edendo.* Quid notius & quid probroſius quàm hæc ciborum incontinentia? *Inter omnia vitia humana, vitium intemperantiæ maxime exprobabile eſt*, inquit ſanctus Thomas: Vnde ſi hoc vitium tale ſit in loquendo quale eſt in edendo, profecto erit etiam quod intemperate loquentem non minus pudefaciat quàm intemperate comedentem. Iam vero videamus quanta ſit paritas in vtroque: Quid eſt enim & vnde cognoſcitur oris intemperantia in comedendo? Quando videlicet inordinate ſupra quàm neceſſe eſt aut quàm decet, cibi ſumuntur: Nam ſicut Regula Temperantiæ ſumitur ſecundum neceſſitatem præſentis vitæ: Ita Intemperantia quæ eſt illi oppoſita dignoſcitur prout has neceſſitatis excedit regulas. Expreſſus eſt & egregius hac de re ſancti Thomæ articulus vbi concludit, *Omnia delectabilia quæ in vſum hominis veniunt, ordinari ad aliquam huius vitæ neceſſitatem ſicut ad finem. Et ideo Temperantia*, inquit, *accipit neceſſitatem huius vitæ ſicut regulam delectabilium quibus vtitur, vt ſcilicet tantum eis vtatur, quantum neceſſitas huius vitæ requirit*: Aſſertque illud celebre ſancti Auguſtini dictum: *Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam vtroque teſtamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt vſurpet, vtentis modeſtia, non amantis affectu.*

2. 2. q. 143. a. 4.

2. 2. q. 141. a. 6.

l. de Mor. Eccl. c. 21.

Cum

Cum quis ergo rerum earum quæ delectabiles ſentiuntur, pluſquam ſatis eſt aut ſupra quod ſufficiat immodeſto & inordinato vſurpat appetitu, ea vniuerſim intemperantia dicitur, & particulatim oris intemperantia, cùm circa cibum & potum talis verſatur inordinatio. Multi quidem à ſanctis Patribus afferuntur modi quibus pro variis circumſtantiis peccari poſſit in hac materia: ſed quod præcipuum eſt caput, ſpectat exceſſum quo temperantiæ regula quæ honeſtæ, & rationabilis neceſſitatis formata eſt legibus, violatur. *Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis. VAE vobis qui ſaturati eſtis. CARNIS curam ne feceritis in deſideriis. Quæ fieri in deſiderio prohibetur*, ait ſanctus Gregorius, *in neceſſitate conceditur. Sed ſæpe dum incautè neceſſitati condeſcendimus, deſideriis deſeruimus. Quamobrem qui temperantiæ ſtudent quaſi quidam rectiſſimi arbitri inter neceſſitatem voluptatemque conſtituti, hanc conſolando ſubleuant, illam premendo frænant*, ſic Idem alibi fuſius. Nonne id tibi videtur æquum? Nonne vel nomen crapulæ deteſtaris?

Caſſian. Coll. 5. c. 11. S. Greg 30. Mor. 27. Pſ. 77. Luc. 6. Rom. 13. l. 30. Mor. c. 28. 30 Mor. 15.

II. PVNCTVM.

S*ED hæc eadem eſt in loquendo regula: ſic ad temperatæ per rectam rationem neceſſitatis & vtilitatis leges moderanda eſt lingua.*

Sic enim temperanda eſt lingua vt per eam omnino non peccetur, cùm omne prorſus peccatum ſit euitandum. At vero non poteſt intelligi quomodo aliter peccatum loquendo euitetur, niſi loquela his neceſſitatis vel vtilitatis legibus temperetur. Nam cùm verbum otioſum arguatur à Domino tamquam malum, de quo ſit reddenda ratio, ſeu de quo pœna ſit exigenda in die Iudicij: nihilque aliud ſit verbum otioſum vt ſancti Patres affirmant, imprimiſque S. Gregorius, *Quàm quod ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret*, Nonne euidenter infertur, loquendi regulam eſſe neceſſitatem vel vtilitatem? Cum alioquin niſi eſſet neceſſitas, peccaretur loquendo, nec aliter peccaretur quàm quod regula temperantiæ hic ſeruandæ & quæ neceſſitatis lege conſtringitur non ſeruaretur.

Baſil. in Reg. br. q. 23. 3 p. Paſtor. adm. 15. S. Bern. infrà.

Hinc illud Sapientis valde aptum; *Adoleſcens, loquere in cauſa tua vix: ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum*; Quaſi diceret: ne loquaris niſi in magna neceſſitate, cumque etiam neceſſitas loquendi te vrgebit, vt accidit in cauſa noſtra, caue *Eccleſi 32.*

Digitized by Google

multiplices ſermonem, ſed quàm breuiter expedi & ſermonem contrahe. Quod & ipſum multis & variis loquendi modis vniuerſa Scriptura exprimit, vt cum ait: *In multiloquio non deerit peccatum.* *QVI multis verbis vtitur, ladet animam ſuam.* *INDISCIPLINATAE loquela non aſſueſcat os tuum, eſt enim in illa verbum peccati.* *SIT ſermo veſter, Eſt eſt, Non non; quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Quid clarius? Quid expreſſius? Siue vt vitium in ſe, ſiue vt in te cognoſcas?

Pr. 10. Ib. 20. Eccleſ. 13 Matth. 5.

III. PVNCTVM.

EADEM *eſt igitur regula Temperantia, ac proinde eadem prorſus eſt oris intemperantia in loquendo atque in comedendo:* Vtrumque enim ad Temperantiam refertur, cuius eſt proprie moderari affectum & vſum circa delectabilia: & ita moderari vt intra leges & terminos honeſtæ neceſſitatis vel vtilitatis contineantur: vnde ſi comedendo Temperantia propter violatas neceſſitatis leges & regulas violatur, cur non in loquendo? Cur dicetur intemperans qui neceſſitatem aut modum comedendi non ſeruat; aut cur eodem nomine non infamabitur cæteris paribus qui ſupra quàm neceſſe eſt aut quam minus decet, libere loquitur? An quia non tale eſt Iudicium hominum? An quia non ſic de vtroque ſentimus? Non ſic apparet inordinate loquentis vitium ſicut comedentis? Verum ô homo tu quis es? Si Deus contra ſentit, ſi Iudex ipſe qui nec falli nec fallere poteſt ita condemnat loquentem vt de verbo otioſo futurum ſit iudicium & ex verbis ſuis homo ſit condemnandus, quis leue putet vel leuiter loqui? An fruſtra putas Scripturam loqui? Certe numquam magis verboſa, ſi fas ita loqui, quam cum de verbis temperandis loquitur; Quorſum verò tot verba, tot Sententiæ, tot multiplicatæ rationes de hoc argumento niſi vt id grauius & momentoſius quàm cogitari vulgò ſolet cogitemus?

Et certe ſic videtur Sapiens vtrumque ſimul complexus cum dixit: *Omnis labor hominis in ore eius:* Cuius dicti duplex hic ſenſus eſt: Primus, idcirco laborandum eſt hominibus vt comedant, vt huic neceſſitati ſeruiant. Secundus, In hoc præcipue laborandum eſt omnibus vt os ſuum ſiue linguam ſuam cuſtodiant; In In quem ſenſum monebat Eccleſiaſticus; *Ori tuo facito oſtia &*

Eccle. 6.

Eccleſ. 28.

Digitized by Google

ſeras: aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos: & attende ne forte labaris in lingua. Id eſt, impende in hunc finem quidquid habes pretioſius, nulli labori, nulli prorſus impenſæ propterea parcas, nulla in re putes tibi magis laborandum. Vnde & Idem: *Quis dabit ori meo cuſtodiam & ſuper labia mea ſignaculum certum vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me?* Hinc illa Iobi tremenda confeſſio: *Qui leuiter locutus ſum, reſpondere quid poſſum? Manum meam ponam ſuper os meum. Vnum locutus ſum quod vtinam non dixiſſem, & alterum, quibus vltra non addam:* Vbi hæc egregie ſanctus Gregorius: *Sancti viri ante Dei oculos ſtudent culpas linguæ tegere meritis vitæ, ſtudent bonorum operum pondere premere immoderata Verborum, vnde in ſancta Eccleſia manus ſuper os ponitur, dum in electis eius quotidiè, otioſæ locutionis vitium, bonæ actionis virtute operitur.* Itane cogitas de expiandis otioſis verbis tuis? Mirum quantos in fletus propterea erumpat ſanctus Auguſtinus vt videre eſt in his quæ de ſe ipſe confitetur.

Ibid. 22. *Iob. 39.* *l. 32. Mor. c. 2.* *l. 10. Conf. c. 37.*

Sed ſi otioſa verba tantùm requirunt ſtudij & laboris vel vt euitentur vel vt lapſa purgentur, quid alia grauiora? Quid ſcurrilia? Quid detrahentia? Quid impudica? *Quodſi de omni vel otioſo verbo, quodcumque locuti fuerint homines,* inquit ſanctus Bernardus, *Deo ſint reddituri rationem in die iudicij: quantò diſtriſtius de verbo mendaci, mordaci & iniurioſo? De elato vel laſciuo, de adulatorio aut detractorio iudicabuntur? Quàm vera ſententia, fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum? Vt enim prætercam cætera, ſi propterea eſt otioſum verbum quod nullam rationabilem cauſam habeat, quam rationem de eo reddere poterimus quod eſt præter rationem? Nemo veſtrum, fratres, parui æſtimet tempus quod in verbis conſumitur otioſis: ſi quidem tempus acceptabile eſt & dies ſalutis. Volat verbum irreuocabile: volat tempus irreuocabile, nec aduertit inſipiens quid amittat. Libet fabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ô donec pertranſeat tempus!* Et poſt pauca: *Vtinam tamen vel ſolum tempus vitæ amitteretur in verbis, ſed multi in his etiam vitam amittere comprobantur, ſed adimere quoque, & hoc fratribus ſuis?* Et nonnullis interjectis: *lingua modicum membrum eſt, ſed niſi caueas, magnum malum. Tenuis eſt & lata, aptiſſimum vacuandis cordibus inſtrumentum, ſicut multorum mihi inter vos conſcientias arbitror atteſtari: niſi forte omnes tam perfecti ſimus, vt numquam nobis poſt longas confabulationes inuenta ſit mens quodammodo vacua, meditatio minus deuota, ſicca*

Sermone de Triplici cuſtodia.

Digitized by Google

magis affectio, & holocauſtum orationis non adeo pingue, propter verba ſiue quæ diximus, ſiue etiam quæ audiuimus, Verba tamen, facile enim lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, itaut multis inter loquendum minus profuerit quod propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam.

Vide in 1. parte, Die 14. Ianuarij:

Nemo ſecurè apparet niſi qui libenter latet.
Nemo ſecurè loquitur niſi qui libenter tacet.

SABBATO.

DE INIVSTA PETITIONE SIGNI COELESTIS QVOD IVDAEI QVAESIERVNT A DOMINO:

Et de iuſta eiuſdem negatione.

Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Matth. 12.

VERITAS PRACTICA.

Niſi diligenter aduertas: Quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod petis iniuſtius.

RATIO EST, Quia tanto quid injuſtius petitur, quanto magis appetitur obtineri non ſeruatis ſeruandis.

Sed quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod maxime appetis obtinere, non ſeruatis ſeruandis.

Ergo & illud eſt quod petis iniuſtius. Quod certe patet quàm ſit corrigendum.

I. PVNCTVM.

ADDVNT Iudæi ad ſuas blaſphemias, hanc etiam impietatem & audaciam vt non contenti miraculis, quæ tam multa coram ipſis patrabat Dominus, petant pro ſuo libito ſignum quoddam cœleſte: vel vt ignis in morem Eliæ de cœlo decidat, vel ſicut accidit tempore Samuelis, ſine vlla naturali cauſa, tonitrua mugiant, coruſcent fulgura, imbres ruant. *Et alij tentantes*, inquit Euangeliſta, *Signum de cœlo quærebant ab eo*; oſtendat videlicet ſe in cœlo aliquid poſſe, quaſi vellent illi leges præſcribere; ſic enim apud ſanctum Matthæum, audent loqui, *Volumus à te ſignum videre*. O Impudentiam non ferendam! Tum verò Dominus, *Generatio mala & adultera ſignum quærit & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, ſicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ. Viri Niniuitæ & Regina Auſtri ſurgent in Iudicio cum generatione iſta & condemnabunt eam.* Quibus in Verbis aduerte non modo iuſte negari à Domino quod iniuſte petebant Iudæi, ſed hos præterea caſtigari teſtimonio Infidelium qui majorem fidem & pietatem minori de cauſa demonſtrarunt. O quam multis Sacerdotibus, Religioſis & alij Ingenio ſeu Gratia præſtantioribus idipſum exprobrari poſſet! quàm multi laici & inferioris notæ homines illis pietate præſtant!

Luc. 11.

Sed quod attentius conſiderandum eſt: Nonne id nobis occidit quod Iudæis, vt neglectis ordinariis mediis ad ſalutem & perfectionem noſtram, inſolita quædam & extraordinaria requiramus! Nonne ſignum è cœlo petimus, nonne majores pietatis ſenſus quàm ſentimus? Nonne clariora fidei Chriſtianæ argumenta, & vehementiora quædam perfectionis incentiua? Quàm injuſta hæc & iniqua ſint omnia poſtulata quis non videt? Aut certe ſi quid iuſtius tibi videtur & æquius petendum à Domino, ſi quod donum cœleſte, ſi quæ virtus, ſi quæ Gratia, Vide quo illam modo, vide quam iuſte aut injuſte petas. *Nam niſi diligenter aduertas, quod petis iuſtius à Domino, hoc eſt quod petis injuſtius.* Mirum certe & prope contradictorium; ſed tamen verum & ſatis euidens attente conſideranti Rationem quæ proponitur, & quæ in eo præcipuè fundatur, quod tanto quid injuſtius petitur, quanto illud

magis affectio, & holocauſtum orationis non adeo pingue, propter verba ſiue quæ diximus, ſiue etiam quæ audiuimus, Verba tamen, facile enim lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, itaut multis inter loquendum minus profuerit quod propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam.

Vide in 1. parte, Die 14. Ianuarij:

Nemo ſecurè apparet niſi qui libenter latet.
Nemo ſecurè loquitur niſi qui libenter tacet.

SABBATO.

DE INIVSTA PETITIONE SIGNI COELESTIS QVOD IVDAEI QVAESIERVNT A DOMINO:

Et de iuſta eiuſdem negatione.

Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Matth. 12.

VERITAS PRACTICA.

Niſi diligenter aduertas: Quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod petis iniuſtius.

RATIO EST, Quia tanto quid injuſtius petitur, quanto magis appetitur obtineri non ſeruatis ſeruandis.

Sed quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod maxime appetis obtinere, non ſeruatis ſeruandis.

Ergo & illud eſt quod petis iniuſtius. Quod certe patet quàm ſit corrigendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

ADDVNT Iudæi ad ſuas blaſphemias, hanc etiam impietatem & audaciam vt non contenti miraculis, quæ tam multa coram ipſis patrabat Dominus, petant pro ſuo libito ſignum quoddam cœleſte: vel vt ignis in morem Eliæ de cœlo decidat, vel ſicut accidit tempore Samuelis, ſine vlla naturali cauſa, tonitrua mugiant, coruſcent fulgura, imbres ruant. *Et alij tentantes*, inquit Euangeliſta, *Signum de cœlo quærebant ab eo*; oſtendat videlicet ſe in cœlo aliquid poſſe, quaſi vellent illi leges præſcribere; ſic enim apud ſanctum Matthæum, audent loqui, *Volumus à te ſignum videre.* O Impudentiam non ferendam! Tum verò Dominus, *Generatio mala & adultera ſignum quærit & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, ſicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ. Viri Niniuitæ & Regina Auſtri ſurgent in Iudicio cum generatione iſta & condemnabunt eam.* Quibus in Verbis aduerte non modo iuſte negari à Domino quod iniuſte petebant Iudæi, ſed hos præterea caſtigari teſtimonio Infidelium qui majorem fidem & pietatem minori de cauſa demonſtrarunt. O quam multis Sacerdotibus, Religioſis & alij Ingenio ſeu Gratia præſtantioribus idipſum exprobrari poſſet! quàm multi laici & inferioris notæ homines illis pietate præſtant! Luc. 11.

Sed quod attentius conſiderandum eſt: Nonne id nobis occidit quod Iudæis, vt neglectis ordinariis mediis ad ſalutem & perfectionem noſtram, inſolita quædam & extraordinaria requiramus! Nonne ſignum è cœlo petimus, nonne majores pietatis ſenſus quàm ſentimus? Nonne clariora fidei Chriſtianæ argumenta, & vehementiora quædam perfectionis incentina? Quàm injuſta hæc & iniqua ſint omnia poſtulata quis non videt? Aut certe ſi quid iuſtius tibi videtur & æquius petendum à Domino, ſi quod donum cœleſte, ſi quæ virtus, ſi quæ Gratia, Vide quo illam modo, vide quam iuſte aut injuſte petas. *Nam niſi diligenter aduertas, quod petis iuſtius à Domino, hoc eſt quod petis injuſtius.* Mirum certe & prope contradictorium; ſed tamen verum & ſatis euidens attente conſideranti Rationem quæ proponitur, & quæ in eo præcipuè fundatur, quod tanto quid injuſtius petitur, quanto illud

Digitized by Google

magis appetitur obtineri non ſeruatis ſeruandis, Id eſt, non ſeruata iuſtitia, non obſeruato rerum ordine quem ſtatuit Deus in obtinendis rebus.

Sicut cum mater filiorum Zebedæi petiit à Domino filiis ſuis vt primas apud ipſum obtinerent ſedes, injuſta valde fuit petitio, quia non ſic illæ ſedes primariæ conceduntur cognationi & parentelæ prout ſibi concedi Mulier appetebat: ſed alia erant ſtatuta quædam media quibus eò gradatim erat deueniendum. Bibendus erat Calix Domini, & baptiſmo quodam baptiſandi erant, cuius nondum erant capaces: nec proinde illarum digni ſedium quas cum matre filij ambiebant.

Sic Diuina Sapientia ſeu Prouidentia, qua Deus res adminiſtrat,
Sap. 8. dicitur in Scripturis, *attingere à fine vſque ad finem fortiter, & diſpo-*
Ibid. 11. *nere omnia ſuauiter*; ſeu vt ibidem habetur, *omnia in menſura, &*
Pſ. 24. *numero & pondere diſponere*. Quod Pſaltes Regius ſic piè decantabat: *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & Veritas requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius*, Id eſt, modus procedendi quem ſeruat Deus cum ijs qui à ſe petunt aliquid, hic eſt vt miſericorditer & beneuole illos recipiat, illos etiam præueniat & excitet ad ſe conueniendum & orandum; tùm vero ab illis requirit aliquid
Ioan. 2. quod de ſuo conferant, & cum ipſo collaborent. Sicut cum vi-
Ibid 6. num dedit in nuptiis, antè petiit aquam; Et antequam ſaturaret illam hominum multitudinem quæ ipſum ſequebatur in deſerto, petiit ſibi dari panes & piſciculos quos habebant. Sic vniuerſim in omnibus agit nobiſcum, ſic Miſericordia & Veritas ſeu Iuſtitia præclarè inter ſe conueniunt, vt miſericordia nos præueniat, tum vero Iuſtitia ſequatur. Id eſt, de noſtro conferamus quod exigit ad alia obtinenda quæ volumus. Vis cœlum obtinere? Serua mandata. Vis gratiam conſequi ad illa obſeruanda? Ora, Ieiuna, & confer tu ipſe gratiam tuis inimicis. Hæc ſunt videlicet quæ dicuntur ſeruanda, & quibus non ſeruatis qui petit aliquid, injuſte petit, & tanto illud petit injuſtius, quanto illud magis optat obtinere non ſeruatis ſeruandis. Nonne id euidens & manifeſtum? Quid æquius quàm quod ordinauit Deus? Quid iniquius quàm
Pſ. 100. hunc velle deſtruere diuinum ordinem? *Miſericordiam & Iudicium cantabo tibi Domine: pſallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Tu vero ſolam velles cantare miſericordiam! Et vbi Iudicium? Vbi Iuſtitia?

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod magis appetis obtinere non ſeruatis ſeruandis.*

Quid enim petis iuſtius quam Virtutes ſine quibus iuſte non potes viuere, nec ſalutem conſequi? Atque inter virtutes, quam petis iuſtius niſi qua magis indiges? Nempe humilitatem aut patientiam aut manſuetudinem aut Caritatem, aut ſimilem aliam? Iam vero vide vtrum ſeruanda ſerues ad eas obtinendas. En tibi ad humilitatem humiliatio tam neceſſario eſt obſeruanda vt ſi refugias viam humiliationis, virtutem fugias humilitatis. Hæc ſunt enim certa & ab omnibus recepta ſancti Bernardi verba: *Humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem; ſicut lectio ad ſcientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam ſi non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.* Ep. 87. Nonne hæc iam & ſimilia multoties audiuiſti? Et tamen quantopere fugis humiliationem? Quantùm id times ne eueniat? Quantum doles quando id accidit?

Sic de Patientia, de Manſuetudine, Deuotione, Caritate, Paupertate & aliis; placent quidem virtutes & eas expetis, etiam atque etiam petis; ſed media quæ ad eas ducunt & ſine quibus exerceri nullo modo poſſunt, an ita cupis? Expende diligenter, & videbis te velle Caritatem ſine patientia, patientiam ſine vllo doloris ſenſu, manſuetudinem ſine vlla contradictione proximi, paupertatem ſine vllo defectu rei temporalis, & ſic de aliis, quod eſt velle virtutes ſine ſeruatis obſeruandis & ſine mediis quibus nec obtinentur nec exercentur. *Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis quem projicit ventus à facie terræ:* Pſ. 1. Nam ſicut ait S. Gregorius, *qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum, puluerem portat,* In 3. Pſal. Pœnit. Ita plane qui humilitatem ſine humiliatione, Caritatem ſine patientia, aut patientiam ſine dolore.

III. PVNCTVM.

QVOD *ergo petis iuſtius, hoc eſt quod petis iniuſtius,* Cùm nihil petas iuſtius & ſanctius quàm virtutes: nihil vero iniuſtius quam quo illas modo petis non ſeruatis ſeruandis. Nam

Digitized by Google

quidquid opponitur Iuſtitiæ, ſit iniuſtum neceſſe eſt, & quò Iuſtitia eſt ſanctior qualis eſt Diuina quæ illa obſeruanda conſtituit & ordinauit, eò certe eſt iniuſtius quidquid ei opponitur. Vnde tu cùm te illi opponas Iuſtitiæ, petendo quod petis, licet iuſtum & ſanctum ſit, nonne iniuſtus es? Itane verò ſentiebas? Itane vero deinceps poſt hanc acceptam veritatis notitiam? (Deut. 16.) *Iuſtè quod iuſtum eſt, perſequeris,* ait Moſes; *vt viuas & poſſideas terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Et apte Sapiens; (Sap. 6.) *Qui enim cuſtodierint iuſta iuſtè, iuſtificabuntur, & qui didicerint iſta, inuenient quid reſpondeant. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis Diſciplinam.* Denique & illud Prophetæ opportuniſſimum: (Iſ. 21.) *Si quæritis, quærite; conuertimini, venite.* Quæris virtutes? Quære in veritate prout inueniri & exerceri poſſunt, ſed conuertere à natura praua; tum occaſione data; veni, humiliare ſub potenti manu Dei, (Eccleſ. 2.) *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* Sic vniuerſim de omni virtute, aut de omni ad virtutem inceſſu ac præſidio: (Hebr. 10.) *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Hæc eſt condicio quâ promittit Deus, quam qui non ſeruat qui promiſſa petit, iniuſte petit, nec meretur accipere. Vide in 1. parte, Dominica 2. poſt Epiphan.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA
OCTAVA POST PENTECOSTEN.
DE PRVDENTI VILLICO INIQVITATIS.

Filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 16.

VERITAS PRACTICA.

Indigni ſunt ſua luce, lucis filij, qui minus clarè vident in ſuis, quàm filij huius ſæculi.

RATIO eſſe poſſet quod illi ſua luce ſunt indigni qui ea non vtuntur.

Sed filij lucis, qui minus clarè vident minuſque prudentes ſunt in rebus ſuæ ſalutis quàm filij huius ſæculi ſuis in negotiis, non vtuntur ſua luce.

Ergo illa ſunt indigni.

Quia tamen ſæpe de hac lucis priuatione dictum eſt, & tota Ratiocinatio ſatis per ſe patet, ſic videtur modò aptius per comparationem prudentiæ filiorum lucis, cum prudentia filiorum huius ſæculi declarari poſſe Veritas. *In 1. parte, In Vigil. Epiphan.*

Qui ad majus & præſtantius aliquod opus vocantur, majorique gratia præſtant ad illud efficiendum quàm qui ad minus aliquod applicantur, tunc manifeſte apparent indigni & priuandi ſua Gratia, ſi minùs ſuum illud opus præſtent quam alij ſuum.

Sed Filij lucis ad majus & præſtantius opus vocati ſunt quam filij huius ſæculi, majorique gratia & prudentia præſtant ad illud efficiendum quàm illi ad ſuum.

Ergo ſi minùs id præſtent, ſi minus prudentes ſint in ſuo gerendo munere, quam alij in ſuo, tunc manifeſte apparent indigni & priuandi ſua luce, ſua Gratia, ſuiſque donis. Quod certe eſt diligenter expendendum & cauendum.

I. PVNCTVM.

OPPORTVNE occurrit hodiernum Euangelium ad ſuggerendam materiam de virtute Prudentiæ quæ vna ſupereſt ex quatuor Cardinalibus conſideranda, prout erat ſtatutum ſuperiori Hebdomada. Proponitur autem Parabola Villici in quo quid poſſit ac valeat prudentia huiùs ſæculi aperte declaratur, vt inde magis excitemur ad id omne diligenter efficiendum quod prudentia lucis ſiue ſpiritualis & Diuina dictat eſſe agendum pro Dei cultu propriaque ſalute: Aut certe ſi deſimus, tanto magis appareat defectus noſter, tantóque magis arguendi & caſtigandi ſimus, quanto negotium illud ſalutis æternæ comparandæ majus eſt quouis negotio ſæculari, quantoque prudentia lucis major & præſtantior eſt ad æternum illud negotium conficiendum quàm prudentia ſæcularis ad ſua digerenda. Neque aliter Dominus laudat Eum qui ex mala fraude prudenter ſibi prouidit quàm vt ſic nobis indicet ſe longe magis probaturum qui ſic in negotio animæ, ſpiritualique profectu ſapienter ac prouidè ſibi proſpexit, vel ſi forſan in eo negligens fuerit, ſe in eum producturum exempla eorum qui rebus in caducis & nihili, tam ſtrenui ſunt & prudentes. Sic etiam vt ait ſanctus Auguſtinus de Iudice

Digitized by Google

Iniquitatis qui interpellabatur à vidua, *Comparationem duxit ad Iudicem Deum cui nulla ex parte Iudex iniquus conferendus eſt.* *l. 2. quæſtionum Euang. q. 34.*

Ac primo quidem lecta & conſiderata tantiſper narratione Parabolica quæ refertur, expendi poſſet quod ſancti Patres pluribus docent nos hic eſſe velut villicos Dei; *Nobis villici humilitas & modeſtia aſſumenda eſt*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *nihil enim eſt noſtrum, ſed omnia Datoris Dei.* Sic & ſanctus Chryſologus, putandum nobis eſſe ait *prorogationis temporariæ miniſterium ſuſcepiſſe: non inueniſſe ius poſſidendi: cauendum ne ad patrem familias fama verſæ ſubſtantiæ nos præcedat iuxta illud Apoſtoli, quorundam peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſubſequuntur.* *Serm. 126. de Villico.*

Sic autem omnia naturæ & gratiæ dona accepimus vt omnium ſit planè reddenda ratio, reſpondendumque Illi qui ab vnoquoque id exiget; *Redde rationem Villicationis tuæ.* Audi & meditare ſerio, nùm illam paratam habeas? An ſaltem de ea paranda cogites? An tibi certo & citius quam putes morituro ac iudicando proſpicias? Hoc vere eſt eſſe prudentem, ſic ſibi proſpicere in futurum. Sed Hoc eſt in quo etiam filij lucis deficiunt, hoc eſt in quo ſuperantur à filiis huius ſæculi, qui in generatione ſua, id eſt, in ſuis temporalibus negotiis magis prudentes ſunt vt ſe ſuis difficultatibus expediant, componantque res ſuas ſecurius. Hoc eſt denique vnde illis grauiſſima hæc intatur Comminatio, quod indigni ſint & priuandi ſua luce lucis filij qui minus clare vident aut qui minus prudentes ſunt ſuo in negotio ſpirituali quam filij huius ſæculi ſuis in perituris rebus.

Ratio quæ hîc accuratius eſt euoluenda ſatis manifeſtè liquet, quoad primam præcipue partem qua dicitur quod quando ex diuerſis qui ad diuerſa deſtinantur opera, quicumque ad nobilius applicantur, majorique valent arte, potentia, viribus & gratia vt illud plene & cumulate efficiant, quàm qui ad minus addicuntur, tum euidenter apparere quam ſint indigni & quam merito priuandi ſint ſua Gratia ſi minus laudabiliter ſuum illud expleant opus quam alij ſuum. Sicut enim duo illa ſimul iuncta, nempe objecti ſeu finis dignitas, & mediorũ ad finem valor magnam habent vim ad excitandam & fouendam induſtriam, ita certe ſi qui hîs deſint, non parum ſibi deſunt, nec parua ſunt animaduerſione plectendi: cum præcipue illis alij opponuntur qui talibus

Digitized by Google

deſtituti præſidiis & motiuis ad ſuum peragendum opus, non defuerunt tamen operi, nec quidquam ab eis eſt deſideratum, cùm ipſi multa potuiſſent deſiderare quibus carebant adiumenta. *Inimici noſtri ſunt Iudices:* aiebat quondam Moſes, Quaſi diceret, cùm Inimici noſtri non habeant propoſitum ſibi finem pugnandi tam nobilem & excelſum quàm nos qui pro Deo noſtro pugnamus: neque illi tam potentes ſint viribus quam nos adiuti à Deo noſtro: & tamen nobis præualeant, ardentiuſque pugnent, aut tenacius adhæreant ſuis ſuperſtitionibus quàm nos in vera religione, nonne nos iudicabunt & condemnabunt?

Deut. 32.

Sic Chriſtus Dominus de filiis Iudæorum, *Ipſi Iudices veſtri erunt.* Sic Apoſtolus Luctatores & in ſtadio decertantes aut currentes proponit qui *ab omnibus ſe abſtinent, vt corruptam coronam accipiant, nos autem vt incorruptam accipiamus*, Pro qua non ita nobis moleſtè laborandum eſt ſicut illis; & pro qua majores nobis à Deo ſubminiſtrantur vires, non tamen ita contendimus, non ita currimus & laboramus; Certe hoc probroſum, hoc pudendum!

Luc. 11. 1. Cor. 9.

II. PVNCTVM.

SED filij lucis ad maius & præſtantius opus vocati ſunt quam filij huius ſæculi: maiorique gratia & prudentia præſtant ad illud efficiendum quam illi ad ſuum.

Et quidem de præſtantia ſeu excellentia operis, nulla poteſt eſſe comparatio, niſi velis terram comparare cœlo, tempus æternitati, & ſæculares ærumnas æternæ Beatitudini. Velleſne aliquam inter hæc mouere contentionem dignitatis & excellentiæ? *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Neque vero etiam dubitari poteſt quin Prudentia filiorum lucis ſit excellentior quam prudentia filiorum huius ſæculi; cùm illa ſupernaturalis & infuſa, ſoliſque filiis communicata, id eſt ſolis in gratia ſanctificante conſtitutis; alia vero ſit tantum naturalis quæ peccatoribus magis conueniat quam iuſtis & ſanctis: aut certe quæ ſit indifferens, vt in alterutris reperiatur.

Matth. 16.

Sed quod quæri poſſet, hoc tantum eſt, vtrum prudentia lucis ſit potentior ex ſe gratia ſeu medium aptius ad id omne efficiendum quod filiis lucis faciendum erit ſuo in negotio ſpirituali, quàm ſit prudentia huius ſæculi ad ſæcularia pertractanda ne-

Digitized by Google

gotia? Atque hoc ipſum æque certum & indubitatum eſt ac aliud: cum ſit ſola illa vera prudentia, verum ſcilicet lumen in intellectu quod repræſentet voluntati verum bonum conſectandum; Alia vero prudentia non niſi apparenti vero & falſo bono innitatur, vnde proprie non eſt prudentia, ſed aſtutia & calliditas, aut prudentia ſecundum carnem quæ mors eſt & ſtultitia apud Deum: *Nam prudentia carnis,* inquit Apoſtolus, *mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita & pax; quoniam Sapientia carnis inimica eſt Deo.* Et ſanctus Thomas. *Prudentia, inquit, vera & perfecta eſt quæ ad bonum finem totius vitæ recte conſiliatur, iudicat & præcipit. Et hæc ſola dicitur prudentia ſimpliciter quæ in peccatoribus eſſe non poteſt; ac propterea non dicitur ſimpliciter quod ſint prudentes ſed in generatione ſua.* Hæc ad verbum ſanctus Doctor, vnde aperte patet quod quantum vera & perfecta virtus eſt potentior ad agendum quam falſa aut imperfecta, tantò prudentia lucis quæ ſola eſt vera prudentia, ex ſe potentior eſt Gratia quam alia carnalis & ſæcularis.

Rom. 8.

2. 2. q. 47. a. 13.

Adde, quòd cùm illi ſupernaturali prudentiæ adiuncta ſint ſemper quæ appellantur Dona Spiritus ſancti, atque illud imprimis quod dicitur Conſilium quo maxime dono prudentia mirum in modum adiuuatur & perficitur, vt ait Idem ſanctus Thomas, Quis non videat quantis hæc cœleſtis prudentia partibus ſuperet aliam vt potenter promoueat filios ſuos ad agendum? *Numquid Deo quidquam eſt difficile? NVMQVID Deo comparari poteſt homo, etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ? QVANDO miſi vos ſine ſacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?*

q. 52. a. 2.

Gen. 18.
Iob. 22.
Luc. 22.

III. PVNCTVM.

INDIGNI *ſunt igitur & priuandi ſua luce, lucis filij,* qui cùm vocati ſint ad opus præſtantiſſimum, habeantque conuenientem operi perficiendo prudentiam cæteraque media proportionata: nec tamen illud opus ſuum ita perficiant ſicut filij huius ſæculi, qui nec opus, nec finem, nec media tam opportuna ſunt nacti. *Mouebo candelabrum tuum de loco ſuo. OCCIDET ſol in meridie & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Nimis aperte deficiunt illi lucis filij. Nimis aperte peccant in hoc ſuo defectu. Et quidem tripliciter, primò quod non reſponderint illi Gratiæ quam ita

Apoc. 2.
Amos 8.

Digitized by Google

potentem habebant ad agendum. Secundò quod ſe excuſent quaſi non poſſint melius: quæ eſt injuria valde probroſa Gratiæ. Tertiò denique quod blaſphemare faciant quodammodo inimicos Dei cùm videlicet potentiores in generatione ſua ſeu in ſuis quibuſque peragendis videant ſæculares quàm religioſos, carnales quàm ſpirituales, impios & ſceleſtos quàm qui putantur pij & deuoti. Nonne hoc injurioſum cœlo, & blaſphemum, quod longè magis Mundus colatur à mundanis, quàm Chriſtus à Chriſtianis! *Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo. Tranſite ad Inſulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite & conſiderate vehementer: & videte ſi factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit Gens Deos ſuos: & certe ipſi non ſunt Dÿ: populus vero meus mutauit gloriam ſuam in idolum.*

Ier. 2.

Huc aptè referas hiſtoriam Nonni Epiſcopi qui cum Antiochiæ vidiſſet Pelagiam ſuperbo indutam cultu, continere lachrymas non potuit, & inquirentibus cauſam, *hæc* inquit *Iudex mea, hæc accuſatio & condemnatio mea negligentiæ, vt qui minus Deo ſeruiam quàm illa mundo. Væ mihi peccatori.* Sic identidem ingemiſcebat ad Deum, *Illa ſibi promiſit placere hominibus & fecit; & ego tibi promiſi placere, & mentitus ſum, propter pigritiam meam.* Numquid tu idem poſſis gemere?

Anno Chriſti circiter 450.

Alia Veritas contra Prudentes ſæculi.

Filij huius ſæculi quò prudentiores in generatione ſua ſunt, eò ſibi majorem ingenerant imprudentiam.

RATIO EST, Quia quò illi prudentiores in generatione ſua ſunt, eo ſunt magis addicti & affixi ſuis negotiis ſæcularibus, tantóque minus vacant ſuæ ſaluti.

Sed quanto illi minùs vacant ſuæ ſaluti, tanto ſibi majorem ingenerant imprudentiam.

Ergo & quò illi prudentiores in generatione ſua ſunt, tanto magis imprudentes, iuxta illud Moſis Dictum: Gens abſque

conſilio eſt & ſine prudentia. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. *Deut. 32.*

I. PVNCTVM.

PRIMA propoſitio duas habet partes, & vtraque eſt euidens: Idcirco enim dicuntur filij huius ſæculi quaſi tales ſint rerum ſæcularium amatores ſicut filij ſuorum parentum: aut ſicut filij toti ſunt parentum, totique pendent ab eorum nutu & poteſtate, ita Illi à negotiis ſæcularibus. Quod vel ex eo confirmatur quod dicuntur etiam prudentes in generatione ſua, id eſt, præ cæteris ita intelligentes, & in his omnibus quæ ſpectant hoc ſæculum ita periti quaſi qui diutius huic ſe ſtudio applicarint & in eo multum profecerint, ſeu quaſi qui ſuis in rebus domeſticis vel augendis vel conſeruandis valde ſagaces, fortunatique ſint & beati ab omnibus prædicentur. *Quorum filij* *Pſ. 143.* *ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi: promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oues eorum fætoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Ita Pſaltes Regius. Ita & Iob egregie: *Subleuati ſunt confortatique diuitijs. Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ. Et non eſt virga Dei ſuper illos.* *Iob. 21.* Et quæ plura ibi habet, vnde & concludit pro altera propoſitionis parte: *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? Et quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum?* Sic enim patet quam parùm vacent ſaluti qui tam multum vacant ſæculo; Quod & Chriſtus Dominus aperte dixit: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* *Matth. 6.* *Hi ſunt qui verbum audiunt, & ærumnæ ſæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.* *Marci 4.*

Caue tamen putes id tantùm eſſe intelligendum de his qui abundant opibus aut qui ſunt prouectiores in ſæculo: nam & qui illis inuident, qui illos æmulantur, qui radicem denique malorum omnium concupiſcentiam conſectantes, *Volunt diuites fieri*, ſicut ait Apoſtolus, *incidúntque in tentationem & in laqueum* *1. Tim. 6.*

Digitized by Google

diaboli & deſideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem: Hi ſunt etiam filij huius ſæculi, hi ſunt vel prudentes in generatione ſua vel illius prudentiæ ſtudioſi quam in aliis demirantur & concupiſcunt. Hi ſunt qui terrena ſapiunt, qui ſoliciti ſunt quæ ſunt mundi, & diuiſi ſunt: qui ſuis denique implicati negotiis non poſſunt venire ad cœnam magnam, aut ad nuptias ad quas inuitantur, *Rogo te*, inquit vnuſquiſque illorum, *habe me excuſatum.* Ita multum curant ſua, vt ſe negligant; ita de temporalibus cogitant, vt æternis conſiderandis nihil ſuperſit animi; ita præſentibus toti adhærent, vt futurorum cogitatio non eos moueat. Oculi eorum, *oculi ſtultorum in finibus terræ.*

1. Cor. 7

Matth 22.
Luc. 14.

Prou. 17.

II. PVNCTVM.

HÆC eſt ſecunda Propoſitio, mere ſtulti ſunt, verè imprudentes ſunt, & eo ſibi majorem ingenerant imprudentiam, quo minus ſaluti ſuæ vacant. Nam ſi prudentiæ eſt, ſuis vacare negotiis, nonne quo negotia majoris ſunt momenti, prudentiæ ipſius eſt majorem in his curam adhibere? Quod ſi è contra minora præferantur majoribus, atque ita præferantur, vt præ cura minorum, quæ ſunt majora & præcipua prorſus negligantur, nonne tanto erit imprudentiæ, quantò fuiſſet prudentiæ res aliter ſuas adminiſtrare? Sic apte Sapiens; *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans.* Id eſt, ſicut in hoc vel maxime agnoſcitur Sapientia viri ſenſati & bene rerum intelligentis, ſi nouerit quomodo ſuis in rebus ſit ſibi cautè incedendum, quam cuique debeat vel præferre vel poſtponere, quantúmque pluris vni aut alteri negotio ſit dandum curæ: ita ex oppoſito manifeſtatur imprudentia male conſultorum hominum qui nihil horum ſpectant, errantque in limine, dum aberrant ab hoc faciendo negotiorum delectu.

Prou. 14.

Iam vero quantis partibus & circumſtantiis negotium ſalutis noſtræ ſuperet omne aliud, imo ſimul omnia vitæ præſentis negotia, ſi forte neſcis: inquire quæ ſint partes & circumſtantiæ quibus vnum negotium præ alio vere dici poſſit majoris eſſe momenti: neque longè abieris vt quod quæres inuenias; nam in Euāgelico Negotiatore ſeu Viltico, ita ſimul omnes illæ partes repræſentantur,

Digitized by Google

... ... ur, vt propterea videatur nobis propoſitus in quo eas ... ... ri & omnes rei grauiſſimæ circumſtantes caſus.

Pri... quod ſpectatur eſt rei Qualitas, quando res ſcilicet ... ... gitur, ex ſe eſt grauis & momentoſa, quando de omnibus ... ... e magna bonorum parte, quandò de honore, de familia vel de ... ita ipſa forte ageretur, tum certe res eſſet ponderis & mom... ti. *Magnitudo periculi ſummo timore hominem afficit*, aiebat Rom... us Orator, *quod vno iudicio de fortunis omnibus decernit.* *Ac. pro Quintio.* Sic no... er Villicus ſuo in negotio videbat agi de ſua fama, de ſuis bonis omnibus, de ſua libertate, nam *erat diffamatus quaſi bona diſſipaſſet. Quid hoc audio de te?*

Secundum eſt, rei Difficultas, *Quid faciam*, Ait Villicus in ius vocatus: quando ſcilicet difficile eſt ſe purgare à crimine, quando res objecta ita patet vt non poſſit diſſimulari, non poſſit tegi, quando præcipue quod

Tertium eſt valde conſideratum in quouis negotio, quando inquam pars aduerſa potens eſt opibus, & authoritate, nec non ardenti commota Zelo ad rem promouendam. Sic dicitur, *Homo diues eſſe qui erat Villici Dominus*, & pars eius aduerſa cui ſe longe nouit imparem & cum quo minime poſſit contendere.

Quartum vero quod maxime curam acuit & ſolicitudinem, eſt incertitudo euentus, ſuſpenſio quædam animi dubitantis quid ſit futurum, & quò ſe vertat, atque in illo dubio æſtuantis & ſeſe torquentis; *Fodere non valeo, mendicare erubeſco.*

Sed quintum rei Caput ſolicitudinem magis auget quando ita incertus eſt animus de euentu, vt niſi obuiam eatur iuri dicendo, vel aliis contra ſe oppoſitis teſtimoniis, actum de ſe eſſe videat, iamque patent præjudicia, iam pene ſententiam contra ſe latam audiit, vix vlla euadendi ſpes allucet, conclamata eſt cauſa: *Quia Dominus meus aufert à me villicationem.*

Sextum ac denique ſeptimum quod accedens ad alia, rem ſupra modum facit anxiam & formidandam, Perſonalitas eſt quam vocant negotij, & breuitas temporis quo ſe ipſa perſona debet ſiſtere vel imparata vel impotens & omni deſtituta præſidio. *Redde rationem villicationis tuæ.* Iam-iam, actutùm, ſine mora, *Iam enim non poteris villicare.*

Quamobrem cùm tot tantiſque premeretur anguſtiis miſer iſte villicus, merito laborabat, merito angebatur, merito ſecum

quærebat *Quid faciam.* Nam hoc erat vere negotium graue & ponderoſum. Hæ profectò erant veræ circumſtantiæ quæ grauitatem negotij ſi quod eſt tale in ſæculo, demonſtrabant.

VERVM, qualecumque hoc fuerit opus aut quale vmquam eſſe poſſit in hac vita, nullum vnum eſt in quo hæ ſeptem enumeratæ partes & circumſtantiæ, tam longè lateque pateant quam in noſtræ ſalutis negotio. Reuolue ſingulas & confer ſingillatim quid in vnaquaque ſimile vel diſſimile proferatur.

Prima erat, rei qualitas. Quæ porro eſt in noſtro ſalutis negotio? Qua de re agitur? Nempe de Cœli vel Inferni Æternitate. Expende ſi potes, quale hoc ſit, vel in Cœlo beatum eſſe, vel in Inferno damnatum ad omnem Æternitatem! Neque aliud diſiunctum ab alio ita conſideres, quaſi de vno tantum ageretur, nam duo hæc ſimul ſic concurrunt vt ſi cœlo excidas, non tantum priueris ſummo illo Bono; ſed in ſummum cadas malum: atque in hoc etiam ſubeundo malo ne prætermittas cogitare, quod potiſſima mali pars ſit, excidiſſe illo ſummo bono, ſua culpâ, ſua malitia. *In malignitate noſtra conſumpti ſumus.* Eſtne verò par aliquid
Sap. 5. in ſæculo quod huic æternitati bonorum vel malorum poſſit conferri? *Tranſierunt illa omnia tamquam vmbra.* Vide & lege attentius Caput illud quintum Sapientiæ, in quo gemunt damnati præteritæ leuitatem vitæ.

Secunda Condicio ſeu circumſtantia quæ eſt rei difficultas ſic expendi debet, vt nemo quidem ſine Gratia ſaluus eſſe poſſit, poſſit autem cum Gratia cuius etiam ſubſidio multum de difficultate rerum agendarum diminuatur: at nihilominus negotium hoc quod vocamus ſalutis tale eſt vt deprauata hominis conſideratâ natura, perpenſiſque obſtaculis quæ vndequaque occurrunt, dici verè poſſit opus tam difficile vt ipſe Dominus cui nihil eſſe mirum poterat, admiretur tamen quàm ſit difficile quamque arduum, vel vnum Diuitem eſſe ſaluum; additque *facilius poſſe camelum intrare per foramen acus quàm Diuitem in regnum cœlorum;*
Math. 19. Neque eum ſolummodo intelligit diuitem qui abundet diuitiis, ſed qui in his confidat, qui his nimis adhæreat, vel acquirendis vel conſeruandis plus nimio vacet, ſiue abundent ſiue deſint, totum ex affectu pendet qui niſi temperetur, perdit tam vere animam quam verum eſt quod iam audiuimus ex Apoſtolo, *Qui vo-*
1. Tim. 6. *lunt diuites fieri,* & cætera quæ ſupra commemorata ſunt. At

Digitized by Google

nonne hoc difficile ſic temperare animum ab hoc inordinato affectu?

Adde difficultates à Carne & à Mundo de quibus infra ſeorſim. Oportet enim *in carne non ſecundum carnem ambulare.* Oportet in *Rom. 8.* mundo *& non de mundo eſſe.* Oportet pro humilitatis cuſtodia ſæpe *Ioan. 17.* celare quæ ſunt ſpecioſa & magnifica, & tamen oportet ita omnia exercere talenta vt ſi vni deſis, forte audias, *ſerue male & piger; ligatis manibus ac pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* *Matth. 25.* *Ibid. 5.* Oportet *inimicos diligere*; Oportet *odiſſe patrem & matrem &* quoſcumque ſaluti oppoſitos. *Luc. 14.* Oportet *eruere ſibi oculum, abſcindere manum, & pedem amputare,* *Matth. 9.* quo ſenſu præcipiuntur in Euangelio. Oportet *Infantem eſſe*, tametſi prouectus ætate ſis. Oportet ita debitoribus *Ibid. 18.* remittere ſua debita *ſicut* tibi à Deo vis remitti. Oportet ſemper militare, ſemper *ſibi vim facere*; Numquam in Scriptura reperies Cœlum memoratum quin ſimul adjunctum inuenias verbum quod ſignificet difficultatem & pœnam ſubeundam. Regnum eſt, ſed *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* *Ibid. 11.* Domus eſt, ſed cuius *angusta porta.* *Ibid 7.* Cœna eſt magna; regales ſunt nuptiæ: ſed omnia *Ibid. 22.* ſunt deſerenda vt eò accedas, & habenda veſtis nuptialis, Id eſt, vitæ puritas ne inde ejiciaris. Brauium eſt, *ſed currendum in ſtadio & illud apprehendendum.* *1. Cor. 9.* Corona eſt Iuſtitiæ, ſed *bonum certamen certantibus repoſita.* *2. Tim. 4.* Sic omnes, omnes omnino Sancti viſi ſunt *Apoc. 7.* in cœlo ſuas habere palmas quas retulerunt de pugna & de victoria, nam non eſt ſatis pugnare, oportet vincere, & poſtquam multoties viceris, ſi vel ſemel victus es, ſufficit ad interitum ſempiternum.

Denique repræſenta tibi hominem in decliui & lubrico exiſtentem loco, valde Infirmum, & externa vi quadam velut præcipitem actum in perniciem & ruinam. Quid eo ſtatu periculoſius? Quid tali vitæ genere difficilius? At nonne hic eſt pene vniuerſus hominum ſtatus? Nonne in mundo vnuſquiſque verſatur velut in lubrico? Nonne in carne velut in infirmitate poſitus, vix tutò gradum mouet? Nonne à Dæmone in ruinam & perniciem ſingulis pene momentis agitur? Nonne idcirco dictum eſt, *via illorum tenebræ & lubricum & Angelus Domini perſequens eos?* *Pſ. 34.*

Atque hinc quod erat tertium de Parte aduerſa & oppoſita liquet quàm ſit multiplex, quàm potens, & quàm ſolicita in noſtram perditionem. Quid enim potentius Dæmone, quid auda-

Digitized by Google

cius, quid obſtinatius cùm nihil timeat, non cicuretur, non fatigetur, non quieſcat, *non ſit denique ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret?* Quid carne fragilius? Quid ſenſibili appetitu & humana concupiſcentia validius ad nos rapiendos quocumque trahunt, cùm & Scriptura vniuerſim affirmet, *vnumquemque tentari à ſua concupiſcentia?* Quantis vero quamque diuerſis objectis in peccatum alliciamur, ex ipſa mundi vniuerſitate patet, vbi quotquot ſunt Creaturæ, *velut in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium?*

Iob. 41. *Iac. 1.* *Sap. 14.*

Quid quod *Inimici hominis ſunt domeſtici eius*, ſunt affines & cognati, ſunt parentes in filios & filij in parentes, aut quia ſe nimis diligunt aut ſe ita oderunt vt affectui potius in quamcumque ſe vertant partem magis indulgeant quàm Diuinis præceptis aut conſiliis. *Magis honoraſti filios tuos quam me.* Quin & ipſe Chriſtus, ipſe Iudex noſter, ipſe eſt aduerſarius, ipſe tam nobis oppoſitus quam & nos ipſi reſiſtimus & eius Euangelio contradicimus, de quo expreſſe dicitur, *Eſto conſentiens aduerſario tuo cito dum es in via cum eo.*

Matth. 10. *1. Reg. 2.* *Matth. 5.*

Quod ad quartum ſpectat de Incertitudine, quænam poteſt eſſe major quam quæ ex ipſa fide prouenit qua tenemur credere quod ſcriptum eſt, *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta?* Quod ſi non eſt deſperandum, nec certe eſt præſumendum, cùm tam multa ſint quæ timorem nobis incutiant quam quæ ſpem faciunt.

Eccl. 9.

Sunt autem illa quæ dicuntur Præiudicia & quæ quinto conſiderantur loco ad dignoſcendam negotij grauitatem; nam cùm ſint anticipata quædam Iudicia & velut quædam ſententiæ Iudicis, latæ in ſimili cauſa, profecto qui hæc attente perſpexerit aut præſumat neceſſe eſt aut valde timeat. Primò enim vox Chriſti eſt, *Paucos eſſe qui ſaluentur:* Deinde illos eſſe ſolos qui ſunt *in arcta via*, Id eſt, qui ſibi vim faciunt, qui virtuti ſtudent & perfectioni ſui ſtatus, qui humilitatem exercent & patientiam; An tu ex illis es? *Qui non eſt mecum*, inquit, *contra me eſt*, An tu cum illo es, prout intelligit, conformem vitam agendo? *Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum.* Itane tu conuerſus & effectus paruulus? *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Nonne tu quantum

Matth. 7. *Luc. 13.* *Luc. 11.* *Matth. 18.* *Luc. 12.*

Digitized by Google

potes illud altum inſectaris? *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* An tu ita omnibus renuntiaſti? An parum tibi eſt quod non ſis eius Diſcipulus? Ibid. 14.
Vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Audereſne te calidum & feruentem affirmare? Apoc. 3.
Non timebis vero te frigidum eſſe aut tepidum? Non timebis te priuandum illis gratiis quibus abuteris aut certe quibus non vteris? *An putatis quod hi præ omnibus peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt. Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Recogitaſne quid ſit habere pœnitentiam, quid ſit conteri? Quid ſit emendare delictum? Quid ſit mutare vitam in melius? Nonne tu ſemper Idem, ſemper ſuperbus, ſemper impatiens, & humanæ laudis magis appetens quàm veræ ſolidæque virtutis? Putaſne te exceptum ab hac Sententia, *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci! Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium?* Luc. 13. Ier. 8.

Quod poſtremum eſt denique de perſonali vt vocant negotio & de breuitate temporis, nihil apertius dici poteſt quam quod, *Vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo*, Rationem ſcilicet villicationis ſuæ: rationem vniuſcuiuſque doni accepti ſeu naturalis ſeu ſupernaturalis, quem in vſum, quem in finem, quem in modum res vnaquæque fuerit vſurpata. Standum eſt vnicuique propterea ſerius ocyus ante tribunal Chriſti. Nec quantumuis extrema dies differatur, poteſt dici longa dilatio, cùm vbique & ſemper omni die, ſinguliſque momentis teneatur vnuſquiſque ſic paratus eſſe ad exitum vt niſi paratus ſit, male pereat, improuiſa rapiatur morte: Nempe, inquit ipſe Iudex, *In die qua non ſperat, & hora qua ignorat*, Velut ab hoſte interceptus rapiatur, iudicetur, condemnetur. Videſne tandem quàm ſimul concurrant omnia quæ hoc ſalutis negotium ſupra quoduis ſæculare & humanum, demonſtrent eſſe ponderis & momenti? Rom. 14. Ibid. Matth. 24.

III. PVNCTVM.

FILII *huius ſæculi quo prudentiores ergo ſunt in generatione ſua, eo ſibi majorem ingenerant imprudentiam*, Cùm illi prudentiores ſæculi ſint, qui magis vacant ſuis ſęcularibus negotiis quàm ſaluti: qua in prudentia ſuam manifeſtant imprudentiam, quod longe

Digitized by Google

3. Reg. 17. minus negotium majori præferant. Atque vt de Achitophele dicitur, quod diſpoſita domo ſua ſuſpendio interiit, ſic illi dum lucrantur mundum, ſe perdunt; dum prudenter rebus ſuis terrenis proſpiciunt, ſuam imprudenter animam negligunt; dum ad modicum corruptilis vitæ tempus ſapiunt, ad æternitatem deſipiunt. *Væ qui Sapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes! Sicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ*
Iſ. 5. *exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet.* STVLTE! hac nocte *animam tuam repetunt à te: quæ*
Luc. 12. *autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt*
Luc. 13. *in Deum Diues. CONTENDITE intrare per anguſtam portam.*
2. Pet. 1. *MAGIS ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*
Phil. 2. *CVM metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*
1. Cor. 9. *NESCITIS quod iȷ qui in ſtadio currunt, &c. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim ipſe reprobus efficiar.*

Sic Chriſtus, ſic Apoſtoli, quà verbo, quà exemplo nos ad ſalutis vrgent negotium, Tu vero quaſi ſecurus & quaſi re confecta,
Ier. 49. non moueberis? *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui.*

Redde rationem villicationis tuæ.

VERITAS PRACTICA.

Qui ne terreatur, non cogitat reddendam rationem, magis terrendus eſt quia non illam cogitat.

RATIO EST, Quia magis ille terrendus eſt qui minus proſpicit imminenti periculo.

Sed qui non cogitat reddendam rationem, minus proſpicit imminenti periculo.

Ergo magis terrendus eſt, Ergo magis cogitare debet hanc reddendam aliquando rationem, ſicque ſibi proſpicere.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

COGITANTI attentius verba illa: *Redde rationem villicationis tuæ:* tam pauenda ſunt & terrifica, vt quia tam pauenda ſunt, vix cogitentur. *Vocem tuam audiui & timui eo quod nudus eſſem.* Sic Adamus, ſic omnis penè homo qui de reddenda vitæ ratione non poteſt cogitare ſine horrendo metu & qui vix poteſt viuere cum tali metu. Quamobrem vt ſe illo liberet, cogitationem futuri iudicij abjicit. *Nullus eſt qui recogitet corde.* *VIRI mali non cogitant iudicium,* inquit expreſſe Sapiens, quia ſcilicet cogitando terrerentur quod omnino nolunt. Gen. 3. Ier. 12. Pro. 28.

At contra tanto magis terrendi ſunt & tantò magis cogitare debent illam aliquando reddendam rationem, quantò minus illam hactenus cogitarunt. Nihil in toto iudicij proceſſu tam horrendum & terribile quàm non illud cogitaſſe iudicium, ſeu quod idem eſt, *Qui non illud cogitat, ne terreatur, magis terreri debet quia non illud cogitat.*

Ratio eſt manifeſta, quid eſt enim quod magis terribile, tremendumque iudicium facit? Nonne eſt Sententia Iudicis condemnantis animam peccatricem? Nonne eſt periculum ſubeundæ illius condemnationis? Nonne eſt animæ iuſtus pauor, ne forte ſit illa peccatrix anima de qua dicatur, *Quantùm glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Totus in periculo futuri huius euentus conſiſtit tremor. Tolle illud periculum, tolle hunc euentum, tollis omnem tremorem ac proinde illud certiſſimè ſequitur, quod quanto quis minùs proſpicit illi periculo, tanto magis terrendus eſt, quia totum vt dixi, terribile verſatur in illo damnationis periculo, quod qui euadit, ſecurus eſt, & nil ſentit quod ita terreat. Neque enim ipſa ſuppliciorum æternitas ita timetur, ſicut ipſius adeundæ periculum. Nam quamtumcumque ſit in ſe terribilis, nullis tamen terrorem facit niſi qui ſe intelligant in eius viuere ſeu mori periculo, *tunc videntes turbabuntur timore horribili. TERRIBILIS expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Apoc. 18. Sap. 5. Heb. 10.

II. PVNCTVM.

SED *qui non cogitat reddendam rationem, minus proſpicit imminenti periculo.*

Quid ſit cogitare, & non cogitare reddendam rationem, quidue magis aut minus proſpicere imminenti periculo, non poteſt melius explicari quam verbis ſancti Gregorij explanantis

Iob. 34. iſtud libri Iob, *Neque enim vltra in hominis poteſtate eſt vt veniat*

l. 25. Mor. c. 6. *ad Deum in iudicium. VERSVS iſte tanto*, inquit, *majore diſputatione indiget, quanto hoc quod dicit, ſi negligitur, acrius dolet. Hic nimirum non illud iudicium deſignatur quod per æternam retributionem punit, ſed quod mente conceptum per conuerſionem diluit. Ad illud quippe venire non deſiderat, quiſquis ſe per illud damnari formidat. Dum ergo dicitur: neque enim vltra in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad Deum in iudicium, profectò oſtenditur eſſe quoddam iudicium quod quandoque etiam à damnatis ac reprobis deſideretur. Et quod eſt illud niſi hoc de quo Paulus Apoſtolus dicit: ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: & de quo per Prophetam dicitur: non eſt iudicium in greſſibus eorum: Et de quo Dauid ait: Honor regis iudicium diligit, vt videlicet qui iam Deum honorat ex fide, ſollicite iudicet quid ei debeat in operatione. Vnde rurſum ſcriptum eſt: Iudicare coram Domino, & expecta eum: Coram Domino ſcilicet iudicatur, qui corde Dominum conſpicit, & actus ſuos ſub eius præſentia, ſollicita inquiſitione diſcernit. Quem tanto quis ſecurius expectat, quanto quotidie vitam ſuam ſuſpectus examinat. Qui enim ad extremum eius iudicium venit, non iam coram illo, ſed ab illo iudicatur.*

De hoc quoque mentis iudicio obliuiſcenti animæ per Prophetam Dominus dicit, Reduc me in memoriam, vt iudicemur ſimul. Narra ſi quid habes vt iuſtificeris. Debet enim vniuſcuiuſque mens & cauſas ſuas apud Dominum, & cauſas Domini contra ſe ſollicita inquiſitione diſcutere, Debet caute penſare vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerſe viuendo reſponderit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non ceſſant, Vnde bene Salomon ait, cogitationes iuſtorum iudicia; accedunt enim ad ſecretarium iudicis intra ſinum cordis, conſiderant quam diſtrictè quandoque feriat, qui diu patienter expectat; metuunt in his quæ ſe egiſſe meminerunt, & puniunt flendo quod perpetraſſe ſe intelligunt: timent ſubtilia diuina iudicia, etiam de his quæ in ſemetipſis intelligere fortaſſe non poſſunt. VIDENT ENIM VIDERI DIVINITVS, QVOD IPSI IN SE PER HVMANITATEM NON VIDENT; *Conſpiciunt diſtrictum Iudicem, qui quo tardiùs venit, eo ſeuerius percutit. Sanctorum etiam Patrum reſidere conuentum cum eo pariter contemplantur eorum-*

que

que vel exempla vel dicta ſe contempſiſſe reprehendunt, atque in hoc ſecreto interioris iudicij ipſa mentis ſuæ executione conſtricti pænitendo faciunt, quod ſuperbiendo commiſerunt.

Ibi namque aduerſum ſe quicquid ſe impugnat, enumerant, ibi ante oculos ſuos omne quot defleant coaceruant: ibi quidquid per iram diſtricti Iudicis decerni poſsit, intuentur; ibi ea patiuntur ſupplicia, quot pati timent; nec deeſt in hoc iudicio mente concepto omne miniſterium quod punire reos ſuos plenius debeat. Nam conſcientia accuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat: quod iudicium eò certius punit, quo interius ſæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Vnuſquiſque enim cum cauſam huius examinis contra ſe aggredi cœperit, Ipſe eſt actor qui exhibet, ipſe reus qui exhibetur, odit ſe, qualem fuiſſe ſe meminit, & ipſe qui eſt, per ſemetipſum inſequitur illum qui fuit, atque ab ipſo homine aduerſus ſemetipſum fit quædam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.

Hanc cordis rixam Dominus requirebat, cum per Prophetam diceret, attendi & auſcultaui, nemo quod bonum eſt ſequitur, nullus eſt qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo, dicens; quid feci? Iſta cordis humani rixa placata eſt, cum Prophetæ ſuo, de Achab rege ſemetipſum reprehendente loqueretur, dicens: vidiſti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.

Quia ergo nunc in poteſtate eſt, internum mentis noſtræ contra nos ſubire iudicium, recognoſcendo accuſemus noſmetipſos, & quales fuimus pænitendo torqueamus. Non ceſſemus, dum licet, iudicare quod fecimus; Audiamus cautè quod dicetur, Neque enim vltrà in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad Deum in iudicium. Reproborum namque eſſe proprium ſolet, ſemper praua agere & nunquam quæ egerint retractare; omne enim quod faciunt, cæca mente pertranſeunt, factumque ſuum, niſi cùm puniti fuerint, non agnoſcunt. Nonne hoc eſt imminenti periculo minus proſpicere?

III. PVNCTVM.

Q*VI non ergo ſic cogitat reddendam aliquando rationem, ne fortè minus terreatur, magis terrendus eſt quod illam non cogitet*: Quia ſcilicet ſibi terribilius facit iudicium, ſe manifeſtiùs exponit periculo quod imminet Villico diſſipanti bona ſua, nec rationes ſuas parato reddere: ſe vnum ex illis facit quibus dicatur, *Diſcedite* *Matth. 25.*

à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis
Iob. 26. *eius.* Poteſtne quidquam aliud audiri grauius: *Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus*, ait beatus Iob, *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Quamobrem apte Idem qui ſuprà & eodem loco ſanctus Gregorius. *Nunc, ergo,* inquit, *dum poſſumus à conſpectu æterni Iudicis, & male cogitata & peius perpetrata deleamus, reuocemus ante oculos cordis quidquid peruerſe egimus per nequitiam præſumptionis, nihil ſibi noſtra blandiatur infirmitas, atque in his quæ recolit, ſemetipſam delicate non palpet, ſed quantò ſibi mali ſit conſcia, tanto in ſe benignius ſit ſeuera. Proponat contra ſe futurum iudicium, & quæque in ſe ſentit diſtricte ferienda per ſententiam iudicis, hæc in ſe pie feriat per pœnitentiam conuerſionis.*

Modus autem proponendi Iudicij varius & multiformis eſſe poteſt pro varietate perſonarum qui de illo cogitant, vel loquuntur, aut audiũt. Figuram quandam refert ſanctus Ioannes in Apocalypſis capite primo quæ multa diſtinctè continet. Breuiorem formam ex hodierno Euangelio mutuari licet, dum ex triplici capite demonſtrabitur, quam ſic diſtrictum & formidandum illud iudicium.

Primum caput eſt, à perſona Iudicis qui eſt ſapientiſſimus, nihil vt illum lateat: Integerrimus, nihil vt non punitum omittat; Optimus Maximus, nihil vt obliuiſcatur bonorum quæ contulit in ſuum vnum à nobis impendenda cultum; Potentiſſi-
Iob. 9. mus denique nihil vt velit quod non poſſit. *Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt, ſi æquitas iudicij, nemo audet pro me teſtimonium dicere.*

Secundum caput eſt, quid veniat in iudicium, quæ ſit illa villicatio cuius eſt reddenda ratio, quid ſit vnde iudicemur, nempe tota ipſa quam egimus vita. Tota vitæ facta, dicta, cogitata: ſi reſpondeant donis acceptis: ſi virtutum ſtatui propriarum menſura & pondere fuerint appenſa omnia: ſi quantum quiſque debuit, fuerit humilis, patiens, pius in Deum & proximum: ſi dignos arbor tulerit fructus, ſi talentum multiplicatum, ſi præ-
Luc. 12. cincti lumbi, & lucernæ ardentes in manibus, ac ſimiles ſeruis expectantibus Dominum ſuum, vt cum venerit & pulſauerit confeſtim aperiant ei. Sic expreſſe præſcriptum à Iudice: Sic ex-
Dan. 5. preſſa iudicij refertur forma, *Mane, Thecel, Pharez. Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud*, Id eſt vita, atque tempus.

Digitized by Google

Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Diuiſum eſt regnum tuum; Et datum terræ corpus, anima vero dæmoni; Vide Locum Scripturæ, & expende accurate.

Tertium caput, ipſe eſt homo iudicandus, qui prætérquàm multis peccatis onuſtus eſt, & paucis ornatus bonis, tàm parùm ſibi proſpicit, quo ipſo tempore datur ei facultas bene gerendæ rei, vt vel hanc vnam ob incuriam & acediam merito ſic condemnandus, & hac feriendus ſententia: *Serue male & piger ex ore tuo te iudico: ſciebas me auſterum, &c. Inutilem ſeruum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium. FVGITE ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.* *Math. 25.* *Luc. 19.* *Iob. 19.*

Appendix ad præcedentem, aut ſeparatim proponi poſſet in hæc Sapientis verba:

Ante Iudicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Eccleſi. 18.

VERITAS PRACTICA.

Qui ſe interrogat ante Iudicium, interrogatus in Iudicio, facilius reſpondebit.

RATIO EST, Quia is ſecurius reſpondebit in Iudicio qui ſe hîc accuſauerit & iudicarit.

Sed qui ſe interrogat ante Iudicium, ſe hîc accuſat & iudicat.

Ergo & interrogatus in Iudicio, ſecurius reſpondebit. Ac proinde audiendus Sapiens, *Interroga teipſum*: Cum vel maximè Dominus ad id nos prouocet; *Redde rationem villicationis tuæ.*

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

CVM *ſecuriùs reſpondere in Iudicio*, ſit idem ac liberari, non iudicari, non condemnari: plane liquet quod qui ſe hîc accuſarit & iudicarit, ſecurius reſpondebit, quia non iudicabitur, ſic affirmante Apoſtolo, *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* Quam in ſententiam ſic præclare ſanctus Auguſtinus: *Peccata ſiue parua, ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt, quia aut homine pœnitente, aut in Iudicio, Deo iudicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta Diuina ſi conuerſio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui ſemetipſos iudicant non iudicare.* Quid optabilius? Hoc ipſum Idem habet Tractatu 12. in Ioannem, ad hæc Verba: *Dilexerunt magis tenebras quam lucem. Inde incipiunt,* inquit, *bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium operum bonorum, confeſſio eſt operum malorum.* Quid expeditius? Ac fuſius etiam in Pſalmos vbi hoc eius dictum ſatis frequenter obuium: *Si homo ſe cognoſcit, Deus ignoſcit.*

1. Cor. 11.

In Sent. Sent. 210.

In Pſ. 31.

II. PVNCTVM.

SED *qui ſe interrogat ante Iudicium, ſeſe hîc accuſat & iudicat.* Quadruplex quæſtio ſeu Interrogatio ſibi ab vnoquoque facienda diſcitur ex Euangelica Parabola, vnde facile eſt ſe accuſare & iudicare.

Prima eſt: ſi quis homo bona ſua tibi credidiſſet, aut apud te depoſuiſſet cum hac mente & obligatione vt ſarta tecta conſeruares: velleſne ita tibi ea vſurpare vt non poſſes Creditori repetenti reſtituere, ac propterea in ius vocareris, malæ fidei accuſareris, carceri perpetuò manciparetis, atque aliis dedecoroſis pœnis afficereris? Velleſne eò te adducere? Omnino nolles, bene memineris.

Secunda quæſtio; At ſi forte quod Deus auertat, ex aduerſa aliqua fortuna tale quid tibi contigiſſet, iam iamque trahereris ad Iudicium, de bonis tuis decerneretur: nec pecunia, nec amicis, nec conſilio, nec vlla re poſſes te iuuare & te periculo eripere, nonne eſſet quod tremeres & angereris? Reſponde.

Tertia quæſtio. Tum verò ſi quis amicus opportunè occur-

Digitized by Google

reret & amicè conſuleret aliquid quod ſaluo honore & bonis omnibus tete præſenti periculo erueret, nonne illud audires conſilium? Aut ſi non audires, nonne duplici pœna dignus eſſes, tùm ob diſſipata bona, tum ob neglectum remedium? Reſponde hîc etiam.

Atqui hoc eſt negotium tuum, hic ſtatus tuus; Hæc eſt quarta interrogatio tibi facienda, quæ multas alias complectitur & quæ tibi Parabolam aptiſſimè applicat. Nonne tu bona accepiſti à Domino? *Quid enim habes quod non accepiſti?* Siue in temporalibus, ſiue in naturalibus, in corpore & in animo, ſiue denique in ſpiritualibus, cùm ſis Chriſtianus Catholicus & multis præuentus gratiis. Nonne hæc à Deo ſunt vniuerſa? Reſponde & fatere hoc ipſum quod qui dicebat: *E cælo iſta poſſideo.* 1. Cor. 4. 2 Macch. 7.

At verò, quomodo hæc impendiſti? An bona fide prout tibi Dominus ordinarat? Nihil erat quod non ad Dei Gloriam, vel tuam ſalutem referre debuiſſes; Itane verò retuliſti? Reſponde. Quid ergo ex his effeciſti, quem in vſum conuertiſti; redde rationem villicationis tuæ. Quid de accepto lumine fidei? Quid de cognitione & timore Dei? Quid ex omnibus auditis ad ſalutem? Quæ virtus, quis profectus, quis prouentus? Poſſeſne aliquid ex tuis omnibus laboribus, ex curis omnibus, ex tot ſolicitudinibus, tot anguſtiis, tot itineribus & ſuſceptis negotiis, vel vnum producere quod ad Dei honorem & ſalutem tuam direxeris? Nonne omnia terram ſpectarunt, nonne omnia ad hanc ſolam præſentem vitam, quaſi vni terræ natus eſſes, & non cœlo, ſicut ipſæ belluæ animantes ad paſtum incuruatæ? *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt Iumentis inſipientibus, &c.* Si à iumento aut à famulo tuo non accepiſſes plus ſeruitij quàm Deus à te accepit, quid diceres, quid cogitares? Pſ. 48.

Sed ſi etiam loco ſeruitij, tua tibi famulus ſubripuiſſet, ſi injuriam nomini, ſi corpori plagas, ſi familiæ damnum intuliſſet! Hoc eſt ſcilicet quod tu Deo retribuiſti, non contentus bona eius diſſipare, ac nihil illi ſeruitij reddere, tu inſuper eum offendiſti iuramentis, murmure, detractione, libidine. *Haccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens!* Nonne hæc omnia nouit Deus? Nonne ex his in iudicium te adducet? Nonne putas omnium exactiſſimam rationem eſſe reddendam? Nonne eſt ergo Deut. 32.

Digitized by Google

quod formides & paueas? An habes quod reſpondeas dinumeranti omnes greſſus tuos?

Hæc & ſimilia ſi pie & ſerio cogitentur, inducent profecto cum Diuina Gratia Cogitantem ad dicendum cum Villico: *Quid faciam?* Tum occurret, faciendam eſſe accuratam totius vitæ Confeſſionem, ac deinde formandam efficacem reſipiſcendi

Pſ. 31. voluntatem. *Dixi, confitebor aduerſum me, injuſtitiam meam. Dixi,*

Pſ. 76. *nunc capi.*

III. PVNCTVM.

S*IC Diuina igitur fauente Gratia, qui ſe interrogat ante Iudicium, interrogatus in Iudicio ſecurius reſpondebit, facilius abſoluetur, & ampliorem inueniet gratiam*, Quia ſic præoccupat faciem Dei in confeſſione, ſic præuenit eius iudicium ſeſe accuſando & iudicando, ſic proſpicit futuris pœnis eas auertendo per ſeriam emendationem; ſic denique ſe componit quemadmodum exigunt ſacræ Scripturæ ac ſancti Patres vt quam promittit Deus gratiam & miſericordiam, conſequatur. *Ante mortem confitere,*

Eccleſ. 17. inquit Idem qui ſupra Sapiens, *à mortuo, quaſi nihil perit confeſſio. Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miſerationibus illius.* Quaſi diceret, ne expectes confiteri poſt mortem, tunc enim nulla prodeſt confeſſio. Vel ſic: Ne differas confeſſionem vſque ad proximam mortem, quo extremo vitæ tempore vix quidquam libere & valide poſſis: ſed dum ſanus es, id totum effice cum Gratia, quod inſtante morte velles eſſe factum; ſicque fiet ſecurius.

Ad Vital. *Hac Chriſti mei lex*, ait ſanctus Gregorius Nazianzenus qui

& in Plagan. Grand. fuſe de hoc argumento. Et alibi; *Magni vitij medicina eſt Con-*

In Pſ. 106. *feſſio & peccati fuga.* Sanctus item Chryſoſtomus: *Rape tu quiſquis es peccator remedia. Confeſſio afferat ſalutem: Viue remediis qui moriturus fueras aliquando peccatis. Quid horres fateri quod commiſiſti?*

Ep. 4. Sic apte ſanctus Hieronymus de Dauide: *Tantum profecit vt dudum peccator & pœnitens tranſierit in Magiſtrum, & dicat: docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertantur. Confeſſio enim & pulchritudo coram eo vt qui ſua confeſſus fuerit peccata, & dixerit, putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, fœditatem vulnerum in ſanitatis decorem commutet.* Vere itaque ſanctus Bernardus: *In animam ſuam*

Digitized by Google

peccat qui ſe excuſat repellens à ſe indulgentiæ medicinam, quam ſibi videlicet accerſit qui ſe accuſat. Sic & ſanctus Auguſtinus in illud Pſalmi, *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea; quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua. Noluit humiliari confeſſione iniquitatis ſuæ, humiliatus eſt pondere manus Dei.* Tum pergens cum Dauide: *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Ex ipſa aggrauatione manus tuæ, ex ipſa humiliatione conuerſus ſum in ærumna mea; factus ſum miſer, confixa eſt mihi ſpina, compuncta eſt conſcientia mea. Quid factum eſt, dum configeretur ſpina? Datus eſt ei ſenſus doloris, inuenit infirmitatem ſuam: & ille qui tacuerat confeſſionem peccati ſui, modo quid fecit confixa ſpina? DELICTVM meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor, ſeu pronuntiabo aduerſum me injuſtitiam meam Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei. NON iam pronuntiat ſed promittit ſe pronuntiaturum: & Ille iam dimittit. Eo ipſo quo dixit pronuntiabo, oſtendit quia nondum ore ſed corde pronuntiauerat: Hoc ipſum dicere, pronuntiabo, pronuntiare eſt; ideo, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Confeſſio vero mea ad os nondum venerat: Dixeram enim pronuntiabo aduerſum me: Verumtamen Deus audiuit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei iam in corde erat.* Serm. 26. in Cant. Pſ. 31.

O Diuinæ facilitatem auris, ad humani cordis mollitiem! ô nimis dura peccatorum corda ſi non emolleſcant ad tantam Dei bonitatem!

De iudicio extremo ſeu generali, ſeu particulari, vide in ſingulis partibus, verbo *iudicium*, & nominatim in hac 3. parte, Hebdomada decima vbi de Miſſionibus.

Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16.

VERITAS PRACTICA.

Importuni, opportuni.

Digitized by Google

SENSVS EST, *Quod illi ipſi quos modo habes magis importunos in petendo, poſſunt eſſe aliquando tibi magis opportuni amici, ſi quod petunt, obtineant.*

RATIO EST, *Quia illi cenſendi ſunt magis opportuni amici qui magis opportune valeant tibi adeſſe.*

Sed quos modo habes magis importunos in petendo, magis opportune valent aliquando tibi adeſſe.

Ergo illi magis opportuni Amici: & magis, magiſque colendi ſunt.

I. PVNCTVM.

EVANGELICÆ Summa Parabolæ tribus his conſtat partibus. Prima eſt vt intelligamus nos non tam eſſe rerum temporalium Dominos, quam diſpenſatores qui earum omnium rationem reddere debent vero Domino Deo. Secunda eſt, quod ſi iam exigeretur à multis, illa bonorum acceptorum ratio, vix eam poſſent reddere. Tertia denique quod niſi omnino deſipiant, prouideant mature oportet ſuis rebus exemplo huius Villici qui ſi probatus eſt à ſuo Domino quod ſapienter feciſſet, licet fraudulenter egiſſet, quanto magis à Deo illi laudabuntur, qui ſibi de ſuis illis bonis quæ ſuperſunt, amicos faciant à quibus opportune iuuari poſſint, quando de aliis quæ male impenderunt, vocabuntur in ius diuinamque iuſtitiam. Quamobrem hæc eſt extrema clauſula: *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, Id eſt, de diuitiis quæ dicuntur iniquæ, non ex ſe, ſed ex earum vſu qui plerumque iniquus eſt, ſiue in illis comparandis ſiue in poſſidendis ſiue in conſumendis. Fiunt autem ex illis amici qui nos deficientes recipiant in æterna tabernacula, quando ex illis fiunt eleemoſynæ quarum intuitu, & pauperum orationibus exoratus Dominus concedat felicem exitum quibus alioquin non niſi miſerandus contigiſſet.

Quia vero iam ſic importuni videntur Pauperes vt eorum penè faſtidium quoſque ſubeat: diligenter id cauendum, & quos habes modo *importunos* ſic conſiderandi ſunt tanquam futuri aliquando *magis opportuni amici,* ſi eorum importunitatem benigne toleraris & inopiam ſubleues.

Ratio

Digitized by Google

Ratio eſt plurimùm expendenda , quod illi ſine dubio ſint cenſendi magis opportuni amici , qui magis opportune , Id eſt, in grauiori neceſſitate valeant tibi adeſſe , tibi patrocinari , & te omni ope , ſi quo labores periculo , liberare ; Nonne ſic Sacri profanique Authores veros à falſis amicos denotant ? *Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum* , inquit Sapiens, *& non permanebit in die tribulationis. Eſt autem amicus ſocius menſæ , & non permanebit in die neceſſitatis. Amicus ſi permanſerit fixus , erit tibi quaſi coæqualis,* id eſt, æqualem tecum ſortietur ſortem : in hoc erit vere amicus, ſi quæ tua ſunt ærumnoſa velit ex æquo participare , ac illa quæ fuerint beneficia , ſeu fœlicia : tuque illi parem rependes vicem. *Eccleſ. 6.*

O non minus rara quam vera fidelis amici nota.

II. PVNCTVM.

S*ED quos habes modo magis importunos in petendo , magis opportune valent aliquando tibi adeſſe.*

Quò enim ſunt magis importuni , major eſt patientia , majorque charitas dum illis ſubuenitur , atque ita magis certò amici comparantur , quo ſupra dictum eſt modo , licet id neſciant Pauperes nec aduertant. *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi* , Nempe eius *qui diſperſit , dedit pauperibus , & qui miſeretur & commodat diſponet ſermones ſuos in iudicio* , id eſt, habebit quod reſpondeat, & quo ſe accuſatus defendat , ne iudicetur nec condemnetur. *Pſal.* 111.

Quod egregia quidem Parabola ſanctus Ioannes Damaſcenus in hiſtoria Barlaam & Ioſaphat repræſentauit , ſed eam liceat paulo liberius ſic ad rem noſtram explanare : *c. 13.*

Homo quidam ſingulari quatuor amicorum conſortio conuictuque gaudebat, licet eorum vnum quem quartum dicimus, non ita coleret ac tres alios. Incidit vero ille in tam operoſum negotium, vt niſi ab amicis iuuaretur, par conficiendo numquam eſſet negotio ; Quamobrem primum illorum adit conquirendi præſidij gratia. Sed ô perfidum amici pectus ! ſtatim ac hominem vidit , aduertens quod erat , operis , è conſpectu ſe ſe proripuit , nec ſe vltra ſpectandum dedit.

Secundus itaque conuenitur amicus qui paulo quidem attentius mœrentem audit , ſed mœroris aliud ſe habere leuamen negat quàm vt telæ lineæ cuius erat factor aut venditor , partem

aliquam impertiret; quod profectò perexile tanto negotio leuamen erat.

Quamobrem tertius ex amicis adeundus fuit, qui vt erat in pietatem pronus, grauiſſimè funeſtum hominis tulit caſum: neque modo auditis ingemuit calamitatibus, ſed vt damnum inde impendens auerteret, vltro ſe obtulit aditurum Patronos, Iudices atque alios quibuſcum eſſet cauſa conferenda: Iamque videbatur eorum domum cum calamitoſo Cliente pergere: ſed quæ eſt humanæ fragilitas amicitiæ, cùm ad fores domus peruentum eſt, non vltra pedem porrexit, neque domum ingreſſus, neque cum Iudice cauſam egit, ſed quà priùs venerat via regreſſus eſt nec deinceps comparuit.

Quid hic agat infortunatiſſimus hominum, quem ſic omnes amici deſerunt, & qui ſolus nihil poſſit agere? Supereſt vnus è quatuor quos dilexit, ſed tam parum cultus, aut tam prope neglectus vt vix eum auſit compellare de amicitia, nec quid opis ab eo poſtulare. Facit extrema tamen rei capitalis anguſtia vt quantumcumque parum de amico meritus, non vereatur negatam ab aliis gratiam ex ipſo emendicare; Nec fruſtra, nam Is ſtatim perſuaſus adit Eum à quo vno ſumma rei pendebat, cauſamque amici tam generoſe proſequitur, vt quod erat optandum obtineretur.

O qui tum animi motus ab homine liberato concitati! quid de infidis illis tribus amicis ſentire crederes? Quid de hoc vnico prædicare, gratulari, congaudere? Poſſent iſta tractari penſiculatius, niſi quod te magis ſpectat, quò ſpectet illa Parabola, malis explorare.

Tu nempe, Lector, ſi neſcis, tu ille homo es cui capitale incumbit negotium peragendum: cui quatuor ſingulares ita eſſe amici dicuntur, vt tres ex illis quidem præcipue foueas, quartum vero parui ducas. Tuum, Lector, negotium, æterna ſalus eſt animæ. Statutum eſt *hominibus ſemel mori: poſt hoc autem iudicium.* Hebr. 9.
Stabis ante tribunal Chriſti de vniuerſa vita cauſam dicturus; An te ſatis paratum & inſtructum ab omnibus putas vt nullius ſubſidio tum te indigere arbitreris? Vnde illa porrò tibi comparabis ſubſidia? Numquid ex tribus illis quos tam carè foues amicis? Experire, compella ſingulos, vnumquemque tibi iam aduoca, quaſi iam de negotio diſceptaretur.

Primus quem maxime colis, eſt voluptatis ſenſus. Quid tan-

Digitized by Google

dem conferet animæ tuæ ſiſtenti coram ſupremo iudice? Nonne is ſtatim auolat, atque anima corpore ſoluitur?

Secundus eſt pecuniarum amor: Quid vero ex pecuniis referes, niſi Linteolum quo mortuum corpus inuoluatur?

Tertius eſt mundi qui vocatur reſpectus aut affectus; at quæſo te quid mundus iſte aliud poſſit quàm vt te morientem deploret, te mortuum lugeat, & te quidem ad ſepulchrum, ad illam *æternitatis domum* ducat, ſed non vltra, non inferno eripiat, non liberet condemnandum. *Eccle. 12.*

Videſne quàm infidi, quàm inualidi, quàm impotentes ſint illi tres amici tui? Quartus vero quem prætefers quidem velle diligere, ſed quem ita tamen negligis vt niſi animo pene inuito & pœnitenti quidquam in eius edas gratiam; Cultus eſt bonorum operum quæ dicuntur miſericordiæ ſeu pietatis in pauperes & egenos. Nonne hunc diligis? Diligiſne vero ſicut pecuniam, ſicut naturæ commoda, ſicut mundi honorem? Et tamen ille eſt, ille vnus amicus eſt qui te ad Iudicem tuum conſtanter comitetur, qui cauſam dicat & obtineat, neque te vnquam deſerat, donec omni metu ſoluto te in æterna recipiat tabernacula. *Tanta vis eſt eleemoſynæ*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *cum multa fiducia ſuos introducit alumnos, eſt enim cœli nota ianitoribus, ſponſalis thalami fores obſecrantibus.* Ac rurſus alibi, *pennata eſt & leuis, ſuper autem ſolium regale conſiſtit. Quando iudicamur repente ſubuenit, & nos à ſuppliciis liberat imminentibus: alis ſuis nos contegens.* Nonne hoc eſt opportune nobis adeſſe? Nonne hoc eſt ſummopere nobis optandum? *Homil. 36. ad Pop.* *Homil. 32. in Epiſt. ad Hebr.*

III. PVNCTVM.

QVOS *igitur modo habes magis importunos in petendo, mágis eſſe poſſunt aliquando tibi opportuni:* Cum in ſummo illo beatitatis æternæ negotio te, cunctis aliis deſerentibus bonis & amicis, ſoli pauperes quibus bene feceris, ſola illa bona quæ in illos contuleris, tibi patrociniari poſſint & adeſſe. *Præmium enim bonum tibi theſauriſas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam.* *Tob. 4.*

Digitized by Google

Et licet alia valere poſſint etiam bona opera, licet oratio & ieiunium magni ſint apud Deum meriti, majoris eſſe tamen eleemoſynam vel ex eo manifeſte patet, quod cùm Iudæi multum ieiunarent, atque etiam crebras funderent preces, non ſe tamen illis placaturum affirmat Deus, niſi ſua pauperibus largiantur. *Cùm multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam. Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite & arguite me dicit Dominus.* Et rurſum: *Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi: diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti ſunt, liberos: & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris: tunc erumpet quaſi mane lumen tuum & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.*

Iſ. 1.

Ibid. 58.

Quibus ſacris ſermonibus conformiter ſanctus Leo: *Nulla*, inquit, *deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quam iſta quæ pauperibus eius impenditur: & vbi curam miſericordiæ inuenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit.*

Serm 10. de Quadrag.

Quamobrem quod ad propoſitæ Veritatis praxim accedit propius, videndum ne contra importunos pauperes accendamur vt fieri ſolet vehementius: ſed potius hinc emolleſcamus & excitemur ad promptiorem beneficentiam. Quò illud egregium ſpectat S. Chryſoſtomi; *Amabile ſanctorum omne genus, chariſſimi, propterea que Paulus dicebat: induite vos ſicut electi Dei ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem. Vides verbi virtutem & quomodo nos ſemper vult eſſe miſericordes? Non enim dixit, miſeremini ſimpliciter, ſed induite vos, vt ſicut veſtimentum ſemper nobiſcum eſt, ſic & eleemoſyna: nec ſimpliciter dixit, miſericordiam, ſed viſcera miſericordiæ, vt naturalem imitemur amorem. At nos contraria facimus, & ſi quis vnum quidem petens obolum accedat, contumeliis & conuiciis inſectamur, ac impoſtorem vocamus: Non horres homo & erubeſcis impoſtorem propter panem vocans? Si vero talis & impoſturam facit, propterea cui miſericordia tribuatur dignus eſt, quod ita fame premitur vt talem ſubeat perſonam. Quin hoc & noſtræ crudelitatis eſt redargutio: Nam quoniam facile dare non ſuſtinemus, innumeras coguntur artes excogitare, vt inhumanitatem noſtram fallere poſſint & emollire ſæuitiam.*

Homil. 35. ad Pop. & Serm. de Miſeric.

Similia quædam habet & ad praxim valde apta ſanctus Gre-

Digitized by Google

gorius ad hæc Iobi verba: *Si deſpexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum & abſque operimento pauperem, ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt.* l. 21. Mor. c. 13. & 14.
QVOD pauperem non deſpexit, ait ſanctus Doctor, *virtutem humilitatis exhibuit: quod autem operuit, pietatis. Duæ quippe iſtæ virtutes ita ſibimet eſſe connexæ debent, vt vicario ſemper opere fulciantur, quatenus nec humilitas cum veneratur proximum, largitatis gratiam deſerat; nec pietas cum largitur intumeſcat. Erga indigentiam itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem, vt cum indigentem rebus neceſſariis naturæ tuæ conſortem videris, nec per impietatem deſinas tegere, nec per ſuperbiam negligas venerari quem tegis. Nam ſunt nonnulli qui mox vt ab egenis fratribus fuerint neceſſario poſtulati, poſt dona largituri, in eos prius contumelioſa verba iaculantur: qui etſi rebus miniſterium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt, ita vt plerumque videatur, quia illatæ iam iniuriæ ſatisfactionem ſoluunt, cùm poſt contumelias dona largiuntur. Nec magni eſt operis quod poſtulata tribuunt, quia ipſo donationis ſuæ munere vix eundem exceſſum ſermonis tegunt. Quibus bene per Eccleſiaſticum librum dicitur: Omni dato non des triſtitiam verbi mali. Et rurſum, ADDE verbum ſuper datum bonum, & vtraque cum homine iuſtificato, videlicet vt datum exhiberi debeat per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem.*

At contra alij egenos fratres, non ſtudent rebus fulcire cùm poſſint, ſed blandis tantum ſermonibus fouere quos vehementer Iacobi prædicatio ſancta reprehendit dicens, ſi autem frater aut ſoror nudi ſunt & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis: ite in pace calefacimini & ſaturamini, non dederit autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori: quid vobis proderit? Quos Ioannes quoque Apoſtolus admonet, dicens FILIOLI mei non diligamus verbo nec lingua, ſed opere & veritate. Dilectio namque noſtra ſemper exhibenda eſt & veneratione ſermonis & miniſterio largitatis.

Multum vero ad edomandam dantis ſuperbiam valet, ſi cùm terrena tribuit, Verba ſollicite Magiſtri cæleſtis penſet qui ait: FACITE vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio penſare debemus, quia Patronis potius munera offerimus quam egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: VESTRA abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum

Digitized by Google

abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Vt videlicet ſollicite perpendamus; quia eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus: & qui abundantes aſpicimur, ſi largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale ſubſidium pauperi tribuit, ab eo poſtmodum perpetua recepturus, vt ita dicam, quaſi ad frugem, terram excolit quæ quod acceperit vberius reddit. Reſtat ergo vt numquam elatio ſurgat ex munere, quando videlicet diues ex eo quod pauperi tribuit, agit vt in perpetuum pauper non ſit.

Vide in 4. parte, Hebdom. 17. Feria 5. vbi apte contra diſſipantes bona ſua, vel non bene aut bono fine vſurpantes; hæc duplex habetur Veritas:

Niſi diues diuitias faciat bonas: diuitiæ malum faciant diuitem.

Aut cœlum perit diuitiis, aut emitur.

HAC Hebdomada, ſex illæ nobiles Parabolæ quæ occurrunt in Euangelica hiſtoria conſiderandæ, conformes Practicas Veritates ſuggerent, quæ ad profectum in via ſpirituali, atque ad vniuſcuiuſque perfectionem in ſuo ſtatu comparandam vel conſeruandam, plurimum valere poterunt.

FERIA SECVNDA.

PARABOLA SEMINIS SEMINATI IN TERRAM, TRIPLICI EX PARTE INFOELICEM.

Exiit qui ſeminat, ſeminare ſuum. Luc. 8.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Verbum Dei non redit vacuum; aut proſit neceſſe eſt recipienti vel obſit.

RATIO EST, *Quia ſi verbum Dei non proſit recipienti, recipientis eſt reſiſtentia quæ non erit impunita.*

Atqui hæc eſt ordinariè pœna qua talis punitur reſiſtentia, vt quod prodeſſe poterat, contrà obſit & noceat.

Ergo verbum Dei non redit vacuum, vt eſt apud Prophetam: Iſ. 55. *aut proſit neceſſe eſt recipienti vel obſit: quamobrem longe ſatius eſt ſic attentum eſſe verbo Dei recipiendo, vtmagis proſit quàm obſit.*

I. PVNCTVM.

LEGI poteſt Parabola de qua iam ſupra dictum eſt in ſecunda Parte, Dominica Sexageſimæ, Vbi plures proponuntur ex illa Veritates.

Debet vero conſiderari paulo attentius eius Interpretatio quæ ſic à Chriſto Domino traditur: *Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Nam qui ſupra petram, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent & fructum afferunt in patientia.*

Iam vero Vide vtra ex illis quatuor terra ſis. An hæc bona quæ refert fructum ex meditationibus, ex libris, ex Concionibus, aut quacumque tandem ratione recipiatur cœleſtis illa ſementis? An inde proficis? An inde à te deficis? Nam hic verus profectus. Quod ſi nullum aduertis aut modicum fructum, quid obſtat?

Digitized by Google

Quod genus terræ ex illa infauſta triplici quæ commemoratur, tibi magis conuenit? An illa patens & omnibus obuia? An quæ petris & ſaxis induruit? Aut quæ forte ſpinis & tribulis eſt conſita? Contemplare attentius, & audi Prophetam idcirco ter ingeminantem: *Terra, terra, terra, Audi ſermonem Domini.* Audi ſaltem paulo attentius modò, vt diſcas ſic deinceps audire. Audi propoſitam Veritatem quæ duo continet ad permouendos animos efficaciora incitamenta, *præmium & pœnam.* Sic enim res habet ex ipſis Dei verbis apud Iſaiam, *Verbum Dei non redit vacuum, aut proſit neceſſe eſt recipienti vel obſit.* Nonne hoc ſatis magnum parui laboris prœmium vt ex quocumque tandem verbo Dei audito nihil tibi ſi velis pereat, nihil tibi non multum proſit? Aut certe ſi te tua commoda ſpiritualia parum mouent, moueant ſaltem detrimenta, & diſce quod ſi non proſit, oberit.

Ier. 22.

Ratio eſt ſatis quidem obuia & familiaris, ſed valde vtilis ac ſæpe in alios vitæ ſpiritualis vſus reuoluenda. Hoc eſt enim commune omnibus Gratiarum Inſtrumentis vt ſi non vſurpentur, vel ſi non ita digne & fideliter recipiantur, vt proſint recipienti; recipientis ſemper eſt culpa & reſiſtentia: Quia cùm illa ex ſe aut ex ſua Inſtitutione ſint Diuina & Diuinam contineant Gratiam, quæ adjunctum ſemper effectum habet niſi impediatur; impediri autem ordinarie non poſſit niſi defectu recipientis; Certe quoties non habebunt illum ſuum effectum, dicendus eſt toties ſeſe illi Recipiens opponere & reſiſtere: ſiue id directe & poſitiuè fiat, nolendo expreſſe conſentire verbo Veritatis: ſiue indirecte & negatiue fiat, volendo alia quæ cum Diuino verbo cohærere non poſſent. *Noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentem.*

Zach. 7.

Quod autem talis reſiſtentia non ſit impunita, & facile eſt conjicere ex grauitate culpæ, & ex grauibus quæ illi intentantur, vbique Scripturarum, minis. Culpa eſt certe grauis, & culpæ reus prope illi eſt ſimilis de quo dicitur, *Tetendit aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.* Quid eſt enim aliud reſiſtere verbo Diuino, quam ipſi Deo? Quid eſt autem Deo reſiſtere, niſi contrà impudenter & erecta quodammodo fronte ſeſe roborare, quaſi nihil Eum cures, nihil eius verba, nihil promiſſa, nihil minas? *Videte,* inquit Apoſtolus, *ne recuſetis loquentem:*

Iob. 25.
S. Greg. 12. Mor. 21.
Hebr. 12.

Digitized by Google

loquentem : ſi enim illi non effugerunt recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur: multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis auertimus. Id eſt, ſi Iudæi non effugerunt pœnas ſuæ reſiſtentiæ, multo minus putetis vos eas poſſe fugere. Tanto grauius quiſque punietur quanto certius cognouerit verbum quod audit, & negligit eſſe Verbum Dei.

Vide in 2. parte, In die Aſcenſionis Domini.

II. PVNCTVM.

ATQVI *hæc eſt ordinarie pœna quâ talis punitur reſiſtentia, vt quod prodeſſe poterat, contrà obſit, & noceat.*

Hoc ipſo ſcilicet Diuino verbo quo poterant illuminari & accendi ad omnem pietatem, magis obſcurantur, magis frigeſcunt, & magis inde ab omni pietate auertuntur. *Deprauant enim Scripturas*, inquit ſanctus Petrus, *ad ſuam ipſorum perditionem*, quod alius Apoſtolus ſic declarat; *quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Id eſt, quidquid ex Deo audiunt, in alium prorſus detorquent ſenſum, & tantum abeſt vt inde reſipiſcant quin potius in deteriores abeant, nam vel id omnino non credunt eſſe à Deo, & infideles fiunt; vel ſi credunt, ad libitum interpretantur & illis ipſis Scripturæ verbis quibus condemnantur, ſe abſolutos fingunt. *Si opertum eſt Euangelium noſtrum, in jis qui pereunt eſt opertum: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti:* Quaſi diceret Apoſtolus, in his cæcutiunt quæ nobis apertiora ſunt, quia ſic puniūntur vt pòſt reuera non videant quæ prius videre noluerunt. Neque in eo pœna tantum eſt vt non videant, priuenturque lumine & gratia quam habuiſſent ex audito & credito Dei verbo: ſed prætere ea, quod eſt longe peius, ſic puniuntur, vt in ſua cæcitate & peruerſitate per illud ipſum Verbum quo poterant illuminari & emolliri, magis indurentur vt dictum eſt. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, jis autem qui ſalui fiunt, Dei virtus eſt.* Nempe illo ipſo verbo quod de Chriſto vel de eius Cruce productum eſt & quo alij incenſi ſunt ad pœnitentiam & vitæ auſteritatem, iſti laxantur ad liberioris vitæ licentiam, quaſi difficiliora eſſent quæ iubentur, quaſi ſolis relicta perfectis, vnde

2. Petr. 3. *S. Iudæ.* *2. Cor. 4.* *1. Cor. 1.*

Digitized by Google

Epheſ. 4. *propter cæcitatem cordis ipſorum, deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ.* Deſperantes ſcilicet ſe poſſe vmquam illa perfectiora contingere, ne quidem ſtudent ſuperandis difficultatibus, ſed quaſi eſſent inſuperabiles, illis cedunt, & ſe tùm tutos putant quod ſe non putent poſſe quæ nolunt facere. Nonne hoc eſt obeſſe quod prodeſſe poterat?

Rom. 7. Adde quòd, vt fuſe proſequitur Apoſtolus, Concupiſcentia niſi verbo & legi Dei obtemperet, magis irritetur & ferociat, vt quæ ſemper nitatur in vetitum, vnde aut cedat verbo neceſſe eſt: aut verbo reſiſtens augeatur; & quidem augmento duplici, nempe naturali & morali. Naturali augmento creſcit Concupiſcentia cum in actum reducitur: tum vero in actum reducitur cum reſiſtit verbo Dei, & quo reſiſtit vehementiùs, eo eſt actus intenſior, & augmentum maius. Morali verò creſcit augmento concupiſcentia, cùm magis eſt voluntaria: magis eſt porrò voluntaria cùm ab humana voluntate magis probatur; magis autem à Voluntate probatur, cum ipſa voluntas pro ea pugnat, pugnat denique pro concupiſcentia voluntas quando quis libere & aduertenter reſiſtit verbo Dei, ne verbum Dei reſiſtat concupiſcentiæ; ſicque tandem aperte fit, vt illo ipſo verbo quo quis melior eſſe poterat, fiat deterior. O vere poſitum verbum *in ruinam & in re-*
Luc. 2. *ſurrectionem multorum: atque in ſignum cui contradicetur.*

III. PVNCTVM.

VERBVM *Dei ergo non redit vacuum: aut proſit neceſſe eſt recipienti, vel obſit:* Proſit quidem producens fructum,
Math. 13. *Aliud centeſimum, alîud ſexageſimum, alîud trigeſimum*, pro vario videlicet recipientium ſtatu & diuerſo viuendi genere: obſit vero dum rebellis non tantum nullo gaudet fructu, ſed in deteriorem quendam euadit ſtatum ſicut illa ficus Euangelica,
Math. 21. quæ cum nullum haberet fructum maledicta fuit à Domino, &
Marci 11. ſtatim ab ipſa radice aruit nec ferendo deinceps fructui capax
Hebr. 6. fuit. Sic aperte Apoſtolus: *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam, opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.*

Satiſne illa grauia & pauenda, vt nobis caueamus? Parumne

Digitized by Google

nobis cenſendum eſt ſic à Deo benedici vel maledici? Quis profectus tuus ex verbo Dei? Quo accedis animo ad Conciones? Qua mente libros qui dicuntur ſpirituales, euoluis? Nonne plus curioſitatis affers quàm pietatis? Certe ad audiendum Dei verbum æque parandus eſſet animus atque ad ipſum Chriſtum recipiendum. Quemadmodum enim ore Chriſtus in Sacramento, ita aure quodammodo recipitur in audiendo Euangelio, vnde Apoſtolus, *Sicut accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate.* Et alibi, *Coloſſ. 2.* *Det vobis Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris. At fides ex* *Ephef. 3.* *auditu, auditus autem per Verbum Chriſti.* *Rom. 10.*

Sic ſanctus Auguſtinus vnum confert cum alio: *Interrogo vos, fratres, dicite mihi quid plus vobis videtur, Corpus Chriſti aut Verbum Chriſti? Si vultis verè reſpondere, hoc dicere debetis quod non ſit minus* *Inter 50.* *Dei Verbum quam Chriſti Corpus, & ideo quanta ſolicitudine obſeruamus* *Hom. 26.* *quando Chriſti Corpus miniſtratur, vt nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat; tanta ſolicitudine obſeruemus, ne Verbum Domini quod nobis erogatur, dum aliud cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat, quia non minus erit reus qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm qui Corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit.*

Quæ ſancti Patris Verba quocumque ſenſu mitigentur, valere ſemper plurimum debent ad reſtringendum animum laxiorem in audiendo Dei Verbo. *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* *Ioan. 8.*

Poſſet & hæc vrgeri

VERITAS PRACTICA.

Vt ſunt contra Chriſti Verbum omnes habitus vitioſi: ſic contra vitioſos omnes habitus, Verbum Chriſti habitet in nobis abundanter.

SENSVS ET RATIO EST, Quod ſicut Chriſti Verbo ſeſe opponunt maxime habitus vitioſi, quia regnant in animo ſicque excludunt aut impediunt Verbi effectus: ſic contra vitioſos quoſuis habitus nihil efficacius quam quod monet Apoſtolus: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter:* Quia ſic regnum *Coloſſ. 3.* illud vitioſorum habituum deſtruetur, & paulatim Virtus aſtruetur: *Ponite hæc Verba in cordibus veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in* *Deut. 11.* *manibus, & inter oculos veſtros collocate.* Quod olim Moſes, hoc

Luc. 9. ipſum Chriſtus Dominus; *Ponite vos in cordibus veſtris ſermones*
Ib. 2. *iſtos.* Sic *Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.*
Vide in 1. parte, Fer. 6. Hebdom. 2. poſt Epiph. & Dominica 6.

FERIA TERTIA.

PARABOLA ZIZANIORVM.

Cum dormirent homines, venit Inimicus & ſuperſeminauit Zizania in medio tritici. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Ne putes te bene ſemper excuſatum, cum dicis: Non putabam.

RATIO EST, Quia nulla eſt excuſatio ſi æque peccas non putando vel cogitando, ac ſi cogitares.

Sed ſæpe id accidit vt æque pecces, dum non putas aut cogitas, ac ſi cogitares.

Ergo ne putes te bene ſemper excuſatum dicens non putabam. Quod tamen eſt frequens multis, & valde damnoſum.

I. PVNCTVM.

Dominica 5. poſt Epiph. in prima parte.

HÆC Parabola iam eſt nobis exhibita, & prout eam interpretatus eſt Chriſtus Dominus de hominibus malis qui inter bonos viuunt, fuſe alibi declarata. Nunc vero de noſtris actionibus quæ multæ malæ ſunt & inter paucas quaſdam bonas permixtæ, liceat eam interpretari: atque illud potiſſimum expendere quod dicitur, *Cum dormirent homines ſuperſeminata eſſe*

Digitized by Google

Zizania, Id eſt, dum indormimus nobis, dum non aduertimus ad id quod agimus, ſæpe illud male agimus, & quod peius eſt hinc ſæpe nos excuſamus dicentes, *Non putabam*; *Non cogitabam*, quaſi propterea Innoxij & ſine culpa eſſemus. Certe aliquando ita euenire poteſt vt ſimus Innocentes, quando ſcilicet ſubrepit improuiſum aliquid quod vſum ſeu aduertentiam rationis ita præuertit vt ſic quique prudens intercipi potuerit. Verum id etiam ſæpius gratis dicitur: & ſiue cogitemus ſiue non cogitemus, nulla tunc profecto eſt talis excuſatio, ſi æque peccamus non cogitantes ac cogitantes. Hæc primum expende diligenter, nam cùm ad ſolam iuſtificationem ſeſe excuſantis afferatur hoc excuſatio, tunc certè nulla eſſe patebit ſi nihil ad Iuſtificationem valeat; non valebit autem ſi is qui ſe excuſat non minus ſit in culpa quàm ſi non ſe excuſaret; cum vnum & idem ſit in eadem materia, eſſe in culpa, & nullam habere excuſationem ſeu nullum habere ius quo te à probro & defectu poſſis eximere. Nam ſi haberes excuſationem legitimam, non eſſes in culpa: aut ſi in culpa es, plane non habes quod excuſes.

Sic Deus, quod eſt planè mirabile, ſic ipſe Deus antequam homines iudicet & condemnet, ab ipſis inquirit, num habeant quid excuſent? *Reduc me*, inquit, *in memoriam, & iudicemur ſimul: narra ſi quid habes vt iuſtificeris.* Quando vero producunt aliquid quod eſt infirmius, vt ſe poſſint eo tueri & excuſare: Vide quàm blandè quàm amanter ſimul & quàm potenter nullam eſſe excuſationem oſtendat, quòdque ſint in manifeſta culpa, & in flagranti delicto: *Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.* Et paulo poſt: *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem? Quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas: & in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum & Innocentum. Et dixiſti, abſque peccato & innocens ego ſum: & propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, non peccaui. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Quaſi diceret; apparet nullam eſſe tuam excuſationem, cùm appareat culpa tua. Vnde veriſſima eſſe conſtat propoſitio, qua dicitur, quod ſi æque peccas non cogitando ac ſi cogitares, nulla eſt excuſatio dicentis, non cogitabam, non putabam. *Arguet te malitia tua.*

Iſ. 43.

Ier. 2.

Ibid.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

S*ED ita ſæpe accidit vt non cogitans nec aduertens, æque pecces ac ſi aduerteres.*

Illud *æque* non infert talem peccati æqualitatem vt tam grauiter pecces non attendens ad peccatum, quam ſi actu & expreſsè attenderes. Certum eſt enim tùm grauiùs & ex ſingulari quadam peccari malitia, quando ſic attentior fit reflexio in peccatum quod committitur. Sed ſenſus propoſitionis eſt, quod licet in aliquo actu vitioſo non ita expreſſe attendas & aduertas ad omnia quæ circumſtant peccatum, non deſinas tamen peccare, nec iſte defectus majoris aduertentiæ aut cognitionis, te ſemper excuſet à peccato.

Nam primo quidem cùm talis attentio ad peccatum actionis, poſſit eſſe major aut minor, non eſt neceſſe vt tanta ſit quanta eſſe poteſt: ſatis enim eſt vt ſit moralis, vt ſit humana, vt ſit ſufficiens ad diſcernendũ qͥd agas, ad cognoſcendũ aliquo modo te male agere, licet non omni modo, licet non explicito & expreſſo id cognoſcas. Pauci ſunt qui ſic in peccando expreſſam habeant peccati cognitionem; multi vero & pene omnes vix actu de peccato cogitant, ſed de ſua tantum explenda libidine, quam quia non ignorant eſſe vitioſam aut vetitam, ſatis eſt vt reuera dicantur peccare. Satis enim habent libertatis & aduertentiæ vt actum humanum faciant, nam de illo hîc agimus; ſatis etiam, vt ſupponimus, habent ſcientiæ & cognitionis vt ſciant illum eſſe malum. Quod autem non ſatis habeant, vt actu cogitent eſſe malum & quale malum aut quale inde damnum ſit futurum; hoc eſt quod dicimus non eſſe neceſſe cogitent, vt dicantur peccare. Propterea enim omnis peccans dicitur eſſe ignorans, & errare, & in tenebris eſſe, & *velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem trahi:* Quia ſcilicet ſi Rationis lumen & Diuinæ ductum Gratiæ ſequerentur, non peccarent, & idcirco peccant quia rationem non ſequuntur. Non ita tamen rationis expertes ſunt quin eorum actus ſint liberi & humani, ac proinde virtutis capaces aut vitij.

2. Pet. 2.

Deinde vero, eſto ignorent illi omnino aliquid quod ſi ſciuiſſent, forte non peccaſſent: an putas omnem ignorantiam excu-

Digitized by Google

ſare à peccato? Nonne iam audiuiſti eſſe quandam affectatam ignorantiam quando quis negligit ea ſcire quæ debet & quæ poteſt, ex qua ignorantia qui peccauerit non magis excuſatur quam qui peccare voluerit? Nam ignorare voluit quę non debebat ignorare, & in illa voluntate ignorantiæ, ſeu in illa voluntaria ignorantiæ incluſum eſt omne peccatum quod inde ſequetur in omnem vitam. Sic expreſſe ſanctus Thomas, afferque illud Apoſtoli, *Si quis ignorat, ignorabitur.* 1. 2. q. 76. a. 2. 1 Cor. 14.

Denique quid manifeſtius quam quæ ſcribit Idem ſanctus Doctor de vitiis prudentiæ oppoſitis, quæ ſunt Imprudentia, Inconſideratio, Præcipitatio & ſimilia quæ non ſunt vitia & peccata niſi quia ſunt defectus Rationis & aduertentiæ in agendo vel loquendo? Vnde tam euidenter patet non cogitantem nec aduertentem poſſe peccare, quàm euidens eſt inconſideratum & præcipitem reuera ſæpe peccare & in Scripturis argui. *Qui inconſideratus eſt in loquedo, ſentiet mala. Et qui feſtinus eſt pedibus, offendet.* Prou. 13. Ibid. 19. Cum autem illa Inconſideratio ſeu Rationis deficientia ex alio ſæpe vitio proueniat, inde etiam tamquam effectus à cauſa malignitatem ſuam contrahit, quæ certè grauior & damnoſior eſſe poteſt quàm putetur. *Inſipientes ſunt & vecordes*, ait Propheta. Ier. 4. Sed vnde illa vecordia? An ab ebrietate, aut à laſciuia? Certe à quocumque vitio profluat, vitij colorem induit; Et hoc profectò pauendum.

III. PVNCTVM.

N*E te igitur putes bene ſemper excuſatum cum dicis, Non putabam.* Nam ſi tunc pecces, non excuſaris, fieri autem ſæpe poteſt vt non minus pecces non aduertendo quàm ſi aduerteres; Nam ſatis aduertis quantum eſt ſatis ad peccatum; aut ſi non ſatis aduertis, tua eſt culpa, tuum peccatum; Nec prodeſt dicere, non putabam. Sic apte ſanctus Chryſoſtomus: *Neſciebam quid dicerem, & quare neſciebas? Cum ſis homo rationalis, irrationabilium opera facis! hæc excuſatio accuſatione digna. Iræ ſunt verba, non mea; quomodo illius? Vires ira non habet niſi ſumat abs te: vt ſi diceres, manus ſunt non mea vulnera.* Hom. 29. ad Pop. ant. Sic ſanctus Auguſtinus contra huiuſmodi excuſationes: *Non ſciebam quia peccatum eſt*; fuſe in Pſalmum In Pſ. 35. trigeſimum quintum ad hos verſus: *quoniam doloſe egit in conſpectu eius, &c.*

Digitized by Google

Certe ſicut Homini rationali nihil magis eſt proprium & ho-
norificum quam è ratione viuere, ſic nihil magis oppoſitum &
alienum quam vbi aliquid contra rationem egeris, hoc ipſum ex-
cuſes quòd ratione non vtereris, quaſi hoc excuſare poſſet homi-
3. Rg. 2. nem quod eſt in homine magis probroſum. *Eſto vir*, dicebat Da-
uid moriens, Salomoni filio, *& intellige vniuerſa quæ agis & quo-
cumque te verteris*. Hoc eſt ſcilicet eſſe Virum, vt iam alibi dictum
eſt, *ſic intelligere vniuerſa quæ agas & dicas*. Quamobrem ipſe Sa-
Prou. 1. lomon Prouerbialem librum bene longum ſcripſiſſe ſe ait, *vt de-
tur paruulis aſtutia*, Id eſt dexteritas, Induſtria & attentio ad bene
agenda omnia, vt ſanctus Baſilius interpretatur vocem Πανουργίας
Ibid. 4. qua vtuntur Septuaginta, & quam ipſe Sapiens ſic declarat: *Oculi
tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos, dirige ſemi-
tam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur.* Sic Eccleſiaſticus:
Eccleſi. 37. *Ante omnia opera, verbum verax præcedat te: & ante omnem actum
conſilium ſtabile.* Sic Chriſtus Dominus tam ſæpe in Euangelio
Marci 13. vt nihil ſæpius repetitum inuenias, *Videte, vigilate, & orate; quod
vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

Quorſum enim Gratiæ & Diuina ſubſidia niſi ſimul aduigiles in illis recipiendis & in actum reducendis? Non ſi totum cœlum tibi adeſſet, quidquam prodeſſet ſi tibi defueris; neque ſi totus in te ruat Infernus, tibi oberit ſi cum Gratia vigilaueris. Eſto vigilantior præſertim in congreſſu cum aliis, cito enim abripitur animus tuus.

Vide in 1. parte, Communem SS. Confeſſoribus non Pontificibus, Vbi hæc declaratur Veritas:

Quantum cuique eſt vigilantiæ, tantum virtutis & meriti.

FERIA QVARTA.

PARABOLA SEMINIS PAVLATIM GERMINANTIS ET INCRESCENTIS.

Sic

Digitized by Google

Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille. Marci 4.

VERITAS PRACTICA.

Neque quies niſi ſolicita; neque ſolicitudo niſi quieta.

SENSVS EST DE PROGRESSV SPIRITVALI, In quo faciendo ſic concilianda ſunt quies & ſolicitudo, vt ſicut non alia quies eſt admittenda niſi quæ ſit ſolicita de virtutibus acquirendis & exercendis: ita ſolicitudo non alia impendatur niſi ſit quieta. Quod poſtremum hîc præſertim vrgetur, ac propterea ſic Veritas Practica planius proponi poſſet:

Quæ ad progreſſum ſpiritualem ſolicitudo valet, ſit quieta, vel non valet.

RATIO EST, *Quia idcirco ad ſpiritualem progreſſum ſolicitudo valet, vt quæ à nobis pendent rectè & diſcretè curemus;*

Atqui ad hanc rectam & diſcretam curam, ſolicitudo debet eſſe quieta.

Ergo ad progreſſum ſpiritualem ſit quieta neceſſe eſt; aut non omninò valet.

I. PVNCTVM.

BREVIS hæc quidem Parabola verbis eſt, ſed ſatis longa & fœcunda ſenſu. Proponitur nobis in perſona ſeminantis Agricolæ quam ſolicitudinem gerere debeamus circa præſentem animæ noſtræ ſtatum & profectum. In qua quidem ſolicitudine ſicut errari poteſt defectu, ita & exceſſu. Deficeret qui non ſatis eſſet ſolicitus: ſed in ea excederet qui nimis

Digitized by Google

anxiè & inquietè ſe teneret ſolicitum. Imitandus eſt igitur hic Parabolicus Agri-cultor qui ſic laborem ſuum cum quiete temperat vt quantum neceſſe eſt agro & ſemini ſeminato, laboret; de cætero autem dormiat & quieſcat; Nam, vt ait Dominus, *ſemen germinat & increſcit dum neſcit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica, & cum produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.* Quaſi diceret, facit tantum Agricola circa ſemen quod ſibi faciendum videt; agrum colit, ſeminat & metit ſuo tempore, dum interim ſine illius cura & ſolicitudine frumentum creſcit. Sic plane nobiſcum eſt agendum; nam ſicut in illo naturali frumenti vel ſeminis incremento progreſſus ſpiritualis deſignatur, ſic in illa temperata ſolicitudine Agricultoris, exprimitur quieta noſtra ſolicitudo quæ ad talem progreſſum valet. Ita porrò valere dicitur, *vt niſi ſit quieta, omnino non valeat.*

Ratio eſt multùm expendenda, quòd ſcilicet ad hoc præcipue ſolicitudo ſit neceſſaria, vt quæ pendent à nobis rectè & diſcretè curemus. Sunt enim alia in hoc noſtro progreſſu quæ à nobis libere pendent cum Gratia; & alia quæ prorſus non dependent, ſed à ſolo Deo. Liberum eſt tibi modo legere, orare, meditari, ſilere & ſimilia; ſed non ita in poteſtate eſt, contemplari, affici, guſtare Diuina, intimos pietatis ſenſus habere, & quæ ſunt huiuſmodi, quacumque in materia; Vnde illud tandem ſequitur vt ſi quæ ſolicitudo adhibenda ſit circa profectum animæ, in eo potiſſimum verſari debeat, vt diſtinguamus illa libera à non liberis, & in vtriſque tam diuerſe nos geramus quam diuerſa ſunt in agendo; Id eſt, in iis quæ ſunt libera non negligamus quod noſtrum eſt, nulli parcamus labori, nulli curæ ac vigilantiæ quantum quidem id exigit rei neceſſitas: At verò in aliis quæ non ſunt libera quæ ſunt veluti extra nos ſeu extra noſtram poteſtatem, minime prorſus à nobis inſudetur & laboretur. Quorſum enim ille labor in re quam adipiſci nullo modo poſſis? Nonne idcircò dictum: *Noli reſiſtere contra faciem Potentis, nec coneris contra ictum fluuij.* Ac rurſum: *Quis veſtrum cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cætero ſoliciti eſtis?*

Eccleſi. 4.
Luc. 12.

Et quod forte eſt alias commemoratum, hîc apte Apoſtolus, *Vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi,*

Digitized by Google

ex eo quod habetis. Notanda verba. *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet.* 2. *Cor.* 8. Nec enim minus hallucinari eſt & aberrare, ſi quod non poſſis, indiſcrete velis & cures, quam ſi nullo modo cures quod poſſis & debeas. Nonne in hoc ſæpe erras? Et nonne grauis eſt error?

II. PVNCTVM.

ATQVI *ad hanc rectam & diſcretam curam ſolicitudo debet eſſe quieta.* Id eſt, vt rectè diſcernas liberis non liberis, atque vt diſcrete in vtriſque te geras, agendo cùm agendum eſt, & patiendo cùm eſt patiendum, oportet habere animum valde quietum & tranquillum, cùm alioquin ſi perturbatus ſit, non illa recte dijudicet & diſcernat, ac proinde ibi deſudet vbi eſſet quieſcendum, & ibi quieſcat vbi eſſet laborandum.

Hæc eſt enim humana infirmitas niſi quis diligenter aduertat, vt dum ſolicite aliquid volumus promouere, ſtatim angamur & cruciemur animo, vnde duo illa incommoda ex æquo grauia manant; alterum quo agenda deſerimus; alterum quo non agenda tentamus; quod enim eſt in poteſtate noſtra pene ſemper negligimus, & quaſi noſtra in manu poſitum, vix curamus: Quod vero extra eſt & longius diſſitum, id porro auidius conſectamur. Cui vtrique incommodo remedium aliud non eſt opportunius quam ſi ſolicitudo ſit quieta, id eſt, ſuis ſe contineat finibus, id vnum curet quod curam exigit. *Martha Martha ſolicita es* *Luc.* 10. *& turbaris erga plurima; porro vnum eſt neceſſarium,* Solicitudo non reprehenditur, ſed ſolicitudo turbata & inquieta. *Non affligas* *Eccleſ.* 30. *temetipſum in conſilio tuo.* Nonne id æquum vides & rationabile?

III. PVNCTVM.

QVAECVMQVE *eſt igitur ad profectum ſpiritualem neceſſaria ſolicitudo, tam ſit quieta neceſſe eſt, quam illa eſt neceſſaria;* Quia niſi quieta ſit, erit anxia: ſi autem anxia, nihil aget: nihil eorum quæ agenda ſunt, volet: nihil eorum quæ agenda volet, poterit, ſicque ſolùm permanebit *caſſa illa ſolicitudo & afflictio ſpiritus* de qua Sapiens quæ adeo nihil promouet ſpiritualem profectum vt illum valde retardet. *Quid prodeſt ei quod laborauit in ventum?* *Eccl.* 5.

Digitized by Google

Fuci multum ſtrepunt ſed non mellificant: Apes verò mel ſuum, ſine vllo ſtrepitu conficiunt. Quamobrem ſic ſolicitè laborandum in liberis, vt in aliis planè quieſcas. Sic ipſi etiam quies labori permiſcenda eſt & quieti labor; vt quietus ſit labor, id eſt, dum laboras hoc tantum velis quod poſſis cum Gratia; & quies non ſit otioſa, Id eſt, dum nihil operari potes in non liberis, non ceſſes interius operari volendo nihil poſſe aliud: quandoquidem ſic ordinauit Deus; *Omnem reliquam ſolicitudinem projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de nobis.* Sic Sapientia illa quæ cuncta cum Deo fecit & elaborauit ſe *in omnibus requiem quæſiuiſſe* ait, *& ſic in hæreditate Domini moraturam.* Hæc eſt videlicet hæreditas Domini in medio hoſtium; hæc eſt in pace amaritudo: hoc centuplum cum perſecutionibus: hoc in omni tribulatione gaudium, de quo Scripturæ.

1. Pet. 5. *Eccli. 24.* *Iſ. 38.* *Marci 10.* *2. Cor. 1.*

Sic Beatiſſima virgo Deipara ſimul vtrumque tanta fidelitate iungebat vt quod ait ſanctus Bernardus, in ea eſſet & *Martha negotium, & Mariæ non otioſum otium.* Sanctus vero Anſelmus: *Circa plurima*, inquit, *vt Martha occupabatur: circa vnum, vt Maria, delectabatur.*

Serm. 2. de Aſſumpt. B. Virg.

Sic Beati illi ſpiritus qui animarum cuſtodiam ſuſcepere, ita ſuis ſolicite inuigilant vt ſemper quieti, ſemper beati ſint: Vnde Illud eſt quod de ſancto Ignatio Societatis IESV Fundatore legitur, qui cùm angore immodico vbi res minus e ſententia caderet, Vnum è ſuis cruciari ſciret, admonuit eum id quod ſæpe habebat in ore, *Angelos vt imitari ſtuderet, qui in animarum ſibi commiſſarum cuſtodia omnem quidem diligentiam præſtant, ſed euentus quicumque ſit, nihil de tranquillitate, nihil de beatitate ſua deperdunt. Confide in Deo, & mane in loco tuo*, inquit Sapiens id eſt, in eo animi ſtatu te contine quem ſtatuit Dominus; adeout nihil vltra velis quam quod ipſe velit, licet id parum tibi videatur; ſic enim pro certo & conſtanti habere debes te in illo modico plus profecturum quàm in magno, quia ſic tecum Deus aderit. Sic namqne pergit Sapiens: *Facile eſt enim in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. Benedictio Dei in mercedem Iuſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat.* Vide quid in te hîc nimium & quid reſecandum. Nec pietatem excuſes, aut quid aliud prætendas. Iam enim ſuprà in 2. parte, declaratum eſt:

1. P. Hiſt. Soc. IESV, l. 13. n. 18. *Eccleſ. 11.* *Fer. 2. Hebdom. Sanctæ.*

Digitized by Google

Impietatis genus eſſe pietatis Cultoribus nimis commune; plura quàm poſſint velle facere: & quæ poſſint, non facere.

FERIA QVINTA.

PARABOLA GRANI SINAPIS, ET FERMENTI FERMENTATI.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis quod minimum eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creuerit, majus eſt omnibus oleribus.

Simile eſt regnum cælorum fermento quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Nec magna bene, ſi parua malè.

SENSVS ET RATIO PROPOSITIONIS EST, Quod magna non bene fient, ſi ex ſola conſideratione eorum magnitudinis bene fiant.

Sed ſi parua male fiant, ſignum eſt magna benè fieri tantum ex conſiderata eorum magnitudine.

Ergo neque magna benè ſi parua male fiant, ſicque nihil prorſus efficies, niſi tam paruis quam magnis bene gerendis ex æquo ſtudeas.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

PROLATA hîc duplex Parabola quæ iam alibi declarata eſt, eundem habet finem qui eſt Humilitatis commendatio, vel rerum minimarum cura diligentior quàm haberi ſoleat.. Videri poteſt accuratius in textu Euangelico & expendi. Tum vero ad propoſitum finem de minimis non negligendis attente conſideranda eſt Veritas quà dicitur, *Nec magna bene ſi parua male fiant.*

Atque hæc ratio quæ inter alias hîc affertur non eſt vulgaris quod ſcilicet non bene magna fient ſi quis ex ſola eorum magnitudine, ſeu magnitudinis conſideratione moueatur, ad ea perfecte accuranda. Sic autem declaratur: Cum quæuis magnitudo rei ordinariè ſpectetur potius ſecundum Iudicium hominum quam Dei; ſi quis in agendo ſic reſpiciat illam magnitudinem vt hoc reſpectu præcipue moueatur ad agendum, is certe mouebitur propter reſpectum hominum, potiùs quam Dei. Qui ſic autem mouebitur ad agendum, non poteſt dici coram Deo bene quod agit agere; Nam agere aliquid propter reſpectum humanum non eſt illud bene agere, quantumcumque ex alia parte opus perficias, deeſt illi pars potior quæ in puro fine ac recta intentione eſt poſita. *Omnia opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus*, aiebat Dominus de Pharizæis; & idcirco quidquid boni agerent non bene ab eis agi pronuntiabat, quia ex fine ac intentione operantis, bonitas operis ſic eſt deducenda vt ſi bonus non ſit finis, quantumcumque ſpecioſæ ſint aliæ partes, bonum omnino non ſit opus. Oculus ille eſt operis, *qui ſi tenebroſus ſit, totum operis corpus tenebroſum erit*, vt ſæpe alibi dictum eſt. Imo & quanto rei ſeu actionis aliæ partes apparent eminentiores & laude digniores, tanto fœdius ex impuro fine tota res, totaque actio deturpatur, cum in pulchro corpore ſit facies turpior, aut in pulchra facie turpior næuus magis offendat.

Matth. 23.

Luc. 11.

Et certe id longe eſt magis deplorandum, rem alioquin magnam & probatam defraudari ſuo fine, & ſua Deum priuari gloria quæ inde redundaſſet, ſi pure in Illum actio directa fuiſſet. *Non me inuocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſraël.* Id eſt, ſatis quidem in multis laboraſti ſed non in me, non propter me; & id-

Iſ. 43.

Digitized by Google

circo fruſtra laboraſti, nihil etiam ex me referes, nihili duco labores tuos. Vel quaſi diceret, ſi me voluiſſes ſpectare in tuis operibus, ſi mihi vni placere & vacare ſtuduiſſes, non laboraſſes ſicut laboras volendo placere hominibus; neque enim qui his placere volunt ſemper placent; multùm propterea & ſæpe fruſtra laborant: At vero nullus mihi placere voluerit quin placeat, nullus hîc labor, nullum impendium; *Placere Deo voluiſſe, placere eſt*; & tamen iſta facilitate non permoueris, non me inuocas, non me cogitas, non mihi vacas, quaſi id laborioſius eſſet in opere tuo, quod eſt facilius.

Probroſa certe expoſtulatio, & argumentum euidens non parui defectus operum quæ ad Deum non diriguntur. Quid enim cætera conferant ſi nihil à Deo referunt? Quis niſi vanus & ſtultus ſe putet rectè concionatum eſſe, ſi nullam apud Deum in tota concione gratiam, ſed popularem duntaxat auram fuerit aſſequutus? *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* O dignum *Math. 6.*
labore præmium: *Ventum ſeminarunt & turbinem meſſuerunt.* *Oſea 8.*

II. PVNCTVM.

SED ſi parua male fiunt, ſignum eſt magna benè fieri tantum ex conſiderata eorum magnitudine.

Cur enim illa male, & hæc bene: niſi quia illa parua ſunt, & hæc magna? Nam ſi magna bene fierent quia ſic debent benè fieri, cur non etiam parua bene, cùm æque ſuo benè modo fieri debeant? Non exigitur forte tanta cura in paruis quanta in magnis, ſed tamen quanta eſt neceſſaria cura vt bene fiant, tanta exigitur, quia vt dixi non minus debent bene fieri quam magna; Nonne in illis Deus colitur ſicut in magnis? Nonne ad illa peragenda opus eſt gratia? Nonne ad hanc habendam gratiam opus fuit Chriſti ſanguine & meritis? Nonne merces cœlo repoſita, *Math. 10.*
vel danti potum aquæ frigidæ? Nonne verbo etiam otioſo pœna indicta? Nonne de paruo quouis opere debet illud ex Scripturis timeri, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter?* *Ier. 48.*

Et certe ſi perfecti eſſe debemus ſicut Pater noſter cœleſtis perfectus eſt: Id eſt, vt cuncta perfecte noſtro modo ſicut Ille ſuo faciamus: Quid eſt tam paruum & minutum in creatis quod non ſit perfectum in ſuo genere? *Vidit nempe cuncta quæ fecerat, & erant* *Gen. 1.*

Digitized by Google

Eccl. 3. *valde bona. CVNCTA fecit bona in tempore ſuo. OMNIA opera* Eccleſ. 39. *Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrabit. Non eſt dicere, hoc illo nequius eſt: omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur.*

Matth. 5. Denique *donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Id eſt, deſpectiſſimus erit, & quaſi nullus, quia qui negligit negligetur; Qui autem minima non curat, idcirco non curat quia minima ſunt & quia illa negligit: Vnde & illud ſequitur quod erat declarandum, Nempe ex hoc minimorum neglectu facile colligi quod ſi magna diligentiùs & accuratiùs fiant, non alio motiuo & reſpectu ita fiant quàm quia magna & magnifica ſunt, quàm quia ſpecioſa & ſplendida ſunt coram homi- Dan. 13. nibus, *Species decepit te. SIVE maſculum ſiue fœminam obtulerit, im-* Leuit. 3. *maculata erunt omnia.*

III. PVNCTVM.

NEQVE *ipſa ergo quæ dicuntur magna, bene fient, ſi parua male:* Nam fient benè tantum propter eorum magnitudinem, & nullo modo propter Deum, neque ex aliis motiuis ſupernaturalibus, quorum defectu deficient ea parte quæ eſt magis neceſſaria ad moralem bonitatem operis, nempe fine ac Intentione Operantis; ac proinde non magis perfecta erunt moralitur, quam perfectum non eſſet opus aliquod naturaliter ſine ſua forma; Nam quod eſt forma in Phyſicis, hoc eſt Finis in moralibus. Vide, contemplare corpus ſine anima, quale eſt illud naturaliter, quàm fœdum & horrendum, quia videlicet deeſt illi ſua forma. Sic plane eſt moraliter & coram Deo quiuis homo ſine ſuo fine, ſic eſt quodlibet hominis opus deſtitutum fine ſuo, cor- Matth. 23. pus eſt exanime, *Sepulchrum dealbatum, foris apparens hominibus ſpecioſum, intus autem plenum oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia:* Eccl. 12. Vnde eſt illud Sapientis: *Deum time & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo:* Nempe moraliter, quia hic eſt finis hominis vt Deum timeat & reuereatur, ad hoc creatus eſt & redemptus, ſicut Phyſicè & naturaliter homo eſt animal rationabile ſeu ex anima rationali & corpore compoſitum; & ſicut Phyſice deſineret eſſe homo quando deſineret eſſe talis forma vt dictum eſt; ſic deſinet eſſe homo moraliter, quando deſinet talis finis in quo

eſt

Digitized by Google

eſt omnis homo. *Aſpexi terram & ecce vacua erat & nihili*, ait Propheta, *intuitus ſum & non erat homo*, quia videlicet ante dixerat, *bene facere neſcierunt*. Non deſinebant eſſe homines phyſicè & naturaliter, ſed deſinebant moraliter quia deerat illis ſuus finis qui eſt bene agere. Quod ſi ibidem etiam Propheta refert ſe non vidiſſe cœlos aut alias mundi partes: Idcirco refert, quia tametſi ſubſiſterent ſicut & homines, quia tamen ipſi homines tunc erant quaſi non eſſent, ſic neque aliæ Creaturæ quę ſunt tantum propter ipſos homines. *Ier. 4.*

Atque hinc etiam quando de vanitate in Scripturis agitur, intelliguntur hoc præſertim nomine, magna hæc & ſpecioſa de quibus hic agimus, & quæ dicuntur vana ſeu vanitas quia vacua ſunt & ſuo fine deſtituta. Vndenam autem & à quo deſtituuntur ſuo fine niſi ab homine qui dum illis vtitur, reſpicit potius eorum magnitudinem & ſpecioſitatem quàm Dei gloriam, ſeu quid aliud ſupernaturale & diuinum; vnde & ipſe homo dicitur *vanitas vanitatum*, quia ipſe eſt cauſa vanitatis quæ ineſt in aliis creaturis: Ipſe eſt qui eas vanas facit, dum illas euacuat ſuo debito fine, ſicque ſeipſum etiam priuat ſuo merito ſuaque vera & æterna vtilitate quam deriuaret ex creaturis ſi bene illis vteretur, id eſt, ſi earum vſum in bonum finem conuerteret. *Nolite recedere à tergo Domini, ſed ſeruite Domino in omni corde veſtro. Et nolite declinare poſt vana quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt.* Quaſi diceret, nolite tantum ſpectare magna illa & ſpecioſa præ quibus parua negligitis: nam ſic fieret vt nullum bonum opus in æternam veſtram ſalutem efficeretis; quandoquidem ipſa quæ putaretis bona opera non eſſent niſi vana, & quibus periretis potius quàm ſaluaremini. *1. Reg. 12.*

Omnia veſtra in Charitate fiant, inquit Apoſtolus: Siue magna ſiue parua ſint, *omnia in Charitate*, excellenter, & perfectè. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere: omnia in nomine D. N. IESV Chriſti. SIVE manducatis ſiue bibitis ſiue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Si magna facitis, non quia magna ſunt facite, ſed quia magnus & glorioſus Dominus propter quem illa faciatis: quod ſi parua occurrunt facienda, ſic facite vt magna propter ipſum Deum qui non minus in paruis magnificatur quam in magnis: aut ſi non in paruis, nec in magnis. *Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* *1. Cor. 16.* *Coloſſ. 3.* *1. Cor. 10.* *Luc. 16.*

Digitized by Google

Vide in 1. parte, Dom. 6. poſt Epiphan. Sabbatum eiuſdem Hebdom. 6. Et in hac 3. parte, Sabbatum Hebdomadæ quartæ.

FERIA SEXTA.

PARABOLA THESAVRI ABSCONDITI ET INVENTI IN AGRO.

Simile eſt regnum Cælorum theſauro abſcondito in agro quem qui inuenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Non tam ſpectatur quid dones pro Diuinis, quàm quid non dones.

RATIO EST, Quia quod vnum ſpectatur in iſtis, eſt, vt teipſum totum dones.

Sed ſi quid reſerues, ſi quid non dones, non teipſum totum donas.

Ergo nihil reſeruandum: Nec tam ſpectatur quid dones quàm quid non dones, nihil vt omnino reſerues dandum.

I. PVNCTVM.

INSIGNIS eſt quæ hîc Parabola proponitur ad cognoſcendum pretium quo res Diuinas & cœleſtes præ temporalibus æſtimare debemus. *Theſaurus eſt abſconditus*, non modo cœleſtis Beatitudo, ſed & Perfectio quæ ad eam ducit, & Virtus quælibet quæ pars quædam eſt perfectionis, pro

qua comparanda ſic alia quæuis donanda ſunt, vt non tam ſpectes quid dones quam vt vniuerſim omnia dones & nihil prorſus reſerues.

Hæc eſt vtiliſſima Veritas modò diligenter expendenda; atque illud imprimis quod in declaratione habetur, tamquam vniuerſale principium & fundamentum totius ædificij ſpiritualis ac negotiationis Euangelicæ: Nempe id ſpectari vel maxime, vt teipsũ totum dones, vt ſe tibi etiam totũ Deus donet; Non tua ſed te petit Dominus, quemadmodum Corinthiis dicebat Apoſtolus: *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Sic apte ſanctus Auguſtinus: 2. Cor. 12. *Si hoc ſolum*, inquit, *nobis promitteret Deus quod dixi modo, quibus* Serm. 64. de Verbis Dom. *potius verbis deſcripſi ac commendaui, quanti erat emendum ſi venale eſſet? Quantum dandum erat vt emeretur? Sufficeretne quidquid haberes etiamſi totum mundum poſſideres? Et tamen venale eſt, eme ſi vis, non multum exæſtues de re magna propter pretij magnitudinem: Tantum valet quantum habes. Noli quærere quid habeas, ſed qualis ſis. Res iſta tanti valet quantum es tu. Te da & habebis illam.*

In quibus ſancti Auguſtini poſtremis verbis duplex quædam ratio, cur ita nos ipſi vniuerſim donandi ſimus continetur. Prima eſt quod res ſpiritualis & cœleſtis quam nobis comparare volumus tanti valet quantum ipſi ſumus. Pluris quidem valet cum Deus ipſe poſſideatur Charitate, & Beatitudine; ſed quia nihil ſupra nos pretioſius ducimus, hoc idcirco pretio æſtimatur. Secunda & valde notanda ratio, quia hoc ipſo quo quis ſeipſum totum donauit, perfectionem attigit, neque etiam aliter eam attingere poteſt quam ſic ſeipſum totum dando. Vnde fit vt nullum pretium ſit perfectioni & beatitudini magis adæquatum quàm hæc perfecta ſui donatio. Sicut nulla res plenè beatum hominem poteſt facere quam totus poſſeſſus Deus: ita plane nihil æque ad beatitudinem diſponit ipſum hominem, quàm plena & perfecta ſui traditio.

Sunt quidem huius donationis varij gradus ſicut & ipſius beatitudinis ac perfectionis, pro diuerſa hominum condicione & vacatione: ſed cuiuſcumque vacationis ſis, ſi vis eius perfectum gradum attingere, tam neceſſe eſt te, tuo modo, totum dare Deo, quàm cuiuis alteri perfectioris ſtatus ſe totum tradere. *Aemulor vos* 2. Cor. 11. *Dei æmulatione*, aiebat Apoſtolus nuptis & innuptis, *deſpondi enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Id eſt, volo vos om-

Digitized by Google

nes in veſtro ſtatu ſic totos & integros eſſe Chriſti & Dei, ſicut in ſuo virginitatis ſtatu, virgo ſe ſponſam & ſe totam tradit Chriſto. Eſt enim quædam virginitas mentis ſicut & corporis. Illa autem virginitas in eo conſiſtit vt quantum quis poteſt ſincero, integro & plene puro affectu ſe totum Chriſto donet, ſicut ipſum totum ſibi æmulatur Chriſtus. Itane nos Chriſtus? Nos ſibi Chriſtus ita æmuletur! Nos verò hanc Chriſti æmulationem repudiemus & dedignemur!

II. PVNCTVM.

S*ED ſi quid reſerues quod non dones, non teipſum totum donas.* Sumus quidem Dei omnes quidquid ſumus, neque ei quidquam donari poteſt quod non ſit totum eius; ſed quia nos ab Eo per inordinatos rerum humanarum affectus retrahimus, tunc nos ipſos ei totos damus quando illos affectus ita moderamur & abdicamus, nulla vt plane re mundi ab eius amore & ſeruitio abducamur. Siue ergo rem poſſideas vt ſæcularis, ſiue reliqueris omnia vt Religioſus, ſi vis totus eſſe Dei, ſic totum à rebus affectum retrahere debes vt quanto magis aut minus retraxeris, tanto magis aut minus ſis Dei. Et ſicut non eſt neceſſe ſæculari ſuis ſe exuere facultatibus, dummodo ſuis ſe exuat affectibus; ſic non ſufficit Religioſo ſua relinquere omnia niſi ſuorum omnium deponat affectum. In hoc vno vel maxime tota noſtri donatio ſita eſt, vt vel effectu ſimul & affectu, aut certe ſolo affectu res omnes præter Deum abdicemus, vnde tandem id Religioſus videt quod ſi quid rei propriæ etiam ſine affectu retineat, aut ſi quid affectus erga rem ſine re ſibi reſeruaret, non ſe totum daret; ita & ſæcularis agnoſcat quod ſi quid inordinati affectus cum re ſeruata reſeruat, ſeipſum totum minimè donat. Nam *Totum* hoc in affectu præcipue temperando conſiſtit; Quapropter ſanctus Bernardus ad hæc Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia: OMNIA ſane dixerim,* inquit, *non tantum poſſeſſiones ſed etiam cupiditates & eas maximè. Plus enim concupiſcentia mundi quam ſubſtantia nocet. Et hæc fugiendarum cauſa diuitiarum præcipua eſt, quod aut vix, aut numquam ſine amore valeant poßideri. Age ergo qui relinquere vniuerſa diſponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, imo verò maxime & principaliter abnega temetipſum, ſi deſideras ſequi eum qui exina-*

Digitized by Google

viuit propter te ſemetipſum. Et paulo poſt de propria voluntate diſtinctius agens, *fuge ſanguiſugam hanc & omnia reliquiſti. Hæc enim omnia trahit ad ſe.*

Tum poſt multa declarans eos qui non percipiunt promiſſam Centupli gratiam, non ſe totos, non omnia ſua dediſſe ſed ſibi reſeruaſſe aliquid, ſic præclare & apte ad rem noſtram; *Sunt enim loculi non modo pecuniæ, ſed propriæ voluntatis. Scrutetur proinde vias ſuas & ſtudia ſua qui promiſſam centupli gratiam ſibi deeſſe cauſatur: nec dubium quin inueniat angulum & diuerſorium, reclinatoriumque non quidem filij hominis, ſed aut foueam vulpis, aut volucris nidum. Magis autem perfectus, obſecro, relinquat omnia, & ſolum ſequatur Chriſtum, iactans cogitatum ſuum in Deo, enutriendus ab eo, & centuplum ſine dubio percepturus. Neque enim poteſt ſolui Scriptura, nihil ſibi retineat, nihil ſuis, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Sed enim qui ſibi retinent aliquid, & in ipſis quoque ſanctorum collegiis proprio aut deſiderio aut fortaſſe conſilio importunius adhærentes, ſciolos ſeſe faciunt, & de ſe aliquid ſibi retinentes quos penitus abnegaſſe & Diuinæ Prouidentiæ ac obedientiæ Patrum, conſiliis quoque ſpiritualium Virorum debuerant commiſiſſe.*

Ex quibus & aliis quæ ſanctus Pater fuſè proſequitur, duo hæc patent: alterum, quid ſit ſibi ſeruare aliquid neque omnia ſua dare: nempe cum voluntatem propriam propriumque conſilium retinemus, non acquieſcentes facile iis quibus nos regendos dedimus: Alterum vero quod ſi partes illas noſtri reſeruamus, numquam nos plenè totos tradimus, nec capaces ſumus earum promiſſionum quas Chriſtus fecit ijs qui ſua omnia ſeque totos relinquerent. O damnoſa voluntas: ô perniciosum conſilium, quod ſibi qui reſeruat, tam malè ſibi conſulit, quàm qui vnum pro centuplo dare nollet.

III. PVNCTVM.

N*ON tam ergo ſpectatur quid dones pro Diuinis quàm quid non dones, quidue tibi reſerues.* Nam cùm hoc vnum ſpectetur maxime vt te totum dones, ſi quid reſeruas, quantumcumque ſit exiguum præ illo quod dediſti, tamen ita nocet vt nihil pro Diuinis te dediſſe putandus ſis coram Deo, quia non dediſti quod erat dandum, non dediſti teipſum totum. Eſto dederis ingentem pe-

Digitized by Google

cuniæ vim, multa reliqueris prædia, & domum Dei tuis muneribus ditaueris, ſed reſeruaſti tibi vnum aut duos loculos, reſeruaſti eorum quæ dederis vel quæ cum facultate poſſides nimis tenacem affectum: reſeruaſti in multis propriæ ductum voluntatis & conſilij quandam proprietatem: Non ita conſiderantur illa multa & magna quæ dederis, quàm iſta exigua & pauca quæ tu tibi ſeruas. Non ita conſideratur Saul quod ſex dies expectarit Samuelem quàm quod non vno die vel vna quæ ſupererat hora, eum expectarit. Non ita conſiderantur, quam multa Idolorum genera variaſque ſpecies demoliti ſint multi Reges Iuda, quàm quod lucos omnino non exciderint in quibus Iudæi ſacrificia faciebant. Non ita denique conſiderantur quam puræ eſſent illæ quinque virgines quæ cum lampadibus ſuis expectarant Sponſum, aut quandiu quantoque cum affectu expectaſſent, quàm quod non ſibi ſuiſque lampadibus inuigilaſſent, vt qua hora veniret ſponſus eſſent paratæ. Neque enim magnum aut multum aliquid cenſeri debet, quod pro Deo, pro Cœlo, pro Perfectione vitæ ſpiritualis dederis quantumcumque illud magnum & multum ſit, cùm Deus & quæ confert dona ſpiritualia longe præponderent quibuſcumque illis magnis & multis temporalibus datis: Sed negare aliquid propterea! ſed non omnia ſua dare propterea! tantus eſt donorum cœleſtium contemptus, vt nihili fiant quæcumque alia data ſint quandiu deeſt aliquid dandum. Sic enim vt dictum eſt, totum deeſt: quia ſic totum petitur vt niſi totum detur, nihil detur.

1. Reg 13. — 3. & 4 Reg — Matth. 25.

Quod vel ex eo valde confirmatur, quod licet pauca & exigua quidam dederint, ſi tamen tota ſua dederint, longe plus dederunt quàm qui multa & pretioſa, non tamen omnia ſua largiti fuerint. Quod præclare admodum proſequitur ſanctus Gregorius vbi de duobus primis Apoſtolis qui relictis omnibus ſequuti ſunt vocantem Dominum, & de tota hac materia quod ſupereſt pluribus dicere ad Intellectus & Voluntatis affectum, ſic ait. *Fortaſſe aliquis tacitus ſibi cogitationibus dicat: Ad vocem Dominicam vterque iſte Piſcator, quid aut quantum dimiſit, qui penè nihil habuit? Sed in hac re, fratres cariſſimi, affectum debemus potius penſare quàm cenſum. Multum reliquit qui ſibi nihil retinuit: multum reliquit qui quantumlibet paruum, totum deſeruit. Multum dimiſit qui cum re poſſeſſa, etiam concupiſcentiis renuntiauit. A ſequentibus ergo tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. Nemo igitur etiam cùm quoſ-*

Hom 5. in Euang.

Digitized by Google

dam conſpicit multa reliquiſſe, apud ſemetipſum dicat, Imitari huius mundi contemptores volo, ſed quod relinquam, non habeo. Multa fratres relinquitis ſi deſideriis terrenis renuntiatis. Exteriora etenim noſtra Domino quamlibet parua ſufficiunt: cor namque & non ſubſtantiam penſat: nec perpendit quantum in eius ſacrificia ſed ex quanto proferatur: nam ſi exteriorem ſubſtantiam perpendamus, ecce ſancti Negotiatores noſtri perpetuam Angelorum vitam datis retibus & naui, mercati ſunt. Aeſtimationem quippe pretij rete non habet; ſed tamen regnum Dei, tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zacchæo dimidium ſubſtantiæ: quia dimidium aliud ad hoc quod iniuſte abſtulit, reſtituendum in quadruplum reſeruauit. Valuit Petro & Andreæ dimiſſis retibus & naui. Valuit Viduæ duobus minutis. Valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, vt diximus, tantum valet, quantum habes. Penſate itaque fratres, quid vilius cùm emitur, quid carius cùm poſſidetur? Sed fortaſſe nec calix aquæ frigidæ ſuppetit qui indigenti præbeatur, etiam tunc ſecuritatem nobis promittit ſermo Diuinus. Redemptore etenim nato, Cæli Ciues oſtenſi ſunt, qui clamarent, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ante Dei namque oculos numquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Et quæ plura pergit de hac bona voluntate quæ ſuprà relata ſunt.

Vide quid tibi deſit quo minus omnia dederis. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis: & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.* *Soph. 1.*

Videri poteſt in 1. parte, Feria 3. Hebdom. 2. poſt Epiph. In 3. parte, Feria 3. Hebdom. 13. In 4. parte, Dominica 17.

SABBATO.

PARABOLA PRETIOSÆ MARGARITAE.

Iterum ſimile eſt regnum Cælorum homini Negotiatori quærenti bonas Margaritas, inuenta autem vna pretioſa Margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. **Matth. 13.**

VERITAS PRACTICA.

Quantùm peritus & prudens eſt Euangelicæ Margaritæ Negotiator, Tu tantum imperitus es & imprudens, niſi proſpicias.

RATIO EST, Quia quantum ille Negotiator peritus & prudens in Euangelicæ Margaritæ negotiatione, tantum alter eſt imperitus & imprudens qui in eadem negotiatione ſe oppoſito gerit modo.

Sed tu, niſi proſpicias, te in eadem negotiatione, oppoſito geris modo.

Ergo quantum ille peritus & prudens eſt, tu tantùm es imperitus & imprudens: Quod cùm non poſſit non eſſe damnoſiſſimum, ſane eſt quod proſpicias.

I. PVNCTVM.

QVÆNAM ſit illa pretioſa Margarita, quis Negotiator qui omnia ſua vendidit vt illam emeret, quænam ſint illa omnia quæ propterea vendidit, & quàm denique fuerit peritus & prudens in illa ſua negotiatione, dicetur opportunius in ipſo propoſitæ Veritatis expoſitiuo diſcurſu, vt manifeſtius videas quam ſis imperitus & imprudens qui cùm in eadem Margaritæ negotiatione verſeris qua Ille negotiator, te oppoſito plane modo geras, niſi diligenter proſpicias. Hic eſt itaque totius Conſiderationis fructus vt cum videris te in ea præcipue parte illi eſſe oppoſitum in qua eſt peritus & prudens, agnoſcas te imperitum & imprudentem, & quantum fieri poteſt, reſipiſcas.

Ac primo quidem vt euidentius & certius res tota procederet, præmittenda fuit hæc vniuerſalis Propoſitio, quòd quantum Ille Negotiator Euangelicus peritum & prudentem ſe in ſua negotiatione oſtendit, tam imperitum & imprudentem ſe quiuis alius manifeſtet

Digitized by Google

manifeſtet ſi in eadem negotiatione verſetur & ſe oppoſito gerat modo? Nonne hoc euidens & manifeſtum? Nonne oppoſitorum eſt eadem ſcientia in ratione ſuæ oppoſitionis? Nonne bonus & malus: iuſtus & iniuſtus, prudens & imprudens ſunt inter ſe oppoſiti qua ipſa ratione bonitas & malitia: iuſtitia & iniuſtitia: prudentia & imprudentia inter ſe opponuntur? Quamobrem ſicut eſt ratio quædam propter quam Negotiator Euangelicus maximè prudens & peritus habetur; profectò ſi oppoſita & contraria ratio reperiatur in alio quouis negotiatore circa eandem ſpecie negotiationem, iure is merito imprudens & imperitus habebitur. Si prudens eſt Abigail quæ Dauidi victum ſubminiſtrauit, Impru- *1. Reg. 25.*
dens fuit Nabal qui eundem negauerat. Si prudens ille eſt qui mo- *Prou. 17.*
deratur ſermones ſuos, Ille imprudens eſt qui nullo eos modo moderatur. Si prudens ille eſt qui inuenta vna pretioſa Margarita vendit ſua omnia vt illam ſibi emat, profectò alter eiuſdem negotiationis & ſtudij qui diu cum alio margaritam quæſiuit & reperit, nec tamen ſibi eam cum poſſit comparat, imprudens eſt, ſi præſertim margaritæ nouit pretium & valorem. O quis nouit Euangelicam margaritam, & non cognouit eius pretium?

II. PVNCTVM.

SED *Tu niſi proſpicias, te in eadem negotiatione oppoſito geris modo.* Tria hîc diſtinctè conſideranda ſunt. Primum, quænam ſit illa Margarita. Secundum, quinam Negotiator qui ſua omnia pro illa comparanda prudenter vendit. Tertium, quàm ſis illi oppoſitus. De primo cum multæ afferri poſſint Interpretationes; tùm illa modò eſt conuenientiſſima quæ hoc Margaritæ nomen & virtutem transfert ad eam Humilitatis partem quæ mundi con- *Hom. 11. in*
temptum amplectitur. Sic ſanctus Papa Gregorius, *in eius*, inquit, *Euangelia.*
comparatione vileſcunt omnia; nihil in terrenis libet, deforme conſpicitur quidquid de terrenæ rei placebat ſpecie.

Sanctus quoque Chryſoſtomus, *Deliteſcit margarita tantiſper dum in conchyli fuerit, ſimul vero ac perfractum fuerit, tùm in gloria relucet, ſic & nos*, Et alia quæ pergit fuſius. Sic & aptiſſime liber *l. 3. c. 51.*
de Imitatione IESV; *Dixi, viliora tibi emenda pro pretioſis & altis, in rebus humanis. Nam valde vilis & parua ac pene obliuioni tradita videtur vera cæleſtis ſapientia; Non ſapiens alta de ſe, nec*

Digitized by Google

magnificari quærens in terra, quam multi ore tenus prædicant, ſed vita longè diſſentiunt: IPSA TAMEN EST PRETIOSA MARGARITA à multis abſcondita.

De ſecundo, nemini dubium eſt quin primarius huius Margaritæ Negotiator fuerit Chriſtus Dominus, qui, vt ait ſanctus Leo, *Voluntariam humilitatem ab vtero matris, vſque ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine & elegit & docuit.* Quomodo vero propterea ſua omnia dederit non erit difficile aut obſcurum intelligere ſi reuocemus in mentem quæ bona Chriſtus habere poterat, vt magnificè & glorioſe appareret coram hominibus in vniuerſo mundo, quibus tamen bonis abſtinuit & ſeſe priuauit ne ſic mundo glorioſè appareret, ſed pro gloria potius ignominiam reciperet. Hoc eſt enim Chriſtum dare omnia ſua pro hac pretioſa Margarita ſeu pro mundi contemptu quando ſic ſuis omnibus bonis ſe abſtinet, vt inde mundo contemptibilis potius quam glorioſus appareat, & à mundo reuera potius contemnatur quàm honoretur. Sicut Moyſes dicitur dediſſe regnum Ægypti pro Chriſti opprobrio, quando recuſauit illud regnum ſibi oblatum tamquam filio adoptiuo & hæredi, quando ſcilicet, vt ait Apoſtolus, *Negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, majores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti.* Sic Chriſtus Dominus cùm propoſitum ſibi gaudium, Id eſt, vitam refertam bonis omnibus recuſarit vt ſuſtineret crucem confuſione contempta, iure dicendus eſt bona illa omnia hoc ipſo tradidiſſe quo ea potuit accipere, neque tamen accepit aut vſurpauit. Nunc autem vide attentius quænam illa eſſent eius bona: & ne multitudine obruaris, Diſtingue omnia in tres illas ordinarias Bonorum claſſes, quarum prima continet bona quæ dicuntur fortunæ ſeu temporalia, & corporalia. Secunda quæ naturales animi vel ſupernaturales complectitur dotes, quæ dicuntur bona ſpiritualia, vel etiam honeſta & honorifica. Tertia denique quæ vitam ipſam, bonorum omnium ſummum, comprehendit.

Serm. 7. in Epiph. Dom.

Hebr. 11.

Ibid. 12.

De bonis itaque temporalibus, intuere quantam eorum copiam ſibi comparare poterat qui Dominus vniuerſorum erat, cui Dauid acceptum referens quidquid poſſidebat, *Tua eſt Domine*, inquiebat, *magnificentia, & potentia & gloria, cuncta quæ in cælo ſunt*

1. Par. 29.

Digitized by Google

& in terra, tua ſunt. Tuum Domine regnum & tu es ſuper omnes Principes. Tuæ diuitiæ & tua eſt gloria. In manu tua magnitudo & imperium omnium. Domine Deus noſter, omnis hæc copia quam parauimus vt ædificaretur domus Nomini ſancto tuo, de manu tua eſt, & tua ſunt omnia. MEVM eſt argentum, & meum eſt aurum, dicebat *Agg. 2.* ipſe Dominus. *Per me Reges regnant, per me principes imperant,* *Prou. 8.* *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia, vt ditem Diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Quid ex his ergo non poterat ſibi aſſumere? Quas non conſtruere domos & palatia fabricare? Qualem comitatum & familiam ex omni hominum & Angelorum cœtu non potuiſſet ſibi ſociare? Fuitne Cræſus ditior, fuitne Salomon glorioſior, fuitne alius quiuis potentior, quàm is eſſe poterat qui habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, *Rex regum & Dominus Dominantium?* Si ſplendere gloria, ſi fulge- *Apoc 19.* re imperio, ſi dominatione regnare; Quæ gens, quæ regna, quæ imperia, qui principes & qui Reges non ſe illi ſubjeciſſent & ex ſuis coronis omnibus vnam formaſſent ſoli eius Nomini & Capiti imponendam? Sed nihil horum voluit, non regnum, non prouinciam, non ciuitatem, non poſtremo domum, nec in ipſo diuerſorio locum vllum ſibi parat, ſed in anguſtiſſimo terræ loco *Luc. 2.* recipitur, in ſtabulo naſcitur, in præſepio reclinatur Infans, & *Matth. 8.* Vir factus non habebit vbi caput reclinet. Potuitne is egentius naſci & viuere qui poterat ſplendidius? Cur porro tanta egeſtas in tam opulento Viro? Cur tanta obſcuritas in tam Illuſtri? Cur tanta demiſſio in tam Excelſo? Nonne vt his ſuis datis bonis pretioſam illam emeret Margaritam? Nonne vt ſic mundum contemneret, & à mundo contemneretur?

Sic percurre celebrando ſingulares eius corporis Dotes, quanta eſſet eius venuſtas, quanta pulchritudo, quanta majeſtas, quanta omni ex parte perfecta ſpecies, vno verbo, *Specioſus erat præ* *Pſ. 44.* *filiis hominum*; & qualis aliquando reſplenduit in monte ſancto, cùm transfiguraretur coram ſuis tribus Apoſtolis, ſemper fulgere poterat, ſic ſemper radiare; ſed non ſic ſperni potuiſſet, non ſic contemni. Contemnendum ſe volebat & deridendum, quid faciat in tanta corporis claritate? Adſtupeſcent omnes tanto ſplendori, tantam mirabuntur vultus gratiam, nullus eum auerſabitur, nullus contemnet. Non ita, inquit, ſplendorem potius reprimam, quam mei contemptus affectum. Infirmabor, palleſ-

Digitized by Google

Iſ. 50. cam, fatigabor, eſuriam; *Corpus meum dabo percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auertam ab increpantibus & inſpuentibus in me.* *Ibid. 53.* *Non erit mihi ſpecies neque decor; & non erit aſpectus.* Quamobrem vero ita? Vt qui me videbunt tamquam *deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem* me contemnant & dicant, *quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum,* aut certe *putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum.* O vere pretioſam margaritam quæ tali pretio æſtimatur!

SECVNDA bonorum ſeries complectitur eas animi partes & vitæ ſtatus qualitates quæ commendationem imprimis apud omnes habent, & honorem conciliant, quo in bonorum genere quàm inſignis eſſet & ſingularis Chriſtus Dominus, nemo dubi- *Coloſſ. 2.* tet qui eum norit. Ipſe enim eſt *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Ipſe eſt qui de ſinu Patris ad nos venit *Ioan. 1.* *vt enarraret nobis & eructaret abſcondita à conſtitutione mundi: per quem gratia & veritas facta eſt, de cuius plenitudine nos omnes accepimus,* qui denique vt paucis multa complectar cum ſancto Hieronymo, *Reſpublica erat omnium gratiarum, & ſtatua omnium virtutum.* Enumera tibi ſi potes omnes artes, omnes ſcientias & facultates de quibus aliquando quidquam audiueris, propone tibi Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, Aſtrologiam, Rhetoricam, Philoſophiam naturalem, moralem, & ſupernaturalem. *3. Reg. 4.* Recenſe diſputationes illas quas Salomon habuit ſuper lignis à cedro Libani vſque ad hyſſopum: nec non diſceptationes de Iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Nonne Chriſtus hæc & plura cognouit? Nonne de his copioſius & certius quàm Rex ille Iudaicus dicere & diſceptare poterat? Nonne ſi quid tale euulgaſſet, omnium in ſe admirationem concitaſſet? Cur de his ergo ne verbum quidem protulit? Cur tamdiu tacuit qui tam præclare loqui poterat? Cur quando loqui voluit tam demiſſa & humilia loquutus eſt, vt Iudæis pòſt eſſet ſcandalum & ſtultitia Gentibus? Sic nimirum ſic emenda erat Margarita, ſic dandum erat quidquid glorioſius eminebat, vt dum contemptibilia diceret, diceretur ipſe contemptibilis & reipſa contemneretur.

Quod ſpectat vero ad Eius Dignitatem ſeu quam vocant ſtatus Qualitatem, triplex in eo erat quæ apud omnes maximã obtinet

Digitized by Google

venerationem & cultum, nempe Regia dignitas, Prophetalis & Sacerdotalis. Hic erat dignitatum omnium ſummus apex, & ſublimius honorum culmen quò qui promoti eſſent, ſacro inungebantur oleo & *Chriſti* dicebantur, quos erat omnino vetitum tangere. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Ps. 104. Cum itaque Chriſtus Dominus hoc triplici dignitatis titulo ſupra omnes retrò ante Reges & Prophetas eſſet inſignitus, cur non omnes Reges ad eum conuolant, Regem ſuum agnituri, & Prophetam illum magnum tot promiſſum oraculis audituri? Qùia ſcilicet non ita vult eminere coram omnibus, non ſic circumſpici, non ſic apparere. Propheta certe eſt, ſed hoc vel maxime nomine deridendus: *Prophetiſa nobis Chriſte quis eſt qui te* Matth. 26. *percuſſit.* Rex omnino eſt, ſed in arundineo ſceptro & corona ſpinea proclamandus: *Ecce Rex veſter.* Ioan. 19. Sacerdos denique eſt & ſummus Pontifex: *Sed non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret,* Hebr. 5. inquit Apoſtolus: Hic eſt ille Sacerdos magnus Zachariæ pridem Zacch. 3. oſtenſus qui non aliis *quam ſordidis veſtibus indutus erat.* Hic eſt ille Sacerdos qui in Sacramento altaris ſeipſum conſecrat ſub ſpecie tam humili & abiecta vt multi ex his etiam qui non erubeſcunt eum crucifixum, erubeſcant & negent conſecratum. Ipſe autem ſic ſe quotidie immolandum ſimul & contemnendum reliquit, vt licet ad ſolum ſui contemptum immoletur non recuſet, & tam facile patiatur ſe à ſacrilegis, à Magis & à dæmonibus profanari & illudi, quàm ab Angelis adorari. O verè abſconditam in conchyli margaritam? Poteſtne fundus maris eſſe profundior, vbi margarita deliteſcit, quàm Chriſtus Sacerdos ſic demiſſus & abiectus ſub illis modicis ſpeciebus vbi non modo nihili fit à non credentibus, ſed à credentibus fit execrandum ſacrilegium!

SVPEREST Vita quæ tertium conficit & ſupremum bonorum genus quam qui tradiderit pro Euangelica margarita, profecto ſua omnia tradidiſſe dicendus eſt. Erat autem in Chriſto Domino Vita triplex, nempe naturalis, ſupernaturalis, & Diuina, neque vlli earum pepercit vmquam, nihil vt ſibi penitus reſeruaret quin totum effunderet in illius margaritæ pretium. Primo quidem dedit naturalem vitam in quo eſt mortuus modo, qui totus fuit ad ferendum opprobrium: *Nam in humilitate Iudicium eius ſublatum eſt.* Act. 8. Id eſt, tam humilis & contemptus in vita

fuit vt ad Eum morte tollendum nulla Iudicij forma & ratio fuerit habita. Vel ſic aptius: quando eſt morte condemnatus tam turpi morte damnatus fuit, vt quis qualiſue eſſet, iudicari non poſſet. Supernaturalem autem vitam non ita potuit deponere ſicut naturalem, quia cùm illa conſiſteret in Diuina gratia, in ſanctitate, cæteriſque donis cœleſtibus, non poterat Chriſtus ſe his exuere, non poterat non eſſe ſanctus, non poterat non eſſe Deo gratus & vnitus. Quod ergo reſtabat vt faceret fecit, & quo poterat mori modo ſecundùm illam vitam ſupernaturalem mortuus eſt vt ſic contemni poſſet; nempe in exiſtimatione hominum non modo non vt ſanctus eſt habitus, ſed vt maleficus,
Iſ. 53. vt ſeductor, vt latro, *Et cum iniquis deputatus eſt.* Sic Diuinam
Luc. 22. dedit vitam cùm vt crucifigeretur & illuderetur permiſit non
1. Cor. 2. modo ſe non agnoſci Deum: *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, Sed tanquam blaſphemum, affectatæ Diuinitatis reum, probris & ſannis onerari; *Si filius Dei es, deſcende de cruce: dixit enim quia filius Dei ſum.* Atque adeo ipſum in cruce pendentem ſe à Deo derelictum clamare non puduit,
Matth. 27. *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me*; Quam Iudæi audientes vocem & in prauum detorquentes ſenſum, nouam ſubſannandi Crucifixo rapuerunt anſam, & in ipſum Deum ſuas euo-
Pſ. 68. muere blaſphemias, vnde in Pſalmis Chriſtus: *Quoniam propter te*
Rom. 15. *ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Hæc eſt itaque pretioſa Margarita, contemptus mundi, contemptus ſui: Et hic eſt peritus prudenſque Negotiator Chriſtus Dominus qui omnia ſua dedit vt illam ſibi emeret, vt contemptum mundi ſimul ac ſui compararet. Tu vero in eadem negotiatione vbi agitur de contemptu tui, quàm te oppoſito geras modo, agnoſce. En Ille omnia ſua tradit vt honorem fugiat & contemptum accipiat; Tu e contra, nonne quidquid habes tradis vt contemptum fugias & honorem accipias? Nonne ſtatim atque iniuriam accipis, aut vel animo fingis te contemptum ab aliquo, nonne ſtatim commoueris? Nonne tùm totus animus in id vnum intendit vt iniuriam propulſet, contemptum abigat, & honorem læſum reſtauret? Nonne totum pene tempus in eo vno ponitur, totum ſtudium, tota deuotio, tota pax, tota virtus, & tota vitæ Iucunditas? Nonne hic humilitas, ſi quæ ſit,

Digitized by Google

exhauritur? Nonne manſuetudo abſumitur, Charitas, feruor, zelus, & ſi quod aliud cœleſte donum eſt, totum euaneſcit & effunditur ad probrum illud effugiendum? Nonne hoc eſt igitur omnia tua dare propterea? Et nonne hoc eſt, oppoſito te plane modo gerere quam ſe Chriſtus geſſit qui omnia ſua dedit vt probrum illud ſuſciperet quod tu fugis! O verè dictum à Domino: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* *Luc. 11.*

III. PVNCTVM.

QVANTVM *ergo peritus & prudens eſt Euangelicæ margaritæ negotiator, Tu tantùm imperitus es & imprudens, niſi diligenter proſpicias*, Hoc eſt, niſi te totum conuertas ab eo qui ſoles eſſe, in ſimili negotiatione, qua cum illo verſaris. Cùm enim hic te oppoſito prorſus geras modo ac ille, cùm ille det omnia ſua vt contemptum ſui patiatur, tu vero tua omnia largiaris ne illum feras, profectò quantum ille peritè & prudenter facit, tu tantum imperitè & imprudenter. Nam oppoſitorum antecedentium neceſſe plane eſt vt ſint oppoſita conſequentia. *Contra malum, bonum eſt, & contra mortem vita. Duo & duo, & vnum contra vnum*, inquit Sapiens; Quaſi diceret, ſicut malum ita bono opponitur, vt quod de malo tamquam malo dicitur, non poſſit dici de bono, imo contrarium ſit dicendum; ita plane de reliquis quæ ſunt inter ſe oppoſita, ſi de oppoſitorum vno, bonum dicas; malum oportet dicere de alio. Vel nega Chriſtum eſſe prudentem in emenda illa margarita & in ferendo ſui contemptu: vel te facere in hoc ipſo tam imprudenter qui contemni nolis, quam ille eſt prudens. Et tamen in hac præcipue parte ponunt homines ſuam prudentiam vt auertant à ſe quidquid probroſum eſt! O quam verè talis prudentia, non niſi ſtultitia eſt, quandoquidem ſic Diuinæ opponitur prudentiæ, quantum vnum contrarium ſuo poteſt opponi contrario. *Prudentiam prudentium reprobabo.* *Eccleſ. 33.* *1. Cor. 1.*

O quanta humilitatis æſtimatio inde ducenda eſt, quod pro illa Chriſtus non inſipiens certe Negotiator ſua dedit omnia! Tantum videlicet pro illa Virtute dedit, quantum vniuerſim pro ſalute hominum! Quid enim amplius pro illorum ſalute potuit, quàm ſua dare omnia? Ex quo intelliges tam tibi caram hanc

Digitized by Google

debere eſſe virtutem, quam ipſam ſalutem animæ, quæ ſic ab illa Virtute pendet, vt ſi quod ſit ſalutis periculum, hinc maxime timendum ſit, quod vel honorem nimis ames, aut nimis probrum timeas. *Quantis ſudoribus hæreditas caſſa, aut quid ſimile vanum expetitur! minore labore Margaritum Chriſti emi poterat.* Sic aptè ſanctus Hieronymus. Vide plura paſſim Verbo, *Humilitas*, *Mundi contemptus*.

DOMINICA NONA.

DE LACHRYMIS A CHRISTO DOMINO FVSIS SVPER IERVSALEM.

Vt appropinquauit Videns Ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens, quia ſi cognouiſſes & tu. Luc. 19.

VERITAS PRACTICA.

Eccleſ. 3. Niſi cor tuum moueatur ad Chriſti verba lachrymantis, Cor illud eſt de quo Sapiens: *Cor durum habebit male in nouiſſimo.*

RATIO EST, Quia cor illud eſt durum quod nec timore frangitur, nec amore mollitur.

Sed niſi Cor tuum moueatur ad Chriſti verba lachrymantis, nec timore frangitur, nec amore mollitur.

Ergo illud eſt Cor durum de quo Sapiens tremendum illud affirmat futurum, vt male habeat in nouiſſimo die.

I. PVNCTVM.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

EVANGELII hodierni præcipuum argumentum eſt Ingreſſus Chriſti Domini in Ciuitatem Ieruſalem: de quo quidem ingreſſu plura in ſecunda parte, Dominica Palmarum die: & in quarta parte per integram Hebdomadam. Nunc vero tantum de eius verbis & lachrymis ſimul iunctis, ad cordis noſtri duritiam vel mouendam vel cognoſcendam quàm ſit periculoſè pertinax.

Lege textum, Intuere Chriſti vultum, vide ſuffoſos mœrore oculos, admirare profuſas lachrymas, audi verba terrore ſimul & ſuauitate pleniſſima: *Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique: & ad terram proſternent te, & filiòs tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

Non ſaxa deflet aut euerſas domos, inquit ſanctus Hieronymus, *ſed homines, atque ipſas hominum animas in ſempiternum ruituras exitium, niſi reſipiſcant.* Neque tantum Iudæorum perditionem ſuis ſubjicit oculis deplorandam, ſed omnium vniuerſim hominum, ac particulatim tuam qui hæc legis, meamque qui hæc ſcribo: Vnde eſt illa eiuſdem ſancti Doctoris ſententia in hæc Ezechielis verba: *Rex lugebit, & princeps induetur mœrore. POSSVMVS*, inquit, *Regem lugentem noſtra vitia atque peccata Chriſtum dicere, qui appropinquans Ieruſalem fleuit ſuper illam.* *Ezech. 7.*

Sic itaque ſpectandæ ſunt eius lachrymæ & audienda verba quaſi tibi vni funderentur, vt eorum conſideratione magis ac magis afficiaris ad deſerendum illud vitium quod grauius in te regnat & cui deſerendo nihil hactenus profuerunt tot Verba, tot monita, tot remedia quæ in hunc finem ſunt impenſa. Extremis malis quale eſt tuum, extrema proferuntur remedia quales ſunt hæ Chriſti voces, eiuſdem perfuſæ lachrymis. Niſi his ſic conjunctim propoſitis Cor tuum hodie moueatur, certe cauendum eſt ne ſit Cor illud durum in quod aliquando cadant mala illa omnia quæ primò Chriſtus Iudæis denuntiauit.

Digitized by Google

1. Conſid. 1. Expende rationem cum metu & tremore. Cor illud durum eſt quod nec timore frangitur nec amore mollitur. Longiorem duri cordis affert ſanctus Bernardus deſcriptionem, ſed eo tota recidit vt tum maxime intelligatur illa durities quando cordi proponuntur motiua vel timoris aut amoris, neque vllis horum ſe flecti ſinit. Cum enim illa duo ſint flectendis cordibus aptiſſima media, profecto ſi horum neutro inflectuntur, dura ſint omnino neceſſe eſt, vnde Beatus Iob quando ſe à Deo narrat
Iob. 23. eſſe commotum, *Deus*, inquit, *emolliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me:* Id eſt, amore ſimul & timore concitatum me ſenſi. Contrà vero illi qui nec Deum vt Patrem dilexerunt, neque vt Dominum timuerunt, indurati prorſus corde dicuntur.
Mal. 1. *Indurauerunt ceruicem ſuam. COR ſuum poſuerunt vt adamantem.*
Ier. 17.
Zacch. 7. Nonne hoc eſt pauendum?

II. PVNCTVM.

SED niſi cor tuum moueatur ad Chriſti verba lachrymantis, ſeu ad Chriſti verba ſimul & lachrymas, nec timore frangitur, nec amore mollitur.

Nam ſicut Chriſti lachrymæ pro nobis fuſæ noſtrum amorem prouocant, ſic eius verba bene intellecta & nobis fideliter applicata timorem certe incutiunt vehementiſſimum. Quod autem & quomodo ea eius verba nobis applicare debeamus atque
Hom. 39. inde deterreri, ſic expreſſe ſanctus Gregorius: *Debemus*, inquit, *ex rebus exterioribus introrſus aliquam ſimilitudinem trahere, atque ex euerſis ædificiis parietum, morum ruinam timere.* Tùm ſingillatim exponens Chriſti verba, ne vnum quidem intactum relinquit quod non applicet illi animæ quæ paulo liberius viuit; Duas verò verborum Chriſti partes quodammoda conſtituit, dum primo quæ ſpectant ad noſtrum vitæ præſentis ſtatum, Deinde quæ ad conſequentem mortem referuntur, commemorat.

Hæc ſunt porro Chriſti verba quæ dicuntur ſpectare noſtrum præſentem vitæ ſtatum: *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Sic enim ſanctus ille Doctor in hunc ea ſenſum interpretatur: *Suam hîc diem habet anima peruerſa quæ tranſitorio gaudet in tempore, cui ea quæ adſunt ad pacem ſunt: quia dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus*

Digitized by Google

extollitur, dum in carnis voluptate reſoluitur, dum nulla venturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die ſua, quæ graue damnationis ſuæ ſcandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda eſt, vbi iuſti lætabuntur: & cuncta quæ modo ei ad pacem ſunt, tunc in amaritudinem rixæ vertentur, quia rixari ſecum incipiet cur damnationem quam patietur non expauit, cur à proſpiciendis malis ſequentibus oculos mentis clauſit: Vnde ei dicitur, NVNC autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Peruerſa quippe anima rebus præſentibus dedita, in terrenis voluptatibus reſoluta abſcondit ſibi mala ſequentia, quia prauidere futura refugit quæ præſentem lætitiam perturbant: dumque in præſentis vitæ oblectationibus ſe deſerit, quid aliud quam clauſis oculis ad ignem vadit? Vnde bene ſcriptum eſt: In die bonorum ne immemor ſis malorum. Et inde per Paulum dicitur, qui gaudent, tamquam non gaudentes ſint; quia quæ eſt præſentis temporis, ita eſt agenda lætitia, vt numquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria, quatenus dum mens pauida extremæ vltionis timore transfigitur, quantùm nunc præſens lætitia, tantùm poſt ira ſubſequens temperetur: hinc namque ſcriptum eſt, beatus homo qui ſemper eſt pauidus; qui vero mentis eſt dura corruet in malum. Sequentis enim ira Iudicij tanto tunc diſtrictior portabitur, quantò nunc & inter culpas minimè timetur.

Hæc ad verbum ſanctus Gregorius, ex quibus quæ poſtremo dicit, *Inter culpas minimè timetur*, ſunt imprimis notanda: nam te deſignant apertius, te manifeſtius indicant eum eſſe ad quem totus hic ſermo dirigitur; Licet enim peruerſa hîc nominetur anima quo te nomine forſan excluſum putas, non eſt tamen aliter intelligenda hæc animæ peruerſitas quàm cùm inter culpas non ſatis timetur: hoc eſt habere *ſuam diem*. Hoc eſt habere *pacem in die ſua*. Hoc eſt quod Chriſtus deplorat, hoc eſt quod vehementer timeri debet: Vnde tu qui hæc conſideras, quàm vere potes fateri te non ſatis timere inter culpas tuas, tam vere debes tibi applicare quæcumque hîc dicuntur de illa anima quæ non ſatis timet, ne non ſatis lætetur; quæ futura non proſpicit ne contriſtetur & ne nimis timeat; quæ clauſis denique oculis ad interitum ſuum ruit.

Poteſtne aliquid dici vel cogitari terribilius? Poterant certe quæ ſequuntur Chriſti Domini & ſancti Gregorij verba, terrorem augere non mediocriter: ſed vel commodius ad ſequens remittentur Punctum: vel hîc ſufficiat ad concipiendum timorem

Digitized by Google

qui eſt in verbis Chriſti, hoc vnum recogitare attentius quid ſit clauſis oculis in ignem vadere! Non ipſa Inferorum gehenna ſi aperte videretur, ita eſſet tremenda, quàm dum clauſis aditur oculis. Nam ſi videretur, horrorem ſui & fugam commoueret, quando vero non videtur, non euitatur; ſicque fit vt qui nimis iucunde volunt viuere, nolint videre quam viuant miſerè & periculoſè.

Quamobrem hoc etiam atque etiam intellige: Cum ille qui non timet inter culpas, ille ſit qui clauſis oculis in ignem vadit: Cumque tu Ille ſis qui non ſatis times inter culpas tuas, quid ſequitur niſi quod tibi tam tremendum eſſet, quàm illi qui monitus eſſet de imminenti ſalutis ſuæ periculo? Vnde & aliud ſequatur neceſſe eſt, quod ſi te tamen hæc monita nihil moueant, ſi nullis neque Chriſti, neque Sanctorum verbis cor tuum inflectatur, cor plane ſit quod neque timore frangitur, nec amore mollitur.

III. PVNCTVM.

ERIT *ergo etiam Cor tuum cor illud durum de quo Sapiens: Cor durum habebit male in nouiſſimo.* Tunc enim apparebit quàm ſit durum quod nec amore molliatur, quem Chriſti lachrymæ concitare debuerant: nec timore frangatur, quem Verba tanto plena terrore non commouerunt. *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?* Ignis ſcilicet ad amorem, & malleus ad timorem; Vnde qui nec igne liquefiat, nec malleo conteratur: Nonne ille quouis metallo vel petra durior? *Dura ceruice & incircumciſo corde!*

Ier. 23.

Act. 7.

1. Conf. 13.

Hanc fuiſſe aliquando ſui cordis duritiem & miſeriam agnouit & defleuit ſanctus Auguſtinus, qui cum ploraret Didonem mortuam, vt ipſe refert, *ſeipſum à Deo morientem ſiccis oculis ferret miſerrimus: & dum fleret eius mortem quæ fiebat amando Aeneam, non fleret ſuam mortem quæ fiebat non amando Deum.* Sic & propius ad rem noſtram ſanctus Bernardus: *O duritia cordis mei! Fratres, lachrymæ Chriſti mihi & pudorem pariunt & dolorem. Ludebam ego foris in platea, & in ſecreto regalis cubiculi, ſuper me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc Vnigenitus eius, exiit poſito diademate, flens & ejulans quod morte damnatus eſſet ſeruulus eius. Intueor illum ſubitò procedentem, ſtupeo nouitatem, cauſam percunctor & audio. Quid*

Serm. 3. in Nat. Dom.

Digitized by Google

facturus ſum? Adhucne ludam & deludam lachrymas eius? Plane ſi inſanus ſum & mentis inops non ſequar eum, nec ſimul cum lugente lugebo? Ecce vnde pudor. Dolor & timor vnde? Vtique quia ex conſideratione remedij, periculi mei æſtimo quantitatem. Et poſt pauca. *Pudet itaque dilectiſſimi, propriam negligenter diſſimulare paſſionem cui tantam à majeſtate tanta, exhiberi video compaſſionem. Compatitur Filius Dei & plorat: homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æſtimatio & doloris mihi & timoris exaggeratio eſt.*

Et vero etiam hic doloris ac timoris ſenſus multum poſſet exaggerari conſiderando plenius quam vere ſit à Sapiente dictum de corde duro, *quòd habebit male in nouiſſimo*: neque id plenius conſiderari poteſt quam ex ſequentibus Chriſti Domini & ſancti Gregorij verbis quæ aliam faciunt partem hûc remiſſam, *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, MALIGNI ſcilicet ſpiritus ſic vallo animam morituri circumdant vt euadendi aditum inuenire non poſſit, & operari iam bona non liceat, quæ cum licuit agere, contempſit. CIRCVMDABVNT te & coanguſtabunt te vndique; Tunc ſcilicet animam coanguſtant quando ei non ſolum operis, verum etiam locutionis atque inſuper cogitationis iniquitates replicant, vt quæ prius ſe multa dilatauit in ſcelere, ad extremum de omnibus anguſtetur in retributione. ET AD TERRAM PROSTERNENT TE & filios tuos qui in te ſunt. Tunc anima per cognitionem reatus ſui ad terram conſternitur cùm caro cui vitam ſuam credidit, redire ad puluerem vrgetur. Tunc in mortem filij eius cadunt cùm cogitationes illicitæ quæ modò ex illa prodeunt, in extrema vitæ vltione diſſipantur ſicut ſcriptum eſt: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum: Quæ ſcilicet duræ cogitationes intelligi etiam per lapidum ſignificationem valent: Nam ſequitur, ET NON RELINQVENT in te lapidem ſuper lapidem. Peruerſa etenim mens cum peruerſæ cogitationi adhuc peruerſiorem adjicit, quid aliud quàm lapidem ſuper lapidem ponit? Sed in deſtructa ciuitate ſuper lapidem lapis non relinquitur, quia cùm ad vltionem ſuam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum ſuarum conſtructio diſſipatur; Quæ cur hæc patiatur, adjungitur; EO QVOD non cognoueris tempus Viſitationis tuæ: Prauam namque animam omnipotens Deus multis modis viſitare conſueuit.*

Et quæ plura proſequitur vniuerſim de his Viſitationum modis. Tu vide in particulari quibus te viſitauit, & quoties hoc tempus non cognoueris. Vix tale tempus noſti, aduerte diligentius.

Digitized by Google

Oſea 4. *Viſitabo ſuper eum vias eius: & cogitationes eius reddam ei.*

ALIA hîc propoſita Veritas ſic præcedentem illuſtrat, vt ipſa etiam ex illa lumen capiat.

Si te cognoſſes, hoc in te flendum noſſes, quod deflet Chriſtus.

RATIO EST, Quià quod potiſſimum deflet Chriſtus, eſt indurata eorum peruicacia qui tùm Ipſi reſiſtebant.

Sed ſi te cognoſſes, talem in te noſſes peruicaciam.

Ergo & hoc ipſum in te noſſes flendum quod deflet Chriſtus, ac proinde diligentius proſpiceres.

AD primam propoſitionem magis declarandam, poſſent diſtinctius quatuor obſeruari quæ Chriſtus Dominus fleret. Primum, futura euerſio ciuitatis Ieruſalem, & miſerandus temporalis ſtatus Iudæorum, quos cum ſingulariter Dominus diligeret, certe indolebat tantæ eorum miſeriæ. *Quis dabit capiti meo aquam, &* Ier. 9. *oculis meis fontem lachrymarum: Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Secundum magis flendum, ſempiternus erat eorum interitus: *Fili mi Abſalom! Abſalom fili mi! quis mihi tribuat* 2. Reg. 18. *vt ego moriar pro te? Abſalom fili mi! Fili mi Abſalom!* Sanè tenerior erat affectus Chriſti erga Iudæos quàm patris in filium, nec minùs illos in ſuo perituros peccato videbat, quam Dauid cerneret perduellem illum quem deplorabat iam periiſſe. Tertium quod ſupra duo alia Chriſtus deflebat acerbiùs, erat eorumdem peccatum ſeu indurata in peccato peruicacia, quâ ſibi tam contentioſe reſiſtebant vt quibuſlibet oppoſitis remediis adeo non ſanarentur & reſipiſcerent, vt inde potiùs in profundum peccati ruerent. *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua, curationum vtilitas non eſt* Ier. 30. *tibi.* Longe eſt enim grauius coram Deo malum, quælibet culpa quàm quæuis pœna. Nihil eſt autem in malo culpæ grauius, quàm in ea ſic animam peruicaciter indurari, vt quantò magis curetur, tanto magis ingraueſcat. *Peruenit ad cœlos Iudicium eius.* Actum Ibid 51. eſt de illa, nihil reſtat niſi punitio infligenda. Quartum denique quod ſimul cum aliis deplorabat Chriſtus, talis erat animi peruicacia quam videbat futuram in hominibus qui ſibi reſiſterent, qui

fidem non reciperent vel abnegarent, qui peccato ſuo ſic tenaciter adhærerent, vt neque gratiis cederent, nec promiſſis allicerentur, nec minis terrerentur. *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Certe hoc dolendum! Iſ. 5.

AT verò, quæ ſecunda eſt Propoſitio; *ſi te cognoſſes, talem in te noſſes peruicaciam.* Sunt enim multa ex peccatis tuis, quæ ſimpliciter dici non poſſunt peccata, ſed peruicacia in peccatis. Non eſt ſuperbia tua, ſimplex ſuperbia, ſed indurata & peruicax; ſeu potius ipſa eſt animi tui indurata quædam peruicacia qua Chriſto iam toties à multis annis te ab illa reuocanti reſiſtis & contradicis; Vnde Scriptura de tali ſuperbo loquitur, *ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam.* Dan. 5. Nonne ſic tuus ita eſt obfirmatus? Nonne multoties ſenſiſti, quantum ſuperbia diſpliceret Deo, quantum eſſet damnoſa, quantum eſſet in Scripturis atque ab ipſo præſertim Chriſto exagitata? Quid inde profeciſti? Nonne cum annis creſcit ambitio? Nonne cum doctrina ſi quam habes, augetur faſtus? Nonne cum dignitate fouetur arrogantia? Nonne denique magis in dies in ſublime tolleris, & in Ingenij tui commendatione obfirmaris? Quid eſt eſſe peruicacem in peccatis niſi hoc ſit? *Conteram duritiam ſuperbiæ veſtræ.* Leuit. 26.

SI te ergo cognoſſes, hoc in te flendum noſſes, quod flebat Chriſtus, peruicacem videlicet in peccato animum, quem non modo in Iudæis vidit & fleuit Dominus, ſed in quibuslibet induratis peccatoribus quos non minus venit ſaluare quam Iudæos. Neque ſemel tantum cùm ciuitatem ingrederetur, ſed ſi audimus Apoſtolum, ſæpiſſime *in diebus carnis ſuæ fleuit:* Neque ceſſat modo per Electos ſuos idem flere, vt præclare S. Gregorius: *Hoc ſemel egit cum perituram ciuitatem eſſe nuntiauit: Hoc quotidie Redemptor noſter per Electos ſuos agere nullatenus ceſſat, vnde & qui planguntur, ſi damnationem ſuam quæ eis imminet, agnouiſſent, ſemetipſos cum lachrymis Electorum plangerent.* Hebr. 5. Homil. 39.

Nec dicas te non ita deſperatum eſſe ac deploratum, ſicut Iudæos; Quid enim ſit futurum neſcis? Et ſi te cognoſſes non minus in te videres cauſas & radices grauiſſimorum criminum quæ à quouis homine ſunt perpetrata: atque adeo ex conſequenti cer-

Digitized by Google

neres ipſius ſempiternæ damnationis in te cauſam & caſum eſſe, niſi te ſingularis Dei bonitas inde eriperet. Sed eſto, non ſit tam grauis ſuperbia tua, quale erat illorum peccatum: Putaſne verò fuiſſe æquale in omnibus illis quos flebat Chriſtus, peccatum? Nonne alij aliis erant nocentiores? At nonne etiam minus peccantes fleuit? Nonne & hi ſimul cum aliis inuoluti ſunt pœna temporali & æterna? Aut ſi putas te redire & conuerti poſſe, nonne & ipſi redire poterant quos tamen non deſinebat flere? Imo & hoc ipſo magis eos flebat, quod cum poſſent conuerti, nolebant aut differebant, vnde tu qui te poſſe & velle aliquando dicis, tu peræque es deplorandus quod differendo reſiſtas gratiæ quæ iamiam te vellet à peccato tuo reuerſum. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ: & ipſe abutitur eo in ſuperbiam.* TIMEO inquit Apoſtolus, *ne lugeam multos qui peccauerunt ei: & non egerunt pœnitentiam de immunditia.*

Iob. 24.
2. Cor. 12

Quæ plura huc referri poſſent ex aliis Partibus aut Feriis, ſic paucis habe.

Non viuitur in amore ſine dolore.
In 1. parte, Feria 5. Hebdom. 3. Aduentus.

Licet omni peccatori ſit neceſſariò pœnitendum, vix tamen vllus eſt qui neceſſariam agat pœnitentiam.
In 1. parte, Dom. 4. Aduentus.

Niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera bene paratus es.
In 1. parte, Fer. 6. Hebdom. 5. poſt Epiphan.

Quantùm obeſt aduerſitas improuiſa, tantùm præuiſa prodeſt.
In 2. parte, Fer. 6. Hebdom. Sexageſimæ.

Qui cum Chriſto dolente non dolet, non poteſt cum ipſo gaudente gaudere.

Fruſtra te Chriſti miſeret, niſi ſe tui prius miſereat.

Quantò teipſum negligis quaſi non eſſes cum cæteris periturus, tantò te Chriſtus doluit præ cæteris perituris.

Vera

Digitized by Google

Vera Contritio dolorem ſenſibilem nec includit nec excludit.

In 2. parte, Fer. 2. 4. 5. & Sabbato Hebdom. 1, in Quadrageſima.

Qui ruina gaudet inimici, ruinam eius in ſe trahit.

In 2. parte, Sabbato Hebdom. 3. in Quadrag.

Minima quæuis inordinatio cordis immundi, major eſt quauis inordinatione huius mundi.

In 2. parte, Fer. 6. Hebdom. 1. poſt Octau. Paſcha.

Reuocanti hominem Deo ab errore viæ ſuæ non obſequi, peius eſt quàm primò vocantem ne erraret, non ſequi.

In fine 2. partis, vbi de ſtatibus, conſideratione 4.

Quæ denique pro Miſſionibus habentur in hac 3. parte, Hebdomada decima, ſatis apte conueniunt ſupradictis: Necnon illa quæ in 4. parte, Hebdomada 26.

Ad poſtremam verò Euangelij partem de ingreſſu Domini in templum, atque inde ejectis venditoribus, videri debent quæ in fine primæ partis Veritates fuſè declarantur.

In loco ſacro non pauere, pauendum eſt.

Ad ſacrum locum, ſicut ad Sacramentum.

HAC Hebdomada, cùm primùm occurrant tres illi homines qui videbantur velle ſequi Chriſtum Dominum, neque tamen leguntur eum ſequuti propter fatalem illam Concupiſcentiam, quæ à Diuino obſequio prope ſingulos auocat: opportunè de illis tribus Concupiſcentiis Chriſto Domino ſubjiciendis Meditationes & Veritates inſtituuntur, exemplo petito ab aliis Creaturis quæ ad nutum illius totæ ſe formant, vt patebit in ſedata maris tempeſtate, in fu-

gatis ab humano corpore Dæmoniis, in expulſis grauibus morbis, & in mortuis ſuſcitatis, prout ſe hiſtorica Euangeliorum ſeries offert.

FERIA SECVNDA.

DE TRIPLICI HOMINVM GENERE QVI VIDENTVR VELLE SEQVI CHRISTVM, NEC TAMEN EVM SEQVVNTVR.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei. Luc. 9.

VERITAS PRACTICA.

Affectum probat Effectus.

SENSVS EST, Quod quando variis animi motibus ſeu affectibus afficimur circa rem aliquam potiendam, quiſnam ſit inter cæteros primarius & verior eius rei affectus, declarat effectus inde ſequens.

RATIO EST, Quia ille eſt primarius & verior rei alicuius affectus qui eſt magis liber & voluntarius.

Sed effectus probat & oſtendit quiſnam inter cæteros ſit magis liber & voluntarius affectus.

Ergo verum affectum probat Effectus. Quod certe ad multam praxim perutile eſt obſeruare.

I. PVNCTVM.

DE primo ex his tribus hominibus qui ad Chriſtum acceſſerunt quaſi futuri eius Diſcipuli, ſic ſanctus Euangeliſta
Math. 8. Matthæus: *Et accedens vnus Scriba, ait illi, Magiſter, ſequar te quocumque ieris. Et dicit ei IESVS: Vulpes foueas habent, &*

Digitized by Google

volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Quaſi diceret, vt interpretatur ſanctus Hieronymus, *Quid me propter diuitias & ſæculi lucra ſequi vis, cùm nec hoſpitiolum habeam.* Sanctus autem Auguſtinus ſic de Eodem paulo clarius: *Intelligitur hic miraculis motus, ob Iactantiam ſequi voluiſſe quam ſignificant aues: & Diſcipuli obſequium finxiſſe, quæ fictio vulpis nomine ſignificata eſt.* De quæſtionib. Euang. q. 5.

De ſecundo ſic pergit ſanctus Matthæus: *Alius autem de Diſcipulis eius, ait illi: Domine permitte me primum ire & ſepelire Patrem meum: IESVS autem ait illi: ſequere me & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Ad quæ Domini verba ſic ſanctus Auguſtinus: *Quando Dominus parat homines Euangelio, nullam excuſationem vult interponi, carnalis huius temporaliſque pietatis.* De Verbis Dom. Serm. 7.

De tertio denique ſanctus Lucas: *Et ait alter, ſequar te Domine, ſed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi ſunt. Ait ad illum IESVS, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Vbi ſanctus Cyrillus, *appoſuit manum aratro,* inquit, *qui habet affectum ſequendi, tamen reſpicit retro, qui dilationem petit occaſione redeundi domum.* Et ſanctus Auguſtinus: *Vocat te Oriens, & tu attendis occidentem.* Luc. 9.

Cum itaque tres illi Viri variis mouerentur affectibus, partimque vellent ſequi Chriſtum, & partim ſibi ſuiſque proſpicere: quiſnam eorum primarius & verior affectus fuerit, probauit effectus ſeu euentus, Id eſt, ſi relictis omnibus ſtatim reipſa ſequuti ſunt Chriſtum, prout ab eo mouebantur, tunc probatum eſt ex hoc effectu, talem eorum affectum ſequendi Chriſtum, fuiſſe primarium & veriorem: Quod ſi è contra non ſunt ſequuti Dominum ſed potius adhæſerunt vel parentibus vel familiæ, vel bonis ſuis ordinandis, dici debet hunc affectum fuiſſe alio quo Chriſtum ſequi volebant potentiorem & veriorem, cùm ille effectum ſuum habuerit & non alius. Hæc eſt enim vniuerſalis & ad multa dignoſcenda perutilis Veritas, *quod affectum probat effectus*, id eſt, ex effectu declaratur quiſnam ex multis ſimul conuenientibus ſit verus & principalis affectus, quinam vero adulterini & fallaces quibus ſæpe decipimur putantes nos velle quod reuera nolumus, aut id nolle quod plane volumus.

Quod vt apertius explanetur, obſeruandum eſt primò hanc vocem, *affectus*, eſſe æquiuocam ad omnes illos motus quo mouetur animus circa rem vnam vel diuerſas exprimendos; ſiue enim

ſit naturalis Inclinatio, ſeu paſſio appetitus concitatior, ſeu ſimplex voluntatis complacentia, ſeu denique abſoluta voluntas, dicuntur hi omnes animi motus eodem affectus vel concupiſcentiæ nomine, licet eorum ratio ſit longe diuerſa. Deinde vero eſt obſeruandum quod hi ſimul affectus quamtumcumque varij & diuerſi ſint, ſæpe concurrunt circa vnum & idem objectum, vt vel ſe iuuent ad illud proſequendum & obtinendum, vel ſe impediant & deſtruant. Nonne id ſæpe accidit vt quis virtutem aliquam ex naturali indole, vel ex affectu humano, vel rationali & diuino ſimul proſequatur? Nonne è contra fit etiam ſæpius vt quis naturali affectu auerſetur virtutem aliquam: & tamen ipſam eandem alio rationali & ſpirituali affectu diligat & obſeruet? Quod & de vitio quolibet ſic ſentitur & dicitur; cum directe oppoſiti circa idem excitantur affectus & amoris & odij, & perſecutionis & fugæ. Denique quod obſerues diligenter, cùm hi affectus ſint plane oppoſiti, atque inter ſe pugnantes, vt patet; oportet alios præ aliis eſſe vnius rei veros affectus, & alios falſos: neque enim verè & ex æquo poteſt animus ſimul virtutem aut vitium colere & odiſſe: *Aut enim vnum odio habebit & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit & alterum contemnet*, inquit Dominus. *Matth. 6.*

Iam verò vt cognoſcatur vter altero ſit verior rei affectus, videndum eſt vter ſit magis liber & voluntarius; nam hic profecto affectus eſt verior qui eſt magis voluntarius; Si magis voluntariè conſentis vitio quàm virtuti, magis verus eſt affectus vitij quam virtutis; & affectus virtutis quem tùm ſenties non erit verus affectus virtutis ſed falſus & adumbratus. Hinc illa ſancti Thomæ & ſimilia paſſim in prima ſecundæ: *Actus intantum eſt peccatum, inquantum eſt voluntarius, & in nobis exiſtens. Et cum peccatum principaliter in voluntate conſiſtat, quanto motus peccati magis eſt proprius voluntati, tanto peccatum eſt grauius:* Atque idcirco Apoſtolus, *Voluntarie*, inquit, *peccantibus nobis, terribilis quædam expectatio Iudicij*, id eſt, quo quis magis voluntarie peccat, eo terribilius iudicatur. O pauendam humanæ voluntati ſententiam. *1. 2. q. 77. a. 6. & q. 78. a. 4.* *Hebr. 10.*

II. PVNCTVM.

S*ED effectus probat & oſtendit quiſnam affectus ſit magis voluntarius.* Declarandum primo quid ſit effectus, nimirum quando actu

& reipſa fit aliquid quod dependet à nobis, & quod non fieret niſi vellemus, vt cùm ſcientes volentes non ex primo naturæ impetu, ſed aduertenter cogitamus, loquimur aut quidpiam agimus; iſta cogitatio vel loquela vel actio dicitur eſſe effectus poſitiuus: aut ſi non cogitamus, ſi non loquimur, ſi non agimus quando agendum eſſet, dicitur effectus negatiuus qui effectus tam in actu vitij reperitur quam in actu virtutis. Vnde ſunt peccata commiſſionis & omiſſionis ſub eadem peccati ſpecie, *Quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt,* inquit ſanctus Thomas, vt cum auarus rapit aliena, & non dat ſua quæ dare debet ex eodem affectu pecuniæ: Et guloſus ſuperflua comedit, nec debita ſeruat ieiunia, ex eodem etiam affectu gulæ. 1. 2 q. 72. a. 6.

Quibus ſic declaratis manifeſte patet quod per talem effectum ſeu poſitiuum ſeu negatiuum probatur & manifeſtatur, quiſnam ex multis affectus ſit magis voluntarius. Nam cùm effectus procedat à voluntate, & voluntas ad illum producendum ſuo moueatur affectu, profecto neceſſe eſt quod effectus ſit tam certum ſignum affectus quàm certo conſtat effectum eſſe ſignum ſuæ cauſæ. Maneamus in jiſdem exemplis auari & guloſi, faciamus vtrumque nonnullos habere affectus virtutis oppoſitæ ſuo vitio; Quando tamen actu & effectu poſitiuo vel negatiuo peccant, nonne affectus vitij major eſt ſeu magis voluntarius in illis, quam affectus virtutis? At vnde cognoſcis eſſe magis voluntarium niſi ex illo effectu vitij quem voluntarie ponunt, & quem non ponerent niſi magis afficerentur objecto vitij quam virtutis? O quàm recte Sapiens: *Qui deprauat vias ſuas, manifeſtus erit:* manifeſtum erit Prou. 10. quàm ſit ipſe prauus: licet aliquos habeat bonos affectus intermixtos prauis; quia tamen in effectu eſt prauus, ſic in affectu ſe indicat & manifeſtat magis eſſe prauum quam probum. Dum deprauat vias ſuas, relinquit ſuæ prauitatis manifeſtum ſignum, ſicut quoddam in via, pedis veſtigium.

III. PVNCTVM.

AFFECTV M*igitur probat effectus:* Probat & declarat quiſnam ex multis ſimul concurrentibus ſit verus & germanus affectus; probat & verè manifeſtat quinam in animo ſint affectus virtutis & vitij: quia videlicet probat quinam ſint actus voluntarij

Digitized by Google

aut non voluntarij, ex qua probatione liquet quinam ſint proprij & veri affectus. Sicut enim inuoluntarij affectus non ſunt proprij & veri noſtri affectus, ita plane voluntarij ſic dicendi ſunt veri vt
2. Macch. 6. illi ſoli ſint veri. Sic Eleazarus ille nobilis inter ſuos & ætate grandæuus cùm duceretur ad ſupplicium propter leges paternas, variis affectibus timoris & amoris mouebatur: ſed tamen vt indicaret ſe magis amare mortem pro Deo ſubeundam quam timere, vt manifeſte faceret omnibus ſuum eſſe magis affectum amoris quam timoris: *Voluntarie*, inquit Scriptura, *præibat ad ſupplicium*: Quaſi diceret, hoc ſignum dabat ſui affectus.

Atque hinc de Conſcientia & de vera virtute aut vitiis quidquid dubitari poteſt, pene totum ſoluetur; cùm ad omnia quæ proponentur dubia de conſenſu præſtito vel non præſtito, reſponderi hoc vnum debeat, an aliquid effeciſti? An aliquid voluntarium a te productum eſt? An aliquid quod potuiſſes non facere, nec debuiſſes? Si enim ita eſt, profecto conſenſiſti, & affectum habes vitij, licet forte modo ſenſum non habeas, aut licet aliquid
Num. 22. ex oppoſita virtute ſentias, diceturque tibi à Domino, *Peruerſa eſt via tua mihique contraria*. Quod ſi nihil voluntariè produxeris, ſed te inuito & repugnante contigerit tè pati potius quàm agere, non eſt affectus vitij, non eſt verus eius affectus, licet poſſit eſſe ſenſibilis & vehemens & concitatiſſimus, quia tamen nihil producit nihil efficit, non eſt verus affectus: quia verus affectus habet effectum aut non eſt verus; ſicut ex fructu arbor cognoſcitur; ſicut ex opere Fides & Charitas: ſic ex voluntario effectu, verus hominis animus, aut omnis verus affectus.

Rom. 7. Dicat licet Apoſtolus, *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.* Illa enim *ago* & *facio* quæ vſurpat non ſunt effectus voluntarij, ſed primi motus concupiſcentiæ, qui videntur quidem facere malum quod animus odit, ſed tamen reuera non faciunt, quia non eſt proprie malum niſi ſit voluntas quæ illud operetur; non eſt autem voluntas niſi ſit libertas, & niſi ſit aliquid à tali profectum libertate. Quod certe non erat in Apoſtolo qui clamans, *Quis me liberabit de corpore mortis huius:* Reſpondit ipſe ſibi, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Vnde & aptiſſimè ad rem noſtram concludit: *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Quaſi diceret; Ego, parte illa ſuperiore qua maxime conſto, id eſt, intellectu & voluntate, ſeruio legi Dei per

Digitized by Google

eius gratiam: Ex alia autem parte quæ eſt inferior quæ eſt ſenſualis quæ caro dicitur quæ nobis communis eſt cum belluis, ſeruio legi peccati, non voluntarie, non liberè, ſed ſenſibiliter, ſed primis concupiſcentiæ motibus quos reprimo & ſubjicio rationi ac gratiæ. *Quomodo carne, legi peccati,* ait ſanctus Auguſtinus: *Numquid concupiſcentiæ conſentiendo carnali? Abſit; ſed motus deſideriorum illic habendo, quos habere nolebat, & tamen habebat: ſed eis non conſentiendo, mente ſeruiebat legi Dei: & tenebat membra ne fierent arma peccati.* Sic in affectuum carnalium & ſpiritualium pugna quam ſentiebat Apoſtolus, indicabat ex vero mortificationis effectu, quam vere ſui eſſent ſpirituales affectus & non carnales: vnde tu contra ex immortificatione tua quid aliud indicas quam ſpirituales affectus ſi quos ſentis, non tam eſſe tuos quam alios quibus conſentis? *l. de Contin. c. 6.*

Vide ne tibi palpes in quibuſdam piis de virtute ſenſibus: Tantus eſt veræ virtutis ſenſus & affectus, quantus reipſa eſt eius effectus. Cui Veritati concordant hæ ſequentes:

Quam in ſe attrahit Gratiam qui ſe Deo libens offert, candem ſibi detrahit, qui quod offert non reddit.

In 1. parte, Fer. 3. Hebdom. primæ in Aduentu.

Quod grauius in te eſt malum, hoc minùs vis ſanari.

In 1. parte, Fer. 5. Hebdom. 6. poſt Epiphan.

Vult & non vult piger.

In 3. parte, Dominica 7. poſt Pentec.

Quod videris tibi, velle; velles quidem, ſed verè non vis.

In 3. parte, Fer. 2. Hebdom. 12.

FERIA TERTIA.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE, IMPERIO CHRISTI.

Digitized by Google

Imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Matth. 8.

Exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſauit ventus. Marci 4.

Increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit. Luc. 8.

VERITAS PRACTICA.

Vox illa, vox Chriſti eſt, dum commoueris: *Tace, obmuteſce.* Nec tamen taces aut obmuteſcis!

RATIO ſic oſtendit illam eſſe vocem Chriſti, dum commoueris, vt ſimul etiam declaret quod quia non taces aut obtumeſcis ſicut venti & mare tacuerunt ad imperium Chriſti, valde tibi propterea ſit erubeſcendum & timendum. Erubeſce Sidon, ait mare. *Sic autem procedit Ratio.*

Iſ. 23.

Tunc valde nobis eſt erubeſcendum & timendum coram Deo quando infame aliquod probrum meritò nobis objicitur.

Sed tale probrum merito tibi objicietur, quia commotus non taces aut obtumeſcis ad illam Chriſti vocem: Tace, obmuteſce, *ſicut venti & mare tacuerunt.*

Ergo tibi propterea valde eſt erubeſcendum & timendum: Aut potius ne ſic erubeſcas & confundaris, Cede imperanti Chriſto, tace commotus & obmuteſce.

I. PVNCTVM.

Dom. 4. poſt Epiph.

DE hac ſedata maris tempeſtate iam ſupra dictum eſt in prima parte; atque infrà de alia ſimili, dicendum erit: quamobrem hìc breuiter, & quantum ſatis fuerit ad propoſitam Veritatem attingendam & declarandam, propone tibi rem

Digitized by Google

rem geſtam. Vide vt aſcendente Domino in nauiculam & ſequentibus eum diſcipulis, ſtatim oboritur tantus maris æſtus vt nauicula operiretur fluctibus. Ipſe vero Dominus tum dormiebat. At diſcipuli terrefacti eum adeunt & inclamant; *Domine ſalua nos perimus. Et dicit illis* IESVS, *quid timidi eſtis, modicæ fidei? Et exurgens comminatur vento, & dicit mari, tace, obmuteſce,* ceſſantque illico, & fit magna tranquillitas. Quod admirati viri qui aderant, *Qualis eſt hic,* inquiebant, *qui à venti & mare obediunt ei?*

Certe id mirum quod ſic eius imperium inſenſibiles ſenſerint Creaturæ! Sed magis mirum quod tibi ſic Chriſtus imperet dùm ira commoueris aut aliquo ſimili concupiſcentiæ motu agitaris, nec tamen ceſſes, nec taceas, nec quieſcas. Aut negandum eius imperium; aut acquieſcendum; aut profecto erubeſcendum. An negare velles tibi à Chriſto imperari ſilentium & quietem dùm inordinatè commoueris, & perturbatè loqueris? Quorſum illæ Chriſti voces vt alia taceam: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui* Matth. 5. *iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Nonne tibi hæc à Chriſto dicta putas? Nonne idcirco dicta credis ne commouearis aut ne commotus excandeſcas, ne tibi vel verbum excidat, ſed omnino taceas & obmuteſcas? Itane vero illi obedis ſicut venti & mare obediuerunt? Plane non ita, nec ſine fictione diffiteri potes; nec ſine confuſione & rubore id fateri. Atque hoc ſaltem diſce, *quàm ſit tibi propterea erubeſcendum.*

Ratio eſt euidens & ipſo ſenſu ſatis comprobata. Quando enim infame & probroſum aliquid in faciem objicitur quod diluere & excuſare non poſſumus, tunc aut ſtolidos eſſe oportet & inſanos, aut omnem exuiſſe pudorem, aut profecto erubeſcendum. Qui quidem rubor, tametſi motus eſt naturalis, quo, vt ait Tertullianus, *omne vitium natura ſuffudit,* tamen cum Diuina gratia multum valet ad reſipiſcentiam: *Erubeſcant & conturbentur vehementer,* Pſ. 6. *conuertantur & erubeſcant valde velociter.* Qui vero neſciunt erubeſcere, habentur velut deſperati, & ad extremum malitię deueniſſe. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* CONFVSI Ier. 3. *ſunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confuſione non ſunt* Ibid. 6. *confuſi, & erubeſcere neſcierunt; quamobrem cadent inter ruentes, in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus.* Quaſi diceret, ſi ſciuiſſent erubeſcere, reſipuiſſent & ruinam declinaſſent. Nonne

Digitized by Google

id ſentis? Nonne probris laceſſitus humiliatum te dicis, & nonne humiliatus confunderis, nonne & confuſus erubeſcis?

II. PVNCTVM.

SED ſi iuſſus à Chriſto non taces & obmuteſcis, ſicut tacuerunt mare & venti: graue tibi probrum & infame merito nomen objicitur. Nam cùm ſint Creaturæ minus quam tu capaces præcepti, cùm ſint omni cognitione deſtitutæ, omni affectu priuatæ; cùm Chriſtum imperantem neque noſſe neque audire poſſent, cùm nullis moueri minis aut præmiis; & tamen ita dicto fuerunt obedientes, vt ad ipſam Domini vocem ſeſe prorſus continuerint; Tu contrà quidquid dicat, quidquid minetur, quidquid promittat, quidquid pro ſuo iure imperet; tu ratione præditus, tu fide inſtructus, tu ſaluandus aut damnandus niſi obſequaris; Tu contrà ire, tu contra niti & obluctari! Certe hoc probroſum, hoc infame, hoc eſt eſſe magis æſtuoſum & inſanum quam ipſum mare! hoc eſt eſſe minus docibilem quàm ipſos ventos! hoc eſt eſſe minus rationalem & ſenſibilem quam ipſas Creaturas irrationabiles & inſenſibiles. Hoc eſt quod Scriptura dicit de Iracundis contra Diuinum

Gen. 49. imperium ſe obfirmantibus: *Maledictus furor eorum quia pertinax: & Indignatio eorum quia dura.* Et rurſum: *In gente incredibili exar-*

Eccleſi. 16. *debit ira.* Paruane tibi aut leuia videntur iſta probra?

III. PVNCTVM.

ERGO tibi propterea valde erubeſcendum quòd à Chriſto iuſſus in ira ſilere, non ſileas, cùm venti & mare ſileant eo iubente.

Ezech. 36. *CONFVNDIMINI & erubeſcite ſuper viis veſtris, ait Dominus Deus.* Siue in mari, ſiue in terra viam inſtituatis, videte vt omnia & mouentur & quieſcunt ad verbum meum: vos vero nec mouea-

Oſee 10. mini nec quieſcatis. *Confuſio Ephraim capiet: & confundetur Iſrael in voluntate ſua.* Id eſt, niſi ipſe ſe confundat confundetur: ſed damno ſuo, nam illa ipſa voluntate qua mihi reluctatur, confun-

Pſ. 108. detur, cùm per eam confuſioni hominum ſe exponet; *Et operietur ſicut diploide, confuſione ſua,* ſicut veſte indutus ridicula deſ-

Eccleſi. 27. puetur. Sic plane Iracundi & rixantes deridentur. *Ira & furor, vtraque execrabilia ſunt.* Vide quæ de his plura in aliis partibus, & in hac etiam parte, Dominica 5.

Digitized by Google

Expende modò quantis nominibus magis obedire Deo tenearis quàm Creaturæ; Inquire quid obſtet quò minus obſequaris; Libertatem aut fragilitatem ne accuſes aut excuſes: ſi enim liberum eſt tibi non obſequi, liberũ eſt etiam cum Diuina Gratia obedire; Tua vna eſt malitia, impudentia & audacia quam vt coerceas, Audi Sapientem: *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit Creaturam ad vltionem Inimicorum. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra Inſenſatos.* Sap. 5. Audi & Prophetam ſeu ipſummet Dominum: *Audi popule ſtulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis; & aures & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, Præceptum ſempiternum quod non præteribit; & commouebuntur & non poterunt; & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud: populo autem huic factum eſt cor incredulum & exaſperans, receſſerunt & abierunt. Et non dixerunt in corde ſuo, metuamus Dominum Deum noſtrum.* Ier. 5. Audi denique Apoſtolum: *omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis.* Epheſ. 4. Aduerte vt poſt clamorem iungit blaſphemiam, quia ex clamore facilis eſt aditus ad blaſphemiam, non eam tantum quà iurando blaſphematur, ſed qua clamando multa contra Deum & proximum infanda pronuntiantur: Quod & alibi repetit: *Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Col. 3. Hæc eſt iræ progenies: hæc ſunt genimina viperarum, ſuo ſtatim in capite conterenda.

FERIA QVARTA.

DE LEGIONE DÆMONVM IMPERIO CHRISTI EIECTA, EX POSSESSIS CORPORIBVS.

Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Marci 5.

VERITAS PRACTICA.

Obedientia Dæmonum, noſtræ eſt condemnatio inobedientiæ.

RATIO EST, Quia per quos patefit aut euidentius innoteſcit alicuius hominis crimen, hic per illos dicitur condemnari.

Sed per obedientiam Dæmonum euidentius innoteſcit crimen inobedientiæ noſtræ.

Ergo illorum obedientia noſtræ eſt condemnatio inobedientiæ: & motiuum ad eam corrigendam.

I. PVNCTVM.

ET exeunti Ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare, quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare, & ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat clamans & concidens ſe lapidibus. Videns autem IESVM, à longe cucurrit & adorauit eum, & clamans voce magna, dixit, Quid mihi & tibi IESV, *Fili Dei altiſſimi, adjuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi; Exi ſpiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum; quod tibi nomen eſt? Et dicit ei, Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.*

Hæc & plura ſanctus Marcus de hoc homine; Duos vero habentes Dæmonia & ſimul ſanatos à Domino refert ſanctus Matthęus, ſed ille de quo ſingularis eſt ſermo, erat ſingulariter & præcipuè diuexatus, atque in eo potiſſimum elucebat quid in animas efficeret Ille animarum Hoſtis qui ſic in corpus deſæuiebat.

Et verò admirare attentius tantæ multitudinis Dæmonum, quanta eſt legio, demiſſam & exactam obedientiam. Statim enim atque iuſſi ſunt exire à corporibus, illicò exiere omnes; neque etiam in porcos qui illic aderant intrare auſi ſunt, niſi Domino permittente; ac denique impetu quodam facto velut in ſignum

promptiſſimæ ſuæ obedientiæ præcipites inde in mare ſeſe proripuerunt.

Non ſic ſuperbe! Non ſic Impudice obedis Chriſto! quoties enim & à quo tempore tibi iubet, *Ne poſt concupiſcentias tuas eas,& à voluntate tua auertaris?* Quid tu propterea? *Quoties*, inquit *volui, & noluiſti?* Certe *hæc dæmonum obedientia, noſtræ eſt condemnatio Inobedientiæ.* *CONSIDERA vehementer*, vt ait Propheta. Primò quidem quid ſit aliquem ab alio condemnari ſatis declaratur & intelligitur, quando fit talis comparatio vnius cum alio, vt ex facta comparatione, crimen vnius aut culpa magis pateſiat & euidentius agnoſcatur. Sic Sapiens, *Condemnat Iuſtus mortuus viuos impios,& iuuentus celerius conſummata, longam vitam iuuiſti.* Sic Dominus: *Viri*, inquit, *Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta & condemnabunt eam, quia pænitẽtiam egerunt in prædicatione Ionæ; Et ecce pluſquam Ionas hic. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Et ecce pluſquam Salomon hic.* Ac ruſum ibidem: *filij veſtri iudices veſtri erunt.* Ah quàm multi ſubditi & inferiores ſic futuri ſunt Superiorum Iudices!

Eccleſ. 18. *Matth. 23.* *Ier. 2.* *Sap. 4.* *Matth. 12.*

II. PVNCTVM.

SED *per obedientiam Dæmonum, euidentius innoteſcit crimen inobedientiæ noſtræ.*

Quo enim minus in illo ſuo ſtatu quàm nos in noſtro poſſunt obedire, certe eò noſtra inobedientia apparet grauior. Tria ſunt autem quæ id indicant; Primo ſunt hoſtes Chriſti infenſiſſimi, & Chriſtus illis aduerſarius odioſiſſimus; at certe durius eſt hoſtem ſuo velle obedire aduerſario quàm amicum amico vel Domino gratioſo. *Quid nobis & tibi IESV Nazarene, veniſti perdere nos?* Deinde ſunt obfirmatiſſimi in ſua prauitate, & tamen cedunt Imperanti Chriſto; Id profecto arguit in homine non ita deprauato majorem quandam peruicaciam. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.* Non eſt aqua frigida ex ciſterna ſicut ex fonte, qui eſt natiuus aquæ locus: ſic neque malitia in homine ſicut in Dæmone.

Marci 1. *Ier. 6.*

Denique Dæmon nihil ex illa ſua obedientia reportat meriti, nihilque præmij; homines vero propoſitam habent æternam Bea-

titudinem cœleſteſque illas ſedes vnde expulſi ſunt Dæmones;
Apoc. 12. *Neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.* Quis inde non videat quale vtriuſque ſtatus diſcrimen ad obediendum; & quàm proinde euidentius innoteſcat noſtra Inobedientia per illorum obedientiam? Adde auxilia, Gratias, colluſtrationes, motus & infinita propemodum adjumenta quibus ad obediendum excitamur: & quibus omnino deſtituti ſunt Dæmones. Vnde præclare ſanctus Anſelmus dixiſſe dicitur: *Diabolus perſiſtit in malitia Deo reprobante, ego vero Deo reuocante; Ille obduratur ad punientem, ego ad blandientem; etſi vterque contra Deum, ille contra non requirentem ſe, ego contra morientem pro me. Ecce cuius Imaginem horrebam, aſpicio in me horribiliorem.*

III. PVNCTVM.

Deut 32. Q*VAM ergo reddunt obedientiam Chriſto Dæmones, illa eſt noſtræ condemnatio Inobedientiæ*; cum tanto grauior appareat noſtra Inobedientia ex comparatione Dæmonum obedientiæ, quantò plura nos mouere deberent ad obediendum quàm illos. *Inimici noſtri ſunt Iudices:* aut certe grauiſſimi accuſatores, &
Apoc. 12. teſtes acerrimi. Sic in Apocalypſi, Dæmon dicitur *Accuſator fratrum noſtrorum, accuſans illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Sic ſanctus Auguſtinus fuſiſſimè inducit illum accuſantem & prouocantem Iudicem ad condemnationem noſtram. *Aequiſſimè inquiet, Iudex iudica, Iudica meum eſſe qui tuus eſſe noluit; meus eſt, mecum damnandus eſt; Poſt renuntiationem vt quid inuaſit pannos meos? Quid apud eum Impudicitia faciebat cui ipſe renuntiauerat? Quid intemperactia? Quid auaritia? Quid ira? Quid cætera mea? Poſtremo æquiſſime, fugientem à me, confugientem ad te poſtea cum meis quibus renuntiauerat apprehendi, inuaſorem detinui; In ipſa quodammodo mea poſſeſſione à me apprehenſus eſt; Quid in theatro faciebat renuntiator turpium voluptatum? Meus eſſe voluit, & mea concupiuit. Iudica æquiſſime, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipſe mihi ſe poſtmodum voluit obligare. Poteritne os aperire is qui talis inuenitur vt iuſtè Diabolo addicatur? Videte quid agatis:* Et quæ plura pergit.

(Ad Catechum. Tom. 6.)

Vnde tandem illud concludendum ad ſeriam emendationem:
Exod. 24. *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Vide *vt omnia*, cùm ſit idem Dominus qui omnia iubeat, ſicque niſi om-

Digitized by Google

nibus iuſſis obedias, nec forte vni obedies. Non erit obedientia Chriſtiana ſed politica; Nam cùm Chriſtiana obediat Chriſto Domino quia Dominus eſt, æque obedit in vno atque in alio, quia æque in vno eſt Dominus atque in alio. Aut ſi quis non æque in vno obedit ac alio, non obedit ei quia eſt Dominus, ſed quia ſic ſibi placet aut certe quia non diſplicet. *Quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt. Vt quid mihi thus de ſaba affertis, & calamum ſuaue-olentem de terra longinqua? Holocautamata veſtra non ſunt accepta, & victima veſtræ non placuerunt mihi.* Quaſi diceret, quia ex omnibus verbis meis, & ex omni lege mea, vos ea tantum facitis quæ vobis placent & non alia, neque illa quæ facitis mihi placent. Hoc certe eſt ſæpius expendendum. Ier. 6.

Vide in 1. parte, Die 4. Ian. & in Die Purificationis B. Virginis. In 2. parte, Feria 4. Hebdom. 4. poſt Octau. Paſchæ.

FERIA QVINTA.

DE SANATA MVLIERE HAEMORRHOISSA.

Et mulier quæ erat in profluuio ſanguinis, annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat. Marci 5.

VERITAS PRACTICA.

Iniquè multum agunt, qui tam multa agunt ſanando corpori: tam pauca, ſeruandæ animæ.

RATIO EST, *Quia inique multum agunt qui ius æquum ſeu æquitatem iuris, in debitis perſoluendis obſeruandam, multum peruertunt.*

Sed qui tam multa agunt ſanando corpori, tam pauca ſeruandæ animæ, ius æquum ſeu æquitatem iuris in debitis perſoluendis obſeruandam multum peruertunt.

Ergo iniquè multum agunt: & corrigenda talis iniquitas.

I. PVNCTVM.

Matth. 8.
Marci 5
Luc. 8.

HISTORIA huius ſanatæ Mulieris fuſiſſimè deſcribitur à tribus Euangeliſtis, plurimamque præbet meditandi materiam ex variis quibus inſignitur circumſtantiis. Tu ſi vacat, reuolue aliquas; Tùm quia eò nos ducit finis & ſcopus Hebdomadæ in his diutius hære quæ referuntur de cura & ſolicitudine quam habuit mulier pro recuperanda valetudine. Vide vt complures conſulit medicos, nullis parcit impenſis, nullis laboribus, imo ſua omnia erogat, & adeo non conualeſcit propterea quin deterius in dies habeat. Contemplare vt auditis miraculis quæ de Chriſto Domino euulgabantur, inquirit apud ſe tacita modum quo illum adeat; Cùm enim lege prohiberetur propter lethalem morbum ſeſe immiſcere turbæ, quid faciat? Audebitne ſe prodere? Nonne inde probroſe expelletur, & tamquam legis rea punietur? Sic ergo apud ſe ſtatuit non palam apparere, nec aperta voce ſanitatem poſtulare, ſicut alij infirmi precabantur; ſed clancularium & occultum quondam acceſſum meditatur qui à nullo deprehendi poſſit; *Acceſſit*, inquit Euangeliſta, *retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius: dicebat enim intra ſe, ſi tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* Et reuera ſic accidit, nam *confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.* O quam mirus eſt artifex amor noſtri! quàm ingenioſa eſt cura ſanandi corporis! Et quidem non eſt propterea incuſanda hæc Mulier quam ipſe Dominus notam fecit omnibus & laudauit; neque alioquin arguenda eſt moderata cura valetudinis & bene ordinatus corporis amor; ſed cùm tam multa fiant & tolerentur ab hominibus pro ſanando corpore, tam pauca vero pro anima quæ longe grauioribus iacet in morbis & negligitur; merito Id iniquum cenſeri debet & pluribus deplorari, vt remedium aliquod afferatur. Sic ergo eſt, *Inique multum agunt qui tam multa agunt ſanando corpori: tam pauca ſeruandæ animæ.*

Ratio

Digitized by Google

Ratio tam æqua eſt & euidens quàm ipſa æquitas quæ ſeruari debet in debitis perſoluendis. Sicut enim Ius quoddam æquum eſt quo & debita teneris perſoluere, & cui plura debeas, plura reſtituas, quantum poſſis: ita plane iniquum eſt ſi debita non ſoluantur, cùm ſolui poſſint: & tanto magis apparet iniquitas, quantò magis peruertitur illius iuris æquitas. Tanto magis autem peruertitur, quanto magis poſſis omnibus omnia reddere; & tamen malis minùs egenti & cui minus debes, ſua omnia & cumulata reddere, quàm magis egenti & cui plura iure æquiori debes ſua reſtituere, defraudeſque Creditorem bona ſuorum parte.

Aperta eſt Proſopolipſia ſeu acceptio perſonarum, quæ Diuino & humano iure prohibetur. *Nulla erit diſtantia perſonarum*, ait Dominus. *Si perſonas accipitis*, inquit ſanctus Iacobus, *peccatum operamini, redarguuti à lege.* Denique nihil commendatius quàm ne quid inique fiat, *Nolite iniquum aliquid facere in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Statura iuſta, & æqua ſint pondera.* Rem metire ex teipſo, nonne velles ius tuum tibi ſeruari? Nonne velles tantum tibi reddi quantum debetur? Nonne de iniquitate debitoris expoſtulares, ſi cùm poſſet perſoluere, non ſolueret? Nonne iudicaretur poſſe, ſi quod tibi debet & negat, redderet alteri cui non debet? *Quid à vobis ipſis non iudicatis quod iuſtum eſt?* dicebat Dominus.

Deut. 1. Iacobi 2. Leuit. 19. Luc. 12.

II. PVNCTVM.

SED qui tam multa agunt ſanando corpori, tam pauca ſeruandæ animæ, Ius illud æquum ſeu æquitatem iuris in perſoluendis debitis multum peruertunt, & cui minus debent, plura reddunt: cui plura debent minus reſtituunt.

Sunt enim Corpus & Anima duo veluti Creditores quibus quod ſuum eſt, omni ex iure debemus. Corpori autem longe minus debemus quàm animæ, nam ſi de animæ ſalute ageretur, ſi de periculo, ſi de damno aliquo, ſi vel vno veniali peccato lædenda eſſet Anima, Corpus ipſum prius eſſet exponendum flammis quàm lædendæ animæ conſenſus dandus. *Quam enim dabit homo commutationem pro Anima ſua?* Et vero etiam minus eſt egens corpus quàm anima. Nam primo paucis contentum eſt corpus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus:* At verò animæ tam

Matth. 16. 1. Tim. 6.

Digitized by Google

multa ſunt neceſſaria quàm multa ſunt debellanda deſideria, *quæ militant aduerſus illam.*

Deinde, Superiores ac Diuina ipſa prouidentia in ſe quodammodo ſuſceperunt curam corporis reique neceſſariæ ad vitam ſuſtentandam, vetatque Chriſtus ne de illa ſoliciti ſimus: è contra
Matth. 6.
2. Pet. I. quæ ſunt animæ, *curam omnem ſubinferamus* oportet, nulla vt illi
Deut. 4. deſint. *Cuſtodite ſolicitè animas veſtras.*

Denique quando aliquid, quando vel ipſa vita deeſſet corpori, dum ſua non deſit animæ, quid tandem inde grauius, cùm ſit tandem moriturum corpus, atque ex ſtatu animæ reſurrecturum, ſiue in vitam ſiue in mortem ſempiternam? Animæ autem ſtatus tanti noſtra refert, quanta quanta eſt ipſa cœleſtis & æterna Beati-
Matth. 6. tudo! *Nonne itaque anima plus eſt quàm eſca?* Ac proinde ſi plus de eſca & de corpore ſoliciti ſimus quam de anima, nonne peruertimus omnem iuris æquitatem? Nonne plus redditur cui minus debetur? Nonne minus ei redditur cui plus & iure potiori debetur? Eſto reddas quod debes corpori, eſto id illi debeas quod ei ſoluis;
Eccleſi. 37. at cur animæ non idem pendis? *Eſt ſapiens, animæ ſuæ ſapiens*, inquit Eccleſiaſticus, quaſi diceret, hæc eſt nota veri & iuſti ſapientis, ſi quod ſapit, conferat animæ ſuæ; nam quidquid aliud ſapit, non rectè ſapit. Vnde & Idem appoſitè: *Fili in manſuetudine ſerua ani-*
Ibid. 10. *mam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit? Et quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?*

III. PVNCTVM.

I*NIQVE igitur multum agunt qui tam multa ſanando corpori agunt, tam pauca ſeruandæ animæ*; Quia quantum agunt contra æquitatem iuris in perſoluendis debitis obſeruandi, tam inique agunt: multum autem agunt contra illam iuris æquitatem quæ ſic præſcribit ſuum vnicuique reddendum vt cui plura debes, plura reddas. Illi autem Iure hoc violato, cui minus debent plura reddant,
Pſ. 81. & minus reddant cui plus debent. *Vſquequò iudicatis iniquitatem & facies peccatorum ſumitis?* Nempe ſicut in acceptione perſonarum Ius faſque peruertitur, quòd peccatores præferantur Innocentibus, quia illi externa facie plus feriunt oculos, & mouent animos: ita dum corpus præfertur animæ, ſecundum faciem iudicatur, &

ſecundum eam faciem quæ peccatorum eſt, quatenus hinc omne peccatum oritur, quod corpus pluſquam anima, & terrena pluſquam ſpiritualia foueantur. Hoc eſt videlicet Iniquum de quo Sapiens: *Diſcede ab Iniquo, & deficient mala abs te*, Id eſt, caue hanc iniquitatem qua corpus præ anima colitur, & cauebis omnia mala. *Eccleſ. 7.*

Hæc eſt etiam Iuſtitia de qua Idem Sapiens, *Pro Iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem, certa pro iuſtitia:* Quaſi diceret, etiamſi pereat corpus, ſeruanda eſt animæ quæ debetur iuſtitia, & licet in ea ſeruanda ſit labor & certamen, non eſt detrectandum tale certamen pro tali cauſa. *Denique debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. PRIMAS apud nos curas quæ prima habentur, obtineant*, inquit ſanctus Eucherius, *ſummaſque ſibi ſolicitudinis partes, quæ ſumma eſt vindicet: hæc nos occupet in præſidium ſui, iam non plane prima, ſed ſola omnia vincat, eo ſtudio quo præcedit omnia.* *Ibid. 4. Rom. 8. Ib. 12. Ep. Par. ad Valer.*

Vide in 4. parte, Dominica 18. & 23. Videri etiam poſſet diſcurſus viceſimus octauus tertiæ partis de ordine vitæ & morum, Vbi expreſſe agitur de Iuſtitia, ſi qua eſt, ad ſeipſum.

FERIA SEXTA.

DE FILIA PRINCIPIS IAIRI RESSVSCITATA.

Puella ſurge; & reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò. Lucæ 8.

VERITAS PRACTICA.

Quam Chriſto debet anima ſubjectionem, debet ita in corpore reddere, ac extra corpus.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia quod æquè debet omnia Chriſto, debet hoc æque Chriſto reddere, quocumque in ſtatu ſit.*

Sed æque debet Chriſto ſubjectionem, dum hic viuit in corpore ac dum eſt extra corpus.

Ergo hanc ita debet in corpore, ac extra corpus, ſubjectionem Chriſto reddere. Quod certe eſt valde rarum.

I. PVNCTVM.

Math. 9. *Marci 5.* ANTEQVAM ſanaret Dominus Mulierem illam de qua in præcedenti Meditatione actum eſt, venerat quidam princeps Synagogæ, Iairus nomine, ipſum rogaturus pro filia duodenni quæ in extremis erat; Cúmque annuiſſet Dominus atque in ipſo itinere hæmorrhoiſſam curaſſet; Ecce è domeſticis Iairi quidam accurrens dicit ei, *Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.* *Luc. 8.* IESVS *autem audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ, noli timere, crede tantùm & ſalua erit. Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum & Iacobum & Ioannem, & Patrem & Matrem puellæ. Flebant autem omnes & plangebant illam; At ille dixit, nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebam eum ſcientes quod mortua eſſet. Ipſe autem tenens manum eius, clamauit dicens Puella ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius & ſurrexit continuò.*

Hæc ſanctus Lucas, quæ ſingula poſſent fructuosè conſiderari, ſed poſtrema præcipue verba, quæ promptiſſimam animæ in ſuum corpus reuocatæ obedientiam exhibent. Hoc enim mirum & conſideratione digniſſimum quod cùm animæ ſeparatæ à corporibus quocumque in loco & ſtatu à Chriſto Iudice omnium, conſtituantur, ſic obſequentes ſunt, vt nonniſi eius nutu moueantur: & tamen illæ ipſæ animæ dum conjunctæ ſunt ſuis corporibus, ita ipſi Chriſto repugnantes ſunt vt vix illi obſequantur. Quot enim ſunt vitia aut peccata cuiuſlibet hominis, tot ſunt repugnantis Chriſto animæ motus. Quod cùm ſit valde inordinatum, contrà ſtatuitur hac vtiliſſima & maxime Practica Veritate, *Quod quam Chriſto debet anima ſubjectionem, debet ita in corpore reddere ac extra corpus.*

Ratio eſt tam facilis & euidens vt vix aliis notioribus terminis declarari poſſit. Quid enim notius & manifeſtius quàm ſi plura di-

Digitized by Google

uerſi generis cuipiam ex æquo debeas, ſic etiam ex æquo tenearis omnia reddere quantum in tua ſitum erit poteſtate? Cur enim vnum reddas & non aliud, cum iſtud aliud perinde debeas ac illud vnum? Si tota ratio eſt cur illud reddas quia debes: Cur non aliud ſimiliter reddas, cum hæc eadem inſit ratio, quia debes? *Reddite omnibus debita*, inquit Apoſtolus, *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Nec dicas te tam multa Chriſto debere vt his omnibus exoluendis par numquam futurus ſis; Nam quæ potes ſaltem debes exoluere, & nihil à te exigitur quod non poſſis cum Gratia. *Vnicuique ſicut Dominus dedit.* Rom. 13. 1. Cor. 3.

II. PVNCTVM.

SED *æque anima debet Chriſto ſubjectionem & obedientiam dum hic viuit in corpore, ac dum eſt extra corpus.*

Cur enim debet extra corpus niſi quia Dominus eſt, niſi quia Redemptor eſt, niſi quia Iudex eſt, aut quidquid tandem dicas quo anima exuta corpore obligetur ſe Chriſto ſubjicere, nonne hoc totum dici poteſt & debet quando eſt induta ſuum mortale corpus? Nonne tùm æquè Chriſtus eſt eius Dominus, eius Redemptor, eiuſque Iudex? Nonne idcirco expreſſè dictum ab Apoſtolo, *Quod nemo noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur: ſiue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur:* Vnde & concludit, *Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Quaſi aperte diceret, ſicut perinde Domini ſumus ſiue viuimus, ſiue morimur; ſic perinde debemus illi tanquam Domino noſtram ſubjectionem & obedientiam, dum viuimus, atque dum mortui ſumus. Quod & confirmat ſic conſequenter pergens: *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* Id eſt, hoc ex æquo promeruit Chriſtus vt omnium pariter dominetur ſiue illi ſint viuentes, ſiue mortui: nec minus illi debent qui viuunt quam qui mortui ſunt. Sic & ſanctus Ioannes, *Omnem*, inquit, *creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Nempe agnoſcunt omnes tam viuentes quam mortui ſe debere honorem & obſequium Deo ac Domino ſuo Chriſto. Audereſne tu id negare debitum? Rom. 14. Apoc. 5.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

QVAM *igitur Chriſto debet anima ſubjectionem, debet ita in corpore reddere, atque extra corpus:* Nam debet æque reddere quod æque debet: æquè autem hanc ſubjectionem debet dum eſt in corpore: Cur non illam igitur a que reddat? *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea, nam & ipſe Deus, ſalutaris meus, ſuſceptor meus. VSQVEQVO non vis ſubjici mihi?* An quia dum eſt in corpore anima, libertatem habet reſiſtendi Chriſto, quam non habet dum eſt extra corpus? Itane vero libera eſt anima vt libertate abutatur? Numquamne ſe Chriſto niſi coacta, aut ex neceſſitate ſubjiciet? Numquamne libere, numquamne volens lubenſque Chriſto ſe ſuo totam tradet? Quandonam verò ſic libere lubenterque ſe dabit niſi dum viuit in corpore, niſi dum ſua potitur libertate? Tantum ergo abeſt vt quia modo libera eſt anima, modo non ſe debet ſubjicere, quin potius quia modo libera eſt, modo id debet, vt quod eſt in ſubjectione pretioſius, nempe libertas, non ſubtrahatur, fiatque ſubjectio libera, voluntaria, læta & accepta, *Non ex triſtitia aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

Pſ. 61. *Exodi. 10.* *2. Cor. 9.*

Alioquin certe expauendum illud Chriſti decretum: *Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.* De ſolis viuentibus loquitur, nam nullus mortuorum Illi repugnat. Sic autem propterea de viuentibus loquitur quia noluerunt, quia libertate abuſi ſunt, quia cùm poſſent obedire vel reſiſtere, maluerunt reſiſtere quam obedire. Quòd autem de his loquitur, tremendum plane eſt, nempe vt in ſua rebellione moriantur, non reſipiſcant, non conuertantur, ſed ſicut in Chriſto non vixerunt, ita nec in illo moriantur. O deplorandum vitæ & mortis ſtatum! *Verumtamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea.* Si quid propterea patiendum eſt vt te illi ſubjicias, dabit tibi quod poſſis.

Luc. 19. *Pſ. 6.*

Vide in 2. parte, Feria 3. Hebdom. Quinquageſimæ. In 4. parte, Sabbato Hebdom. 15.

Digitized by Google

SABBATO.

DE DVOBVS COECIS A CHRISTO DOMINO ILLVMINATIS.

Secuti ſunt Eum duo cœci clamantes. Matth. 9.

VERITAS PRACTICA.

Quæ magis eſt oculata Concupiſcentia, magis eſt cœca.

RATIO EST, Quia quæ magis eſt oculata Concupiſcentia, magis ſeu melius videt & ſequitur quæ ſunt corrupti mundi & deprauatæ naturæ.

Sed talis Concupiſcentia magis eſt cœca, vt quæ minus videat quæ ſunt Gratiæ & Rationis.

Ergo quæ magis eſt oculata Concupiſcentia, magis eſt cœca: proindeque illi eſt magis proſpiciendum.

I. PVNCTVM.

TRANSEVNTE inde IESV ſequuti ſunt Eum duo cæci clamantes & dicentes, miſerere noſtri, fili Dauid. Cùm autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis IESVS, creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei, vtique Dominè. Tunc tetigit oculos eorum, dicens, ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis IESVS, dicens, videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt Eum in tota terra illa. Id eſt diuulgauerunt, quia non erat præceptum, ſed myſterium, vt aiunt Interpretes, nempe ad exemplum humilitatis, quantum in nobis *Vide Eſtium.*

eſt, optemus potius noſtra præclarè facta eſſe ſecreta quàm euulgata. Quod ſi aliquando Chriſtus permiſit aut etiam ſuaſit vt quæ fecerat enarrarentur, hanc adhibebat cautionem, vt Deo referretur Gloria. *Redi in domum tuam*, inquit, *& narra quanta tibi fecit Deus.* Luc. 8.

Quæ & alia huius Miraculi propria poſtquàm tantiſper ad fructum expenderis, contemplare attentius ad fructuoſiſſimam praxim, quàm ſit occulata ſimul & cæca concupiſcentia; quamque eo magis ſit cæca quàm oculata.

Ep. 38. Ratio ex illis eſt quas ſemini ſimiles ait Seneca, *Quod quamuis ſit exiguum, cùm occuparit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. Idem facit Ratio, non latè patet ſi aſpicias, in opere creſcit: pauca ſunt quæ dicuntur, ſed ſi illa animus bene exceperit, conualeſcunt & exurgunt. Eadem eſt inquam præceptorum conditio quæ ſeminum, multum efficiunt: etſi anguſta ſunt tantum, vt dixi, idonea mens rapiat illa & in ſe trahat, multa inuicem & ipſa generabit, & plus reddet quàm acceperit.*

Serm 15. in Cant. ex 31. Prou. Hoc ipſum ſanctus Bernardus aliter exprimens, *Fortis*, inquit, *mulier Sapientia miſit manum ad colum, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Nouit enim modicam lanam vel linum in longum producere filum, atque in telæ extendere latitudinem.*

Sic Ratio Veritatis propoſitæ paucis multa complectitur quæ cuique facile eſt in longiora protrahere. Primò quidem quid vulgarius & quid fuſius ad omne dicendi genus, quam quod prima Propoſitione præmittitur, eam eſſe magis oculatam concupiſcentiam quæ melius videt quæ ſunt deprauata in mundo & in carne? Hi ſunt ſcilicet Sapientes huius ſæculi, *Sapientes vt faciant mala*. Quorum Sapientia *non eſt deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, Diabolica*; In quibus ſancti Iacobi verbis triplex illa concupiſcentia quæ à ſancto Ioanne deſcribitur, poteſt intelligi, *Concupiſcentia oculorum* eadem ſcilicet eſt quæ *terrena* & occulatos in terrenis bonis comparandis ſuos facit. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. CONCVPISCENTIA *Carnis*, Ipſa eſt quæ *animalis* dicitur & in exquiſitis deliciis procurandis acute perſpicit: & oculos habet *per res varias fornicantes*. *SVPERBIA denique vitæ*, Diabolica eſt Sapientia qua ipſe Diabolus excelluit in ſuam perniciem, & qua primos noſtros parentes vt deciperet, *Aperientur*, inquit, *oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*. Hi ſunt

Ier. 4. Iac. 3. 1. Ioan. 2. Pſ. 16. Num. 15. Gen. 3.

Digitized by Google

ſunt elati & ſublimes oculi vt deſpiciant quidquid infra ſe vident, & æmulentur atque ambiant quid ſupra ſe conſpiciunt eminentius.

O quam præclare Sapiens: *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me; & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.* Eccleſi. 23.

II. PVNCTVM.

SED *talis concupiſcentia magis eſt cæca vt quæ minùs videt quæ ſunt Gratiæ & rationis*. Dubitari non poteſt quod ſi minus hæc videt quæ ſunt magis videnda, quin ſit magis cœca. *Nam quis cæcus niſi ſeruus meus*, ait Dominus, Id eſt, niſi qui profitetur ſe mihi ſeruire, & non vult videre quæ ſunt mei ſeruitij, dum per concupiſcentiam ſuam prauam, nimis acutè videt quæ ſunt mundana & ſenſualia. Quod autem ij qui perſpicaces ſunt & in mundanis oculati negotiis, minus videant quæ ſunt diuina & ſpiritualia, ſic aperte Scriptura vtriuſque Teſtamenti, *Videntes*, inquit, *videbitis, & non videbitis*. Id eſt, quo tempore terrena magis videtis, minus Cœleſtia videbitis. Quid breuius ſimul & clarius? Iſ. 42. Iſ. 6. Matth. 13.

III. PVNCTVM.

QVAE *eſt ergo magis oculata concupiſcentia, magis eſt cæca*. Quia illis ipſis rebus mundanis quibus exercitatos habet oculos excœcatur velut offuſa quadam caligine quæ vel naturaliter vel ſupernaturaliter vel etiam artificialiter obuenire poteſt. Primò quidem naturaliter, quatenus *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere quia ſpiritualiter examinatur*, Quaſi diceret Apoſtolus, cùm ratio & regula dignoſcendi res ſpirituales ſit ab illa longe diuerſa qua res mundanæ & ſenſuales tractantur, hinc fit naturaliter vt qui in his mundi & ſenſuum rebus peritiores ſunt, ſint imperitiores in ſpiritualibus: non modo quia in iſtis non ſunt exercitati, ſed quia in aliis oppoſitis ſunt valde verſati, à quibus deſumunt principia iudicandi de rebus etiam oppoſita. *Palpauimus ſicut cæci parietem, & abſque oculis* 1. Cor. 2. Iſ. 59.

attrectantes impegimus in meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Sic illi apud Prophetam.

Secundò id contingit ſupernaturaliter, recedente ſcilicet diuino lumine quo qui priuantur quid niſi cœci & caliginoſi ſunt?
Deut. 28. *Percutiet te Dominus amentia & cæcitate à furore mentis vt palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.*

Tertiò denique fraude & artificio Dæmonis qui quos magis poſſidet magis excœcat, ne videant miſerandum ſuum ſtatum & emergant. *In quibus*, inquit Apoſtolus,
2. Cor. 4. *Deus huius ſaculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Domini qui eſt Imago Dei.* Idcirco enim dicitur Dæmon Deus huius ſæculi, quod ſic amatores ſæculi poſſideat vt ab eis colatur velut Deus, ſicque illos dementet & excœcet ne videant aut intelligant quem colunt
Epheſ. 4. Deum. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.* Quaſi diceret, cùm ad videndum, opus ſit lumine & facultate videndi, neutrum illi habent, nam & verſantur in tenebris, & cœci ſunt.

Poteſtne miſerius aliquid fingi? Et tamen quàm multi ambiunt & ſectantur illam oculatam concupiſcentiam qua mundo appa-
Apoc. 3. rent Sapientiores? *Et neſciunt quam ſint cæci & nudi & miſeri & miſerabiles. Collyrio inunge oculos tuos vt videas.* Vide paſſim Verbo, *Concupiſcentia.*

Digitized by Google

DOMINICA
DECIMA POST PENTECOSTEN.

DE PHARIZÆO ET PVBLICANO.

Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, vnus Pharizæus, & alter Publicanus.

VERITAS PRACTICA.

Omnes inſipiētes & infœlices ſupra modum, Superbi. *Sapient.* 15.

IN TEXTV Libri Sapientiæ ſic legitur, *omnes enim inſipientes & infœlices ſupra modum animæ ſuperbi*, Id eſt, ſupra quam naturaliter fieri ſoleat; Seu clarius ex Lectione Complutenſi, vbi habetur *animæ ſuæ*, ſic tota poteſt reddi ſententia: omnes ſuperbi magis ſunt ſuo vitio inſipientes & infœlices quam ſi naturali defectu tales eſſent; Et hoc pronuntiatur literali ſenſu de inimicis populi Dei; accommodatitio autem & morali, de ſuperbis omnibus, & ijs præſertim qui ſua ventitantes vt Pharizæus, inde laudem venantur. Vox verò *anima* quia paulò erat obſcurior, omitti potuit in exprimenda Veritate Practica, ſine vlla vllius Scripturæ ſenſus injuria. Cur porrò tales ſuperbi dicantur & reuera ſint ſupra modum inſipientes & infœlices;

Digitized by Google

RATIO EST, *Quod qui ſua meliora & ſolidiora bona commutant in leuiſſima & nullius pretij, ſunt inſipientes & infœlices ſupra modum & ſupra morem communem.*

Sed tales ſuperbi ſua meliora & ſolidiora bona commutant in leuiſsima, & nullius pretij.

Ergo ſunt ſupra modum inſipientes & infœlices. Quod certe attentius cogitanti poteſt eſſe opportunum ad cauendam ſuperbiam.

I. PVNCTVM.

QVÆ in Euangelio hodierno exhibetur Parabola de ſuperbo Pharizæo & humili Publicano, notior eſt quàm vt hîc fuſius enarretur. Et quia finis & ſcopus Parabolæ videtur eò ſpectare vt demonſtret quàm ſint ſtulti & miſeri qui ſe aliis præferunt, & qui ſe ſuâ ſuperbiâ denudant bonis ſuis: idcirco viſa eſt Sapientis ſententia opportunè conjungi poſſe ad Chriſti Domini Verba & mentem: atque inde hæc proponi Veritas quæ modo attente conſideretur: *Quod omnes inſipientes & infœlices ſunt ſupra modum, ſuperbi.* Emphaſim quandam habet illud *ſupra modum:* Et duo illa ſimul iuncta *inſipientes & infœlices* tam apta ſunt ad ſuperbiam quæ ex benefactis oritur retundendam, quàm apte conueniunt illis ſuperbis qui ſe ſuaque iactitant. Quàm verò aptè conueniant, hæc ſuadet Ratio. Quid enim inſipientius & infœlicius quàm ſi multo labore bona tibi quædam compararis, tu vel illa nullo delectu prodigas, vel in leuiores quaſdam & nullius pretij reculas vltrò commutes, & transferas? Vix talis inſipientia reperitur inter homines, nimis ſunt tenaces ſuorum bonorum: & quo bona ſunt ſolidiora & veriora, naturalis eorum amor ita mentem humanam occupat, vt vix ab eorum affectu & poſſeſſione diuellatur. Vnde rectè ſupra modum ordinarium & ſupra communem agendi morem illi dicendi erunt inſipientes qui ſe ſuis ita denudarunt bonis, vt tanto infœliciores indè euadant & miſeriores, quanto erant fœlices & beati ſi ſua conſeruaſſent.

Eccleſi. 33. *Audite me magnates*, inquit Sapiens, *& omnes populi, & Rectores Eccleſiæ, auribus percipite: Filio & mulieri, fratri & amico non des po-*

Digitized by Google

teſtatem ſuper te in vita tua: & non dederis alÿ poſſeſſionem tuam, ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis. Dum adhuc ſuperes & aſpiras, non immutabit te omnis caro. Melius eſt enim vt filÿ tui te rogent quam te reſpicere in manus filiorum tuorum. In die conſummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui diſtribue hæreditatem tuam. Quaſi diceret, ſi ſapis ne te vmquam bonis tuis exuas quamdiu his eges: aut ſi te his exuis, experieris tuo damno quam inſipienter egeris.

Mirum certe quod ſic ſacer Author de bonis perituris ſatagat, *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Numquid de bonis illis caducis cura eſt illi? Oportet certe hic eſſe aliquid myſticum, & ſicut quando de bobus lex facta eſt, non tam boues ſpectabat quam operarios Euangelicos, vt ipſe Apoſtolus interpretatur, ſic quando de bonis illis temporalibus non dimittendis tāta in Scripturis habetur cautio, multo magis de ſpiritualibus intelligenda eſt. *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? SPIRITVALIS iudicat omnia: & ipſe à nemine iudicatur.* Id eſt, longe melius poteſt iudicare de temporalibus, quam poſſit animalis iudicare de ſpiritualibus.

1. Cor 9. Deut 25. Matth. 15. 1. Cor. 2.

II. PVNCTVM.

S*ED tales ſuperbi ſuis ſe vltro bonis exuunt, aut quidquid habent melius, commutant in res leuiſſimas & nullius pretij.*

Dum enim bonis ſuis operibus ſuperbiunt & inflantur, nonne tùm eorum ſe fructu priuant? Nonne tum recipiunt mercedem ſuam ſicut dicebat Dominus, nonne tùm potius ſe pœna dignos exhibent quam vllo præmio? Quid ſolidius, quam quod ſibi in omnem æternitatem bonum comparauerant? Quid melius eo bono quàm quo boni efficimur? Quid contra leuius eſt quam inanis iactantia aut popularis ille rumuſculus quem ſuperbi conſectantur & cui promerendo ſua benefacta omnia profundunt & tranſmutant? *Ambulauerunt poſt vanitatem & vani facti ſunt.*

Matth 6. Ier. 2.

Sancti omnes Patres hoc vel vno maxime ſuperbiam ſeu vanitatem exagitant quod nos noſtris bonis exſpoliet. Sic præclare ſanctus Cyprianus: *Iejunÿ vel virtutum ſudoribus laus importuna ſe ingerit, & ſubtiliſſimis aculeis penetrans animam dum extollit, emollit, & pungit dum vngit; Virtutem in hypocriſim vertit, & ſimpliciter inchoata peruertit; quaſi tinea quod integrum erat rodit & occupat, & ſanctitatis fundamenta euellit & diſſipat. Mens hoc veneno imbuta in mi-*

L. de Cardin. Ch. oper.

Digitized by Google

ſeriis deliciatur, & occupata hæc ſcabie, in vlceribus gloriatur. Religio ſit ſuperſtitio, & ſuccedit ei ambitio ſubornata; extincto ſpiritu, quatriduano cadaueri ſolum ſuperſunt exuuiæ, Virtutis ſpecies exanimis, & ſimulachrum ſanctitatis.

In Conſt. Mon. c. 11. Sic ſanctus Baſilius: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu, fraudis ſui veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem. Quod opinor ea de cauſa facit vt vitio ſe illi auidius ingurgitent, nec vlla illius expleantur ſatietate. Dulce quid humana imperitis gloria eſt.*

l. 34. Mor. c. 18. Sanctus quoque Gregorius: *Alia vitia eas ſolummodo virtutes impetunt quibus ipſa deſtruuntur, vt videlicet ira patientiam, libido continentiam expugnat: ſuperbia autem nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra ſe erigit, & quaſi generalis ac peſtifer morbus, corpus omne corrumpit, quaſi tyrannus quidam, obſeſſam ciuitatem intercipit, & quò ditiorem quemque cœperit, eo in dominio durior exurgit, quia quo amplius res virtutis ſine humilitate agitur, eò latius iſta dominatur.* Et poſt multa de damnoſis eius effectibus ſic pergit propius ad rem noſtram: *Sed tanto facilius ruina ſequitur, quanto apud ſe quiſque impudentius exaltatur. Hinc enim ſcriptum eſt, ante ruinam exaltatur cor. Hinc per Danielem dicitur: In aula Babylonis deambulabat rex, reſponditque & ait: nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei? Sed hunc tumorem quàm concita vindictæ ira repreſſerit, illico adjunxit dicens: Cum adhuc ſermo eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonozor rex, regnum tranſiet à te, & ab hominibus te ejicient, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te. Ecce quia tumor mentis vſque ad aperta verba ſe protulit, patientia Iudicis protinus vſque ad ſententiam erupit, tantóque hunc diſtinctius perculit quanto ſe eius ſuperbia immoderatius erexit; & quia enumerando bona dixit in quibus ſibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur, audiuit.*

Nonne hoc eſt ſuis ſe bonis exuere, & non modo in res nullius pretij, ea permutare, ſed in certam perniciem & damnum ſuum effundere?

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

OMNES *ergo inſipientes & infœlices ſupra modum ſunt ſuperbi,* Quia ſic ſe ſuis priuare meritis, ſic ſe ſuorum fructu laborum & operum defraudare pro leuicula gloria non niſi valde & ſupra modum inſipientis eſt atque infœlicis: nec vix in alio genere reperias hominem qui ſic temerè & inſane res alicuius pretij patiatur ſibi perire, *Vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Luc. 12. Vnde apte Propheta, poſtquam ſuperbo dixit, *Superbia cordis tui extulit te:* Abdiæ. Et quæ plura proſequitur, tum hæc addit, *ſi fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſſes? Nonne furati eſſent ſufficentia ſibi? Si vindemiatores introiſſent ad te, Numquid ſaltem racemum reliquiſſent tibi?* Quaſi diceret, Nonne lugeres tibi tua ſic ab hoſtibus abripi? Et tamen non luges quæ à te aufert ſuperbia! Quæcumque hoſtes rapiunt, terrena ſunt, caduca ſunt; neque ſic omnia rapiunt quin aliquid domi vel in agro relinquant: ſed quæ aufert ſuperbia, ſpiritualia ſunt, æterna ſunt, diuina ſunt, & ſic omnia ſimul bona deprædatur, nihil plane vt ſuperſit.

Hinc etiam apte monebat Sapiens: *Non te extollas in cogitatione* Eccleſi. 6. *animæ tua velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folià tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* De hac ſuperborum ſtultitia fuſe Diuus Hom. 39. Chryſoſtomus: de illorum vero infœlicitate prudenter ſanctus Auguſtinus in Pſalmos, vbi hos verſus exponit, *Redde retributionem ſuperbis, & donec fodiatur peccatori fouea.* Pſ. 93. *NAM & ille,* inquit, *peccator fuit Publicanus qui oculos eliſerat in terram, & percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Sed quia ſuperbus non erat, Deus autem reddet retributionem ſuperbis: non illi, ſed talibus fodiatur fouea donec reddat retributionem ſuperbis. Ergo quod ait, fodiatur peccatori fouea, ſuperbos intellige. Quis eſt ſuperbus? Qui in confeſſione peccatorum pœnitentiam non agit vt ſanari per humilitatem poſſit. Quis eſt ſuperbus? Qui illa pauca quæ videtur habere bona, ſibi vult arrogare, & derogat miſericordiæ Dei. Quis eſt ſuperbus? Qui etiamſi Deo tribuat bona quæ facit, inſultat tamen his qui illa non faciunt, & extollit ſe ſuper illos. Nam & ille Pharizæus, Gratias tibi ago, inquit: non dixit ego facio,* Et poſt multa

Digitized by Google

de illo, *quantum ſe extulit, cum dicit, quia non ſum ſicut Publicanus iſte? Ille ſuperbus erat in bonis factis: Iſte humilis in malis factis. Videte fratres, magis placuit Deo humilitas in malis factis, quam ſuperbia in bonis factis: ſic odit Deus ſuperbos.*

Nonne times hoc Diuinum odium? Cur non times ergo ſuperbiam quæ illud prouocat odium? Cur non ergo times humanas laudes quibus illa ſuperbia prouocatur? *Noli extollere te in faciendo opere tuo.* *Eccleſ. 10.*

Porrò contra Superbiam, Præſumptionem, Iactantiam, & ſimiles infœlicis huius inſipientiæ fœtus, hæ valere poſſunt pro variis ad quos dirigentur variandæ Veritates:

Nulla re homo quantumuis glorioſa gloriari poteſt.

Ad laudes noſtras tremere potius conuenit quàm exultare.

In 1. parte, Fer. 2. & 4. Hebdom. 2. Aduentus.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

In 2. parte, Feria 6. Hebdom. Septuageſ.

Nimia firmitas, infirmitas.

In 2. parte, Fer. 2. Hebdom. Sexageſ.

Sicut vinum nouum, ſic nouus honor maximè temperandus.

In 2. parte, Fer. 2. Hebd. 2. poſt Oct. Paſcha, & tota pene Hebdomada.

Niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt.

In 3. parte, Dominica 4. poſt Pentecoſten.

Qui ſuam Iuſtitiam facit vt videatur, maximam quæ fieri poſſit injuſtitiam, videtur facere.

In 3. parte, Sabbato Hebdom. 5. poſt Pentec.

Primæ petioni Dominicæ prima ſe opponit ſuperbia; Quod illa petit, hoc iſta impetit.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 6. poſt Pentec.

Quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, omnem in nobis exhaurit faſtum.

In

Digitized by Google

In 3. parte, Fer. 3. Hebdom. 11.

Superbo maxime formidandum Diuini tribunal Iudicij.

Claritas quæ ab hominibus accipitur, mera eſt obſcuritas.

Ne diuina pereat fides, pereat potius humana gloria.

In 3. parte, Feria 5. 6. & Sabbato Hebdom. 12.

Nemo ſui boni bonus Iudex.

In 3. parte, Fer. 3. Hebdom. 14.

Si cum noſtris vitiis noſtræ virtutes comparentur, plus noſtris vitiis inhonoratur Deus, quàm noſtris virtutibus honoretur.

In 4. parte, Sabbato Hebdom. 19.

PLVRA vide in 4. parte, Dominica 16. ad hæc eadem quæ recurrunt Domini verba: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.* Vbi quæ ad Humilitatis Commendationem faciunt, potiſſimùm recenſentur, quibus & hæ magis hic opportunæ poſſunt adjungi Veritates:

Ne dicas, ſufficiens mihi ſum.

Grande malum propria voluntas, quæ ſe in bono bene faciendo non ſinit dirigi.

In 1. parte, Feria 4. & 5. Hebdom. 3. poſt Epiphan.

Humilitati tuendæ tutius eſt, vix de ſe loqui, quàm vel humiliter loqui.

In 2. parte, Sabbato Hebdom. 1. poſt Octau. Paſcha.

Charitas non quærendo ſua, melius inuenit quàm ſi quæreret: Tanto ditior, quanto pauperior.

Si charitas cogitaret de aliis malum, malum de charitate cogitari poſſet.

In 2. parte, Fer. 2. & 4. Hebdom. 3. poſt Paſcha.

Quæ autem ex Publicano pœnitente, ad pœnitentiæ partes

Digitized by Google

Contritionem & Confeſſionem referri debent, vide paſſim in ſingulis partibus, ac præſertim in prima, in Aduentu, Dominica 4. & Hebdomada 3. poſt Epiphaniam. Item in 2. parte, Feria 6. & Sabbato Hebdom. 1. in Quadrageſima. Necnon in proximè ſequenti Hebdomada vbi pro Miſſionibus de peccato, & de pœnitentia.

HAC HEBDOMADA, Cùm ſuos Chriſtus Apoſtolos deſtinaret mittere in vicos & ciuitates, Euangelizandi gratia; perquàm aptis eos inſtruit Documentis, ex quibus Conſiderationes & Veritates eruentur non modo Miſſionariis accommodæ; ſed & aliis quibuſcumque perſonis, vt de ſuo conferant ad hoc Diuinum opus promouendum, & ad ſalutem proximi, quoquo modo procurandam.

FERIA SECVNDA.

DE ORATIONE QVAM EXIGIT CHRISTVS DOMINVS VT MITTANTVR OPERARII IN MESSEM.

Meſſis quidem multa, operarij autem pauci; Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Matth. 9.

VERITAS PRACTICA.

Sic pium eſt orare Deum pro ſalute proximi, vt ſit impium non orare.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia impium eſt, denegare alteri beneficium quod ei facilè conferre poſſis, in ipſius graui neceſſitate.*

Sed niſi Deum ores pro ſalute proximi, denegas alteri beneficium in ipſius graui neceſſitate, quod ei facilè conferre poſſis.

Ergo impium eſt non orare Deum pro ſalute proximi; Ac proinde rogandus Dominus meſſis, non modo vt mittat operarios in meſſem ſuam, ſed vt ipſi efficaciter operentur.

I. PVNCTVM.

ANTEQVAM de Miſſione Apoſtolorum ageret ſanctus Euangeliſta, præmiſit hæc verba de Domino IESV valde obſeruanda: *Et circuibat IESVS omnes ciuitates & caſtella docens in Synagogis eorum & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem Infirmitatem. Videns autem turbas miſertus eſt eis; quia erant vexati & iacentes, ſicut oues non habentes Paſtorem. Tunc dicit Diſcipulis, Meſſis quidem multa, operarij autem pauci; Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* *Matth. 9.*

Obſerua igitur & attente conſidera vt ipſe Dominus ſuo exemplo Miſſiones inſtituit; Vide quo zelo & ardore circumquaque fertur ad ſaluandas animas! Qua commiſeratione tangitur! Quàm multa meſſis! Quàm pauci operarij! Quàm iure merito à nobis exigat vt rogemus Dominum meſſis! Quàm id iuſtum & pium ſit nos Eum orare vel vt mittat operarios in meſſem, vel vt benedicat eorum operi, vel tandem quo ipſe nouit modo, ſaluti proximorum prouideat! Quàm è contra impium, crudele, & barbarum, non orare Deum pro ſalute proximi. Quod quidem præ aliis conſiderandis videtur magis expendendum ad finem nobis propoſitum de orando Deo. Licet enim conſideratio pietatis quæ exercetur in tali oratione nos ad eam mouere poſſit, tamen quando ſola conſideratur virtus aut opus bonum ex conſilio tantùm faciendum, non ita ſolent omnes permoueri ad agendum, quam quando proponitur vitium oppoſitum quod incurras niſi virtutem exerceas. Non eſt enim omnis actus virtutis ita imperatus, ſicut omne vitium eſt vetitum: neque ſemper ex omiſſione virtutis cuiuſlibet, ſequitur vitium. At vero in hac præſenti materia verè

Digitized by Google

dici poteſt, *Quod ſic pium eſt orare Deum pro ſalute proximi, vt ſit impium non orare*; Quamobrem id diligentius attentendum.

Ratio autem quæ affertur hæc eſt, quod ſi graui aliqua in neceſſitate proximus tua egeat opera quam ei commodè conferre poſſis & abſque vllo tuo damno & detrimento; neque tamen ei conferas vllo modo, nihil ſubſidij, nihil auxilij feras, nonne hoc impium, ne dicam ferum & barbarũ iudicetur ab omnibus? Nonne teipſum tui puderet in tãta immanitate animi? Nonne teipſum condemnares? Nam ſi non eſſet grauis neceſſitas, ſi beneficium quod poſtulatur eſſet difficile vel damnoſum, ſi denique aliquod inde incommodum timeretur, eſſet forte quod excuſares; ſed cùm nihil horum occurrat, cùm nihil petatur niſi quod facilè poſſis abſque vlla prorſus vel commoditatum vel otij vel cuiuſlibet rei tuæ iactura, & tamen nolis, certe id ita eſt impium & crudele vt ſi quid Deo de tuis poſtea velles offerre, id abominaretur & exhorreret tamquam odioſum & acerbum. Vnde eſt illud ſacri Prouerbij, *Hoſtiæ impiorum abominabiles*, Et hanc præcipuam afferebat Deus cauſam cur Iudæorum ſacrificia & ieiunia non acceptaret, quia *non ſubueniebant oppreſſo, non iudicabant pupillo, non defendebant viduam, non liberabant captiuos*. Illudque vnum erit quod Chriſtus Iudex exagitabit acrius: *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis*. Nonne hoc eſſet impium ſic negauiſſe Chriſto?

Prou. 21. *Iſ. 1. & 58.* *Matth. 25.*

II. PVNCTVM.

SED *niſi ores Deum pro ſalute proximi, denegas ei operam vel beneficium in ſua graui neceſſitate quod ei facilè conferre poſſis.*

Tria ſunt diſtinctè perpendenda. Primum, quotquot in peccato mortali exiſtunt, eos in graui eſſe neceſſitate; quàm vero multi ſint an ignoras? Secundum eſt, nihil ad eorum ſubſidium æquè valere atque orationem. *Manent tria hæc*, inquit ſanctus Bernardus, *Verbum, Exemplum, Oratio, MAIOR AVTEM HIS EST ORATIO*. Tertium denique nihil facilius, nullus hic labor, nullæ expenſæ, nullum detrimentum; Imo quàm plurimum inde proficies; Nam *benefacit animæ ſuæ vir miſericors*, inquit Sapiens; Vnde illud reſtat quod niſi ores pro ſalute proximi, beneficium ei deneges, in ipſius graui neceſſitate, quod ei facile ac com-

Ep. 201. *Prou. 11.*

Digitized by Google

modo etiam tuo conferre poſſis. Nonne hoc eſt de quo Deus expoſtulans, *Non aſcendiſtis*, inquit, *ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Quaſi diceret, non adjuuiſtis orationibus veſtris populum quo tempore ijs maximè indigebat. Et rurſum: *Et quæſiui de eis virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni.* Grauiſſima certe expoſtulatio! Ezech. 13. Ibid. 22.

III. PVNCTVM.

SIC *ergo pium eſt orare Deum pro ſalute proximi, vt ſit impium non orare*; Cum ſic videlicet denegetur beneficium proximo in ſua graui neceſſitate quod ei commode præſtare poſſis & debeas. Nam ſi verum id eſt de aliqua neceſſitate corporis, quantò id magis de anima, cùm præcipue Deus & Chriſtus Dominus id à nobis tantopere exigant; & plerumque in hoc negotio magis deferant orationi quam operi? *Orate pro inuicem vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio Iuſti aſſidua.* Vnde & Apoſtolus, *Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & per Charitatem ſancti Spiritus, vt adjuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* Itemque alibi: *adjuuantibus & vobis in oratione pro nobis*, Rurſumque apertius, *Vigilantes*, inquit, *in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij pro quo legatione fungor in catena, itaut in ipſo audeam prout oportet me loqui.* Iac. 5. Rom. 15. 2. Cor. 1. Ephes. 6.

Quod ſi in Apoſtòlo, viro illo ad Euangelij prædicationem diuinitùs ſegregato, tantum prodeſſe poſſet oratio quantum ipſe teſtatur, quid de aliis Operariis longe inferioribus dicendum erit? Et vero ſi tantæ eſt efficaciæ & neceſſitatis oratio, tu qui illam poſſis præſtare commode, non præſtabis? An laboranti Apoſtolo, & petenti fruſtum panis, denegares? En prope tibi & procul Apoſtolici viri laborãtes in vinea & meſſe Domini, orationem tuam poſtulant, vrgent, & ambiunt; tu obſurdeſces? *Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, ipſe clamabit & non exaudietur. OBSECRO Domine mitte quem miſſurus es.* Prou. 21. Exod. 4.

Miſerere noſtri Deus omnium, & reſpice nos, & oſtende nobis lumen miſerationum tuarum, & immitte timorem tuum ſuper gentes, quæ non exquiſierunt te: vt cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu. Innoua ſigna, & Eccleſi. 36.

Digitized by Google

immuta mirabilia. Glorifica manum & brachium dextrum. Suſcita prædicationes quas locuti ſunt in nomine tuo Prophetæ priores. Vide reliqua Eccleſiaſtici, notato capite. Videri & poſſunt quæcumque de zelo alibi vel de oratione habentur. Sed magis eſſet videndum quid abs te deſideretur in hac parte: quàm te parùm tangat ſalus proximi, quàm paucas & frigidas propterea fundas preces: quid deinceps feruentius & efficacius? *Loquar in amaritudine animæ meæ.* Ier. 10.

FERIA TERTIA.

DE DISCRETIONE ADHIBENDA IVVANDO PROXIMO, ET SALVTI ANIMARVM PROCVRANDAE;

Ad hæc Chriſti Domini Verba:

In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potius ite ad oues quæ perierunt, domus Iſrael. Matth. 10.

VERITAS PRACTICA.

Non plus vltrà.

SENSVS EST, Hanc eſſe diſcretionem adhibendam iuuando proximo, vt præſcripti tui officij limites numquam prætergrediaris, neque magis vltra debitum audeas, quàm ne citra deficias.

RATIO EST, Quia in iuuandis proximis maximè eſt ſpectandus ordo Diuinæ prouidentiæ.

Digitized by Google

Sed hic ordo æquè exigit, vt ne plus vltra excedas quàm ne citra deficias.

Ergo non plus vltra. Quod quouſque ſe extendat, & quanta ſit dignum cautione, diligenter indagandum.

I. PVNCTVM.

ET conuocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum vt ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Math. 10. Cumque illos iam iam miſſurus eſſet, præcepit eis dicens, *In viam gentium ne abieritis & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potius ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum Cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate.* Et quæ plura habentur: In quibus illud magis mirum quod vetet adiri Gentes ſeu Infideles & Samaritanos. *Ne* videlicet vt ait ſanctus Hieronymus, *Iudæi dicerent ſe non recepiſſe Dominum, quod Apoſtolos ad gentes miſerit*; Vel, ſicut ait ſanctus Hilarius, *Vt minor excuſatio Iudæis eſſet qui plus ſedulitatis in admonitione ſenſerunt, & ab eis repulſi Apoſtoli, ordine ad gentium vocationem tranſirent, ſicut poſtea illis aperte ſignificarunt; vobis opertebat primùm loqui Verbum Dei; ſed* Act. 13. *quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.*

Sicut ergo non minùs peccaſſent Apoſtoli, ſi quod illis erat vetitum, attentaſſent, atque ſi non effeciſſent quod erat iuſſum; ſic vniuerſim inde diſcimus Diſcretionem hanc adhibendam eſſe iuuando proximo & ſaluti animorum procurandæ: Vt ne vltra quod ſibi eſt ordinatum quiſquam magis audeat, quàm meritò timere debet ne citra debitum officij declinet & deficiat: ſed ſuos intra fines accepti muneris ſe vnuſquiſque contineat.

Ratio eſt tanto efficacior, quantò eſt generalius & certius principium cui innititur de Diuina Prouidentia cuius ſtatutum ordinem hîc præcipue ſpectandum monet & demonſtrat. Spectandus quidem eſt vbique ſemper hic Diuinus ordo, ſed illic præcipue obſeruandus vbi magis elucet; elucet verò præcipue in negotiatione ſalutis alienæ, quæ tam pene varia eſt & diuerſa quàm ſunt diuerſi homines quorum ſalutem negotieris. Tametſi enim *Deus vult om-* 1. Tim. 2.

Digitized by Google

nes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire: Non tamen eodem tempore, non iiſdem modis & mediis, non per eaſdem perſonas & gratias; ſed tanta eſt non modo diuerſitas, verum & inæqualitas Gratiarum; vt licet omnes homines ſint dilecti, alij tamen
Ephes. 1. præ aliis electi dicantur ad Gratiam & Gloriam, *ſecundum beneplacitum & propoſitum eius qui operatur omnia, ſecundum conſilium volunta-*
Is. 5. *tis ſuæ,* vt ait Apoſtolus. *Paſcentur agni iuxta ordinem ſuum,* & præcinebat Iſaias, & Paſtor ipſe de ſuis onibus, *Cognoſco meas,* inquit,
Ioan. 10. *& cognoſcunt me meæ.* VOS *non creditis quia non eſtis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt & ego cognoſco eas & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.*

Sed quænam illæ ſunt oues? Quænam illa vox Chriſti quam audiunt, quandonam & per quos auditur? Cur in ciuitate Corozain, cur in Betſaida, vel in Capharnaum prędicatur à Domino; &
Matth. 11 nullus eſt prædicationis fructus: In Tyro ac Sidone non prædica-
Act. 16. tur, vbi fructus extitiſſet? Quid quod Paulus & Silas, *vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia; & cum tentarent ire in Bithyniam, non permiſit eos ſpiritus IESV, ſed in Macedoniam potius tranſire voluit?*

Secreta ſunt, Myſteria ſunt, Sacramenta ſunt, interno mentis cultu potius adoranda, quàm vlla rationis indagine perueſtiganda. Satis id nobis ſit ſcire, quod ſapienter obſeruat Eſtius in
Matth. 11. ſuis commentariis ad Verba Chriſti, *Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes. DEVM non ſolùm eſſe Authorem actionis ſiue effectus qui ex prædicatione prouenit, ſed & omnium mediorum, & actionum intermediarum quibuſcumque voluerit vti, ſeu quæcumque voluerit adhibere: Cur autem illas potius quam alias, aut cur illic & non alibi, hoc*
Rom. 11. *vnum cum Apoſtolo reſpondendum eſt: O altitudo diuitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt Iudicia eius! Et inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?*

II. PVNCTVM.

S*ED Diuinus & arcanus hic ordo æquè exigit vt ne plus vltra excedas, quàm ne citra deficias.*

Nam cùm Diuinæ Gratiæ, quæ ad iuuandum proximum ſunt neceſſariæ, non diſiungantur ab illo quem ſtatuit Deus ordine, quid

Digitized by Google

quid facies ſi vltra ordinem perrexeris? Quid facies ſine Diuina gratia? Quid facies ſine illo qui dixit, *Sine me nihil poteſtis facere? CVR tranſgredimini verbum Domini quod vobis non cedet in proſperum?* Ioan. 15.
Nolite aſcendere, dicebat Moſes ijs qui cùm defeciſſent citra debitum officij, volebant vltra progredi; *Nolite*, inquit, *aſcendere, non enim eſt Dominus vobiſcum, ne corruatis coram Inimicis veſtris.* Sic erat diuina lege cautum: *Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei, interficietur.* Sic ipſe Deus ſæpiſſime contra tales inuehitur: *Non mittebam & ipſi currebant; Non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Quod quam ſit noxium, apparuit in illis ſacerdotibus, qui ſicut Machabæi militare voluerunt, cùm ſicut illi ad militiam non eſſent à Deo deſtinati. *Et fugati ſunt*, inquit Scriptura, *exiſtimantes ſe fortiter facturos. Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſrael. In die illa ceciderunt ſacerdotes in bello dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium.* Hoc erat vltra progredi; hoc erat æquè contra Diuinum peccare ordinem, quàm ſi Machabæi diuinitus ordinati ad præliandum, non eſſent præliati.

Num. 14. Deut. 18. Ier. 23. Macch. 5.

Hinc apte Sapiens, *Noli eſſe Iuſtus multum*, id eſt nimis, *neque plus ſapias quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Quod fusè Apoſtolus proſequitur, vt iam alibi eſt declaratum: *Dico enim per Gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes.*

Eccl. 7. Rom. 12.

Quod & in alio loco repetens, ſic apte ad rem noſtram: *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore, ſicut voluit; quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus?* Quaſi diceret, ſicut præclarus ille ordo quem Deus in humano corpore poſuit peruerteretur ſi quod eius membrum alterius membri munus obiret: ita planè ſi quis in myſtico Chriſti corpore quod eſt Eccleſia ſi quis pluſquam debet, velit operari, confundet ordinem & confundetur. Quod & egregie ſanctus Gregorius, vt in prima parte eſt obſeruatum, Vnde quæ hic deſunt potes repetere, & quæ illic deſiderantur, poſſunt hinc ſuppleri. *Quid ſancta*, inquit,

1. Cor. 12. In Commun. Confeſſ. Pontificum.

Digitized by Google

l. 28. Mor. c. 11. *Eccleſia niſi ſuperni ſui capitis corpus eſt, in qua alius alta videndo, oculus; alius recta operando, manus; alius ad injuncta diſcurrendo, pes; alius præceptorum vocem intelligendo, auris; alius malorum fetorem, bonorumque fragrantiam diſcernendo, naris eſt. Quis corporalium more membrorum dum viciſſim ſibi accepta officia impendunt vnum de ſemetipſis omnibus corpus reddunt.* Et poſt pauca: *Sed cùm miro conſilio Auctor & diſpoſitor noſter huic illa largitur quæ alij denegat: alij hæc denegat quæ illi largitur, menſuras ſibi poſitas egredi nititur quiſquis poſſe pluſquam acceperit, conatur: vt fortaſſe is cui tantummodò datum eſt præceptorum occulta diſſerere, tentet etiam miraculis coruſcare: aut is quem ſupernæ virtutis donum ad ſola miracula roborat, etiam diuinæ legis pandere occulta contendat. IN PRAECIPITIO enim pedem porrigit qui menſurarum ſuarum limitem non attendit. Et plerumque amittit & quod poterat qui audacter ea ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc bene miniſteriis vtimur, cùm ſua eis officia diſtinctè ſeruamus. Lucem quippe oculis cernimus: vocem vero auribus audimus. Si quis autem mutato ordine voci oculos, luci aures accommodet, huic incaſſum vtraque patent.* Et quæ ibi fuſius preſequitur.

Satis hinc aperta propoſitio: & ſatis apertum eſt quàm multa moliatur ambitio in animis noſtris, quæ nos vlterius promoueant contra hunc diuinum ordinem. Num. 16. *Cur eleuamini ſuper populum Domini?* Pſ. 72. *DEIECISTI eos dùm alleuarentur.*

III. PVNCTVM.

NE *plus ergo vltrà.* Ne plus vltra audeamus in iuuandis proximis, quàm ne citra debitum deficiamus; Quia hic maxime ſpectandus ordo Diuinæ Prouidentiæ, qui æque violatur ſi pluſquam diſponat audeas, atque ſi minus agas quàm ſtatuat, Eccleſ. 29. *Recupera proximum*, inquit Sapiens, *ſecundum virtutem tuam, & attende ne incidas.* Incides ſcilicet ſi plus attentes quàm virtus tua vel officium tuum patiatur.

Legiſtine aliquandò apud Iobum quid turgidus & inſolens Eliu de ſe prædicet? Iob. 32. *Plenus*, inquit, *ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Loquar & reſpirabo paululum; aperiam labia mea, & reſpondebo.* Sic ſe Iuniores quidam non vocati temerè inge-

Digitized by Google

runt ad Concionandum: quibus & illud Pſalmi conueniat: *Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt ſibi ſermonem nequam.* Pſ. 63.

Sed quàm pauendum illud quod in actis Apoſtolorum narratur; *Tentauerunt quidam inuocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini IESV, dicentes: adjuro vos per IESVM quem Paulus prædicat. Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis: IESVM noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis! Et inſiliens in eos homo in quo erat Dæmonium peſſimum, & dominatus amborum inualuit contra eos, itaut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Hoc illis ſcilicet accidit vt qui à Spiritu ſancto regi ordinate nolunt: à malo inordinate rapiantur & male pereant. *Prudentiæ tuæ pone modum.* Rationabile ſit ſemper obſequium tuum. *Altiora ne quæſieris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* NEC *infra*, vt ait ſanctus Gregorius, *minima negligens deficias, nec vltra, maxima ſuperbiens tendas: nec minus coneris explere quam ſufficit, nec plus arripias quàm accepiſti: ne aut ad menſuram quam debes, non peruenias: aut eandem menſuram deſerens, extra limitem cadas. Anguſta quippe porta eſt quæ ducit ad vitam: & ille hanc ingreditur qui in cunctis quæ agit, diſcretionis ſubtilitate, propter hanc ſolicitè coarctatur. Nam qui per voluntates proprias ſecura mente ſe dilatat, anguſtæ ſibi portæ aditum damnat.* Quid reſtat quam illud Chriſti probrum: *Vos non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Aduerte diligenter: *& noli altum ſapere.* Act. 19. Pr. 23. Rom 12. Eccleſi. 3. l. 38. Mor. c. 11. Matth. 23. Rom. 11.

Vide in 1. parte, die 31. Decembris. Et in Communi Confeſſorum Pontificum.

FERIA QVARTA.

DE PACE PROCVRANDA CVM SALVTE.

Intrantes in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Matth. 10.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Pax in pugna.

RATIO EST, Quia pax eſt in ſubordinatione partium.
Sed iſta ſubordinatio non fit niſi pugnando.
Ergo pax in pugna: Quod tamen pauci capiunt.

I. PVNCTVM.

DIVINÆ Sapientiæ Diuina hæc fuit adinuentio, vt cum ſalute proximi promouenda, iungeret pacem. Cùm enim negotium ſalutis ſit valde aſperum & difficile, non poterat illa condiri aſperitas ſuauiori condimento quam pacis, quæ
19. de Ciuit. Dei. c. 11. ab omnibus vniuerſim amatur & colitur. *Tantum eſt pacis bonum,* inquit ſanctus Auguſtinus, *vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil ſoleat gratiùs audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò poſſit melius inueniri.*

Cum verò multiplex ſit genus pacis, totum illud in pugna conſiſtit. Quod certe mirum, cùm potius pax ita videatur repugnare pugnæ vt ſi ſit pugna, tum pax deſit; ſi pax adſit, deſit pugna. Quamobrem eò diligentius reuoluenda eſt Veritas quo magis inuoluta videtur.

Sic autem apertiſſimè & breuiſſimè declaratur: Pax eſt ſubor-
Ibid. c. 13. dinatio partium, quod diſerte ſanctus Auguſtinus exponit de omni genere pacis. *Pax,* inquit, *eſt tranquillitas ordinis: Pax corporis, eſt ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actioniſque conſenſio? Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis & Dei immortalis, ordinata in fide, ſub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. Pax cæleſtis ciuitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Dei, & inuicem in Deo.*

De hac poſtrema pace non eſt hic quæſtio, ſed de aliis ſpe-

Digitized by Google

ciebus quæ ad triplex tantum genus referri poſſunt. Nempe cum Deo; *Pacem habeamus apud Deum per IESVM Chriſtum.* Deinde cum proximo: *Pacem habete inter vos.* Ac denique nobiſcum: *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto IESV.* De qua triplici pace ſic apte & breuiter ſanctus Bernardus, *Quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram, merito in terra homini, non gloria ſed pax eſt quærenda: Pax cum Deo, Pax cum proximo, Pax cum ſeipſo.* Nonne tu vero gloriam magis quam pacem quæris? Quid eſt quod ſæpius tecum & cum proximo turbat pacem, niſi quod quæris gloriam? Itane vero hanc præfers paci? Nil tam aduerſum veræ paci quàm vana gloria, nam cum pax ſit in illa ſubordinatione partium quæ ſupra deſcripta eſt, nil aliud agit gloria quàm rectum inuertere ordinem. *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum.*

Rom. 5. Marci 9. Phil. 4. Serm. 5. in Feſto omn. Sanct. Abdias.

II. PVNCTVM.

AT vero iſta ſubordinatio ſeu ordinatiſſima ſubjectio partium, in qua triplex illa pax ſita eſt, non fit niſi pugnando.

Cum enim ſemper naturalis ſit repugnantia noſtri appetitus cum Ratione noſtra, & rationis noſtræ cum rationibus proximi atque ipſius etiam Dei ordinantis quæ nobis difficilia intellectu, & dura operatu videntur; numquam ſubjicietur appetitus rationi aut ratio Deo niſi valide cum Gratia expugnentur. Numquam verò ita expugnantur, vt non ſit ſemper aut ſæpe contra pugnandum, neque enim naturalem difficultatem omnino tollit Gratia; ſed nos iuuat & confortat vt pugnemus & vincamus. Quis enim neget Apoſtolum omni abundaſſe gratia? Quis autem neſciat quantam ſimul difficultatem & repugnantiam ſenſerit, cum ipſe aperte dicat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius! Gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.* Non quidem vt non ſentiat legem illam membrorum repugnantem, neque vt non contra pugnet, ſed potius vt pugnam illam generoſe ſuſcipiat & glorioſè perficiat: Sic enim Ille alibi: *Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum, ſic pugno non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo*

Rom. 7. 1. Cor. 9.

Digitized by Google

corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.

Atque vt omnibus innoteſcat ſic eſſe decertandum, ſic omnes
Coloſſ. 3. adhortatur: *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* Id eſt, quæ terram ſapiunt & non cœlum, quæ deorſum in terrena nos abripiunt & à Diuinis auocant; ſeu *quæ ſunt ſuper terram,* hoc eſt, quandiu terrenum hoc corpus geritis: ſic enim de his & aliis ſimilibus Apoſtoli verbis, ſanctus Auguſtinus: *Milites Chriſtianos Apoſtolica tuba iſto ſonitu accendit in prælium: bellum in quo verſamur, oſtendit; & vt acriter dimicemus, & hoſtes noſtros mortificemus*
l. de Contin. *ne ab eis mortificemur, accendit. Hoſtes autem noſtri opera ſunt carnis quæ ſunt fornicatio, Immunditia, contentiones, æmulationes & ſimilia. In hoc prælio aduerſus carnalem exercitum, velut aliam producens aciem ſpiritualem: fructus Spiritus eſt, inquit, Charitas, Gaudium, Pax, Longanimitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Manſuetudo, Continentia. Hæc eſt actio continentiæ ſi opera carnis mortificentur.*

Hæc ad verbum ſanctus Auguſtinus, qui & paulo ante dixerat quod non eſt omittendum: *Hanc pugnam non experiuntur in ſemetipſis niſi bellatores virtutum, debellatoreſque vitiorum. Non expugnat concupiſcentiæ malum niſi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino neſcientes, malas concupiſcentias nec in hoſtibus deputant, eiſque miſerabili cæcitate ſeruientes, inſuper etiam beatos ſe putant ſatiando eas potius quam domando.* Nonne tu ex iſtis es? An ita pugnas vt domes? Si quid ſit in te repugnans quod non domes, do-
Iud. 5. minatur tui, nec ſatis pugnas. *Ceſſauerunt fortes in Iſraël & quieuerunt*; quiete ſcilicet vitioſa & probroſa.

III. PVNCTVM.

SIC *Pax ergo in pugna*, quatenus ad habendam pacem cum Deo, cum proximo, & nobiſcum, ſubjicienda eſt concupiſcentia Rationi & Ratio Gratiæ: neque perfectè poſſit illa ſubjectio fieri niſi expugnetur inferius quod ſuperiori reſiſtit, & tamdiu expugnetur, quamdiu reſiſtet. Nam ſi reſiſtens non expugnaretur præualeret, & non eſſet vera Pax, non eſſet tranquillitas ordinis, non eſſet ſubordinatio partium, non eſſet inferior ſubordinata
Iſ. 57. ſuperiori: *Non eſt Pax impiis dicit Dominus Deus.*

Atque hinc tria diſces ad Praxim. Primum quòd licet pacis bo-

Digitized by Google

num ſit tam eximium vt ex ſancto Auguſtino & ex ipſo ſenſu percipitur, pauci tamen illud habent quia pauci ſecum pugnant; *Viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Pſ. 13.
Secundum eſt, quod ſi quem doces Pacem, doce illam pugnam ſi- Gal. 2.
ne qua nulla Pax: Doce pugnandi modum ſuauem & fortem *Chriſto confixus ſum cruci.* Tertium vt efficacius docere & perſuadere poſſis, tu ipſe tecum ſic pugna vt quantum fieri poteſt pacem habeas cum omnibus, Pacem ſinceram & ſolidam, Chriſti compage firmatam. *Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*, βραβευέτω Col. 3.
id eſt triumphet, palmam & præmium ferat in pugna. Quaſi diceret, multa quidem occurrent quæ impedient hanc pugnam, ſed bonum pacis præualeat omnibus illis occurrentibus; & ad illud obtinendum bene poſitus pugnæ labor credatur, non modo quia bonum hoc præſtat cæteris temporalibus bonis quæ ab hac pugna nos reuocant; ſed quia bonum eſt ipſius Dei cuius in animis noſtris locus tantum *in pace factus eſt.* Pſ. 75.

Vide in 1. parte, Die 9. Ian. & paſſim Verbo *Pax*, *Libertas*.

FERIA QVINTA.

DE SIMPLICITATE IVNGENDA PRVDENTIAE.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum: Eſtote ergo Prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Matth. 10.

VERITAS PRACTICA.

In ſpirituali pugna fortior eſt Ouis Lupo.

Digitized by Google

SENSVS ET RATIO EST, Quod in ſpirituali pugna quam habemus ineundam cum vitiis & vitioſis, tunc fortiores erimus & ſuperiores ſi Chriſto Duce pugnamus.

Sed ſi oues fuerimus, ſi ouium manſuetudinem imitetur potius quam ferocitatem luporum: tunc Chriſto Dice pugnabimus, nec aliter.

Ergo & tunc apparebit quod in ſpirituali pugna fortior eſt ouis lupo, & columba miluo. Quamobrem hæc induenda eſt armatura manſuetudinis & ſimplicitatis, pugnando contra Lupos, contra mundanos & contra quoſlibet vitioſos.

I. PVNCTVM.

CVM negotium ſalutis æternæ ſit Diuinum potius quàm humanum opus, non eſt mirum ſi documenta inſtruendis Euágelicis Operariis ſint Diuina potius & ſupernaturalia quam humana & naturalia. Quid minus naturale & humanum quam oues in mundum mittere vt adducant & conuertant ad ſe lupos? Sed optimè ſanctus Chryſoſtomus, *Vt intelligant Apoſtoli nouum hoc eſſe belli genus & inſolitum præliandi morem, cùm illos nudos mitteret, vna indutos tunica, ſine calceis, abſque virga, & abſque zona & pera, & ab excipientibus ali iuberet: Non fecit hic dicendi finem, ſed inexplicabilem virtutem ſuam proferens, Etiam ſic euntes, inquit, manſuetudinem tamen ouium oſtendite, quamuis ad lupos ituri, nec ſimpliciter ad lupos, ſed etiam in medio luporum: neque vero ouium tantum manſuetudinem habere iubet, ſed etiam columbæ ſimplicitatem: ſic enim virtutem meam maximè oſtendam, cùm ab ouibus lupi ſuperabuntur: & quamuis illæ ſint in medio luporum, & innumeris morſibus lacerentur, non modò non conſumptæ fuerint, verùm etiam illos in ſui naturam tranſmutauerint. Majus certe atque admirabilius eſt mentem Aduerſariorum commutare, & animum in diuerſum transferre, quàm illos occidere: præſertim cum duodecim tantum eſſent, & lupis plenus eſſet orbis vniuerſus. Erubeſcamus igitur, qui longe diuerſa facientes, tanquam lupi in aduerſarios ruimus. NAM QVAMDIV OVES FVERIMVS, VINCIMVS: etiamſi mille circunſtent lupi,* (Hom. 34. in Matth.)

ſuperamus

Digitized by Google

ſuperamus & victores ſumus: quod ſi lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim à nobis Paſtoris auxilium recedit qui non lupos ſed oues paſcit.

Hæc ad verbum ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, Vnde Veritas modo expendenda & eius declaratio eſt deducta: *In ſpirituali videlicet pugna* quam habemus cum vitiis & vitioſis hominibus *fortior eſt ouis lupo*; Fortior eſt qui pugnando ſe manſuetum exhibet, quam qui ferocem & arrogantem: fortior eſt quam ipſi feroces & ſuperbi quos habet expugnandos & conuertendos.

Ratio eſt manifeſta, quia ille fortior eſt pugnando qui Chriſto Duce & adjutore pugnat: Quid clarius? *Nam ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* Inquit Apoſtolus. Et Propheta egregie: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? Stemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus quis eſt qui condemnet me?* Sic Eliſæus inclamanti ſeruo ad multitudinem hoſtium: *Heu heu heu Domine mi quid faciemus? Noli timere*, inquit, *plures enim nobiſcum ſunt quam cum illis.* Sic dum adſit Chriſtus nobis pugnantibus, Ille vnus pugnam conficiet. Rom. 8. Iſ. 50. 4. Reg. 6.

Veni & vide: *Et vidi*, ait ſanctus Ioannes in Apocalypſi: *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Quod & rurſum illi apparuit. Et quinam eſſet ille Pugnator & Victor manifeſtius declaratum eſt cum vidit cœlum apertum: *Et ecce*, inquit, *equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat.* Nempe Chriſtus Dominus eſt de quo ſic præclare Origenes ad illud Canticorum: *Equitatui Pharaonis aſſimilaui te. EQVVS*, inquit, *& Equitatus Dei & Chriſti, ſunt Apoſtoli, & animæ ſanctæ. Seſſor eſt Verbum Dei, cuius illæ frænum ſuſcipiunt, vt quocumque voluerit flectat eas, itaut ad omnia bona non à ſe, ſed à voluntate Seſſoris ducantur & reducantur, atque à malo refrænentur.* O quàm fœlix tùm pugna, & quam certa Victoria! Dubitaſne Chriſtum poſſe ſi velit, vincere? Dubitaſne velit ſi tecum contra ſuos pugnet hoſtes? *Confidite, ego vici mundum.* Apoc. 6. Ib. 19. Hom. 2. in Cant. Ioan. 16.

II. PVNCTVM.

SED *ſi tamquam ouis pugnando manſuetus fueris, tum Chriſto Duce & adiutore pugnabis.*

Ille eſt enim Paſtor & Dux ouium non luporum, vt iam audiuiſti ex ſancto Ioanne Chryſoſtomo, qui & alias addens rationes ſic Chriſtum ſuis loquentem inducit: *Nolite turbari, ſi cum vos inter lupos mitto, tanquam oues & columbas eſſe iubeo. Nam etſi poſſum contrarium quoque præſtare, & non permittere, vt graue aliquid patiamini, nec lupis tamquam oues ſubjecti ſitis, ſed efficere vt Leonibus terribiliores euadatis, tamen ſic expedit fieri: hoc & vos quoque illuſtriores faciet & meam declarabit virtutem.* (Hom 34. in Matth.)

Sic mulier Debbora dum de hoſtibus populi Dei victoriam reportaſſet: *Noua*, inquit, *bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit.* (Iudicum 5.) Quaſi diceret, nouum hoc eſt bellandi genus & maxime proprium Deo, vt per infirmos & exiguos qualis eſt mulier, debellet ſuos hoſtes. Sic enim magis apparet, ipſum eſſe debellatorem & victorem, atque vni ipſi dandam victoriæ gloriam: Sic Iuditha vt Diuinum ſibi efficacius conciliaret adjutorium contra Holofernem: (Iud. 9.) *Erit*, inquit, *hoc memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ dejecerit eum: non enim in multitudine eſt virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua eſt, nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi: ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Sic Pſaltes Regius poſtquam dixit, *ſuſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores vſque ad terram:* (Pſ. 146.) Mox ſubjungit, *Præcinite Domino in confeſſione, Pſallite Deo noſtro in cythara*; Quaſi diceret, ob hoc vel maximè Deus noſter laudandus eſt quod oues eligat vt ſuperet lupos, quod manſuetos ſuſcipiat vt humiliet ſuperbos & peccatores.

Denique ſicut vniuerſim dicitur idcirco Dominum elegiſſe piſcatores & ignaros qui Euangelium prædicarent, vt virtus inde Diuina magis innoteſceret; ſic & eoſdem vult manſuetos & ſimplices non feroces & potentes potentia ſæculari, vt ſic ipſe magis appareat in illis pugnare & vincere qui mundum *non ferro ſed ligno vicit.* *ADVERTE*, inquit ſanctus Ambroſius, (In caput 6. Luc.) *cæleſte conſilium: non Sapientes aliquos, non diuites, non nobiles: ſed piſcatores & publicanos quos dirigeret, elegit, ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentiæ nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, vt Veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret.*

Nonne hoc cœleſte probas conſilium? Nonne huic velles inſeruire? Nonne Domino potius quam tibi velles referri ſi quid

à te in proximum fructuoſe fieret? An vero ſimplex mauis haberi quàm ingenioſus & doctus? Attende quid reſpondeas: & quid dixerit Sapiens in Prouerbiis: *Superbus & arrogans vocatur indoctus.* Prou. 21.

III. PVNCTVM.

SIC *igitur in ſpirituali pugna fortior eſt ouis lupo:* Sic Euangelici operarij agentes cum mundanis facilius eos ſuperabunt & conuertent, ſi manſueti & humiles fuerint, quam ſi ſcientia vel authoritate tumentes neſcio quid faſtuoſum præ ſe ferant. Nam præterquam quod ipſis mundanis hoc odioſum eſt, longe id etiam alienum à Chriſto qui mites beatos prædicat, *Quia poſſidebunt terram*, Id eſt, vt multi interpretantur, ipſos homines quibuſcum agent lucrabuntur, quod & Propheta dixerat; *Manſueti hæreditabunt terram & delectabuntur in multitudine pacis.* Et Sapiens, *Fili in manſuetudine opera tua perfice & ſuper hominum gloriam diligeris.* Vnde apte ſanctus Ioannes Chryſoſtomus: *Neque contumelia affecti feroces ſimus, etiamſi contemptiores & pauperiores nobis ſint qui nobiſcum contendunt; ſed manſuetudine furorem comprimamus; nihil enim illa potentius, nihil illa fortius.* Matth. 5. Pſ. 36. Pr. 3. Hom. 34. in Gen.

Quod & alibi confirmans Apoſtolorum exemplo; *Si rebus ipſis*, inquit, *id ita fieri, videre deſideras, lege actuum Apoſtolorum librum; perſpicies profecto, cum ſæpe Iudæorum populus in Apoſtolos inſurrexerit, ac dentes exacuerit, illos columbæ ſimplicitatem imitando & cum decenti modeſtia reſpondendo, iram ipſorum ſuperaſſe, furorem extinxiſſe, impetum retardaſſe. Nam cum illi dicerent, Nonne præcepiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto? Quamuis innumera poſſent edere miracula, nihil tamen aſperum neque dixerunt, neque fecerunt, ſed ſumma cum manſuetudine reſpondentes dicebant, ſi iuſtum eſt vos audire magis quam Deum, iudicate. Perpexiſti ſimplicitatem columbæ, vide nunc ſerpentis prudentiam: Non enim poſſumus, inquiunt, nos quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* Hom. 34. in Matth.

Sic iungenda ſemper ſimplicitati prudentia, vnde eſt illud ſancti Hieronymi ſcitè dictum; *Habeto ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos; & ſerpentis aſtutiam ne aliorum ſupplanteris inſidiis. Non multum diſtat in vitio, vel decipere poſſe, vel decipi Chriſtianum.* Velleſne decipi & illudi? Nonne hoc quantum

Digitized by Google

potes, caues? Et vero etiam vide ne decipias. Si ſola fuerit prudentia ſine ſimplicitate rationabili, primò te decipiet: deinde tu alios, nam eris alioquin callidus, eris verſutus, eris hypocrita. Numquid hoc eſt decipere?

Vide in 1. parte, die 30. Decembris, Vbi hæc Sapientis declaratur Sententia. *Abominatio Domini eſt omnis Illuſor: & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* *Prou. 3.*

FERIA SEXTA.

DE MAGNANIMITATE MAXIME NECESSARIA OPERARIIS EVANGELICIS:

Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus. Luc. 12.

VERITAS PRACTICA.

In paucis Chriſti verbis ad amicos ſuos, Plus eſt ne terreantur, quàm in cunctis Inimicis, vt ipſos terreant.

Vel ſic:

Plus eſt quod Chriſtus monet ne terreamur, quàm quod mouent Inimici vt nos terreant.

RATIO EST, Quia quod ſpirituale eſt, quod æternum & Diuinum, plus eſt ſeu pluris eſt ducendum, quàm quod temporale eſt, quod caducum & tranſitorium.

Sed quod Chriſtus monet ne terreamur, ſpirituale eſt, æternum

Digitized by Google

eſt & Diuinum : quod vero mouent Inimici vt nos terreant, totum eſt temporale, & tranſitorium.

Ergo plus eſt quod Chriſtus monet ne terreamur, quàm quod mouent Inimici vt nos terreant. Ac proinde erigendus ad Chriſtum Animus contra vanos mundi terrores.

I. PVNCTVM.

QVAM verè Chriſtus ſuos in mundum mitteret ſicut oues in medio luporum, declarauit apertius cùm prædixit illis quanta eſſent perpeſſuri. *Tradent enim vos*, inquit, *in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos : & ad præſides & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis & gentibus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient : & eritis odio omnibus propter nomen meum.* Sed ne propterea terrerentur, hæc addidit. *Dico autem vobis amicis meis : ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis : timete Eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam : Ita dico vobis, hunc timete.* In quibus paucis verbis tam amice, tàm ſuauiter dictis, longe plus erat nè terrerentur Apoſtoli, quàm quidquid mouere poterant Inimici contra ipſos. Quæ certe Veritas ſi attente conſideretur multum valere poteſt apud quoſuis Operarios Euangelicos vt ſint magnanimi & conſtantes in aduerſis quæ nunc etiam illis non deſunt, ſic diſponente Domino vt non aliter Euangelium prædicetur.

Matth. 10.

Luc. 12.

Sic autem euidenter ſuadetur Veritas: quia quod ſpirituale eſt, quod æternum & Diuinum ſeu ad Dei cultum & honorem ſpectans, longe plus eſt & ſemper pluris ducendum vt inde moueamur & excitemur cum Gratia, quàm quod eſt temporale, quod caducum & tranſitorium. Licet enim viſibilia & ſenſibilia nos magis naturaliter moueant quam ſpiritualia & quæ à ſenſibus ſunt remota : ſi Diuina tamen fides accedat, & quæ ſit inter bona vel mala de quibus agitur comparatio, ſi non ex humano ſenſu, ſed ex diuino intellectu velimus inquirere, tantùm æterna temporalibus, & ſpiritualia ſenſibilibus præponderabunt, quantum quod reuera eſt excedit illud quod non ſubſiſtit. *Omnes gentes* *Iſ. 40.*

Digitized by Google

quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo: & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Quantumcumque longe, quantumque læte aut miſere
Pſ. 89. viuant homines & durent viuentia; *Quæ pro nihilo habentur, eorum*
Amos 6. *anni erunt. QVI lætamini in nihilo*, ait Propheta de bonis omni-
2. Macch. 7. bus. De malis vero teſtis ſit ille Machabæus de quo expreſſe ſcribitur *quod tamquam nihilum duceret cruciatus.*

1. Cor. 7. Et hic natiuus ſenſus eſt verborum Apoſtoli: *Qui flent tamquam non flentes: & qui gaudent tamquam non gaudentes: & qui emunt tamquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Quaſi aperte diceret, quæcumque ſunt in hoc mundo ſic æſtimanda ſunt, quaſi non ſint in re, ſed in figura tantum; neque propterea in malis flendum, aut in bonis gaudendum, quia nec verè mala nec vere bona ſunt.
1. Ioan. 5. Quo in ſenſu ſanctus Ioannes: *Omne*, inquit, *quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Id eſt, quando ſpectamus Deum ſeu res diuinas & æternas, tunc nihil plane eſt nobis mundus. Quidquid mundus opponat nobis vel quod alliciat bonum, vel quod nos terreat malum, totum hoc vincimus ſi fide decertamus; nam fides docet totum hoc bonum vel malum nihil eſſe præ Diuinis & æternis. Itane credis?
Hebr. 11. Itane fide decertas! O quam rara, quàm modica talis fides! *Fide muri Iericho corruerunt.* Sic mundana quæque.

II. PVNCTVM.

SED *quod Chriſtus monet ne terreamur; ſpirituale eſt, æternum eſt & Diuinum: quod vero mouent Inimici, totum eſt temporale, caducum & tranſitorium.*

Quando ſola vox Chriſti eſſet, *Ne terreamini*, res diuina eſſet & plus aliquid in illa voce eſſet quam quod omnes Inimici molirentur vt nos metu malorum terrerent, vel malis ipſis afficerent; quia ſolius Chriſti iubentis aut vetantis conſideratio, longe pluris æſtimanda eſſet quàm noſtri corporis, ſeu vitę temporalis ratio, de qua ſola poteſt agi quidquid poſſunt agere & mouere Inimici.

Sunt verò alia ſpiritualia & æterna quæ proponit Chriſtus & quæ opponit bonis vel malis temporalibus, quæ ab aduerſariis poſſunt contingere: *Occident*, inquit, *corpus:* At ſi propterea timetis & deficitis, *Deus perdet corpus & animam in gehennam ignis ſem-*

Digitized by Google

piternam. Confundent vos & pudefacient coram hominibus : *At ego vos erubeſcam & negabo coram Patre & Angelis eius*, ſi me propter confuſionem illam humanam deſeritis. Parentes & amicos objicient quorum vel amore vel timore abducamini ab inſtituto prædicandi opere : At meam oppono amicitiam, meumque odium: meam cognationem, meumque diuortium, vt ſi quid affinitati debetur, reddatur Diuinæ potius quam humanæ : & ſi quid vno verbo ſperatur aut timetur ab hominibus, magis à Deo vel ſperetur vel timeatur, cuius potentia longe eſt major in remunerando vel puniendo quàm in hominibus. *Citò velociter reddam* Ioel 3.
viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum, ait Dominus Deus. Id eſt, illud ipſum quod ſperatis vel timetis in hac vita, ego viciſſim in altera paro vobis quod reddam; ſed tanto grauius, quantum eſt pondus æternitatis præ momentaneo & leui tribulationis humanæ & temporaneæ. Quod optime nouerat ſapientiſſimus ille inter Iudæos Senex qui ne aliquid contra religionem admitteret, *Etſi in præſenti tempore*, inquit, *ſuppliciis hominum eripiar, ſed ma-* 2. Macch. 6.
num Omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam. Sic ſapiendum, ſic loquendum eſſet.

III. PVNCTVM.

P*LVS eſt ergo quod Chriſtus monet, paucis ad amicos verbis, ne terreantur, quàm quod omnes mouent Inimici vt ipſos terreant.* Nam quod ſpirituale eſt quodue attingit animam, plus eſt quam quod ſpectat ſolum corpus; & quod æternum ac Diuinum eſt, longe ante illud quod ſolum eſt temporale & humanum, duci debet. Quid eſt autem quod proponunt aduerſarij ſiue vt blandiantur ſiue vt terreant, quid eſt aliud quàm temporale aliquid, quàm caducum & euanidium gaudium aut cito deſiturum tormentum? Quid vero Chriſtus opponit niſi quod ſempiternum, niſi quod ipſius animæ bonum vel malum ſpectet in omnem æternitatem? *Ne ergo*, inquit, *timueritis eos : nihil enim eſt opertum quod non re-* Matth. 10.
uelabitur : & occultum quod non ſcietur : Id eſt, vt interpretatur ſanctus Hilarius, *licet modo non appareat quod dico, apparebit tamen ſuo tempore, & tùm videbitur quam nulla & inania fuerint quæ con-* Matth. 24.
tra fiunt aut dicuntur. Sic ſæpe aliàs, *Videte ne turbemini. Nolite* Luc. 21.
terreri; Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Cui & cohærenter Ioan. 14.

Phil. 1. Apoſtolus. *Tantum digne Euangelio Chriſti conuerſamini : Collaborantes fidei Euangelij, & in nullo terreamini ab aduerſariis : quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis.*

Non prohibetur ſenſus timoris qui non eſt in noſtra poteſtate, ſed ne vltra ſenſum timor abeat, ne quid in nobis efficiat quod fidelitati miniſterij noſtri aduerſetur, ne deſiſtamus propterea conuertendis animabus, fidei propagandæ, & Veritati propugnandæ. Vel ne timeamus omnino, vel magis timeamus Deum quàm homines, & bono timore malum expellamus vt ait Sapiens : *Qui timet Dominum nihil trepidabit & non pauebit. HOC vnum timeamus,* aiunt Sancti, *ne quid vehementius quàm Deum timeamus.* Hoc vnum in malis timendum eſt, *ipſe malorum timor.* Et qui nimis humana timet mala, non ſatis timet, quia non timet Diuina & æterna quæ longe magis timenda ſunt.

Eccleſi. 34. Greg Nyſſen.

Quod præclare admodum & ſentiebat & loquebatur ſanctus Franciſcus Xauerius, qui literis ad Prouincialem Luſitaniæ datis ſcribit in hæc verba de ſuo in Iaponiam itinere : *Obſtupeſcunt ſtudioſi mei omnes, & amici, quòd tam longinquum ac periculoſum ſuſcipere iter non verear. Multa mihi tempeſtatum, Syrtium, Piratarum pericula proponunt. Cæterum haud paulò magis ego illos inuicem obſtupeſco quod tam exiguam habeant Dei fiduciam cuius illa omnia in ditione ſunt, & poteſtate. Equidem cùm Dei nutu atque imperio omnia gubernari certo ſciam,* NIHIL OMNINO METVO PRÆTER IPSVM DEVM; *Ne ſcilicet de mea in ſuo obſequio, religioniſque ſtudio, negligentia inertiaque meritas exigat pœnas. Quocirca reliquos terrores, diſcrimina, ærumnas, cruces, nihil admodum pertimeſco. Vnum quippe timeo rerum omnium effectorem ac moderatorem Deum : quod res cæteræ, quamuis noxiæ, non niſi quatenus ille ſinit, nocere hominibus queant.* Et rurſum vbi agit de ſua in Sinas expeditione, poſt multa de vtriſque periculis & corporis & animi : ſic concludit, *Quocirca cùm hæc animi pericula longe majora corporis periculis iudicemus, ſatius ac tutius eſſe ducimus per vitæ diſcrimina perrumpere, quam in diſcrimen adducere animi ſalutem. Omnino deliberatum eſt mihi in ſinas, Deo fauente, inuitis eius hoſtibus, penetrare : Nam ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Magnum omnino adimus periculum; ſi nihil aliud, perpetuæ ſeruitutis. Verumtamen hæc me cogitatio conſolatur, ſatius eſſe Dei cauſa ſeruitutem ſeruire, quàm crucis fuga, perfrui libertate.*

Turſell l. 6. c. 9.

Ibid.

Ad

Ad hæc quid dices qui metu vel vnius aſperioris Verbi aut repulſæ ferendæ non audes cum peccatore congredi ? Non audes manifeſte peccantem arguere, vel clàm monere ne peccet. *Væ diſſolutis corde! Væ mihi quia tacui! Væ mihi eſt ſi non Euangelizauero.* Eccleſi. 2. Iſaia 6. 1. Cor. 9.
Vide Paſſim vbi de Fortitudine.

SABBATO.

DE MALA PACE QVAM CHRISTVS SVIS VETAT.

Nolite arbitrari quia Pacem venerim mittere in terram; non veni Pacem mittere ſed gladium. **Matth. 10.**

VERITAS PRACTICA.

Optabilius eſt bonum Bellum quàm mala Pax.

R*ATIO HÆC EST præter alias, quia optabilius eſt bellum habere cum hominibus quam cum Deo; aut pacem cum Deo habere, quàm cum hominibus.*

Sed bonum bellum, bellum eſt cum hominibus, & Pax cum Deo: Mala vero Pax, Pax eſt cum hominibus, & bellum cum Deo; optabilius ergo eſt bonum bellum quam mala Pax. Quod tamen in Praxi eſt rarum.

I. PVNCTVM.

TANTA res eſt, ſalus animæ, ſeu ſalutis promouendæ negotium, vt nullis obſtaculis retardari, nullis conſiderationibus impediri ſuos velit Dominus, quin ſemper quantum in ipſis erit, opus Domini operentur. Opponet ſe illis qui-

Digitized by Google

dem Mundus, ſed mundo reſiſtant oportet, & cùm duobus præcipuè modis ſeſe mundus opponat, terrore ſcilicet & blanditiis, ſeu metu pœnarum & affectu cognationis; contra vtrumque oppoſitionis genus ſic ſuos inſtruit vt poſtquam de tolerandis malis egit, ſtatim de blanditiis ſuperandis tractet; *Nolite arbitrari,* inquit, *quia Pacem venerim mittere in terram: non veni in Pacem mittere ſed gladium: veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Suntque alia plura in hanc ſententiam quæ pergit Dominus, quaſi diceret ſuis Euangelicis Operariis, Cùm prædicando Euangelium videbitis Conciues, amicos, parentes & alios cognatione ſeu amicitia iunctos diſſidere à vobis, vel inter ſe pugnare propter Euangelij prædicationem, Vos, ne deſiſtatis ab opere & munere veſtro; licet offendantur, licet amicitiam & pacem quæ inter vos inerat, ſoluant, & in odium vertant; Melius eſt tale odium quam mala hæc amicitia, Melius eſt bonum bellum quam mala Pax; Non eſt iſta Pax quam veni mittere in terram, cum potius attulerim gladium quo diſcindantur iſtæ amicitiæ & illa fœdera quæ ſeſe opponunt Euangelio. Sic interlinearis gloſſa, *Non ad hoc*, inquit, *inter homines veni vt carnales affectus confirmem, ſed ſpirituali gladio diſſociem*; Et ſanctus Hieronymus, *Miſſum eſt bonum bellum vt rumperetur Pax mala,* Pax illa ſcilicet quæ vel à prædicando vel à credendo impediret & quæ idcirco dicitur mala quod tale bonum impediat.

Salutare profecto Monitum & quod extendi vlterius poteſt ad Debitum correctionis fraternæ perſoluendum. Sunt enim multi qui quos peccare vident, non audent arguere vel monere, ne pacem inter ſe turbent, maluntque eos in ſuis vitiis relinquere, vt ſe in pace conſeruent, quàm ſi vitia corripiant, bellum quodammodo domi gerant: Sed audiant illi Chriſtum Dominum, *Non veni Pacem mittere ſed gladium*; Audiant & conſiderent Veritatem propoſitam: *Optabilius eſt bonum bellum, quàm illa mala Pax.* Non eſt quidem optandum bellum, & ſi fieri poteſt Pax cum omnibus eſt habenda, ſed ſi non poteſt licite fieri, magis optandum bellum tamquam quid melius quàm mala Pax.

Ratio eſt euidentiſſima quoad primam illam partem qua di-

Digitized by Google

citur melius eſſe bellum quod haberi poteſt cum hominibus quam cum Deo : & meliorem illam pacem quæ habetur cum Deo quam quæ haberetur tantum cum hominibus , cum præjudicio pacis Diuinæ. Hoc enim perinde eſt ac dicere, melius eſt offendere homines, ſiue illorum incurrere offenſionem ſine vlla culpa noſtra, quàm culpam aliquam admittere qua quidem euitaretur offenſio hominum, ſed Diuina incurreretur offenſa. Quis autem de hac propoſitione dubitare poſſit? Quis Chriſtianus neſciat, ne veniale quidem peccatum conſideratione omnium omnino hominum fas eſſe perpetrare? Quis neſciat illud Eccleſiaſtici, *Ne accipias perſonam vt delinquas:* Atque illud eiuſdem, *Quid eſt homo, & quæ eſt gratia illius? Et quid eſt bonum, aut quid nequam illius?* Si videlicet comparetur cum Deo. O quam ſapienter Apoſtoli, Principibus ſacerdotum ſe perſequentibus: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate:* Quaſi dicerent, licet recuſari poſſet veſtrum iudicium, quia de vobis agitur: tamen res ita eſt euidens quod Deo potius quam vobis parere debeamus, vt veſtram de hac veritate ſententiam non recuſemus. Tune contrà ſentire velles? Eccli. 42. & 18. Act. 4.

II. PVNCTVM.

SED *bonum bellum, bellum eſt cum hominibus, & Pax cum Deo: Mala vero Pax, Pax eſt cum hominibus & bellum cum Deo.*

Fieri quidem poteſt correptio ſeu admonitio cum aliqua culpa ſi non ſeruentur prudentiæ leges & circumſtantiæ; ſed ſupponimus debite fieri, & bene correptum, malè inſurgere & infrendere in Corripientem; *Non enim amat peſtilens eum qui ſe corripit*; Tunc ſicut in eo qui corripitur malum eſt culpæ, ſic in eo qui corripit de quo hic præcipue agitur, malum eſt aliquod pœnæ quod dicitur bellum ſeu pugna & diſſidium: ſed bonum eſt bellum quia ex bona ſuſceptum eſt cauſa, nempe ex Charitate, ex zelo, ex fidelitate quam debet ſuo muneri & officio qui ſubditum corripit aut alium ſibi commiſſum: qua in debita fidelitate Pax cum Deo ſeruatur, quia ſic Ille iubet, ſic illi obeditur quando præceptum de correctione ſeruatur. Prov. 15.

At vero mala Pax, Pax eſt cum illo quem ne offendas non corripis; ſed bellum eſt cum Deo; peccatum eſt, offenſa Dei

Digitized by Google

eſt, Iniuria Dei eſt, creatura præfertur Creatori, nempe is peccator qui corripi debuerat magis timetur quam Deus qui corripi præceperat. Sic dictum Heli à Domino, *Magis honoraſti filios tuos quam me.* Sic arguitur Dauid quod noluerit, *contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum.* Sic reprehenduntur Prophetæ molliores & palpantes vitiis. *In malitia ſua lætificauerunt Regem, & mendaciis ſuis principes? A Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum, & curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax Pax, & non erat Pax. PROPHETAE tui viderunt tibi falſa & ſtulta nec aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pœnitentiam prouocarent. VAE quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas.*

1. Reg. 2. 2. Reg. 13. Oſ. 7. Ier. 4. Thren. 2. Ez. 13.

Tu vulnus fratris tuis contemnis, inquit ſanctus Auguſtinus, *tu vides perire & negligis? Pejor es tu tacendo quam ille conuiciando.* Rurſumque Idem, *Neſcio vtrum Chriſtianæ amicitiæ putandæ ſunt in quibus magis valet vulgare Prouerbium, Obſequium amicos, Veritas odium parit, quàm Eccleſiaſticum, Meliora ſunt vulnera diligentis quam fraudulenta oſcula odientis.* Tritum eſt illud ſancti Gregorij ſed profecto graue & ſerium: *Qui emendare poteſt & negligit, participem ſe delicti conſtituit.* Velleſne ea ipſa committere quæ tu in aliis vides? At ſi non corripis quando potes & debes, tu horum effeceris omnium reus & particeps; Vnde Apoſtolus, *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Ex quibus certe patet, quantum ineſſe poſſit culpæ in illa mala Pace, & quale inde bellum cum Deo qui expreſſe propterea dicitur, *Deus æmulator, & vlciſcens Dominus: vlciſcens Dominus & habens furorem.*

Serm. 10. de Verbis Dom. Prou. 27. Epheſ. 5. Nahum. 1.

III. PVNCTVM.

OPTABILIVS *eſt igitur bonum bellum quàm mala Pax*; Cùm ſit optabilius bellum cum hominibus quam cum Deo, & Pax optabilior cum Deo quam cum ſolis hominibus. *Diſce*, inquit Propheta, *vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit Pax.* Et apte Sapiens: *Melior eſt manifeſta correptio quàm amor abſconditus. VTINAM magis neminem obiurgare neceſſe ſit*, aiebat ſanctus Bernardus, *Hoc enim melius,*

Baruch 3. Prou. 27.

Digitized by Google

ſed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem vrget Charitas. Aptiſſime autem ſanctus Auguſtinus, *Phrenetici nolunt ligari, lethargici nolunt excitari, ſed Charitas illum ligat, iſtum ſtimulat, ambos amat; ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur; ambo indignantur ægri, ſed ſanati gratulantur.* Ser. 41. in Cantica. Ep. 167.

Et certe ſi vel errarent animantes belluæ, vel in foueam decidiſſent, eſſent retrahendæ, vnde eſt illud Deuteronomij, *Non videbis bouem fratris tui aut ouem errantem, & præteribis; & ſi videris cecidiſſe de via, ſubleuabis;* Quantò magis ſi ipſe frater, ſi domeſticus ſi quiuis alius ceciderit & errarit? Tanta eſt huius præcepti commendatio vt eius commendandi finem vix vllum, Scripturæ faciant, *Corripe amicum*, inquit Eccleſiaſticus, *ne forte non intellexerit & dicat, non feci, aut ſi fecerit non iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit, & ſi dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum, ſæpe enim fit commiſſio. Corripe proximum antequam commineris: Et da locum timori altiſſimi, quia omnis Sapientia timor Dei, & in illa, timere Deum, & in omni Sapientia diſpoſitio legis. Et non eſt Sapientia nequitiæ diſciplina, & non eſt cogitatus, peccatorum prudentia;* Quaſi diceret, Ne putes te prudenter agere ad conſeruandam pacem, ſi quando corripiendus eſt proximus, tum ſileas; Non eſt prudentia ſed nequitia & nequitiæ diſciplina, Id eſt, fomentum malitiæ & peccati, quod ipſo peccato peius eſt. Expende ſingula & da locum timori Altiſſimi, non timori hominum vel amori. Deut. 22. Eccleſ. 19.

Si quis autem corripi noluerit, hoc ipſo magis eſt corripiendus.

Vide in 4. parte, Feria quarta Hebdomadæ 16. vbi hæc demonſtratur Veritas.

Digitized by Google

APPENDIX, AD MISSIONES FRVCTVOSE OBEVNDAS.

Iuxta hæc Chriſti Domini mittentis ſuos, Verba:

Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit Regnum cælorum. Matth. 10.

QVOD Miſſionum Author Chriſtus Dominus ſuis præcepit Apoſtolis vt primum dicerent, & prædicarent, hoc Ipſe ſibi ante præſcripſerat cum *cœpit prædicare & dicere: Pænitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*. Atque hoc ipſum poſtea ſeptuaginta duobus Diſcipulis imperauit, cum *illos miſit binos ante faciem ſuam in omnem locum quò erat ipſe venturus; Dicite illis,* inquit, *appropinquauit in vos regnum Dei.* Diuerſa quædam eſt Verborum forma, ſed idem plane ſenſus: Nam regnum cœlorum, regnum eſt Dei qui potiſſimum in cœlis regnat: & regnum Dei regnantis in terra ſiue in mentibus hominum, regnum cœlorum eſt, ſicut Gratia dicitur Gloria, cuius eſt ſemen & quoddam velut initium.

Matth. 4. Luc. 10. Rom. 3.

Verè autem appropinquare dicebatur hoc Regnum cùm Chriſtus venit in terras, cum cæpit prædicare, prædicari & credi, quia quòd antè hominibus per peccatum fuerat clauſum, ſic per Chriſti mortem proximè reſerandum erat, vt quotquot Chriſti fidem pœnitentes reciperent, cœli regno reciperentur.

Quod verò Chriſtus prædicando dicebat, *Pænitentiam agite,* mandaritne ſuis Diſcipulis vt prædicarent, non eſt quidem expreſſum in Scripturis, ſed non eſt tamen dubium quin prædicauerint, cùm expreſſè de his dicat ſanctus Marcus, *Et exeuntes prædicabant, vt pænitentiam agerent,* Quæ certa ſcilicet ad Cœlum via eſt, poſſidendum.

Marci 6.

Sic itaque Chriſtus Dominus, ſic Apoſtoli, ſic Diſcipuli omnes, facti ſunt forma Miſſionum, illis qui legitima poteſtate vocati tàm ſublime, tàm Diuinum opus ſuſciperent. Sic omnibus vni-

Digitized by Google

uerſim dicitur: *Euntes prædicate dicentes, appropinquauit in vos regnum Dei; Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Hic eſt Finis Miſſionum, qui finis eſt hominis conditi, qui finis eſt Incarnati Verbi, qui finis eſt Miſſi Spiritus ſancti, qui finis eſt Euangelicæ prædicationis per vniuerſum ſparſæ mundum; *Saluamini à generatione iſta praua.* Nonne hic omnium finis vt *Act. 2.* ſalus æterna comparetur, vt Deus regnet in nobis per gratiam, & nos tandem eum illo regnemus per gloriam?

Hunc ſcopum ſingulariter Euangelicus ſibi præfigat Operarius, quo quicquid demum operetur, rectà ſpectet: ſiue plebem erudiat & primis Chriſtianæ fidei rudes imbuat Elementis, ſiue Confeſſiones audiat, ſiue ex plano, ſiue ex ſuperiore loquatur ſuggeſtu, ſiue priuatim, ſiue publice dicat: Cœlorum vbique regnum, æternam vbique ſalutem inſpiret, interſerat & inculcet.

Tria poſſent ſeparatim ad dicendum conſtitui tempora, primum quo ad pueros & rudiores de primis noſtræ fidei diceret principiis. Secundum quo de pietatis agatur officiis, vt orare mane & veſperi, Miſſam audire, Confeſſionem inſtituere, Conſcientiam examinare, Roſarium recitare, domeſtica Chriſtianè obire miniſteria: Feſtos dies religioſe tranſigere: profeſtos fructuoſe ſuo quemque in officio: ſimiliaque proponere quæ vitam & mores omnium piè forment.

Tertium verò & præcipuum, quo Conſcientia vehementiùs ſtimuletur ad integram & perfectam vitæ mutationem. Licet enim in quibuſuis dicendi temporibus vt dictum eſt, ſalutis æternæ commendatio ſit frequenter ingerenda; tamen hoc tertio tempore, tota eſt terenda hæc materia, tota verſanda & vrgenda. Nihil aliud tùm pene ſonet quam quod operoſum illud ſalutis Negotium propius ſpectat, In eumque finem Miſſionarius paratam habeat dicendorum materiam, quæ concitandis cum Diuina gratia mentibus aptior & opportunior iudicetur, & quam diligenter præuiſam, ac multùm etiam atque etiam ſecum animo reuolutam expromat, & de ſacro Chriſti propinet Latere.

Pendet illud quidem de delectu materiæ Iudicium ex variis perſonarum loci, temporis, ac nonnullis aliis quæ obuenire poſſunt circunſtantiis: ſed multa probatum eſt experientia, non ſine fructu proponi quæ hic ſuggeruntur argumenta, vel ab vno

Digitized by Google

vel à pluribus ſimul collaborantibus pronuntiata, vel quo ſubjiciuntur ordine ſingula; vel quæ quiuis pauciora delegerit, pro ratione temporis, quod in quaque ponetur ſtatione; vel pro illorum captu qui dicent, & qui audient.

PRIMA CONCIO, SEV PRIMVM CAPVT VNDE MATERIA CONCIONVM DESVMI POTEST.

Acceptandam eſſe libenter comparandæ ſalutis occaſionem, quæ in his offertur Miſſionibus.

Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim, tempore accepto exaudiui te, & In die ſalutis adjuui te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. Cor. 6.

Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Hebr. 2.

VERITAS PRACTICA.

Qui negligit, negligetur.

SENSVS ET RATIO EST, Quod qui oblatam à Deo ſalutis gratiam negligit, ab ipſo etiam Deo negligetur.

Sed qui non acceptat libenter hanc modo quæ effertur comparandæ ſalutis occaſionem, negligit oblatam à Deo gratiam.

Ergo & is negligetur: aut potius ne quis negligatur, libenter ab vnoquoque acceptanda eſt hæc ſalutis occaſio.

I. PVNCTVM.

I. PVNCTVM.

DE ſumi poſſet exordium aut aliquale proœmium ex occurrenti aliquo Feſto, vel Euangelio, vel quauis demum opportunitate quæ anſam daret diſcurſui, fieretque quod ait Sapiens, *ſermo opportunus, optimus.* Aut certe ſi nihil tale occurrat; ſatiſque videatur ex propoſitis ſupra verbis Apoſtoli ſubjectam eruere veritatem Practicam, ac eius ſenſum & rationem breuiter enarrare; tum ad primam propoſitionem declarandam tria hæc præmittantur & exponantur. Primum quod ait S. Thomas, in omnibus Dei operibus Miſericordiam & Iuſtitiam reperiri, præcedit Bonitas, tùm Iuſtitia ſequitur, quod maxime locum habet in his operibus quæ ſalutem noſtram propius ſpectant, de quibus illud Sapientis eſt expreſſum; *Ne dicas miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur: Miſericordia enim & ira citò ab illo proximant, & in peccatores reſpicit ira illius; Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore iræ diſperdet te.* Prou. 15. 1. p. q. 21. 4. Eccli. 5.

Secundum inde conſequens eſt quod vt intelligatur qualis erga quoſuis futura ſit Ira & Iuſtitia Dei, cogitandum eſt qualis eius fuerit erga ipſos Miſericordia; nam etſi miſeretur omnium, vt ait Sapiens, dicitur tamen miſereri cuius vult, & miſericordiam præſtare cui præſtiterit, id eſt, majorem ac majorem exhibere benignitatem quibus voluerit, ſine cuiuſquam injuria, cum ſit ſuarum Dominus gratiarum quas poteſt majores aut minores impertiri quibus ipſi placuerit; Tùm verò dicimus quod quando majores impertitur gratias, tunc etiam major eſt eius ira & iuſtitia. Sic idem expreſſe Sapiens, *Miſericordia enim & ira eſt cum illo, potens exoratio & effundens iram; Secundum miſericordiam ſuam, ſic correptio illius.* Quid clarius? Sap. 11. Rom. 9. Eccleſi 16.

Tertium quod propiùs propoſitionem noſtram attingit, non tantùm Ira ſequitur Miſericordiam, ſed modus Iræ ſeu Iuſtitiæ inferendæ ſequitur modum miſericordiæ violatæ; Tu violaſti diuinam miſericordiam, oblatas ab eo ſalutis gratias negligendo; Tu neglìgéris, & quæ vlteriores dandæ fuiſſent gratię, recuſabuntur. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernéris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis,* Iſ. 33.

Digitized by Google

cùm fatigatus deſieris contemnere, contemnéris. Sic diuina Sapientia Se adjungit Miſericordiæ & Iuſtitiæ, vt quomodo Miſericordia eſt offenſa, ſic offendentem Iuſtitia puniat, dicatque de ſe peccator
Iud. 1. quod rex ille Adonibezec, *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.*

O *ſicut feci, ô ita reddidit Deus!* Quale eſt illud *ſicut feci*, & quale iſtud, *ita reddidit Deus!* Nempe ſicut neglexit peccator Gratiam, ita Gratia peccatorem negliget: Quod certe grauius eſt & damnoſius, quàm ſi qualibet alia puniréris pœna. Quid enim metuendum dum adſit gratia? Quid vero non pauendum ſi abſit?
Oſee 7. & 9. *Væ eis quoniam receſſerunt à me. SED & væ eis, cum receſſero ab eis!*

II. PVNCTVM.

SED qui non acceptat libenter hanc modò quæ offertur comparandæ ſalutis occaſionem, negligit oblatam à Deo gratiam.

Tria hîc etiam occurrunt exponenda, & tantò quidem accuratius, quantò ipſum non modo ſermonis huius, ſed & totius Miſſionis finem complectuntur pleniùs.

Primum eſt, quàm multæ, quàm magnæ, quàm ſalubres modo gratiæ vobis omnibus offerantur ad ſalutem comparandam. Licet
2. Cor. 6. enim nunquam deſint, tamen fatendum eſt cum Apoſtolo quędam eſſe magis accepta tempora quibus majora ſalutis ſubſidia prouideat Deus, & quibus ipſe pleniorem adjungat gratiam; qua de re diſcurſus erit integer proponendus: Tantùm hîc modo breuiter dico, quòd quæ duo maximè faciunt ad ſalutem, Verbum Dei, & Sacramenta, nunc vobis offeruntur tam facili & efficaci modo recipienda, vt nullus ſit qui non intelligat diuina fauente gratia quid ſit ſibi agendum, & qui non velit id agere dum modo velit intelligere. Parui & magni, rudes & capaces, ſerui & Domini, egentes & locupletes, viri ac fæminæ: Patres & filij, ægri & ſani; laborantes & otioſi; omnes cum diuina ope, omnes ſimul & ſeorſim, quod ſuæ cuique proprium eſt ætati, capacitati, conditioni & ſtatui palàm & particulatim audient, intelligent, capient, poſſi-
Iſ. 5. debunt, & quod ait Propheta: *Paſcentur agni iuxta ordinem ſuum.* Nullus eſt tam paruus & rudis ad quem nos non demittamus: nullus tam implicatus negotiis cui nos non accommodemus: nullus tam cupidus ſalutis quem non expleamus ſaluberrimis dictis: nullus tàm multis onuſtus vitiis & peccatis quem non ſubleuemus;

Digitized by Google

nullus tam inordinatæ vitæ cui non ordinem ſtatuamus, ſiue ad præterita reſtauranda in melius, ſiue ad præſentia dirigenda fructuoſius, ſiue ad futura præcauenda ſapientius. Debitores nos facimus omnium, vt quod commendabat princeps Apoſtolorum S. Petrus: *Vnuſquiſque noſtrum ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtremus, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* 1. Petr. 4. *FIDVCIAM autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros Noui Teſtamenti.* 2. Cor. 3. Cum ad hoc præſertim Nos miſerit, vt quod eſt Sacri Euangelij magis neceſſarium ſcitu & factu, vobis annuntiemus. Hoc eſt enim eſſe Miſſionarium, eſſe Operarium Euangelicum, eſſe ita præconem Euangelij, ſimul & Regni Cœlorum, vt prædicando Euangelium, operetur quodammodo regnum cœlorum, id eſt, ſic Euangelicè prædicet, vt qui prædicantur, compuncti corde veniant & dicant ſicut primi Chriſtiani ad Apoſtolos primò prædicantes. *Quid faciemus viri fratres?* O ſingularem gratiam! Act. 2. ô verba vitæ æternæ! ô me beatum ſi ita loquar! ô vos fœlices, ſi hæc ita ſentitis.

Secundum quod illuſtrandæ propoſitioni ſeruiat, ſic oblatam hanc vobis putatote ſalutis occaſionem, vt non fortuito caſu oblatam, ſed ſingulari Diuinæ nutu prouidentiæ præuiſam & procuratam exiſtimetis; ac propterea Chriſtum Dominum ſua particulatim merita Patri ſuo obtuliſſe, quibus mihi & vobis, mihi ad dicendum, & vobis ad audiendum, certas obtineret & conferret gratias quæ multis aliis denegantur. Quod enim in actis Act. 16. Apoſtolorum legitur vetatos eſſe Diuinitus loqui eos Verbum Dei quadam in parte Aſiæ, ſed potius irent in Macedoniam: hoc penè cunctis euenit Euangelicis Operariis, vt cùm etiam primò cogitarent aliquò proficiſci: Tum miro derepente caſu fieri, vt aliò vel adducantur, vel mittantur. Vnde admirabūdus Propheta, *Qui ſunt*, inquit, *iſti qui vt nubes volant?* Nempe vt eſt in libro Iſ. 60. Iob, *Sicut nubes luſtrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum, ſiue in vna tribu, ſiue in terra ſua, ſiue in quocumque loco miſericordiæ ſuæ, eas iuſſerit inueniri:* Iob. 37. Sic plane de Diuinis Operariis ſentiendum, de quibus circa quandam orbis partem ſic ipſe ait Deus; *Nubibus mandabo ne pluant ſuper eam, imbrem.* Vnde & Iſ. 6.

Digitized by Google

quando nubes pluunt, quando præter ſolitum Miſſi ſunt qui matutinum & ſerotinum fundant imbrem, Ille Ille eſt qui tam verè tum mandat nubibus vt ibi pluant, quam qui mandat ne alibi pluant.

Tertium denique ac præcipuum quod aduertatis eſt, niſi hanc libenter acceptetis occaſionem ſalutis quæ à Deo vobis offertur; niſi quod veſtrum eſt, efficiatis; niſi Veritatis Euangelicæ quæ
3. Ioan. vobis exponetur, ſitis fideliſſimi cooperatores vt S. Ioannes loquitur: Plane illud de vobis affirmabitur quod de inuitatis ad regias nuptias: *Illi autem neglexerunt*, Nam oblatam Diuinitùs gra-
Matth. 22. tiam negligetis. Quid enim aliud vos auertat quàm contemptus? Cum enim tria duntaxat ſoleant à piis inſtitutis animos minùs feruentes auocare, *Labor*, *Iactura*, *Dedecus*, aut ſi quid ſimile: nihil horum trium occurret quod vos deterreat. Non labor, nam neque longas preces, nec continuata ieiunia, neque procul remotas peregrinationes proponimus; Tantùm adeſte nobis dicentibus quo vobis erit commodius tempore. Non iactura cuiuſquam rei, neque enim quidquam à vobis nec pro victu, nec pro labore, nec pro ipſa etiam gratitudine poſtulamus: nam quæ eſt Dei gratia & Nobilium quarundam Perſonarũ inſignis charitas, impenſis omnibus abunde prouiſum eſt, nullis vt prorſus eſſemus oneri. Non eſt timendum denique probrum vllum aut dedecus ſi quod iam agitis, pergatis agere paulo frequentius quandiù vobiſcum erimus. Quid reſtat itaque quod vos à nobis aut ab ipſo Deo ſe vobis offerente auocet niſi negligentia, niſi contemptus, niſi quædam ſalutis incuria, & Diuini cultus faſtidium, propter quod Deus tam vehementer expoſtulat & queritur ſe contemni
Iſ. 1. & negligi: *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me!* Deum ſperni! expendite hoc: Et à vobis, à filiis ſperni cariſſimis, & quo tempore præſertim, cogitat de vobis in ſuum regnum promouendis! Iſta omnia contemptum valde augent. Sed quid tandem, quid inde ſequitur?

III. PVNCTVM.

Iſ. 33. VAE *qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernéris?* Nonne hoc ita pridem concluſum eſt, nonne hoc iam ante pronuntiatum eſt, nonne hoc euidenter ex præmiſſis propoſitionibus ſequitur?

Digitized by Google

Nonne qui oblatum à Deo ſalutis gratiam negligit, meretur à Deo negligi? Nonne hæc eſt ſalutis gratia quæ modo vobis offertur, & quam niſi libenter acceptetis, nihil aliud dici poteſt quam quod oblatam gratiam negligatis? Nonne hæc ſunt probata omnia? Quid ergo aliud expectetis quam vt aliquando etiam ab illo quem negligitis, negligamini, ſicut expreſſe ait, *Et ego neglexi eos, dicit Dominus,* dicit de præterito iam ſe neglexiſſe, quia futurum tam certum eſt quam ſi iam eſſet præteritum; vel certe ſicut iam Deus neglexit eos qui ſe neglexerant, ſic prorſus idem futurum de omnibus. Quod ne cui eſſet dubium, atque vt omnes intelligerent quid eſſet à Deo negligi: *Sapientia*, inquit Sapiens, *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat: Conuertimini ad correptionem meam: En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio, & anguſtia: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ.* Quod & rurſum per Prophetam repetit: *Ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebant, adducam eis; quia vocaui & non erat qui reſponderet.* Quæ certe verba ſi minutatim expendantur mirum quantum poſſint in quoſuis auditores. Parumne ſcilicet, cenſeri debet quod tam aperte minatur Deus ſe tum magis deſerturum eos cum magis vellent adjuuari? Se tum irriſurum & ſubſannaturum eos cum magis ſerio diuinam inclamabunt opem? Hoc eſt ſcilicet, hoc eſt à Deo negligi cum vel hora mortis, vel graui neceſſitate premente, non illud præbet auxilium quod non negaſſet niſi neglectus, niſi offenſus eſſet: ſicut de Antiocho legitur: *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quis vellet ſic ſe à Deo negligi? Et tamen id tam certo futurum his eſt qui oblatam à Deo ſalutis occaſionem & gratiam negligent: quam certum eſt Scripturam hoc dicere, & quod Scripturæ dicunt, ita eſſe.

Hebr. 8. *Prou. 1.* *Iſ. 66.* *2 Macch. 9.*

Quamobrem vnicuique veſtrum libenter dicerem quod Dauidi

Digitized by Google

2. Reg. 24. quondam Propheta Gad, vt habetur in libris Regum: *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris:* Vel te negare Scripturas quas
1. Par. 21. audiuiſti; Vel te à Deo negligendum: Vel te præſentem hanc ſalutis occaſionem non negle*c*turum. *Nunc ergo delibera & vide quem reſpondeam ei qui me miſit, ſermonem.* Viſne à Deo negligi? Vis negare Scripturas? Nolles ſcio, nolles. Ergo ne negligas quod offertur. Nam ſi negligis, iterum dico, tam certo negligéris quam ſunt certæ Scripturæ quæ id dicunt. Sic oportet nos premi, ſic coarctari, quia ſi timemus neſcio quid in ſalute procuranda; timorem hunc grauiori timore pellamus, neque tantum in illis qui rem oblatam negligent, conſideranda eſt boni quo ſe priuant iactura, ſed etiam mali periculum quod incurrunt, vt niſi bono pelliciantur, malo deterreantur.

Liceat itaque mihi concludere quod olim Moſes, in re pari:
Deut. 30. *Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem: benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas. NOLITE negligere, nolite ceſſare*, Verba ſunt ſacræ Scri-
Iud. 18. 2. Par. 29. pturæ, *Filij mei nolite negligere*; Sic vitam hanc præſentem diſcetis inſtituere, vt æternam vobis poſſitis comparare.

SECVNDA CONCIO, SEV CAPVT SECVNDVM CONCIONVM.

De Indulgentiis quæ ſolent in Miſſionibus promulgari.

Præbete corda veſtra, & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum. **1. Par. 22.**

VERITAS PRACTICA:

Tàm raræ ſunt indulgentiæ, quàm frequentes.

SENSVS EST, Quod multa quidem aliàs, & frequentes proponuntur indulgentiæ; Sed rari ſunt & valde pauci qui

Digitized by Google

propoſitum in illis lucrum referant, niſi diligenter aduertant, quod iam docebitur aduertendum.

RATIO EST, Quia nulla eſt indulgentiarum plena & integra participatio, niſi ſublata omni culpa.

Sed rari ſunt qui omnem tollant culpam, ſicut modo tollenda docebitur.

Ergo & rari & pauci qui propoſitum in indulgentiis referant lucrum; Ac propterea diligenter modo attendendum quod de fructu reportando dicendum eſt.

I. PVNCTVM.

QVOD Sacris quibuſdam Locis ac Temporibus religioſius aliquando colendis concedi ſolet ab Eccleſia, vt tum cœleſtes aperiantur Theſauri & quæ vocantur Indulgentiæ proponantur omnibus comparandæ: hoc ipſum noſtris hiſce conceditur Miſſionibus, quo tempore, quibus & in locis celebrentur, hoc ipſum inquam, Indulgentiarum lucrum ac meritum omnibus qui quod ſuum eſt non neglexerint, exhibetur. Tanta eſt Miſſionum dignitas ac præſtantia, vt quidquid eſt ad ſalutem in Eccleſia copioſius & opportunius, abunde his ſuppeditetur quo ſic magis ac magis colantur, celebrentur, frequententur, quaſi modo nobis quod olim diceret Sapiens & Propheta: *Comparate vobis* Eccleſ. 51.
ſine argento, & collum veſtrum ſubjicite iugo. VENITE, properate, Iſ. 55.
emite, & comedite; Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac: Id eſt, quæ magnis & paruis proſint, ſine vllis veſtris impendiis, ac multis etiam cum vitæ commodis.

Verùm, quæ noſtra eſt ſocordia, ſic praue affecti ſumus, vt quantumcumque res quæ proponuntur ſint ſalutares & commodæ, ſi ſint tamen frequentes & obuiæ, negligantur aut parui fiant: ſic fieri modo poſſet vt quia multis aliis in locis ac temporibus lucra hæc ſpiritualia frequenter exponuntur, iam minoris æſtimarentur nec ſuo pondere ac pretio ponderarentur. Idcirco particulatim hunc de indulgentiis ſermonem inſtituimus, vt vel tali faſtidio remedium aliquod afferatur, vel intelligant vniuerſi non tam frequentes eſſe indulgentias quàm putentur.

Digitized by Google

Frequentes quidem ſunt, ſed rari admodum qui lucrum inde reportent, vel quia neſciunt, vel quia nolunt id agere quod ex ſua cuique parte neceſſe eſt, & quod ſi modo perceperitis, ſperandum eſt cum Dei gratia, vos vobis non defuturos.

Hic itaque declarandum ſuſcepimus quid ſit, quod cum ſat frequentes ſint indulgentiæ, ſint tamen rari qui plene illas lucrentur, vt cum eius rei cauſam & rationem audiueritis, inde omnes æmulemini vehementiùs vt quod veſtrum eſt in hoc negotio, & quod multum facit ad finem huius Miſſionis, non denegetis.

Cauſa porro hæc eſt, quod ad plenam & perfectam indulgentiarum participandam gratiam, neceſſe omnino ſit vt omnis tollatur culpa. Rem paulo altius repetamus, & quæ ſit doctrina Catholica de indulgentiis accurate inueſtigemus, ſicque gradatim procedamus. Primò, In omni peccato duo ſemper inſunt, culpa & pœna. Secundo, Si culpa eſt mortalis, pœna eſt immortalis & æterna, quæ numquam remittitur niſi ſublata culpa. Tertio, Non ſic autem remittitur pœna æterna cum culpa, vt non remaneat aliqua temporalis ſubeunda pœna, quod patet
Exodi 32. in Adamo, In Iſraelitis, In Dauide & aliis, *Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum*, inquit Dominus. Quod &
Iob. 9. præclare ſanctus Gregorius in illa Verba Iob: *Sciens quod non*
l. 9. Mor. c. 27. *parceres delinquenti. DELINQVENTI Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine vltione non deſerit. Aut enim in ſe hoc homo pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcit quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic Dauid audire poſt confeſſionem meruit, Dominus tranſtulit peccatum tuum, & tamen multis poſt cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpæ quam perpetrauerat, exoluit. Sic nos ſalutis vnda à culpa primi parentis abſoluimur, ſed tamen reatum eiuſdem culpæ diluentes abſoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur, ſciens quod non parceres delinquenti, quia delicta noſtra ſiue per nos, ſiue per ſemetipſum reſerat, etiam cum relaxat.*

Quarto, Pœna illa temporalis varia eſt pro varietate & grauitate peccatorum; Sed vel vnius peccati etiam venialis eſt grauiſſima, quod patet ex pœnis purgatorij, ex pœnitentiis ſanctorum, ex pœnis illatis à Deo propter leuia quædam peccata, quale illud Dauidis de numerato populo, propter quod ſeptuaginta

Digitized by Google

ginta virorum millia, peſte ſublata ſunt: & Moſis de quodam animi dubio cùm ex petra deducenda fuit aqua, propter quod ingreſſu terræ promiſſæ fuit prohibitus: & Mariæ ſororis eius quæ propter murmur aliquod, fœdiſſimam contraxit lepram atque ex humano per ſeptem dies diſiuncta eſt conſortio. Vnde & patet vnumquemque pauco tempore reum eſſe grauiſſimæ pœnæ. 2. Reg. 24. Num. 20. Ibid. 12.

Quinto: Atque in hac quidem vita poſſent hæ pœnæ ſolui, ſi in gratia vel libenter & patienter ſumerentur, ſed ex noſtra impatientia fit, vt ex his pœnis noua peccata emergant potius quam vetera diſſoluantur: ſicque in dies creſcat reatus noſter, & illud in nobis fiat quod Propheta de Iſraelitis dicebat: *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur.* Oſeæ 7.

Sexto, Iam verò per Indulgentias plenarias & verè participatas tollitur illa omnis pœna temporalis, nempe applicantur nobis merita Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum ex Theſauro Eccleſiæ cuius claues traditæ ſunt ſummo Pontifici, & poteſtas abſolutè data ſoluendi omne quod ligat, & quod impedit ingreſſum cœli. Cum itaque pœnæ ſoluendæ impediant illum Ingreſſum, tam certum eſt poteſtatem eſſe datam ad tollendas illas pœnas, quàm certum eſt, datam eſſe ad id omne tollendum quod impediret ſalutem & beatitudinem. Illa autem ſolutio pœnarum fit pro Indulgentiam, id eſt, per gratuitam relaxationem quæ nobis communicatur à ſummo Diſpenſatore theſauri qui eſt in Eccleſia, conflati ex meritis ſatisfactoriis Sanctorum omnium. Sicut ſi quis ex pecunia ſibi data in aliquod bonum opus, liberaret Incarceratum; ſicut nos noſtris ſuffragiis liberamus animas de Purgatorio. Hæc eſt Communicatio & Communio ſanctorum de qua in Symbolo Apoſtolorũ, & de qua illud Apoſtoli vſurpatur; *Gaudeo in Paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea, pro Corpore eius quod eſt Eccleſia.* Matth. 16. Coloſſ. 1.

Quibus ita præmiſſis & apertè declaratis, quod hîc præcipuè inculcandum eſt, Nulla eſt prorſus Indulgentiæ participatio, niſi prius remittatur illa culpa cuius pœnæ datur Indulgentia; ſicque numquam eſt in effectu Indulgentia plenaria, niſi præcedat plena culparum omnium remiſſio; Nam quandiu manet Culpa, manet ſemper pœna. Poteſt quidem culpa tolli vt diximus ſine pœna; ſed numquam pœna ſine culpa quam

ſequitur ſemper & indiuiſè velut vmbra corpus; vt ſupra viſum eſt, & videri præterea poteſt D. Thomas 1. 2. q. 52. a. 4. vbi de triplici genere pœnæ peccatum conſequente; Ac tandem terminabitur primum iſtud punctum, concitato in peccatum odio, quod tale eſt malum vt numquam non ſit malum authori, vnde
Tob. 12. eſt Illud Archangeli Raphaelis: *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Qua de re plura Concione de malis peccati mortalis.

II. PVNCTVM.

SED *pauci tollunt omnem culpam, ſicut tolli debet.*

Nam vt tollatur omnis culpa, debet omnis tolli affectus circa quoduis objectum inordinatus; qui ſicut non eſſet culpa, niſi eſſet voluntariè inordinatus, ſic non eſt inordinatus, niſi ſit culpa. Neque aliter definitur vitium quam inordinatus appetitus, à quo ſi tollas hanc inordinationem, tranſibit vitium in virtutem; ſed niſi etiam tollas, remanebit ſemper vitium & peccatum, atque vt ait Iob, *Vſque ad Inferos peccatum illius.* Iob. 24.

Hinc Scriptura cùm ad pœnitentiam nos adhortatur: ***Conuertimini**, ait, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, &* Ezech. 18. *non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum.* Quid eſt facere ſibi cor nouum, niſi omnem inde penitus tollere vitij vetuſtatem, & prauam habitudinem, quoad voluntarium ſcilicet, qui à nobis cum gratia pendeat, affectum animi: quam cordis ac ſpiritus nouitatem Græcus Interpres optime vertit cum verba Chriſti *pænitentiam agite* ſic vno verbo reddit μετανοῖτε, quaſi diceret mentem vertite, à prauo in rectum vertite ordinem, nulla reſideat inordinatio, nulla intus culpa remaneat.

IAM verò quam pauci ſint qui ſic mentem vertant, quis non videt? Quis diuitias non eodem ſemper affectu diligit? Quis honores non eodem proſequitur impetu? Quis vno verbo, vitæ præſentis commoda non eodem procurat animo quo ipſam curat vitam? *Filij hominum vſquequo graui corde? BEATVS diues* Pſ. 4. Eccleſi. 31. *qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris: quis eſt hic, & laudabimus eum?* Quaſi di-

Digitized by Google

ceret, valde eſt rarus. Quæ tota huius puncti doctrina fuſius declaratur in 1. parte, Dominica quarta Aduentus, vbi hæc Veritas exhibetur:

Licet omni peccatori ſit neceſſario pœnitendum, vix tamen vllus eſt qui neceſſariam agat pœnitentiam.

Quia videlicet vix vllus eſt qui tollat inordinatum rei affectum, quæ eſt cauſa peccati, & qui niſi tollatur, nulla eſt peccati remiſſio, nulla peccatoris pœnitentia, nec conuerſio.

III. PVNCTVM.

P*ATET igitur quod erat demonſtrandum, quàm raræ ſint indulgentiæ, licet frequentes proponantur*, Seu quàm rari ſint qui propoſitum ex illis fructum & Lucrum referant, quia nempe peccati pœna quæ per indulgentiam tollenda erat, non tollitur niſi ſublata culpa; culpa vero non aufertur niſi affectus vnde proceſſit, fuerit ordinatus, quod tam rarum eſt quam quid rariſſimum. Non eſt qui hoc faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Atque hinc tria ſequuntur ad praxim valde opportuna. Primum eſt, non eſſe faſtidiendas aut negligendas quæ modo proponuntur, indulgentias, quod aliàs ſeu frequentes proponantur: Nam audiuiſtis quanta ſit fructus raritas in illa frequentia, meritóque vobis ſit timendum, ne quid vmquam Lucri & commodi tanto ex theſauro reportaueritis: ſperandum verò his diebus non ita caſſum & inanem futurum veſtrum laborem, quia diligentius & acuratius de his omnibus inſtituendi eſtis, quæ ad tanti boni participandam gratiam requiruntur.

Secundum autem obſeruandum eſt; quod qua ratione audiuiſtis non eſſe ſublatam peccati pœnam, audiuiſtis ſimul non eſſe ſublatam culpam: quid porrò inde ſequitur niſi nullas fuiſſe veſtras Confeſſiones? Nam ſi bonæ ac probatæ fuerint, certe ſublata eſt culpa: aut ſi culpa remanſit, profectò nullæ fuerunt: remanſit autem culpa ſi affectus non eſt ſublatus vt dictum eſt, & quam ſit probabilius affectum non fuiſſe ſublatum, ſatis ſuperque eſt declaratum, vnde videtis quanta ſit neceſſitas excutiendæ diligentius conſcientiæ, nec non in internos noſtros affectus penitius inquirendi.

ſequitur ſemper & indiuiſè velut vmbra corpus; vt ſupra viſum eſt, & videri prætereа poteſt D. Thomas 1. 2. q. 52. a. 4. vbi de triplici genere pœnæ peccatum conſequente; Ac tandem terminabitur primum iſtud punctum, concitato in peccatum odio, quod tale eſt malum vt numquam non ſit malum authori, vnde

Tob. 12. eſt Illud Archangeli Raphaelis: *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Qua de re plura Concione de malis peccati mortalis.

II. PVNCTVM.

SED *pauci tollunt omnem culpam, ſicut tolli debet.*

Nam vt tollatur omnis culpa, debet omnis tolli affectus circa quoduis objectum inordinatus; qui ſicut non eſſet culpa, niſi eſſet voluntariè inordinatus, ſic non eſt inordinatus, niſi ſit culpa. Neque aliter definitur vitium quam inordinatus appetitus, à quo ſi tollas hanc inordinationem, tranſibit vitium in virtutem; ſed niſi etiam tollas, remanebit ſemper vitium & pecca-

Iob. 24. tum, atque vt ait Iob, *Vſque ad Inferos peccatum illius.*

Hinc Scriptura cum ad pœnitentiam nos adhortatur: *Conuertimini*, ait, *& agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, &*

Ezech. 18. *non erit vobis in ruinam iniquitas. Proÿcite à vobis omnes præuaricationes veſtras in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum.* Quid eſt facere ſibi cor nouum, niſi omnem inde penitus tollere vitij vetuſtatem, & prauam habitudinem, quoad voluntarium ſcilicet, qui à nobis cum gratia pendeat, affectum animi: quam cordis ac ſpiritus nouitatem Græcus Interpres optime vertit cum verba Chriſti *pænitentiam agite* ſic vno verbo reddit μετανοεῖτε, quaſi diceret mentem vertite, à prauo in rectum vertite ordinem, nulla reſideat inordinatio, nulla intus culpa remaneat.

IAM verò quam pauci ſint qui ſic mentem vertant, quis non videt? Quis diuitias non eodem ſemper affectu diligit? Quis honores non eodem proſequitur impetu? Quis vno verbo, vitæ præſentis commoda non eodem procurat animo quo ipſam cu-

Pſ. 4. rat vitam? *Filÿ hominum vſquequo graui corde? BEATVS diues*

Eccleſi. 31. *qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris: quis eſt hic, & laudabimus eum?* Quaſi di-

Digitized by Google

ceret, valde eſt rarus. Quæ tota huius puncti doctrina fuſius declaratur in 1. parte, Dominica quarta Aduentus, vbi hæc Veritas exhibetur:

Licet omni peccatori ſit neceſſario pœnitendum, vix tamen vllus eſt qui neceſſariam agat pœnitentiam.

Quia videlicet vix vllus eſt qui tollat inordinatum rei affectum, quæ eſt cauſa peccati, & qui niſi tollatur, nulla eſt peccati remiſſio, nulla peccatoris pœnitentia, nec conuerſio.

III. PVNCTVM.

P*ATET igitur quod erat demonſtrandum, quàm raræ ſint indulgentiæ, licet frequentes proponantur*, Seu quàm rari ſint qui propoſitum ex illis fructum & Lucrum referant, quia nempe peccati pœna quæ per indulgentiam tollenda erat, non tollitur niſi ſublata culpa; culpa vero non aufertur niſi affectus vnde proceſſit, fuerit ordinatus, quod tam rarum eſt quam quid rariſſimum. Non eſt qui hoc faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Atque hinc tria ſequuntur ad praxim valde opportuna. Primum eſt, non eſſe faſtidiendas aut negligendas quæ modo proponuntur, indulgentias, quod aliàs ſeu frequentes proponantur: Nam audiuiſtis quanta ſit fructus raritas in illa frequentia, meritóque vobis ſit timendum, ne quid vmquam Lucri & commodi tanto ex theſauro reportaueritis: ſperandum verò his diebus non ita caſſum & inanem futurum veſtrum laborem, quia diligentius & acuratius de his omnibus inſtituendi eſtis, quæ ad tanti boni participandam gratiam requiruntur.

Secundum autem obſeruandum eſt; quod qua ratione audiuiſtis non eſſe ſublatam peccati pœnam, audiuiſtis ſimul non eſſe ſublatam culpam: quid porrò inde ſequitur niſi nullas fuiſſe veſtras Confeſſiones? Nam ſi bonæ ac probatæ fuerint, certe ſublata eſt culpa: aut ſi culpa remanſit, profectò nullæ fuerunt: remanſit autem culpa ſi affectus non eſt ſublatus vt dictum eſt, & quam ſit probabilius affectum non fuiſſe ſublatum, ſatis ſuperque eſt declaratum, vnde videtis quanta ſit neceſſitas excutiendæ diligentius conſcientiæ, nec non in internos noſtros affectus penitius inquirendi.

Digitized by Google

Tertium, ne in tanto negotio molleſcatis aut terreamini, quaſi ſit ſupra vires opus, quaſi nil ſupra quàm factum eſt, poſſitis agere,
Eccleſi. 2. *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius,* Bonus eſt timor, ſed ſpes ſimul iungatur. Tantum adeſte nobis frequentes & attenti, nec dubito per Dei Gratiam, quin quod ſuis dicebat Apoſtolus,
Rom. 6. *Habebitis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Hoc eſt quod ipſo dicendi dicebam initio: *Præbete corda veſtra & animas veſtras vt quæratis Dominum Deum veſtrum.* Hoc vnicum à vobis petimus, non collectas, non pecuniam, non munera; ſed propenſas in ſalutem voluntates, voluntariã frequentiam & facilem animi docilitatem in his audiendis quæ deinceps ſuggerentur.

Iſti ſunt dies quos obſeruare debetis, Dies Critici, dies ex quibus reliqua pendet vita, imo & ipſa quanta quanta eſſe poteſt æternitas. Sunt enim dies non minus diligenter obſeruandi pro ſalute animi, quam dies Critici pro ſanitate corporis. Quod breuiter quidem docetur in 2. parte, in die Pentecoſtes vbi agitur de peccato in Spiritum ſanctum: Fuſius verò Dominica Palmarum, quæ omnino videri debet ad hunc fructuoſè diſcurſum concludendum, vel in alium integrum differenda eſt Veritas, quæ de diebus Criticis, illic proponitur.

CAPVT TERTIVM CONCIONVM.

DE NEGOTIO SALVTIS, QVOD POTISSIMVM AGITVR IN HIS MISSIONIBVS.

POTEST applicari diſcurſus vel vniuerſim ad curam adhibendam ſuæ ſaluti quamdiu hîc viuitur: vel particulatim ad hanc ſalutis procurandæ quæ offertur occaſionem.

Scripturæ verba ex occurrenti tunc Euangelio deſumi poſſunt, vel à Chriſto Domino: *Pænitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum:* Vel ex Apoſtolo: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Matth. 4. Phil. 2.

Scopus dicendi ſit: firmiter perſuaderi, nullum eſſe negotium quod tantam à nobis exigat curam & ſollicitudinem in omnibus, quàm ſalutis negotium.

Ratio eſt, quia quædam ſunt circunſtantiæ in omni negotio

Digitized by Google

quarum conſideratione plus vel minus curæ ac ſollicitudinis eſt adhibendum.

Sed nullum eſt negotium in quo illæ circunſtantiæ reperiantur tam graues & potentes ad curam exigendam in omnibus, quam ſalutis negotium.

Ergo & nullum eſt quod tanta cura & diligentia ſit procurandum: quod tamen omnino non fit, imo & nullum eſt quod minus curetur.

Vide in hac 3. parte, Dominicam 8. vbi in perſona Villici totus hic diſcurſus fusè declaratur. Adjungi poſſent quæ ibidem ſequuntur Veritates, ad hæc verba: *Redde rationem villicationis tuæ*, vel differri, cùm de quatuor nouiſſimis poſt agetur.

Et verò videri debet, in 2. parte, Dominica 2. poſt Paſcha, quæ ibi declaratur Veritas:

Quod æſtimatione ſpeculatiuâ nihil quidem pretioſius nobis eſt animâ, ſeu ſalute animæ: ſed Practicâ nihil vilius.

CAPVT QVARTVM CONCIONVM.

De præjudiciis Saluti oppoſitis, vnicuique particulariùs applicandis, & diligentiùs præcauendis.

Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Matth. 7.

I. PVNCTVM.

EX memoratis ſuperiori Concione capitibus, quæ ſalutis veſtræ negotium quàm ſit præ cæteris graue & momentoſum oſtendunt, nullum eſt vehementius, & ad finem huius Miſſionis aptius, quàm quod *Præjudicium* dicitur, quo de ſa-

Digitized by Google

lute noſtra ſic actum eſſe indicatur, vt non ſit quidem deſperata ſalus quia remedium adhuc ſupereſt: ſed niſi diligentiùs quam antehac proſpiciatur, vix ſpes vlla reſtet. Quâ certe conſideratione quid potentius, quid acutius ad ſtimulandam animam vt vel ſero tandem at ſeriò, quantumque neceſſe eſt, attendat & prouideat. *Expergiſcimini ebrij & flete*, ait Propheta.

Ioel 1.

Facit hoc vero vel maxime noſtram hanc ad Miſſionem, cuius cum finis ſit, ad Pœnitentiam & veram animi conuerſionem cum Diuina Gratia nos inducere, quid opportunius, quàm certum noſſe periculum in quo verſemur, niſi certò conuertamur? *Væ tibi Moab; periſti popule Chamos?*

Ier. 48.

Cum ſint autem multa illa præjudicia, ſeu cùm poſſint variis exponi modis, non ſufficit illa breuiter attigiſſe, ſicut ſuprà tentatum eſt, ſed & modo, & pluribus conſequenter enarranda res eſt ſermonibus, nullum vt veſtrum lateat, quantùm ſua nunc interſit, vbi de extremo ſalutis ſuæ periculo videt agi: *Saluate animas veſtras.* Sentiſne Peccator indurate quam ſint hæc aculeata verba?

Ibid.

Ad hunc itaque finem & ſcopum vt omnes intelligant, quàm deplorando in ſtatu iaceat ſuæ ſalutis negotium, atque vt inde libentius velint emergere, Quod primum hodie proponitur, duplex eſt illa Via quam Chriſtus in Euangelio demonſtrauit, vna lata & ſpatioſa, quam multi etiam ex Chriſtianis incedunt, & omnes pereunt: altera verò arcta quam pauci tenent, & qui ſoli ſaluantur.

Stupenda certe res eſt, & quam niſi diuina Veritas edoceret, vix credi poſſet; ſed tanta firmitate nos ea de re certos eſſe Chriſtus voluit, vt in totâ Euangelicâ quæ ad mores ſpectat doctrinâ, vix aliud & verbo & ſenſu expreſſius habeatur. Non enim ſolis contentus verbis rem euidenter aperit, ſed adjuncto etiam admirantis & ſtupentis animi quodam ſigno, tantam eſſe demonſtrat multitudinem eorum qui pereunt, & tantam eorum paucitatem qui ſaluantur, vt Ille Ipſe qui nihil admiratur; nonniſi tamen mirabundus de hac paucitate loqueretur.

Intrate, inquiebat, *per anguſtam portam, quia Lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam? QVAM anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam! Et pauci ſunt qui inueniunt eam*; Ac rurſus apud alium Euangeliſtam,

quærenti cuidam *ſi pauci ſint qui ſaluentur*, ſic reſpondit: *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt*, id eſt, quotquot per aliam quærent intrare quam per anguſtam portam, non poterunt ad ſalutem intrare, & qui etiam neglexerint intrare per anguſtam portam, quando cum gratiæ facile poterant, quærent intrare poſteà, nec ità facilè poterunt: dicentque cum illis ſtultis Virginibus, *Domine, Domine aperi nobis: at ille reſpondens aiet, amen dico vobis, neſcio vos, vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam.* Vigilate ad gratias fideliter ſuſcipiendas, quando vobis offeruntur, aut ad ſuſceptas vtiliter impendendas, quando ſe occaſio dederit; nam ſi præſentem neglexeritis diem & hanc horam prætermiſeritis, neſcitis an craſtinam ſitis habituri. *Matth. 25.*

Quamobrem vnuſquiſque iam videat in quánam ambulet via, & cum ſe agnorit in lata eſſe, tàm certo ſe agnoſcat eſſe in ſalutis periculo quàm certum eſt illos qui per latam incedunt viam, & multos eſſe, & omnes perire. Quomodo autem ſe quis in lata eſſe via poſſit cognoſcere, ſic euidenter demonſtratur:

Vel te oportet in lata eſſe via, vel in arcta.

Sed ſi te probè noris, non es in arcta via.

Ergo in lata ſis oportet, & ibi pereas neceſſe eſt, niſi quantocyùs inde retraharis.

Prima propoſitio manifeſte infertur ex verbis Domini qui nos intrare iubet per anguſtam portam, ſiue in arctam viam, *Quia* inquit, *lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem*; quæ ſane ratio non valeret, ſi tertia eſſet quædam via; Nam qui nollet ingredi viam arctam, nonne Chriſto ſtatim objiceret, tenebo viam quæ inter arctam & latam ſit velut media, quæ nec arctæ laborem viæ contineat, nec ſpatioſæ periculum mihi ſubjiciat.

Hoc eſt ſcilicet quod ſibi fingunt homines, vt pluribus, ac de hoc toto argumento declaratum habes in opuſculo quod *lata via* inſcribitur. Sed quis auſit Chriſti rationem in re tam ſeria nullam eſſe affirmare? Nonne hoc ipſum eſt quod alio confirmat ſymbolo dicens; *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum*, quaſi diceret, non eſt quid medium. Quò tandem duceret media illa via? Quis eſſet eius terminus? Quæ ſententia proferenda dum cunctos Chriſtus adultos iudicabit? Eruntne alij iudicandi, quàm quos à dextris ſuis ipſe *In Præfat.* *Matth. 12.*

Digitized by Google

Iudex ſtatuet, vel à ſiniſtris? Eritne alia ſententia præter illas duas
Matth. 25. quæ iam decretæ ſunt & pronuntiatæ: quarum altera benedictos, & altera maledictos declarat? *Et ibunt hi in ſupplicium æternum* inquiebat Dominus, *Iuſti autem in vitam æternam*, quaſi diceret, æterni duntaxat duo ſunt illi termini quò duæ tendunt viæ: ſicut latam, ſupplicium manet æternum; ſic arctam, vita æterna. Si tertiam viam ſtatuis, quære priùs quò tendat, terminum: aut certè ſi alium indagare non potes extra illos duos qui adultis parati ſunt, nec tibi tertiam fingas viam: & fatere quod habet Propoſitio, vel te in lata viuere, vel in arcta via.

Quod ita verum eſt, vt ſanctus Hieronymus audenter ſcribat:
l. 2. Ep. 14. ad Celant. *Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata aut de anguſtia via eſt.*

II. PVNCTVM.

SED, quæ eſt ſecunda diſcurſus Propoſitio, *Si te probe noſſes, & quænam ſit arcta via, tu ſimul facile noſſes in hac te via non ambulare.*

Primò quidem eſt via quam pauci tenent, tu vero nonne vitam agis quàm multi viuunt in ſæculo? Deinde vero, inquit S. Gre-
l. 27. Mor. c. 24. gorius, *Arcta via in qua quiſque ſtudioſè conſtringitur, eſt in hoc mundo viuere; & de mundi huius concupiſcentia nihil habere.* Tune ita viuis in hoc mundo? Nihilne mundi rerum concupiſcis? Non voluptates, non diuitias, non honores, non alia quæ naturalem excitare ſolent cupiditatem? Reſponde: Nihilne te horum excitat ad ſui concupiſcentiam? Aut quam in te ſentis excitatam itane reprimis, itane moderaris vt præter rationem & virtutem nihil concupiſcas?

Hoc eſt enim, hoc eſt quod arctam facit viam, *Nihil inordinatè concupiſcere.* Non eſt exire mundo, non eſt eſſe ſolitarium, non Eremitam, non Monachum, non Religioſum, non Sacerdotem, non multis addictum eſſe ieiuniis & caſtigandæ carnis exercitationibus, non eſt hoc inquam quod arctam deſignat viam:
Suprà dicta Ep. Sed quocumque viuendi genere vitam agas, *Si omni cupiditate calcata*, inquit S. Hieronymus, *ſoli ſtudemus virtuti, per anguſtam viam nitimur.* Non aliam ſancti omnes Patres producunt notam quàm repreſſæ cupiditatis: Vnde tu quàm facile poſſes agnoſcere

te

Digitized by Google

te non eſſe hominem qui ſe ita voluntariè premat & conſtringat, nonne tam euidenter poſſis noſſe te in arcta non eſſe via?

Neque dicas te ſat multis vndequaque premi miſeriis, te domeſticæ facultatis arctiſſimas pati anguſtias, te debitorum grauari onere, necnon ſexcentis humanæ vitæ calamitatibus penè in dies enecari; non enim pœna ſed pœnæ tolerantia, viam facit arctam: ſi libenter patereris, ſi neceſſitatem in virtutem conuerteres, ſi murmura, ſi commotiones animi, virtute Chriſtiana reprimeres, tunc arctam poſſes viam incedere, ſed ſi paupertatem odiſti, non magis reprimis cupiditatem, quam ſi amares diuitias, nam illud paupertatis odium non niſi ex amore diuitiarum naſcitur. Neque etiam dicas, te paucis contentum eſſe, te nihil ſuprà neceſſitatem appetere, nihil injuſtum, nihil alienum, nihil nimium: nam licet iſta concederem, poteſt tamen nimius eſſe vel acquirendi, vel poſſidendi ardor, neque ad arctam tenendam viam ita ſpectatur quid velis, aut quid habeas: quàm quomodo quidquam velis aut habeas. In vna ſcilicet cupiditate repreſſa, vt dictum eſt, tota viæ ponitur arctitudo; nihil autem ſpectat ad reprimendam cupiditatem quod multum aut parum habeas, ſed hoc vnum, vt quidquid habeas, temperatè poſſideas, non cupiditate ſed virtute, non in paſſione deſideriis, ſed in moderatione rationis, non incitato naturæ impetu, ſed Diuinæ ductu Gratiæ. *Tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam.*

Neque rurſum objicias id eſſe rarum, id eſſe paucorum homi- *1. Pet. 2.* num, id eſſe penè ignotum: Nam hoc vltro profiteor, & hoc ipſum eſt quod Chriſtus dixit, paucorum eſſe hanc viam; hanc Ipſe notam deſignauit vt cum animaduerteres te ex illis non eſſe paucis, hinc intelligeres, te in arcta non eſſe via. Nonne id vides? Nonne id fateris?

III. PVNCTVM.

QVID ergo inde ſequitur niſi quod erat demonſtrandum, te ſaluti oppoſitum ferre tecum, ſemper & vbique, præjudicium: te in lata eſſe via quæ ducit ad perditionem & ad interitum ſempiternum?

Nam cum in ambarum alterutrâ neceſſe omnino ſit, vitam

traducere ſicut oſtenſum eſt, cumque in arcta non te contineas, vt fateris; quid ſupereſt quam te in lata eſſe via, teque tam certò periturum, quàm certum eſt Chriſtum non erraſſe qui haſce duas tantùm propoſuit vias, quarum vna vitæ, & altera mortis eſſet æternæ?

Nec dicas te peccatorem quidem eſſe, ſed non ex illis grauioribus qui latam videntur viam facere. Nam hic dupliciter errare poſſes, quod certe eſt diligenter aduertendum: primo quidem quod putes latam viam eſſe tantum Illorum qui grauius peccent aut frequentius; Non eſt ita, neque hic nomine viæ tam certò intelliguntur qui actu peccant, quam qui ad peccandum ſunt proni, & contractis habitibus ſic affecti, vt peccatum vix deponant, in eoque moriantur; vt dicetur ſeparato diſcurſu fuſius.

Iam vero licet aliis alia ſint peccata grauiora, nonne eſt ſatis ad perditionem animæ quod quis in peccato lethifero moriatur,
Luc. 16. licet peccatum illud non ſit ex grauioribus? Nonne eſt ſatis illi Diuiti qui ſepultus eſt in inferno, quod epularetur quotidie ſplendide; licet in illis epulis non eſſet tam ſceleſtus quam He-
Luc. 13. rodes in ſuis, qui ſanctiſſimum Virum Ioannem enecauit? Nonne propterea Chriſtus Dominus cum de quibuſdam occiſis loqueretur: *Putatis*, inquit, *quod hi præ omnibus peccatores fuerint qui talia paſſi ſunt? Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes*
1. Cor. 5. *ſimiliter peribitis.* Nonne id confirmat Apoſtolus cum vniuerſim ait de iniquis, *An neſcitis quod iniqui regnum Dei non poſsidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſsidebunt.* In his certe quæ commemorat, magna eſt, vt vides peccatorum differentia: ſicque fornicarij dicere poterant ſe non eſſe tam iniquos quam vel adulteros, vel idolis ſeruientes; Et tamen ſatis ſunt iniqui vt damnentur. Ac rurſum Idem Apoſtolus,
Epheſ. 5. *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Sic & ſanctus Ioannes audiuit è cœlo quinam inde
Apoc. 22. arcerentur, *Foris canes & venefici & impudici & homicidæ & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium:* Quaſi diceretur, non tantùm cœlo excludi eos qui grauius peccant, ſed qui quo-

Digitized by Google

cunque mortali peccant, quod ante mortem non expiarint, & qui aliter ſentiat, longe à vero diſſentire.

Deinde vero erras quod te ex grauioribus non reputes, & quaſi Phariſæus dicas, *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri:* Licet enim iſtis non ſis coinquinatus vitiis, fieri tamen poteſt ex aliqua circũſtantia, vt peccatum tuum ſit grauius, ſitque peccatum in Spiritum ſanctum vt oſtendetur aliàs, iamque apparet ex illa præſumptione animi qua intumeſcis contra Monentem de periculo tuæ ſalutis, quaſi ſis ſecurus, quaſi nil timeas, quaſi cum inferno & morte feceris pactum. Quando hoc vnum eſſet non eſt leuè peccatum: *Propter hoc audite verbum Domini viri illuſores: Dixiſtis enim, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Vide locum Prophetæ. Non quod ſic loquatur peccator, ſed qui dùm nihil timet, ſeque putat velut ſecurum, ſic videtur viuere quaſi pactum feciſſet cum morte & inferno, quaſi non eſſet moriturus, vel niſi quando, & quomodo vellet & quaſi non eſſet damnandus, quaſi non eſſet quod timeret. *O præſumptio nequiſſima, vnde creata es cooperire aridam malitia & doloſitate illius.* Hoc eſt ſcilicet quod alter dicebat Sapiens, *ſunt impij qui ita ſecuri ſunt quaſi iuſtorum facta habeant.* Ipſi iuſtiores timent, *Ipſæ columnæ cœli contremiſcunt,* tu intrepidus erecto collo tibi cœlum promittis! Non eſt certius ſignum quo te in lata via eſſe pateat, & quòd in ea pereas niſi quam citiùs reuertaris.

Luc. 18. *Iſ. 28.* *Eccleſ. 37.* *Eccl. 8.* *Iob. 26.*

Vide in hac 3. parte, Dominica 3. poſt Pentecoſten, vbi hæc Veritas explanatur:

Qui ſibi palpat quod non longe erret, periculoſius ſæpe errat, quam qui aberrat longius.

CAPVT QVINTVM.

QVAM SIT EVIDENS CONTRA ILLOS PRAEIVDICIVM, QVI CVPIDITATIBVS NON RESISTVNT, TANTA PEREVNTIVM MVLTITVDO, VEL TANTA SALVANDORVM PAVCITAS.

Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Matth. 20.

Digitized by Google

Videnda eſt in 2. parte, Dominica Septuageſimæ, vbi hæc Veritas proponitur:

Quæ cauſa eſt cur pauci ſalui ſint, hæc in te cauſa eſt cur ex illis forte non ſis.

RATIO præſupponit quod vbi eſt eadem cauſa & ratio, ibi etiam idem reperitur effectus, quo tamquam certo præſuppoſito ſic procedit ratiocinatio:

Cauſa præcipua cur ſit tanta ſaluandorum paucitas, & tanta pereuntium multitudo, eſt Concupiſcentia non repreſſa.

Sed hæc eadem cauſa in te reperitur.

Ergo & idem omnino ſequetur effectus, niſi tollas cauſam.

PRIMA propoſitio tria complectitur quæ ſunt ſigillatim exponenda.

Primum eſt paucos ſaluari; Secundum eſt, non id eſſe referendum ad Deum, aut ad aliam cauſam quam ad ipſos homines qui ſua culpa pereunt. Tertium, quod radix omnis culpæ & perditionis eſt Concupiſcentia.

De primo, vide dictam Dominicam Septuageſimæ in 2. parte.

De ſecundo, videnda eſt etiam Dominica 3. poſt Epiphaniam in 1. parte, vbi hæc Sapientis Eccleſiaſtici fuſe declaratur ſententia: *Non dixeris, Per Deum abeſt.* *Eccl. ſi. 15.*

De tertio, tripliciter explicari poteſt malum concupiſcentiæ, vnde perditio ſequitur: Primò quod ſit radix totius culpæ: Nam *vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus*: Quæ primo quidem ſolus eſt motus naturalis, cui ſi reſiſteres, fieret virtus, in omni genere boni; dum verò illi libere conſentitur, fit culpa ſeu peccatum quod tanto ſæpe eſt grauius, quanto major eſt concupiſcentia, vt ait ſanctus Thomas, & explicatum habetur in hac 3. parte, Sabbato Hebdomadæ 14. *Iac. 1.*

Deinde vero ex concupiſcentia fit ordinarie quidam abuſus rerum omnium, quæ cum ſint ex ſe indifferentes, deprauantur à prauo vtentium fine qui ſecundum proprias ambulant concupiſcentias: qua de re videri debet Feria 5. poſt Cineres in 2. parte, vbi ad verba Domini, *Non pro mundo rogo,* explicatur hæc Veritas:

Digitized by Google

Quà late patet mundus, nihil eſt vſpiam ita cauendum, quàm quod intus in te vno latet, nempe Concupiſcentia.

Denique quod extremam affert perniciem, cùm ad peccati remiſſionem neceſſaria ſit omnino pœnitentia, id eſt, verus dolor de peccatis, vera conuerſio animi, vix vlla talis eſt ob prauam concupiſcentiam quæ ſic animum peccatoris objecto peccati affigit, vt raro inde auellatur, & propterea, *Nullus ſit qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci*, vt iam ante dictum eſt, & poſt dicetur ſæpius. *Ier. 8.*

IAM verò quæ ſecunda eſt Propoſitio, quod hæc perditionis cauſa in te reperitur, qui concupiſcentiæ reprimendæ non vacas, abundè declaratur in illo dicto Sabbato Hebdomadæ 14. infrà in hac parte vbi hæc exponitur Veritas:

Licet in aliis Concupiſcentia ſæpe peccatum minuat, in te tamen ſæpius auget.

Vnde tandem Concluſio, & prejudicium, Ne in tanta multitudine rapiaris cum aliis. *Viuo ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum*, Id eſt, quantumcumque aliàs fuerit mihi carus & conſiderandus, tamen niſi reſipiſcat, plane cum aliis peribit pereuntibus. Caue, reſipiſce. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. ECCE non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, & non aggrauata auris eius vt non exaudiat. VENITE & reuertamur ad Dominum. Quia ipſe cepit & ſanabit nos. Percutiet & curabit nos, &c.* *Ier. 22.* *1. Ioan. 1.* *Iſ. 59.* *Oſee 6.*

CAPVT SEXTVM.

ALIVD PRAEIVDICIVM, QVIBVSVIS EX CONCVPISCENTIA VIVENTIBVS, AB IPSO IVDICE DENVNTIATVM.

In peccato veſtro moriemini.

Digitized by Google

Vos de deorſum eſtis, Vos de mundo hoc eſtis: Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris. Ioan. 8.

Vide in 4. parte, Feria 5. Hebdomadæ 19. Necnon in hac 3. parte, Dominica 9. vbi ad Chriſti lachrymantis verba, *quia ſi cognouiſſes & tu*, explicatur copioſe quod dixit Eccleſiaſticus: *Cor durum habebit malè in nouiſſimo.* Eccleſi. 3.

CAPVT SEPTIMVM.

DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM QVOD EST IAM COMMVNE MVLTIS, ET VNDE MANIFESTVM ERVITVR ADVERSVS ILLOS PRAEIVDICIVM.

Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Act. 7.

Videnda in 2. parte, Dominica Pentecoſtes, vbi hæc plene declaratur Veritas:

Peccati contra Spiritum ſanctum malignitas ſic eſt ſingularis, vt multis iam peccatoribus ſit communis.

CAPVT OCTAVVM.

QVOD VNDE TIMOREM MINVIS, INDE TIBI MAGIS SIT TIMENDVM.

Poſuiſti firmamentum eius, formidinem. Pſ. 88.

Duplex poteſt eſſe ſenſus, Primus quod firmamentum noſtrum ſit formido ſeu timor Dei, quod expreſſe ait Sapiens, *Firmamentum virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridiani*: Et alibi, *Si* Eccleſi. 34.

Digitized by Google

non in timore Domini tenueris te inſtanter cito ſubuertetur Domus tua. Ibid. 27.
OMNE *namque virtutum ædificium*, inquit S. Bernardus, *illico vergit in præcipitum, ſi huius gratiæ amiſerit præſidium.*

Alius ſenſus & in quo præcipuè inhærendum, hic eſt ſcilicet quod illud ipſum quod putatur eſſe firmius ad ſecuritatem ſalutis niſi diligenter tibi caueas & aduertas, illud eſt vnde magis formidare debes. Quod certe eſt ad Timorem efficaciſſimum. Nam non poteſt eſſe major cauſa timoris quam ſi dicatur id eſſe infirmius quod putatur firmius. Atqui hoc ipſum eſt quod hic demonſtramus; vnde neceſſario ſequetur ille pauor quem ſanctus Auguſtinus, dicit *omni ſecuritate appetendum.* De Symbolo ad Catechum.

I. PVNCTVM.

PRIMA propoſitio per ſe patet, & illuſtrari poteſt familiari ſimilitudine Illius qui cùm litem haberet & plurimum confideret cauſæ ſuæ, ſi quæreretur quamobrem ita confideret, & tùm audiret à perito nihil magis illi præiudicare quàm illud ipſum quod in ſuum iactat fauorem, nonne eſſet quod timeret? Sic cùm Iudæi nimis præſumerent de Lege ſibi data, hinc potius docet eos Apoſtolus magis ſibi timendum. *Quicumque in Lege peccauerunt, per Legem iudicabuntur.* Vide Romanorum ſecundo. Et cùm Gentiles ad fidem conuerſi contra Iudæos etiam ſe auderent efferre inſolentius quod illi defeciſſent & in eorum Locum eſſent ſuffecti: tum vnumquemque Apoſtolus vehementiſſime compeſcebat, *Noli gloriari, noli altum ſapere ſed time*, Vide ibidem Romanorum vndecimo, atque idem conclude ad propoſitum.

II. PVNCTVM.

AD ſecundam verò propoſitionem: Tria ſunt præcipue quæ videntur firmamenta noſtræ ſalutis ſeu noſtræ ſecuritatis de Salute; Nempe Bonitas Dei, Redemptio per Chriſtum facta, & Religio Chriſtiana quam profitemur. Atque hæc quidem vera ſi bene intelligerentur & vſurparentur. In his omnino tota eſt noſtra ſpes & noſtra ſalus. *Niſi quia Dominus adjuuit me, paulo minus habitaſſet in Inferno anima mea.* MISERICORDIÆ Do- Pſ. 93. Thren. 3.

mini quia non ſumus conſumpti. Sic præclare ſemper de his ſentiendum, ſed non propterea tamen præſumendum, nec omnis timor expellendus, ne illa quæ ſunt ex ſe optima & ſaluberrima fiant ex nobis nociua & mortalia, ſicut dicebat Sapiens, *Hæc*
Eccli. 39. *omnia ſanctis in bona, ſic & impiis & peccatoribus in mala conuertentur.* Quod quomodo fiat, nunc diligentius attendendum: Et primo quidem de Bonitate Dei.

Cùm ſit Deus bonus & miſericors iam multis nos bonis præuenit, iam multa nobis condonauit peccata, iam multo tempore nos expectat ad pœnitentiam, nonne id fateris? At vero ſi illis non obſtantibus, pergis ſemper illum offendere, neque ſerio cogitas de emendatione, niſi cùm peccare non poteris, nonne iſta bona quæ tibi bonus Deus præſtitit te magis condemnabunt? Nonne grauius eſt peccare in Eum qui tam tibi bonus eſt, quàm ſi non eſſet ita bonus? Nonne eſt Infidelitas & Ingratitudo major ſic peccare in eum quem maxime deberemus diligere? Nonne eſt intoleranda crudelitas, ob id amicum & Benefactorem magis offendere quia amicus eſt & Benefactor? Nonne hoc eſt quod
Iob. 29. Amans præcipue queritur: *Quem maxime diligebam, auerſatus eſt me?* Itane velles tibi fieri? Itane te gereres cum quouis homine? Itane Deum minus vereris quàm quemlibet hominum? *Audite cæli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt, filios enutriui & exaltaui, Ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem*
Matth. 20. *ſuum*, &c. Vide Iſaiæ c. 1. & Ier. 2. *An oculus tuus nequam eſt, quia*
Rom. 2. *ego bonus ſum? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?* O quam aliter Sancti ſentiunt de bonitate Dei.
Sap. 12. *O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus*, inquit Sapiens, ſed quid inde? An offendendus? An offenſam diſſimulabit? Audi, vt pergit, *Ideoque eos qui exerrant corripis, & de quibus peccant admones, vt relicta malitia credant in te Domine.*

Eſt & egregius locus Micheæ 6. ſuauiter & fortiter vrgendus: *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ, quia iudicium Domini cum populo ſuo. Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui? Reſponde mihi, quia eduxi te de terra Aegypti.* Et quæ plura ibi habentur. Vide vſque ad hæc verba: *Salus erit timentibus nomen tuum.* Vide & Eccleſi. 5. & 16. *Secundum miſericordiam ſuam, ſic & correptio illius.*

In hoc valde erramus quod fingamus nobis Dei Bonitatem in

Digitized by Google

in eo tantùm eſſe vt benè nobis velit & faciat, nec peccata puniat, aut alias peccatorum pœnas exigat, quàm vt aliquando fieri ſolet in Feſtis ſolemnioribus, illa confiteamur, & de cætero, curſum eundem liberioris vitæ retineamus, quaſi non poſſet aliter fieri. Falſum id omnino eſt, & hoc expreſſè vetitum dicere & ſentire, vt ſæpe nobis erit dicendum. *Non dixeris, peccaui : & quid mihi accidit triſte ? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum : & ne dicas, miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur : miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* Hæc eſt alioquin inordinata fiducia, quæ vt ait S. Gregorius, *Apud omnipotentem Deum vindictæ locum habere poteſt : indulgentiæ verò obtinere non poteſt.* Hanc enim ipſe arguit indulgentiam in illis Patribus qui non ſatis ſeueri ſunt ſuis filiis, vt in Heli & aliis: Et certè quo quis eſt melior, eò magis in ſe ſuiſque omnibus odit peccatum ; & ab illa bonitate Sapiens laudat Deum quod cum ſit bonus & ſuauis, errantes corripiat, moneat & ſeriò alloquatur vt relicta malitia cordant in ſe, quaſi diceret, nec aliter credant aut ſperent niſi relicta ſua malitia. Sicque à benefactis ſuis atque à ſua bonitate ſe Ipſe quodammodo excitat ad puniendos eos quibus benefecit: *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ & non feci? An quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ : auferam ſepem eius & erit in direptionem, &c.* Denique hoc eſt peccare in Spiritum ſanctum ſic de bonitate Dei præſumere, vt alibi demonſtratur.

Eccleſ. 5.
In Libros Reg.
Sap. 12.
Iſ. 5.

SECVNDVM de Chriſto Domino, multum quidem facit ad ſpem noſtram, vt dictum eſt & pluſquam dici poteſt ; ſed qui tamen inde præfidunt & in ſuis præſumunt peccatis, quaſi ſecuri ſint quod Chriſtus paſſus ſit: hoc eſt Caluinicum, hoc eſt hæreticum, hoc eſt ab Eccleſia prorſus anathematiſatum, vt videre eſt in Tridentino. Nihil magis pauendum peccatori nolenti ſe conuertere quàm aſpectus Crucifixi, nam hoc primum poſitum à ſanctis inter motiua timoris. Ibi videt peccator aperttiſſime quid ſit peccatum, & quænam eius pœna. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. QVIA ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Ibi videt quanta ſit ſalus æterna, quale ſit bo-

Seſſ. 6. c. 16.
B. Laur. Iuſtin c. 4. De ligno vitæ.
Iſ. 53.
Luc. 23.

num pro quo Deus ſit patitur; & quod per peccatum contemnit. Ibi videt peccator quanti Deus fecerit animam ipſius pro qua dedit ſuam, quam tamen prodigit & mancipat Diabolo pro vna delectatiuncula, pro pecuniola, pro aliquo temporali bono! Ah probrum! Ah indignitatem! Ibi Dæmon exprobrat Chriſto Domino quod refert S. Cyprianus. *En peccatorem pro quo nec alapas nec flagella accepi cui nec requiem promitto neque regnum: ſed quem ſolum falſa pollicitatione deludo, & tamen ſe totum mihi tradit! Tuos tales munerarios Chriſte demonſtra præceptis tuis monitos, &c.* Tu huius blaſphemiæ author & cauſa quid dices? Quid dices Chriſto ex Cruce roganti te ne ſe offendas pro omnibus beneficiis quæ in te contulit, pro plagis, pro ſanguine, pro anima, pro vita, hoc vnum à te efflagitat, *Ne me offendas.* Ego vero, dices, eo te liberius offendam quo te magis video pati. Audereſne hoc? Et hoc ipſum reipſa & opere dicis quando non deſinis peccare præſumendo de Chriſto.

De Eleemoſy. & Miſeric.

Pſ. 128. *Supra dorſum meum*, inquit, *fabricauerunt peccatores*, Seu vt habet alia verſio *arauerunt*, id eſt, non me aliter tractauerunt quam ſi vomere & aratro carnem meam euulſiſſent in ſulcos: & ſicut Arator ex arata terra ſperat meſſem, ita peccantes ex pœnis meis ſuam præſumunt ſalutem, quod dum faciunt me magis grauant quàm dum paterer quia me priuant fructu meæ Paſ-
Iſaiæ 27. ſionis, *Iſte omnis fructus vt auferatur peccatum*, Et illi magis affe-
S. Thomas. runt. Et certe grauior eſt priuatio finis quàm eorum quæ impenduntur ad finem, vbi notandum eſt quod non tantum priuatur fine ſed contrarij effectus eſt cauſa ſiue objectum, quatenus inde peccator magis obfirmatur. Atque hinc illius gemitus per
Iſ. 49. Prophetam: *In vacuum laboraui ſine cauſa & vane fortitudinem meam*
Luc. 2. *conſumpſi.* Hinc illa prædictio Simeonis: *Ecce poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum.* Hic Lapis & Petra Scandali de qua
1. Pet. 2. Iſ. 8. Rom. 9. & 7. 1. Petr. 2. & hinc illud Apoc. 6. *Abſcondite nos ab ira Agni.* Nihil quippe terribilius, vt declaratur in 3. parte, Sabbato ſecundæ Hebdomadæ.

SEQVITVR tertium de profeſſione Chriſtiana. Magnum ſane beneficium. Sed quid eſt eſſe Chriſtianum? An ſolùm frequentare Eccleſiam, recitare roſarium & ſimilia quædam exercere pietatis officia? *Apertius ſub tali nomine peccamus*, ait Saluia-

Digitized by Google

nus: & ſanctus Auguſtinus. *Deprehenderis*, inquit, *& detegeris Chriſtiane, quando aliud agis & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere, non tenens promiſsionis tuæ fidem: modo ingrediens Eccleſiam orationes fundere, poſt modicùm in ſpectaculis cum hiſtrionibus impudice clamare! Quid tibi cum pompis diaboli quibus renuntiaſti?* Vel credis quæ de peccato dicuntur, vel non credis. Si non credis, falſo te Chriſtianum iactas, & hypocritarum te pœna manet; *Pars eius cum hypocritis*, inquit Dominus. Quod ſi credis, & tamen tam liberè peccas, ah manifeſtus contemptus. Quid! credere per peccatum offendi Diuinam Maieſtatem, præſentem, potentiſſimam, Iuſtiſſimam: & nihil plane curare! Credere per peccatum perdi omnia merita, perire cœlum, perire tibi Chriſtum: Et tamen tam facile peccare quam ſi nihil eſſet! *Propter hoc, amplius accipietis Iudicium*, inquit Dominus, *Ille ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui & non fecit, vapulabit multis.* Ah Chriſtianus eſt. Sed fecitne voluntatem Domini ſui? *Vapulabit multis.* Audiuit ſacrum & concionem, *Vapulabit multis*, quia ſciebat & non fecit.

l. de Prou. *S. Aug. ad Catech.* *Matth. 24.* *Matth. 23.* *Luc. 12.*

III. PVNCTVM.

HINC ergo patet quam vere dictum ſit, *Poſuiſti firmamentum eius, formidinem:* Et quàm vere magis illi timendum ſit, vbi ſolet magis præſumere. Nam quando hoc vnum eſſet, ita præſumere, ſatis eſſet ad perditionem. Etiam quando tu omnium ſanctorum merita ſolus haberes, non eſſet præſumendum, ſed ſemper timendum & cauendum à peccato ſicut Apoſtolus dicebat & ſentiebat: *Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Tu vero ſceleribus plenus tibi arroges cœlum! tu præſumas cœleſtem Gloriam & non timeas! *O præſumptio nequiſsima*, ait Sapiens. Hæc fuit Iudæorum perditio vt exprobrat illis Propheta: *Ecce vos confiditis vobis, in ſermonibus mendacij qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter. Et veniſtis & ſteriſtis coram me in domo hac.* Vide locum Prophetæ.

1. Cor. 4. *Eccleſ. 37.* *Ier. 7.*

Denique ſic Idem penitus accidet quod Amano illi ſuperbiſſimo homini, qui cùm ſe iactaret de Gratia quá valebat apud Regem & Reginam Eſther, ibi inuenit ſuum interitum vbi præſumebat habere meritum. *Eſther 7.*

Digitized by Google

Caueant itaque, ſemperque Deum timeant & ſanctos imitentur, qui vt ait S. Gregorius, *Poſiti inter gaudium ſpei & tentationis metum, confidunt & timent, confortantur & titubant, certificantur & ſuſpecti ſunt.*

Lib. 20. Mor. c. 5.

CAPVT NONVM.

QVOD NEC CHRISTO CREDITVR, NEC OBEDITVR.

Nullus eſt Chriſtianus qui non credat Chriſtum eſſe Filium Dei: & vix vllus eſt Chriſtianus qui hoc verè credat.

Vide in 3. parte, in Feſto Transfigurationis Domini, vbi hæc Veritas explanatur, afferturque Symbolum duodecim Articulorum fidei Practicæ à Chriſto prædicatæ cui vix omnino creditur. Additur & Decalogus, decem ipſius Chriſti Domini præceptorum, quibus & plane contradicitur.

CAPVT DECIMVM.

QVIDQVID DE CHRISTO SE SCIRE DICANT IMPII, CHRISTVM NESCIRE DICENDI SVNT.

In 4. parte, Feria 4. Hebdomadæ 19.

CAPVT VNDECIMVM.

CHRISTVM E COELO NOBIS LOQVENTEM NON AVDIRE PERICVLOSIVS EST, QVAM DVM IN TERRIS LOQVERETVR.

Videte ne recuſetis Loquentem. Hebr. 12.

In 2. parte, In die Aſcenſionis Domini.

Digitized by Google

CAPVT DVODECIMVM.

NVLLA NISI PRIMARIA SATIS ESSE POTEST CVRA DE PECCATIS EVITANDIS.

In 4. parte, Dominica 18.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DE MALO PECCATI MORTALIS, SIVE AD POENITENTIAM DE PRAETERITIS, SIVE AD CAVTELAM DE FVTVRIS, SIVE AD TEMPORALES MISERIAS MITIVS FERENDAS.

Scito & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Ier. 2.

Malo peccati nullum par aliud malum.

RATIO *quæ alias omnes complectitur ſic formari poteſt, quia quod eſt malum Dei, Chriſti Domini, & ipſius in omnem æternitatem, animæ, tale eſt malum vt par illi aliud nullum ſit malum.*

Sed peccatum, malum eſt Dei, Chriſti Domini, & ipſius in omnem æternitatem, animæ.

Igitur malo peccati nullum par aliud malum. Quod profectò eſt diligentiſſime perpendendum, ad fines ſupra dictos.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

PRIMA propoſitio breuiter expediri debet, declarando quod cùm omne malum, ſit relatiuum malum, id eſt, reſpectu habito ad perſonas quarum eſt malum, hinc ſequitur tanto eſſe grauius malum, quo perſonæ vel plures vel digniores, vel inſignius offenduntur; vel quando damna ſunt plura & grauiora: Vnde Sapiens, *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cùm receſſerit, tùm gloriabitur*, Id eſt, vnuſquiſque malum de re quapiam pronuntiat prout ad ſe refert rem illam de qua cum alio diſceptatur.

Prou. 20.

Cùm verò perſonæ nullæ ſint digniores quàm Deus in ſe conſideratus, vel vt homo Deus, qui dicitur Chriſtus Dominus, vel quàm Animæ noſtrę Immortales ad æternam procreatę Beatitudinem: quis non intelligat, vt quod illis eſt ſimul malum & aduerſum, ſit tale in genere ſuo malum, nullum vt illi aliud nec genere nec ſpecie, nec indiuiduo par inueniri poſſit? *Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit ſanctus?* Vide Locum.

Iſ 40. & 46.

II. PVNCTVM.

SED *peccatum, malum eſt Dei, malum eſt Chriſti Domini, & malum noſtræ in omnem æternitatem animæ.*

Quod cùm variis explicari poſſit modis, tùm hic videtur accommodatior, vt ſicut peccatum comparatur cum illa ferociſſima bellua decem capitum quæ viſa eſt à Daniele Propheta, ſic quæcumque hic de ſingulorum dicentur malo, referantur ad decem capita quæ quiſque dicendo poſſit magis aut minus enarrare, prout vno aut pluribus voluerit narrationem proferre diſcurſibus.

Dan. 7.

Primò, peccatum dicitur malum Dei, vt eſt vnus Deus in natura. Secundò, vt eſt Trinus in perſonis. Tertiò, vt eſt æqualiter Infinitus in Diuinis attributis. Quæ tria mala fuſiſſime declarantur in hac 3. parte, Dominica prima, vbi de ſanctiſſimo Myſterio Trinitatis, cui peccatum directè opponitur.

Quartò, malum eſt Dei, quo Deus præſens offenditur à vili creatura propter leuiculare commodum. *Me præſente, in domo mea! ET violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis!*

Eſther 7.
Ezech. 15.

Digitized by Google

Quintò, Dominationis diuinæ malum eſt & offenſa, quatenus peccator à Domino Deo ſuo ſe ſubtrahit perfringendo leges eius, ſtatuta, imperia, iura, & fœdera, *Confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiam.* Ier. 2

Sextò, Bonitatis & Miſericordiæ Dei manifeſtus eſt in peccatore contemptus. *Etenim quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Nonne ſi ſtatim atque peccas te puniret Deus, Deum magis timeres? Quid eſt autem quod te non ſtatim puniat niſi quia bonus eſt, niſi quia patiens & longanimis & multæ miſericordiæ? *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Eccl. 8. Rom. 2.

Septimò, Sanctitatis illius, quam præcipuo quodam cultu ſancti venerantur, grauis eſt offenſa; Nam vel peccator putat Deum peccata noſtra parùm vel multùm odiſſe ac deteſtari. Si parum, parum eſt illi Sanctus Deus: *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis?* Si multum, quomodo non veretur peccando tantum exacerbare odium? En noſti quod reuera eſt, Deum tanto peccatum odiſſe odio, quanto amore amat legis æternæ rectitudinem cui peccatum aduerſatur, id eſt, amore infinito ac ſimili conſequenter odio, tu tamen illud odium tam facilè commoues quam facile peccas! Peccas certe & grauiter in Diuinam Sanctitatem. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael.* Pſ. 49. Iſ. 1.

Octauò, Sapientiam qua Deus cuncta regit & gubernat, peccator offendit, & quantum in ſe eſt, vexat, impugnat, inuertit & omni modo perſequitur. Nam præterquam quod peccato ſuo ſe ab illo Diuinæ gubernationis ordine quem præfixum habebat ſubtrahit: quid aliud vellet aut nollet peccator, quam quod ſuæ lubet libidini? Quid eſt autem hoc aliud velle quàm quod nolit Deus: aut quid nolle aliud quam quod Deus velit? Ac tandem quid hoc totum eſt, ſic aduerſari Deo, niſi ſe toto Sapientiam eius & regimen velle inuertere, conturbare, diſſoluere? *O plene omni dolo & omni fallacia, fili Diaboli, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas!* Act. 13.

Nonò, Diuinam plane peccator irridet Iuſtitiam: Cùm enim non ignoret quantas Deus peccatori ſit comminatus pœnas, cùm probe ſciat vno ſolo peccato tot caſtigata vel Angelorum vel

Digitized by Google

hominum millia; tot vrbes, tot ciuitates, tot regna, totum denique diluuio periiſſe mundum: cum in eius manu quem offendit ſe ita poſitum credat, vt ſi manum velle ſubtrahere, ſtatim in Infernum præceps decideret, vbi ſempiterno torqueretur igne; neque tamen ceſſet à peccato, quid eſt irridere Deum niſi hoc ſit? Quid eſt quod ait Apoſtolus, *Deum non irrideri*, niſi quod peccatores Diuinam contemnendo iuſtitiam, Deum irrident qui tamen non irridetur, quia Diuinam illam aliquando ſentient iuſtitiam.

Gal. 6.

Decimò, tale Dei malum eſt peccatum, vt quoddam velut deicidium dici poſſit: quam enim Deus habebat vitam in anima per charitatem & gratiam, plane peccato tollitur; vnde & quia ſimul anima moritur, idcirco à Scriptura dicitur, *Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas*, Id eſt, duplicem inferens plagam & mortem, Deo videlicet & animæ peccatrici.

Eccleſi. 21

Adde quod ait S. Bernardus de propria voluntate, prout eſt peccati cauſa, *In ipſum, horribile dictu, deſæuit authorem, & quantum in ipſa eſt, Deum perimit. Omnino enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quæ quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut injuſtum eſſe, aut inſipientem. Crudelis plane & omnino execranda malitia, quæ Dei Potentiam, Iuſtitiam, Sapientiam perire deſiderat.* Nonne hoc eſt, eſſe malum Dei?

Serm. 3. de Reſurr.

SED & apertius etiam id, in Chriſto patebit, qui cùm propter peccatum tanta ſit olim paſſus: nunc verò magis à peccato patitur, propter has decem cauſas quæ ſunt illi velut decem plagæ quibus mirum in modum affligitur.

Prima quæ multas continet, quia quod à pluribus olim eſt paſſus, nunc à quouis peccatore per vnum ſolum peccatum patitur; nam ſimul venditur, negatur, accuſatur, flagellatur, condemnatur, crucifigitur, & moritur; vt in die paraſceues in 2. parte, videri poteſt ampliſſime declaratum.

Secunda, Chriſtus ſemel tantûm pro peccatis olim eſt crucifixus & mortuus, nunc vero rurſum & quoties iteratur peccatum, Vox illa vox impletur Apoſtoli: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſos filium Dei, & oſtentui habentes*. O quoties repetitam plagam!

Hebr. 6.

Tertia, ſic volebat olim pati propter peccatum, nunc vero tam inuitus

Digitized by Google

inuitus à peccato patitur, quam inuiſum eſt illi quoduis peccatum. *Quæ nolui elegerunt.* *Iſ. 66.*

Quarta, tot abundat bonis Chriſti Paſſio, vt inde quidquid gratiæ Sacramenta continent omnia, velut à fonte deriuetur: peccatum autem mera eſt malitia, mera malignitas, & ipſa *deſolationis abominatio*, Cuius imago quædam fuit euerſio ciuitatis Ieruſalem. *Matth. 24.* Cumque is patientis Chriſti fructus & finis præcipuus fuerit vt auferretur peccatum, quid contra directius quam quod peccatum renouat? Quid contra Chriſtum acrius & vehementius quàm ſi deſtruatur quod ædificatum voluit, aut quod deſtruxit, ædificetur? *Vnus ædificans, & vnus deſtruens quid prodeſt illis niſi labor? Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* *Eccleſi. 34.* *Pſ. 29.*

Quinta, quantumcumque grauis & acerbus eſſet Chriſti patientis dolor, erat tamen dolor Chriſti tantum patientis ſecundum illam quâ ſolâ pati poterat humanam naturam; at vero peccatum ſic Diuinam ipſam petit & offendit naturam vt ſi Diuinitas pati & mori poſſet, per peccatum moreretur, vnde quàm vere dixit Chriſtus, *Pater major me eſt*, tam verè magis diligit & colit Patrem quàm ſeipſum, ac proinde & magis etiam ex conſequenti dolet ſuum Patrem offendi per peccatum, quàm ſe per crucem cruciari. *Ioan. 14.*

Sexta, quod erat Chriſto patienti valde jucundum, ſic Deo Patri reconciliare homines, hoc illi ex oppoſito plurimum graue ac moleſtum in peccato quod perpetratur, ſic homines ab offenſo deſiungi Deo. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* *Iſ. 59.*

Septima, ſi glorioſum Chriſto fuit, vt certe fuit, *Per mortem ſuam illum deſtruere qui habebat mortis imperium, id eſt Diabolum*, quod expreſſè refert Apoſtolus: Nonne hanc Chriſto peccator tollit gloriam, qui peccato ſuo, ſui totum imperium reddit Diabolo, quod Chriſtus eripuerat? Et quid Chriſto magis ignominioſum quam ſui loco videre in anima tua regnantem Dæmonem aut ipſum audire hoſtem ſibi exprobrantem, quod nihil paſſus pro te quem poſſidet, neque regnum habens cœleſte quod tibi vmquam promittat, facilius tamen ille te poſſidet quam ipſe Chriſtus! O probrum! ô malum Chriſto Domino, ſi quod à nobis eſſe poteſt malum! *Hebr. 2.*

Octaua, quid ingratius & acerbius poteſt accidere Benefactori munifico quàm illius ingratitudo cui beneficium contulit, quando præcipue tanta ingratitudini conjuncta eſt impietas vt ex collato beneficio fiat audacior ad ipſum Benefactorem ſuum liberius offendendum? Vix inter homines tanta reperitur immanitas: At vero illa eſt frequentiſſima quam Chriſto peccator exhibet. Nam primo quidem cùm Chriſtus pro eximio illo quo nos afiecit Redemptionis beneficio, nihil magis à nobis deſideret, quam ne peccemus; Poteſtne quis peccator eſſe, & non eſſe ingratus? Quidquid enim reddas, niſi quod velit Benefactor & quod poſſis, reddas, ingratus es. Deinde verò ſi de ſalutis periculo peccatorem Conſcientia forte ſtimulet, nihil eſſe periculi dicet peccator, nihil quod metuat: quia videlicet Chriſtus eſt paſſus, & patiendo peccatorem redemit. Nonne hoc ipſo peccatur audaciùs, nonne propterea minus timetur, nonne idcirco projectius in omne crimen curritur? Nonne hinc denique peccati contra Chriſtum immanitas & ſæuitia maniſeſte apparet? Sic apte Sapiens, poſtquam
Eccleſi. 29. monuit: *Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*, tum conſequenter addit: *Repromiſſorem fugit peccator & immundus. Bona Repromiſſoris ſibi aſcribit peccator, & ingratus ſenſu derelinquit liberantem ſe!*

Nona, cùm Chriſtus moreretur, certo ſciebat ſe quantocyus reſurrecturum, *Quia*, inquit, *ego pono animam meam vt iterum ſu-*
Ioan. 10. *mam eam. Et poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* At vero cum in corde peccatoris moritur, quandónam ibi reſurget? Forte numquam, aut nonniſi tardiſſime, vel niſi quando peccatori placuerit, poſt multas Chriſti ſe offerentis repulſas & neglectas gratias.

Decima ex illis Chriſti verbis colligitur, *hoc mandatum accepi à Patre meo*, nempe illud erat quo quidquid ageret & pateretur, ita condiebat, vt quo magis pateretur, tanto ſe magis gauderet pati, quod ita pateretur ex mandato Patris, vt nobis exhibendæ Deo ſimiliter daret exempla obedientiæ. Nunc verò in peccato cùm videat oppoſitam omnino peccantis inobedientiam, quantam illi putas peccatum inferre plagam, quàm vehementem, quàm acerbam! Suntne hæ peccator, expectationes meæ! Nec dubium quin his ſæpe à peccando verbis properantem in peccatum retardet animam; ſed quod prædictis cumulum affert malis, tam

Digitized by Google

præceps in libidinem ſe ſe anima projicit, vt ipſum licet videat Chriſtum pendentem aut iacentem, tamen non retardetur & quod ait Apoſtolus, *Ipſum Dei conculcet Filium.* *Hebr. 10.*

Nonne diceres illam eſſe Romanam ſerui Tullij filiam & Tarquinij ſuperbi coniugem quæ in iacentem humi Patrem imperauit rhedam ſuam reſilientibus etiam ad tantum crimen equis, inuehi ac intrudi, vnde vico, ſcelerati nomen eſt inditum.

ATQVE hæc ſunt ex multis pauca quæ peccati malum quàm ſit Chriſto graue demonſtrent, vnde reſtat tantum exponere quam ſit ipſi pernicioſum animæ peccatrici, quæ decem inde damna longè infenſiſſima, peccando contrahit.

Primum eſt, Diuinæ priuatio Gratiæ, necnon illius amicitiæ quæ Deum inter & animam gratioſam intererat, *Ipſi ad iracundiam prouocauerunt & afflixerunt Spiritum ſancti eius: & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos!* *Iſ. 63.* O quanta ſtatus animæ diuerſitas quæ Deum habet amicum aut inimicum!

Secundum eſt, quòd cùm anima gratioſa tam pulcha eſſet in oculis ſui ſponſi, vt ſponſus admirans illi diceret, *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es:* *Cant. 4.* Fit vero per peccatum tam deformis, vt Ipſe illi eidem cum ſtupore objiciat: *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* *Ier. 2.*

Tertium, quæcumque ſibi merita comparaſſet, his plane omnibus excidit: *Omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur,* Dicit Dominus per Prophetam: *Ezech. 18.* & S. Cyprianus, *Hæc ſunt*, inquit, *peccata lapſis quod grando frugibus, quod turbidum ſydus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod nauigiis ſæua tempeſtas.* *l. de Lapſis.*

Quartum, quidquid boni agat, nihil ad cœli Gloriam proficiet. *Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum, itaut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt,* ait Apoſtolus. *1. Cor. 13.*

Quintum, neque ad illa quæ ex veteribus contracta ſunt peccatis debita perſoluenda, quidquid facit, quidquid faciat peccatrix anima, quia cum ſit ipſa mortua, mortuum & eius opus dicitur, ac nullius in æternam vitam promeriti. *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?* *Iſ. 58.* Vide locum Prophetæ ſatis amplum, necnon Ezech. 15. vbi de ligno vitis ambuſto, vnde nihil fieri poſſit operis. *Ezech. 15.*

Digitized by Google

Sextum, Protectione ſingulari cùm ſibi caram animam fouerет Deus; tùm vero peccatricem deſerit, & vel Dæmonibus vel
2. Par. 24. ſuis mancipatam cupiditatibus abjicit. *Quare tranſgredimini præceptum Domini quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominum vt derelinqueret vos?* Quaſi peccatoribus diceretur, Putabatis peccando, vos veſtra melius procuraturos negotia: Sed longe fallimini, cùm in peccatis veſtris derelinquatis Dominum, & in veſtris vos Dominus derelinquat negotiis.

Septimum inde ſequitur, vt quæ Dei Patris erat filia, quæ Chriſti Domini ſoror; & quæ Spiritus ſancti ſponſa, mox vbi peccatum admiſit, fiat Dæmonis ſerua, captiua, ludibrium.
2. Tim. 2. *Reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.* A quo
2. Petri 2. enim *quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* O ſi hæc peccator expenderet.

Octauum, qui Iuſtorum precibus promiſit omnia, negat omnia precibus peccatorum. Etiam cum multiplicauerint oratio-
Iſ. 1. nem, *Non exaudiam, inquit Dominus.* Parumne hoc cenſeri debet peccatori cui hoc vnicum videbatur reſtare bonum, vt oraret, & tamen ipſa eius oratio non modo nihil exorat, ſed ſæpe
Pſ. 108. inſuper tranſit in peccatum, vt ait Pſaltes.

Nonum, certiſſima cœli hæres erat anima cum erat in gratia quæ ius ad cœlum tradit: at cum excidit per peccatum illa gratia, cœlo etiam protinus excidit & illa ſancta ciuitate procul
Apoc. 21. amandatur, *In quam non intrabit aliquod coinquinatum*, Vt audiuit & retulit dilectus Chriſti Diſcipulus.

Decimum denique, quod eſt velut peccati centrum quò ſuo tendit impetu ſecumque peccatorem rapit, æterna eſt damnatio,
Apoc. 21. *Mors illa ſecunda eſt quod ſtagnum dicitur ardens igne & ſulphure.* Nam mors prima quæ multas alias continet de quibus dictum eſt, mors eſt animæ peccatoris, mors eſt ipſius Dei qui per charitatem viuebat in anima, mors eſt meritorum omnium, mors eſt vitæ beatæ ac æternæ; quæ mors quantumuis multiplex, vna tamen
Iac. 1. cenſetur quæ ſimul ac peccatum eſt, *generatur*, vt ait ſanctus Iacobus: tum verò pòſt ſicut de peccato in peccatum naturali quod vocant pondere tenditur, ſic de morte ad mortem, de morte prima ad ſecundam, quæ ratione quidem pœnæ ac permanentis ſtatus vnde numquam redeatur, mors eſt prima grauior, ſed ratione mali ſimpliciter dicti, mors prima grauius eſt malum,

Digitized by Google

nam eſt malum culpæ, quod eſt malum offenſi Creatoris, pœna vero tantummodo malum eſt creaturæ, neque tam graue cenſendum eſt puniri quauis pœna, quàm pœna dignum fieri. O quam vere Apoſtolus: *Stipendia peccati mors*, Quaſi diceret, hæc eſt merces quam peccatum ſuis rependit ſeruis. Hoc eſt ſalarium quod referunt peccatores. Hoc vno *mortis* verbo decernitur, illos omnibus priuari bonis, illos omnibus cumulari malis, quod & paucis Sapiens multa complexus, *Illos Dominus irridebit: & erunt poſt hæc decidentes ſine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolabuntur.* Rom. 6. Sap. 4.

III. PVNCTVM.

QVÆ cum ita ſint; Quis non videt quam ſit verũ, *Quod malo peccati nullum par aliud eſſe malum*: Cùm ſit malum Dei, malum Chriſti Domini, & malum ipſius in omnem æternitatem animę peccatricis? Quo certe malo quid grauius, quid acerbius dici aut fingi poteſt? Vnde quod ait Dominus per Prophetam: *Scito & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum*, perinde eſt ac ſi diceretur: cùm tres præcipui reperiantur modi quibus in cognitionem boni vel mali deuenitur, nempe Fides, Scientia & Experientia; tres hi modò tibi offeruntur modi quibus agnoſcas quale malum ſit peccatum. Nam primò cum Deus hic loquatur, habet Fides quod certo credat: Deinde verò cùm Ratio & cauſa cur ita ſit afferatur, nonne hoc eſt quod euidentem facit ſcientiam? Denique cùm ipſo prope ſenſu damna quæ inferuntur à peccato, percipias, quid eſt quod experientia manifeſtius agnoſci poſſit, quam quod de malo iſto relatum eſt?

Quod quia maximi refert cùm ad præteritæ tum ad futuræ cautionem vitæ, probe ab omnibus intelligi: propterea decem ex ſupra dictis colligo Capita quæ ſint velut quædam Corollaria quibus vnâ ſimul apertius declaretur quàm ſit reuera malum & amarum peccatum.

Primum eſt, quod quidquid de hoc malo dicant ſcribantue homines, vel ipſi etiam Angeli, nihil tamen ſatis atrox & acerbum loqui poſſunt quo eius exprimatur malitia, quia quidquid dixerint Creaturæ, totum finitum eſt, malitia vero peccati tam

Digitized by Google

prope eſt infinita, quam ipſa Dei Majeſtas quæ peccato violatur? Quamobrem ſacra Scriptura non tam verbis quam rebus vtitur vt hoc nobis repræſentet malum. Verba cuiuſcumque linguæ ſatis expreſſa deſunt: res inter vniuerſas, quæ ſint deterrimæ, quæ ſint magis odibiles & magis execrandæ depromuntur ad ali-

Deut. 32. quam huius mali partem exprimendam: *Vua eorum*, inquit, *vua fellis, & botri amariſſimi: fel draconum vinum eorum, & venenum*

Eccleſi. 21. *aſpidum inſanabile. TAMQVAM a facie colubri fuge peccatum; dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.*

Luc. 3. *PROGENIES viperarum quis vobis oſtendit fugere à ventura ira?*

Iſ. 1.

Ioel 1. *VVLNVS & liuor & plaga tumens. COMPVTRVERVNT iu-*

Matth. 23. *menta in ſtercore ſuo. SIMILES eſtis ſepulchris dealbatis.*

Apoc. 3. *NESCIS quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus & nudus.* Nonne his & ſimilibus abundant Scripturæ ſymbolis?

Quid, quod de Deo refert quæ à peccato patitur, quæ certe nimis indigna Deo eſſent, niſi magis apta eſſent ad peccati ſæ-

Gen 6. uitiam demonſtrandam. Tale eſt iſtud Geneſis, *Tactus dolore cordis intrinſecus, pœnitet, ait, me feciſſe hominem:* Sic in Pſalmis: *Exacer-*

Pſ 10. 105. *bauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Et iratus eſt furore Dominus, & abominatus eſt hæreditatem ſuam.*

Denique, ſi quantulacumque peccati poſſit Imago pingi, cerne ſubſtratum pedibus Archangeli Michaelis Dæmonem: Vide quàm horrendâ iacet figurâ: quidquid Pictor aut Sculptor finxerit, minus eſt quam quod reipſa eſt. Vnde autem putas tantum Dæmonibus indictum eſſe horrorem? Solius peccati eſt vitium, non naturæ: natura illorum erat tam decora quàm ipſius Michaelis. Tolle peccatum à Dæmone, Michaelem facis. Pone peccatum in Michaele vel quouis Seraphino, Dæmonem effeciſti. Lege caput 28. Ezechielis, & videbis qualis eſſet Dæmon ante peccatum, quàm decorus, quàm ſplendidus, quàm perfectus; cúmque inde in alium plane oppoſitum demigraſſe ſtatum cernes, cernes in peccato quanta ſit fœditas, quantus horror, quanta execratio.

Secundum quod ex dictis colligas eſt, nihil extra hominem, in tota rerum vniuerſitate reperiri quod ipſi plus nocumenti afferat, quàm ipſe homo ſibi per peccatum. Non ſi totus in te conſpiret orbis, non ſi tota cœleſtium aut inferorum acies conjurarit in perniciem tuam, tantum tibi nocere poſſint quam tu tuo

peccato. Quid enim inferant detrimenti? Bona eripient, famam obſcurabunt, corpus diuellent, vitam auferent, quid ſunt hæc omnia, ſi pura & immunis à peccato fuerit anima? Quid ſunt hæc omnia ſi vel cum vno peccati damno comparentur, Quod eſt inuiſum eſſe Deo? Quod quia non ignorat humani generis hoſtis, hoc vnum quærit vt in peccatum inducat hominem. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, vnde cùm à nobis peccatum pendeat, ſicque nobis ipſi malum hoc inferamus, rectiſſime dicitur Tobiæ ab Archangelo Raphaele, vt iam ſuprà relatum eſt: *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ*; ſunt illi veri hoſtes, non alij, quia ſunt illi qui ſibi verè nocent. *Gen. 14.* *Tob. 12.*

Tertium ex dictis inferendum; Licet de illo peccati malo particulatim fuerit dictum, quod in Deum redundat, & in Chriſtum, & animam: tamen inde etiam facile colligi, quantam in res cæteras ſtragem edat, quod quia diuerſis agitatum eſt ſuprà diſcurſibus, plura hic reticentur, videndaque eſt in 2. parte, Feria 6. Hebdomadæ 1. poſt Octauas Paſchæ: & Sabbatum ſequentis ibi Hebdomadæ: nec non in hac 3. parte, Dominica 3. vbi de oue perdita & inuenta.

Quartum eſt, præter illud malum quod vniuerſim ſeu in genere dictum eſt de peccato: dici poſſe ſigillatim de ſingulis vitiis malum aliquod particulare quod ſpecialem vt vocant contineat malitiam, & quo ſingulariter offendatur Deus à Chriſtus, ipſaque peccatrix lædatur anima. Suum enim vermen ac proprium virus habet Superbia, ſuum Inuidia, ſuum luxuria, ſuumque pariter cætera vitia. Quodque eſt ad malitiæ peccati ſtupendum incrementum, ſic eſt ſingulis ſua ſingularis addicta vitioſitas, vt hæc tamen omni peccato ſit certo quodam modo communis; nam in omni peccato ſuperbia quædam eſt, quædam inuidia, quædam adulterij ac mendacij ac etiam idololatriæ ſpecies, quædam ebrietas, & quædam injuſtitia, propter quam & illud vſurpari poſſit. *Qui offendat in vno, factus eſt omnium reus.* *Iac. 2.*

Quintum, tanta eſt præ cæteris huius mundi malis vel vnius peccati quantumuis parui malignitas, vt omnia mundi mala Deus poſſit aſſumere, paupertatem, ignominiam, famem, ſitim, nuditatem, frigus, æſtum, angores animi, metum, flagella, triſtitiam atque ipſam mortem, mortem autem crucis, quo vno verbo, quidquid malorum eſt continetur; peccati vero vel minimi ma-

Digitized by Google

Hebr. 4. culam, non omnino poſſit induere, *Tentatus per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.*

Sextum, etſi perdideris omnia præter gratiam, cœlum tibi certò reſtituet omnia perdita. Perdideris vero gratiam per peccatum: an ita certo recuperabis? Recuperabis, inquies, ſi pœnituerit; Sed an certo pœnitebit? Nonne opus Gratia quæ merum eſt Dei donum, quam nullis vmquam demereri potes operibus, potes autem contrà tuis peccatis ſic illam offendere, ſic auertere, ſic prohibere, vt non modo efficacis defectu gratiæ non reſurgas à peccato, ſed in aliud atque aliud incidas vnde vix vmquam poſſis emergere.

Hoc eſt ſcilicet, hoc eſt expauendum peccati malum, vt ſit vnum alterius cauſa & pœna; quod expreſſè docet D. Thomas 1. 2. q 75. a. 4. poſt ſanctum Papam Gregorium, cuius eſt valde notanda ſententia, libro primo ſuper Ezechielem, in hæc Prophetæ verba: *Si conuerſus Iuſtus à iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Hom. 11. in c. 3. *DISTRICTA ſunt*, inquit ſanctus Doctor, *omnipotentis Dei iudicia, Et qui peccatorem diu expectat vt redeat, non redeunti atque contemnenti, ponit adhuc vbi grauius impingat. Peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſa peccati ſimul & pœna peccati. Iuſto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, vt qui flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulari.*

Quod poſtquam fuſius allatis declarauit exemplis, ſic rurſus expendendum nobis proponit & Sacris Scripturæ confirmat teſtimoniis. *Hoc autem*, inquit, *nobis cum tremore conſiderandum eſt, quomodo iuſtus & omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit vt cæcata mens in aliis labatur, vnde Moyſes ait, nondum* Gen. 15. *completa ſunt peccata Amorrhæorum. Dauid quoque ait: appone iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum, vt non intrent in iuſtitiam tuam.* Pſ. 68. *Propheta etiam alius dicit: maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Oſee 4. *Sanguis enim ſanguinem tangit quando peccato peccatum additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apoſtolus ait, vt impleant peccata ſua ſemper. Ioanni quoque per Angelum dicitur: qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: Vnde nunc etiam Dominus dicit, Si conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua* 1. Tim. 2. Apoc. vlt.

fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo; ac ſi aperte dicat, quia videre pœnitendo noluit vbi iam impingit, iuſto eum iudicio deſerens, ponam ei vt alibi impingat. Quod tamen Domini ponere eſt, nequaquam ad peccandum premere, ſed nolle à peccato liberare, ſicut de Pharaone dicitur, Ego indurabo cor eius. Hæc & plura ſanctus ille Doctor quæ peccati prauitatem ſatis demonſtrent.

Septimum, ſed eſto detur gratia reſurgendi; detur Chriſto paſſo ac mortuo quod peccatum pœnitendo deleatur: quale putas illud ad peccati grauitatem indicandam, quod ſit piaculum tam execrandum, nullis prorſus vt humanis aut Angelicis viribus ac meritis expiari poſſit; ſed oporteat ipſum Diuinum ſanguinem, ipſum totum ſimul cum vita Diuinum fundi ſanguinem, vt vel vnum poſſit remitti peccatum, quod numquam alioquin ſolueretur. Quod ita verum eſt, vt quoties iteratur peccatum, toties illi ſoluendo, rurſum iteranda eſſet Chriſti paſſio, niſi meritum ſuum infinitum noſtris incluſiſſet Sacramentis, quæ fuſum quodammodo renouant ſanguinem, dum eius vim ac valorem applicant peccatori. Agnoſce vulnus peccator, agnoſce vulneris tui grauitatem; pro quo Chriſtum oporteat quoties peccas, vulnerari.

Octauum, ſine tali remedio nulla quidem peccati fieret ſanitas, ſed qualecumque ſit remedium & qualicumque modo applicatum, niſi quod ſuum eſt peccator etiam faciat, nulla vis erit remedij, nullus Diuini valor ſanguinis. Quod autem à peccatore præſertim exquiritur, dolor eſt ſuper omnem dolorem, Id eſt, qui ſummus haberi poſſit, ſi non intenſiue vt vocant, at profectò appretiatiuè, quia videlicet ſummum eſt malum quod deploratur, *Sicut fuit ſenſus veſter vt erraretis à Deo, decies tantum, iterum conuertentes requiretis eum.* Bar. 4.

Nonum, ac verò licet pœnitenti remittatur culpa, non idcirco pœna omnis ſoluitur, ſed luenda reſtat grauis, diuturna, temporalis, & ſpiritualis, quales leguntur in Scripturis plurimæ vel à Deo latæ, vel ab Eccleſia conſtitutæ, vel ab ipſis vltro aſſumptæ pœnitentibus, vt iam ſupra commemoratum eſt. *Ego autem in Die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum*, Quaſi diceret Dominus, Culpam ego quidem remitto, ſed pœnam eius reſeruo quam ſtatuto infligam die, vnde & ſtatim ſequitur: *Percuſſit ergo Dominus populum*: Vide ſupra vbi de Indulgentiis. Exodi 32.

Digitized by Google

Decimum, quæcumque porrò pœna vel vni peccato Diuinitus ſtatuatur, ſemper infra condignũ eſt, aiunt omnes Theologi, 2. Reg. vlt. ſemper major eſt culpa quam quæuis pœna. Contemplare ſeptuaginta illa virorum millia quæ ob vnam Dauidis vanitatem occiſa ſunt, magna certe ſtrages & horrendum ſupplicium, ſed tamen minus malum quam illa Dauidis vanitas. Rex ipſe Iudæorum Herodes cum oblatam à populo gloriam paulo auidius Act. 12. quàm par erat hauſiſſet: ſtatim *percuſſus ab Angelo, & conſumptus à vermibus expirauit*. Numquid grauis pœna videtur? Videtur certe, ſed tamen infra condignum eſt, & Herodis ſuperbia grauior eſt eius morte. Quanta quanta denique eſt ipſa Inferorum æternitas vni Angelorum peccato inflicta, ſemper infra condignum eſt, nec tàm grauis vmquam erit eorum pœna licet æterna, quam grauis fuit illorum culpa licet momentanea.

Expende pœnas, adi tormentorum locum, circumſpice omnia: ſtagnum ardens igni & ſulphure, vermes, & blaſphemias, ciulatus, rabiem, & quidquid horrendum fingi poteſt: totum hoc minus vna lethali culpa.

Nouerat hoc inſignis ille peccati oſor Chryſoſtomus ad quem cum miſſi eſſent ab Imperatrice Eudoxia, qui poſſent expiſcari quam grauiorem in vita cenſeret pœnam, vt in Illum fœmina vindex pœnam deuolueret: *Ego*, inquit, *vnum duntaxat in malis duco peccati malum*, Non paupertatem, non infamiam, non exilium, non domeſticam deprædationem, non ipſam mortem: Vnde illi Emiſſarij domum regreſſi regiam, reginæ renuntiant: *Fruſtra terres Chryſoſtomum, nihil ille timet præter peccatum*. O quàm pauci hoc ſentiunt! Quàm multi contra nihil minus timent quam peccatum; vbi de leui commodo agitur, de fama, de voluptate, quàm facile mentiuntur, perjurant, detrahunt, concupiſcunt!

Neque vero negent ſe peccatum velle aut cogitare cum lucrum appetunt; Neque enim neceſſe eſt id cogitare vt peccetur, ſicut nec ſe velle dicent damnari cum peccant: quia tamen peccato connexa eſt damnatio, ſimul ac quis peccare vult, vult & damnari; ſic plane, ſimul ac iniquè lucrum appetis, peccas & vis peccare, quia vis illud cui peccatum annectitur, neque aliter latro vult peccatum quam volendo latrocinium, ſeu potius quàm volendo quidquid furatur, quidquid in rem ſuam trahit.

Digitized by Google

Vnde apte Propheta, *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vani-* Iſ. 5.
tatis, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum, Id eſt, ſicut funiculis trahuntur ea quæ ipſis ligata ſunt, & ſicut plauſtro conuehuntur ea quæ in ſe continet; aut ſicut valido vinculo plauſtrum ipſum ligatur & mouetur, ita peccatum illis ipſis rebus inſeritur quibus ligata eſt anima. Quod & alius Propheta egregie: *Colligata* Oſeæ 13.
eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius. Hæc eſt peccati Hebr. 3.
fallacia quæ incautos obdurat, & quam vt caueamus, tantopere monet Apoſtolus: Hæc ſunt denique Monita quæ hoc Miſſionis tempore præſertim ſubminiſtrantur, vt agnoſcatis quàm parum ſane hactenus quæ ſunt ſalutis veſtræ præcipua capita tractaueritis, & qua deinceps ſolicitudine ſint exquirenda. *Conuertere Iacob* Bar. 4.
& apprehende.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBVS VT OPPONVNTVR SEPTEM ORATIONIS DOMINICAE PETITIONIBVS.

Vide in 2. parte, Dominica 5. poſt Paſcha. *Vſque modo non petiſtis quidquam.*

In 3. vero parte fuſius per ſeptem ipſos dies Hebdomadæ ſextæ, in quibus ſigillatim vni petitioni ſuum oppoſitum capitale vitium manifeſtatur.

Contra hæc etiam ſeptem vitia quomodo ſit vniuerſim pugnandum in ſeptem Chriſti patientis ſtationibus, explicatur in 2. parte, in Die ſancto Paraſceues.

Denique quàm multæ paſſim occurrant contra ſingula vitia Veritates, patere facile poteſt ex Indicibus cuiuſque partis, quos præuidiſſe oportuit & ſelegiſſe, præſertim contra luxuriam, gulam, inuidiam & inde procedentes ſimultates, odia, contentiones quibus placandis non parua ponenda eſt opera, ſiue ex ſuperiore ſuggeſtu, ſiue ex plano. Vide verbo Iniuria, Inimicitiæ, Reconciliatio & ſimilia.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

SICVT A PECCATO, SIC A PECCATI RELIQVIIS RESVRGENDVM.

In 3. parte, Dominica 15.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

NISI AB OMNI CVPIDITATE VOLVNTAS, SICVT AB OMNI ERRORE INTELLECTVS VERE CONVERTATVR, VIX VLLA EST VERA CONVERSIO.

In 4. parte, Feria 2. Hebdom. 16.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

QVOD VIDERIS TIBI VELLE, VELLES QVIDEM, SED VERE NON VIS.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 12.

Cui Veritati affinis & iſta eſt:

Fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi: Quod grauius in te eſt malum, hoc minùs vis ſanari.

In 1. parte, Fer. 5. Hebdom. 6. poſt Epiphaniam.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

SI NON AGIS QVOD VVLT DEVS, HOC VNVM IN FAME HABES QVOD RESPONDEAS, NOLO, NON PLACET.

Digitized by Google

Quod cùm ſit execrandum, multum valere poteſt hæc Conſideratio ad integram ſui conuerſionem.

In 4. parte, Feria 5. Hebdomada 18.

CAPVT DECIMVM NONVM.

MAGIS TENEMVR OMNES AFFECTV, NOSTRA RELINQVERE, QVAM EFFECTV APOSTOLI VEL RRLIGIOSI.

Quod certe eſt ſcitu opportunum, contra communem multorum opinionem, qua ſibi falſo perſuadent quod docetur de mortificandis affectibus, ſolos ſpectare Religioſos.

In 1. parte, Fer. 3. Hebdom. 2. poſt Epiphaniam.

Quò hæc referri poſſunt ex 4. parte, Dominica 17. & ſequentibus Feriis:

In leui quidem cupiditate, pars aliqua noſtri cordis detrahitur: in graui vero, totum cor Deo perit.

Verendum ne quod tibi deeſt ad perfectionem, deſit ad ſalutem.

Hoc amanti cœlum paupertas eſt, quod amanti terram diuitiæ.

CAPVT VIGESIMVM.

DE QVATVOR NOVISSIMIS, AD PLENAM ET INTEGRAM NOSTRI CONVERSIONEM.

Mortificandis Concupiſcentiis opportuna mortis memoria.

Quæ viuenti res fuit gratior, hæc fiet morienti grauior.

Digitized by Google

Vt vitâ mortem ordinat, ſic mors vitam.

In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.

In 2. parte, Feria 4. Cinerum.

Adoleſcenti frequentius mors cogitanda quàm ſeni.

In 3. parte, Dominica 15. poſt Pentecoſten.

Qui non eſt ſemper paratus, numquam eſt paratus.

Malæ vitæ mors bona, rara eſt.

Qui non obſeruat furem, obſeruatur à fure, & capitur.

In 4. parte, Feria 3. & 4. Hebdom. 28.

Videri etiam debet in eadem parte, Feria 5. Hebdom. 23. de illo cui dictum eſt: *Stulte, hac nocte, animam tuam repetunt à te.*

Feria item 6. Hebdomadæ 24. vbi de Diuite Epulone & paupere Lazaro.

Tres etiam primæ Feriæ Hebdomadæ 25. vbi de Lazaro infirmo, mortuo & ſuſcitato.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

De Ivdicio.

Nemo Chriſtianus Chriſti iudicio condemnabitur niſi qui prius ſuo Chriſtum iudicio condemnauerit.

Nihil in iudicio magis eſt timendum peccatori, quam quod minus timet.

In 1. parte, Dominica 1. Aduentus.

Qui nimis humana timet iudicia, non ſatis reueretur Diuina.

In 1. parte, Feria 4. Hebdom. 6. poſt Epiphan.

Redde rationem villicationis tuæ.

In 3. parte, Dominica 8. vide & 28. in 4. parte.

Digitized by Google

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

DE INFERNO.

SIC de Inferni pœnis agendum eſt vt quanto in earum periculo quiſque verſetur, aduertat. Quem in finem apta eſt illa Veritas quæ habetur in 1. parte, Dominica 4. poſt Epiphaniam:

Peregrinantis in corpore animæ majus eſt periculum, quàm periclitantis in naui corporis.

Quæ porrò de illis pœnis cogitari & proponi poſſint fructuoſius, habentur in 4. parte, Feria 6. Hebdomadæ 24. vbi expenditur illud damnatæ animæ dictum: *Crucior in hac flamma.*

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

DE COELESTI GLORIA.

TOTA eſt de hoc argumento Hebdomada quæ dicitur Rogationum in 2. parte, vbi ex multis hæ videntur aptiores Veritates, quæ à terrenis animos auocant, & peccatorum fibras euellunt.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

DE BONO FACIENDO CONFORMITER SVAE VOCATIONI.

Omnis Arbor quæ non facit fructum bonum excidetur. Matth. 7.

Cum tota Iuſtitia Chriſtiana conſiſtat in his duabus partibus, *Declinare à malo, & facere bonum.*

Quæ primam ſpectarent partem, ſic abundantius, vt viſum eſt hactenus, ſubminiſtrari debuerunt; nunc quæ ſecundam breuius. Nihil eſt autem quod aptius indicet neceſſitatem & qualitatem

Digitized by Google

Boni ab vnoquoque faciendi, quàm ſimilitudo arboris de qua fuſe in hac 3. parte, Dominica 7. Vide & ſelige quæ ibi deſignantur aliunde petenda; quibus & hæc præcipue Veritas iungi poteſt:

Niſi diligenter aduertas, ſtulto labore conſumeris.

In 1. parte, Sabbato Hebdom. 2. poſt Epiphaniam.

Nec aliena ſunt quæcumque de recta intentione ſuis præfigenda operibus paſſim habentur: Maxime verò ſunt opportuna quæ de vocatione cuique propria diligenter excolenda, Veritates continent, qualis eſt illa:

Salutis animæ nulla eſt certior certitudo quam in certo vocationis gradu attingendo.

In 1. parte, Feria 2. Hebdom. 5.

Cui & conformia illa ſunt quæ habentur in eadem parte:

Hoc eſt verè laudabile, laudari ab officio.

Dominica 2. Aduentus.

Non aliud ſed aliter.

Die 7. Ianuarij.

In paruis, major eſt ſerui Dei fidelitas.

Feria 6. Hebdom. 6. poſt Epiphan. & vide Decembris 6.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

QVOD SI RVSTICI VELINT TRANQVILLE RES SVAS AGERE, SINT OMNIVM HOMINVM FOELICISSIMI: SIN SECVS, INFELICISSIMI.

Beati ſumus Iſrael, quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Baruch 4.

I. PVNCTVM.

QVID eſt quod dicitur in Geneſi, creatis vnoquoque die diſtinctim rebus omnibus, Deum aſpexiſſe ſuum opus & probaſſe tamquam valde bonum: præterquam quod de homine, quo creato nihil tale dixiſſe fertur, cum tamen homo ſit

inter

Digitized by Google

inter omnia Diuina opera magis eximium & probatum: Reſpondent ſancti Patres & præſertim S. Ambroſius, ſic ſapienter & à Deo factum & à Scriptura relatum eſſe, vt intelligeremus ſic ordinatum eſſe Diuinitus vt ad ſuum ipſi bonum de ſuo conferrent homines, & prout ipſi Deo ſubjecti eſſent ac rebus bene vel male vterentur, tum boni vel mali eſſent homines. Quod quidem Eccleſiaſticus videtur innuere cum ait *Deum reliquiſſe hominem in manu ſui conſilij*, Vt quo vellet ſe promoueret, id eſt, illum feciſſe liberum, & prout vere vel male ſua libertate vteretur, tum de illo bonum vel malum dicendum eſſe. *Eccleſ. 15.*

Quod cum vniuerſim de omni dictum ſit homine, tum præcipuè verum puto de his qui ruſticam & laborioſam vitam agunt. Sæpe dubitatur & quæritur quàm ſint illi præ aliis hominibus felices aut infelices. Et quantum à quibuſdam putantur fœliciſſimi omnium, tantum ab aliis infœliciſſimi iudicantur. Dicam quod ſentio, & proderit audiuiſſe. Solutio difficultatis, & veritatis enodatio pendet à vobis ipſis. Si Ruſtici velint tranquillè vt iam docentur, res ſuas agere, ſunt illi omnium hominum fœliciſſimi; ſin contra viuant aliter ac inſtruuntur, ſunt infœliciſſimi.

Ratio eſt valde conſideranda, & multum facit ad finem noſtrum qui totus eò ſpectat vt iam vos omnes in bono cum Dei Gratia confirmemini. Sic autem clare procedit ratio: ſi qui ſint homines cenſendi fœliciſſimi, ſunt illi maxime qui ſecurius ad æternam poſſunt tendere Beatitudinem: Aut illi contra ſunt infœliciſſimi qui per multos labores ad æterna tendunt ſupplicia.

Sed tales ſunt præ cæteris omnibus, ſi velint Ruſtici: Nam & poſſunt ſi ſibi attendant, ad æternam ſecurius tendere beatitudinem; & niſi ſibi attendant, per multos ipſi labores ad æterna tendunt ſupplicia.

Ergo & ipſi ſi velint ſunt omnium fœliciſſimi vel infeliciſſimi.

Prima propoſitio ſatis quidem per ſe clara, clarius tamen intelligetur, ſi præmittatur, quod eſt certiſſimum, non eſſe noſtram in hac vita poſitam fœlicitatem vel infœlicitatem. Quia prærquàm quod bona & mala huius vitæ non ſunt mere bona nec mala, ſunt ita breuia & tranſitoria, ſi maxime comparentur ad æterna, vt nihil ſit in rebus creatis tam caducum & fragile quo

vita iſta non ſit fragilior, fugacior & incertior, vt fuſe habetur in 2. parte, Dominica 3. poſt Paſcha, vide accuratè.

Atque hinc fit vt ſi quid veræ fœlicitatis aut infœlicitatis eſſe poſſit in hac vita, totum ex alia deriuetur & pendeat; prout ſcilicet tutius & ſecurius ad æternam perducet fœlicitatem, tum illud dicendum erit fœlicius: aut certe ſi ad ſempiterna trahunt ſupplicia, tum illud infœlicius merito recenſendum, ſi præſertim illud fuerit laborioſum & difficile quo quis in æternum perit. Nam à miſeriis ad miſerias tendit quod certe eſt miſerrimum, & illud eſt deploratiſſimum quod illi gemunt in Inferno qui di-
Sap. 5. cunt, *Laſſati ſumus in via iniquitatis: ambulauimus vias difficiles.* Qua de re videndum eſt in 1. parte, Sabbatum Hebdom. 2. poſt Epiphaniam, niſi iam dictum ſic, & res per ſe patet quoad vtramque partem; cur enim beati dicuntur pauperes vel qui lugent, aut qui perſecutionem patiuntur, niſi quod ad æternam ſic tendant Beatitudinem? Cur contra *Væ diuitibus* intentatur cum videantur diuites omnium fœliciſſimi, niſi quia non ſpectatur hæc vita, ſed alia cuius ratione cenſendum eſt quid ſit fœlicius aut in-
1. Cor. 15. fœlicius. Nam ſi tantum ſpectaretur hæc vita, *Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, inquit Apoſtolus. Quis autem dicat illum Apoſtolum miſerabiliorem fuiſſe; aut quis alio neget ſenſu quam quia de fœlicitate aut miſeria iudicari non debet ex huius ra-
2. Cor. 4. tione vitæ? *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt.*

II. PVNCTVM.

SED ſi Ruſtici velint tranquille res ſuas agere prout modò docentur, ſecurius tendunt ad æternam beatitudinem: aut contra ſi ſibi non attendunt, per multas illi miſerias ad plures & grauiores tendunt.

Nam primo quid ſecurius quam non habere obſtacula quæ mundani habent, & habere adjumenta quæ vel illi non habent vel quibus vti nolunt? Nonne ſunt magnum ſalutis obſtaculum ſollicitudines illæ mundanæ, quæ dicuntur ſpinæ ſuffocantes
Luc. 8. Verbum Dei? Nonne his verò carent Ruſtici qui ſuis contenti rebus hoc vnum ſatagunt vt quod ipſi poſſunt & debent diligenter

Digitized by Google

operentur: quod autem extra ſuam eſt poteſtatem non contendunt, non ambiunt, non expetunt? *Væ mundo a ſcandalis? Væ tibi Corozain? Væ tibi Bethſaida*, Id eſt, vrbibus & vrbanis qui habent quidem ſua ſalutis adjumenta, ſed tot habent curarum & negotiorum etiam implicamenta, vt his quodammodo inuoluantur, obruantur, & ad quælibet ſalutis monita, funeſtum illud reſpondeant, *Non poſſum venire, habe me excuſatum.* Matth. 18. 11. Luc 14.

Non eſt, non eſt ſecura ſalus in talibus curis, *Inuenimus eam in campis ſyluæ*, Vnde & in Canticis, *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ibi tam continuus & innocens labor eſt, vt vix de vlla re alia cogitetur; Ne vero nimis etiam de terrenis cogitetur, nunc admonentur omnes, rectum labori ſuo finem præfigere, nempe vt Diuinam exequantur voluntatem quæ ſic de ipſis ſtatuit vt vitam laborando agant, qua recta ſemel formata intentione, quidquid agunt, meriti locum habet & tantò majoris ac certioris meriti ſupra vrbanos, quanto non partem aliquam, ſed totam ipſam vitam laborando & Diuinam exequendo voluntatem traducunt. Pſ. 131. Cant. 7.

Hæc dilatari debent fuſius, declarando quanta inſint bona in bene occupato viuendi genere. Bene autem dicitur occupari quando ex vna parte neceſſitas illud vrget, & ex alia Pietas neceſſitatem in virtutem commutat, vt quidquid neceſſariò fit, liberè propter Deum fiat. O fœlicem in tali libertate neceſſitatem! ô beatam in tali neceſſitate libertatem.

Sic verè adimpletur quod ait Sapiens: *Vita operarij ſufficientis ſibi, condulcorabitur, & in ipſa inueniet theſaurum:* Quibus in verbis quæ duo ſunt ad fœlicitatem valde opportuna, iucunditas & vtilitas, continentur; vnumque hoc requiritur quod maxime Ruſticis commendatur, vt ſint ſuis contenti, non murmurent contra Deum, non inuideant aliis, non præſumant, non deſperent de Diuina bonitate: hæc eſt enim vita operarij ſufficientis ſibi, vnde alia duo fluunt, dulcedo & theſaurus; dulcedo vitæ, dulcedo ſolitudinis, dulcedo conſcientiæ, dulcedo pietatis: Theſaurus vero Gratiarum, meritorum & virtutum: humilitatis & patientiæ, Charitatis & obedientiæ Chriſtianæ. Eccleſ. 40.

Siue enim quis lucretur aliquod temporale ſeu perdat, ex vtroque perinde proficit ad ſpiritualem profectum, nam vtrumque perinde à Domino accipit, & in vtroque Deum perinde

Digitized by Google

laudat, ſicut æque reuera eſt laudandus in omnibus; & quanto frequentius abundant mala, tanto abundantior eſt meritorum theſaurus qui colligitur ex illa docilitate animi, quæ neceſſitatem vt diximus in virtutem commutat: Sic, *Non quæſitæ Cruces ſunt magis exquiſitæ*, In 2. parte, & 2. Hebdom. Paſſionis.

Sic præclare ſanctus Ioannes Chryſoſtomus: *Si iacturam*, inquit, *audientes non tumultuemur, ſed dicamus, Benedictus Deus: multo plures Diuitias inueniemus. Non enim tantum lucrabitur in pauperes, diuitias diſtribuens, & circumiens vt egenos inueniat, quemadmodum ipſe per hoc Verbum lucrifaciet: vnde & Iob magis miror*, Et quæ plura proſequitur manifeſte oſtendere plus Iobum meruiſſe, patienter perdendo, quàm miſericorditer dando pauperibus quod habebat. Non ſic impij, non ſic in mundo impij, qui vel ex lucro magis intumeſcunt & ſuperbiunt; vel ex iactura magis deprimuntur & murmurant proficientes in peius ex omnibus.

Hom. 25. ad Pop.

2. Tim. 3. Sic itaque Ruſticani ſecurius poſſunt ſi velint ad æternam contendere Beatitudinem, veréque illis ſingulatim quod filio ſuo dicebat Tobias, dici poteſt. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene*, Quod ſcilicet ex quotidiano vitæ vſu faciendum venit.

Tob. 4.

QVOD ſi vero nolint ſic bene agere, tunc ex multis & magnis miſeriis in plures & majores dilabuntur; Nam ſi ſuum libenter propter Deum non operantur opus, vel nihil agunt vel niſi repugnantes laborant: quis autem non videat ſat magnam in vtroque miſeriã? Quid facies in egeſtate ſi non ſeminas in hyeme? Nonne paupertate & fame preméris: ſi autem repugnanter ſeminas & laboras, quoties ad votum non pluit aut ſerenum eſt: ſi tum murmuras ſi tum infrendes contra Deum, nonne ſic miſeram vitam agis? Nonne ſic peccas, nonne ſic peccando viam tibi paras ad illas grauiores miſerias quæ numquam deſinent? Nonne de his miſeriis dici poteſt quod ait Sapiens de tenebroſa nocte
Sap. 17. quam patiebãtur Ægyptij, *Imago tenebrarũ quæ ſuperuentura illis erat?*

III. PVNCTVM.

AC proinde vt concludamus, nonne ſic ergo manifeſtè patet quod ſi vellent Ruſtici tranquille & Chriſtiane res ſuas age-

Digitized by Google

re, poſſent eſſe omnium qui viuunt fœliciſſimi: vel certe ſi non ſibi attendunt, infœliciſſimi, propter rationem allatam quæ hic ipſos confirmare debet ad indefeſſam ſuæ ſalutis curam, vt omnem prorſus excludat excuſationem, ſi ſecus faciant.

Quid enim melius deſiderare poſſunt quàm ipſam beatitudinem, quæ ſe ipſis offert in illis quotidianis laboribus quos habent exantlandos, ſi tantum velint ipſos labores ad illam referre beatitudinem? Quid autem facilius? Quid propius? *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum vt poſſis dicere quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus, neque trans mare poſitum vt cauſeris & dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre vt poſſimus audire & facere quod præceptum eſt: ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Deut. 30.

Non enim petuntur ab illis iejunia, preces & eleemoſynæ quas non poſſint perſoluere, ſed hoc vnum, *vt quod agunt, Chriſtianè agunt:* non quaſi Paganus animo qui non aliam expectat vitam, ſed quaſi Baptiſatus debet qui profeſſus eſt ſe rebus omnibus mortuum, vt ſoli Chriſto ſolique cœlo viueret. *Non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.* Deus eſt ipſe qui loquitur. *Reduc me in memoriam & iudicemur ſimul, narra ſi quid habes vt iuſtificeris.* Iſ. 43.

Quod vnum narrare poſſunt Ruſticani, paupertas eſt & miſeria quam patiuntur: Sed hoc vnum eſt quo beati eſſe poſſunt ſi velint illam tranquillè pati, aut quo miſeriores euadent niſi tranquillè patiantur. Velint nolint, patiendum eſt; at nonne ſatius ſic velle pati vt ſis beatus quàm vt ſis magis miſer? Si malè patiendo beatus eſſes, aut ſi deſineres eſſe miſer, forte aliquid excuſare poſſes; ſed cum è contra ſic te miſeriorem reddas, neque aliter beatus eſſe poſſis quàm ſi bene & Chriſtianè pati diſcas, nonne eſt quo exciteris ad hanc rectam viuendi normam?

Nihilne pro ſummo Deo qui te tam multis præuenit beneficiis: nihil pro Chriſto tam multa pro te paſſo; nihil pro tot commiſſis à te peccatis, nihil pro euitato inferno, nihil pro cœlo poſſidendo vis pati? Tune ſolus ſine palma in cœlo, vbi teſte Diuo Ioanne Beati omnes ſuas habent in manu palmas? Quid pateris niſi quam gemis paupertatem? Quod bonum aliud agis opus? Tolle hanc Apoc. 7.

Digitized by Google

à te patientiam, quid boni reſtat operis? Aut quidquid boni referre poſſis, quale iſtud erit ad illam vitioſam impatientiam qua totam inficis vitam? *Patientes igitur eſtote fratres*, ait ſanctus Iacobus, *vſque ad Aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* Id eſt, quod pateris Agricola pro terrena ratione, hoc ipſum patere pro cœleſti, diſce à teipſo patiente, bene pati. Non aliud ſuadetur tibi patiendum quam quod pateris, ſed bene vt patiaris tibi ipſe perſuade à teipſo qui iam perſuaſus es pati. Sic enim pergens concludit ſanctus Apoſtolus, *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam Aduentus Domini appropinquauit. Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, vt non iudicemini.* Quaſi diceret, tantum abſtinete à queruloſo gemitu, ab impatienti murmure, à reluctanti contra labores animo, vt ſit labor veſter fructuoſus, non pœna dignus, ſed præmio, non præmio tantum temporali, ſed æterno quod Chriſtus conferet.

Iac. 5.

Non putes verò te bene ſemper excuſatum, cum dicis, non putabam.

In 3. parte, Feria 3. Hebdom. 8.

His multa paſſim affinia reperias, de patientia, de nullis excuſationibus, de neceſſitate in virtutem conuertenda, & ſimilibus.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

QVO MINVS POTES REDDERE QVAECVMQVE DEBES, EO MAGIS DEBES REDDERE QVAECVMQVE POTES.

In 3. parte, Feria 2. primæ Hebdomadæ.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

SI VIS QVOD NON HABES, DA QVOD HABES.

In 1. parte, Dominica 2. poſt Epiphaniam.

Digitized by Google

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

AFFECTVM PROBAT EFFECTVS.

In 3. parte, Feria 2. Hebdomadæ 9.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

DVM LVCET, AMBVLANDVM: NE TENEBRAE FIANT.

In 1. parte, die 5. Ianuarij.

Quo longius differes, difficultatem difficilius tolles.

In 1. parte, Feria 2. Hebdom. 4.

Si quid videtur difficile quod Chriſtus dixit, hoc ipſo redditur facile, quod Chriſtus dixit.

In 3. parte, Feria 5. Hebdom. 5.

CAPVT TRIGESIMVM.

VERBVM DEI NON REDIT VACVVM, AVT PROSIT NECESSE EST RECIPIENTI, VEL OBSIT.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 8.

Melius erat viam Iuſtitiæ non introiſſe, quàm retroiſſe.

In 2. parte, Feria 5. Hebdom. 4. poſt Paſcha.

In occurrentibus Feſtis diebus, ſiue Dominicis, ſeligenda ſunt illa quæ ſupra dictis capitibus magis conuenient.

QVOD ſi Miſſionibus præſens intereſſet Epiſcopus vel ipſi Miſſionarij Patres Illum in viſitanda Diœceſi comitarentur, ſiue

præcederent ad inſtruendam plebem de Sacramento Confirmationis, quod eſſet adminiſtraturus; tunc circa hoc Sacramentum triplex Sermonis genus poſſet inſtitui.

Primum familiare de his quæ ad Sacramentum recipiendum magis neceſſe eſt ſcire & facere, quales ſunt iſti articuli.

1. A ſeptennio quotquot non ſunt confirmati, debent ſe cum Diuina Gratia paratos exhibere ad Sacramentum recipiendum cujuſcumque ſint ſexus & conditionis.

2. Non eſt huius quidem Sacramenti tanta neceſſitas & obligatio ſicut Baptiſmi & Pœnitentiæ; qui tamen illud contemneret; vel ita negligeret vt nollet omnino ſuſcipere, quaſi non illo egeat, peccaret grauiter.

3. Scire debent omnes confirmandi, prima ſaltem Myſteria noſtræ fidei quæ continentur in Symbolo quod dicitur Apoſtolorum: Necnon præcepta Decalogi & Eccleſiæ; ac nonnulla alia quæ ſolent pueri diſcere & orare.

4. Confeſſos eſſe oportet antequam ſuſcipiant Sacramentum aut ſaltem eſſe in Gratia.

5. Ieiunos eſſe decet ſi mane adminiſtretur Sacramentum.

6. Paratum habeant Linteum ſeu vittam qua frons inuncta cingatur.

7. Patrinum eligant aliquem ſeu Suſceptorem, diuerſum ab eo qui fuit in Baptiſmo, & qui ſit iam confirmatus; inter quem & confirmatum, atque huius parentes intercedit affinitas ſpiritualis.

8. Sint confirmandi flexis genibus, iunctis manibus, & religioſè compoſiti.

9. Intentionem forment conformem Sacramento, non vt illud tantum voluntariè ſuſcipiant, ſed eo fine quo inſtitutum eſt, vt paulo poſt dicetur, nolendo quidquam oppoſitum, & id omne volendo quod in animis noſtris poteſt efficere ad Chriſti Domini Gloriam, & ſuſcipientis ſalutem.

10. Denique Sacramentum hoc magnifaciant, & quanta ſit eius dignitas libenter audiant, vt ſe illi totos affectu & effectu conforment.

SECVNDVM eſt dicendi genus quod de hac poſſit haberi materia, modo paululum cultiori, declarando dignitatem Sacramenti per quatuor eius cauſas.

Prima

Digitized by Google

Prima eſt quæ dicitur Sacramenti materia, nempe oleum & balſamum ab Epiſcopo prius benedictum & ſingularæ quadam reuerentia conſecratum, tum ſimul mixtum ac dictum Chriſma ſiue vnctio qua frons confirmati ſolenniter illinitur. Hinc autem Sacramenti dignitatem ſanctus Cyprianus, & alij Patres apte deducunt, quos inter Iſidorus Hiſpalenſis ſic egregie: *Chriſmatis vnguentum Moyſes primum in Exodo iubente Domino compoſuit & confudit, quo primi Aaron & filij eius in teſtimonium ſacerdotis & ſanctitatis peruncti ſunt. Deinde quoque & Reges eodem Chriſmate ſacrabantur, vnde & Chriſti nuncupabantur ſicut ſcriptum eſt, nolite tangere Chriſtos meos. Eratque eodem tempore in regibus & ſacerdotibus tantum myſtica vnctio qua Chriſtus figurabatur, vnde & ipſum nomen à Chriſmate dictum eſt. Sed poſtquam Dominus noſter verus rex & ſacerdos æternus à Deo Patre cœleſti, myſtico vnguento eſt delibutus, iam non ſoli Pontifices & reges, ſed omnis Eccleſia vnctione Chriſmatis conſecratur, pro eo quod membrum eſt æterni ſacerdotis & regis. Ergo quia genus regale & ſacerdotale ſumus, ideo poſt lauacrum vngimur, vt Chriſti nomine cenſeamur.* Quid hac dignitate ſublimius?

In die Cænæ Dom. *l. 2. de Eccleſ. Officiis c. 25.*

Secunda cauſa eſt Forma quę in his Verbis ad Epiſcopo confirmante vſurpatis continetur: *Conſigno te ſigno Crucis, & Confirmo te Chriſmate ſalutis: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quaſi diceretur Confirmato: Tu ſingulari per hoc Sacramentum ſignaculo conſecraris & Confirmaris in filium & ſeruum Dei. Tu impreſſo quodam in animam charactere, ſeu quadam velut expreſſa nota deſignaris in domeſticum & quoddam quaſi peculium Dei ac Chriſti. Licet abeſſent cætera, tu hoc nomine, tu ratione huius Sacramenti, ſpecialiter ad Chriſtum ſpectas, vt ſit ille tuus, & tu Illius totus. Tu illum colas, ille te ſaluum & beatum faciat: Cuius initi fœderi pignus quoddam & vinculum eſt ipſe Spiritus ſanctus qui effuſe propterea ſeſe confirmato communicat.

Sic luculente ſanctus Ambroſius: *Repete quia accepiſti ſignaculum ſpirituale, Spiritum Sapientiæ & intellectus, Spiritum conſilij atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum ſancti timoris, & ſerua quod accepiſti. Signauit te Deus Pater, confirmauit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, ſicut Apoſtolica lectione didiciſti*; Nempe ex ſecunda Corinthiorum, capite primo. Et rurſum alibi. *Sicut in Chriſto morimur vt renaſcamur,*

De his qui initiantur Myſteriis. c. 7. *l. 1 de Sp. ſancto. c. 6.*

ita etiam Spiritu ſignamur vt ſplendorem atque imaginem eius & Gratiam tenere poſſimus, quod eſt vtique ſpiritale ſignaculum. Nam etſi Spiritu ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur, vt Spiritus ſanctus exprimat in nobis imaginis cæleſtis effigiem. Poteſtne dici aliquid ſplendidius & nobilius?

Tertia cauſa eſt Efficiens ſeu Miniſter Sacramenti, qui ordinarie ſolus eſt Epiſcopus indutus ſacris veſtibus. Sic enim ſoli leguntur Apoſtoli quos repræſentant Epiſcopi, Sacramentum hoc primitus miniſtraſſe, ſicque pòſt vniuerſis ſtatutum eſſe in Conciliis, Eccleſiaſtica docet hiſtoria: Sanctuſque Pontifex Innocentius primus, docet his Verbis: *Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, vt vel conſignent vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio actuum Apoſtolorum quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos qui iam Baptiſatis traderent Spiritum ſanctum.* Quamobrem quanta eſt Apoſtolica & Epiſcopalis celſitudo, tantam huius Sacramenti dignitatem maniſeſte prodit.

Ep. 1. ad Decentium. c. 3.

Quarta demum cauſa eſt, Finis inſtituti & recepti Sacramenti qui cum multiplex afferri poſſit, tum ille inſignis vnde inſigniter Sacramentum commendatur, quòd propterea confirmemur, vngamur & ampliori Gratia ſancti Spiritus roboremur, vt contra Dæmonem, contra Mundum ſeu mundanos reſpectus dimicare acrius & poſſimus & velimus. Idcirco in fronte ac ſignata Cruce ſuſcipitur vt non erubeſcamus Euangelium: & alapa tum infligitur vt paratos nos eſſe admoneamur ad ferendum quidquid propterea nobis aduerſum contigerit. Sic inter alios magnifice ſanctus Melchiades Papa & Martyr: *Sicut exigit militaris ordo vt cùm Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum: Ita in Baptizato, benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem; da ei adjumentum militiæ. Nunquid prodeſt ſi quiſquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, niſi prouidere ſtudeat & Tutorem? Itaque Paracletus regeneratis in Chriſto, cuſtos & conſolator & tutor eſt. Ideò dicit ſermo Diuinus: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Ergo Spiritus ſanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad Gratiam. Et quia in hoc mundo, tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula*

Ep. ad Epiſ. Hiſp.

In Pſ. 141.

Pſal. 126.

Digitized by Google

gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum Confirmamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur. Etſi continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſaluat, mox in pace beati ſæculi recipiendos: Confirmatio autem armat & inſtruit ad agones huius mundi & prælia, reſeruandos. Et paucis interjectis. *Itaque ante deſcenſionem Spiritus ſancti, vſque ad negationem, Apoſtoli deterrentur: poſt viſitationem verò eius, vſque ad Martyrium contemptu ſalutis armantur. Secundùm hoc per Chriſtum redimimur, per Spiritum verò ſanctum, dono Sapientiæ ſpiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, inſtruimur, conſummamur, vt illam Spiritus ſancti vocem audire poſſimus: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris.* Pſal. 31. *De Spiritu ſancto accipimus, vt ſpirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. De Spiritu ſancto accipimus, vt ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, iuſta diligere, injuſta reſpuere, vt malitiæ ac ſuperbiæ repugnemus, vt luxuriæ ac diuerſis illecebris, & fœdis indigniſque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu ſancto accipimus vitæ amorem, & gloriæ ardorem, vt ſuccenſi Diuinitùs, erigere à terrenis mentem ad ſuperna & Diuina valeamus.* 1. Cor. 2.

Hæc ſanctus Papa, quibus & iſta ſunt affinia Diui Auguſtini: *Vſque adeo de Cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam Crucem Chriſti, ſed in fronte portem. Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus: Quædam, ſicut noſtis, ore accipimus; quia verò in fronte erubeſcitur, Ille qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus erubeſcam eum coram Patre meo qui in cælis eſt, ipſam ignominiam quodammodo & quam Pagani derident in loco pudoris noſtri conſtituit. Audis hominem inſultare impudenti & dicere, frontem non habet; impudens eſt. Non habeam nudam frontem: tegat eam Crux Domini mei.*

Atque hinc tertium dicendi genus, Genus illud quod grande vocăt ſeu vehementius & fuſius, in eos ſcilicet qui humanis ducuntur reſpectibus, qui ne irrideantur committunt aliqua vel omittunt, contra Conſcientiam, contra Religionem, pietatem, aut alias quas alioquin colunt virtutes, qui propter *verbum ſcandalizantur,* Matth. 13. vt ait Chriſtus. Qui *contriſtant Spiritum ſanctum in quo ſignati ſunt* Epheſ. 4. *in diem Redemptionis*, vt ait Apoſtolus: Id eſt, qui peccant in illam Spiritus ſancti gratiam quam in Sacramento Confirmationis

Digitized by Google

acceperunt. Nam, vt diximus, Confirmati ſignaculo quodam interno notantur, ſeu nota quadam & indelebili charactere ſignantur quo præ aliis non confirmatis in omnem æternitatem agnoſcantur eſſe Chriſti. Dies autem redemptionis eorum dicitur quia ſic redimuntur à ſeruitute mundi & Diaboli, ſic illis propria confertur Gratia, qua ſi velint, poſſint mundo reſiſtere, poſſint & debeant ſe mundanis redimere reſpectibus qui ſe opponunt Chriſto colendo: Vel certe ſi ſe rurſum abjiciunt in talem mundi ſeruitutem, tunc manifeſte peccant in illum Spiritum atque in illam Gratiam qua poterant ſe tam miſera redimere ſeruitute.

Quamobrem conſequenti vel diſtincto diſcurſu, qua fieri poterit granditate ſermonis, agendum eſt contra illos tamquam contra perduelles, & deſertores, qui ſane multi ſunt & iam pene omnes ſic à Chriſto deficiunt vt vix vllus cum tantilla ſui pudoris iactura velit Chriſto ſeruire. *Erubeſcant & conturbentur vehementer: conuertantur & erubeſcant valde velociter.* Pſ 6.

Huc ſpectant ſubjectæ Veritates ex diuerſis partibus.

Sicut ſcandalizans, ita peccat ſcandalizatus.

In 1. *parte, Dominica* 2. *Aduentus, vbi omiſſum aliquid vide in Erratis.*

Non minus modò quam olim Chriſtus in propria venit, nec ſui magis Eum recipiunt.

In 1. *parte, Dominica* 4. *Aduentus.*

Injuriam infert Gratiæ maximam qui pro ferenda injuria non certat fortiter.

In 1. *parte, In Feſto S. Stephani.*

Injurioſum eſt Chriſto ſi nulli quidem velis inferre injuriam, nolis tamen illatam ferre.

In 1. *parte, die* 16. *Ianuarij.*

Si quid nos reuocat à Doctrina Chriſti, vel ob id maximè recipienda eſt.

In 1. *parte, Fer.* 6. *Hebdom.* 2. *poſt Epiph.*

Qui nimis humana timet Iudicia, non ſatis reueretur Diuina.

Digitized by Google

In 1. parte, Fer. 4. Hebdom. 6. poſt Epiph.

Voluntatis eiuſdem eſt, nolle afferre ſcandalum; & ſufferre velle ſi quando prauè accipitur.

In 2. parte, Fer. 3. Septuageſimæ.

Quæ in malo bona eſt Confuſio, in bono mala eſt.

In 2. parte, Fer. 6. Hebdom. 1. in Quadrageſima.

Quem pro Chriſto ſperni pudet, Chriſti pudet.

Humanus reſpectus, inhumanus Chriſti deſpectus.

In 2. parte, Fer. 3. & Sabbato Hebdom. 4. in Quadrag.

Quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere: tanta modo eſt ignominia, vinci à mundo.

In 2. parte, Dominica in albis ad hæc verba Epiſtolæ:

Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.

Videnda hæc eſt præcipuè.

De peccato in Spiritum ſanctum, varia.

In 2. parte, In die Pentecoſtes.

De dono fortitudinis.

Ibid. Feria 5. & in 3. parte, Fer. 5. Hebd. 7.

Hæc eſt magis laudabilis humilitas, quæ ſic laudes fugit vt laudanda non omittat.

In 3. parte, Fer. 3. Hebdom. 12.

In hanc Domini ſententiam:

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, varia.

In 3. parte, Dom. 14.

Niſi diligenter aduertas, ore facta confeſſio, factis à te negatur.

In 4. parte, Fer. 2. Hebdom. 15. poſt Pentec.

Cos bonæ libertatis, mala libertas.

In 4. parte, Fer. 5. Hebdom. 20. De cœco nato qui tanto liberius Chriſtum confitebatur, quanto liberius à Iudæis negabatur.

Digitized by Google

DOMINICA
VNDECIMA.

DE SVRDO ET MVTO SANATO *A* CHRISTO DOMINO.

Adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Marci 7.

VERITAS PRACTICA.

Qui non audit, non audietur.

RATIO EST, Quia ordinariè loquendo quædam eſt proportio & conuenientia pœnæ à Deo infligendæ cum culpa delinquentis.

Atqui hæc eſt proportio & conuenientia pœnæ cum culpa illius qui non audit, vt non audiatur à Deo.

Ergo qui non audit, non audietur. Quod quàm ſit damnoſum ſatis patet, & patebit etiam apertius alia Veritate conſequenter adjuncta:

Quibus nos attentiores eſſe oporteret, in his magis obſurdeſcimus.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

MIRA eſt huius ſurdi curatio quæ in hodierno Euangelio legitur. Nam vt ait ſanctus Euangeliſta, *Apprehendens eum Dominus de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expueris tetigit linguam eius; & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Ephpheta, quod eſt adaperire, & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.*

Iam verò quorſum illa omnia tam ſingularia quæ à Chriſto Domino geſta ſunt? Cur ille in cœlum aſpectus, cur gemitus, cur contactus? Nonne vel verbum ſufficiebat aut ſola etiam voluntas ad perficiendam ſanitatem? Ita planè ſi de ſola ſanitate corporis ageretur, ſed aliam in iſto ſurdo ſurditatem cogitabat & curabat Dominus: nempe ſpiritualem illam animi qua ita omnes obſurdeſcimus ad Deum nobis loquentem, vt quibus frequentius loquatur, illi ſint qui minus eum audiant; *Quis ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi? Qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne audies?* Et quia hæc ſurditas grauius eſt malum & curatu difficilius quàm putetur, Idcirco Chriſtus Dominus in cœlum ſuſpicit, ingemit, inclamat, & manum admouet, vt his ſignis excitemur ad conſiderationem & remedium tanti mali. *Iſ. 42.*

Cum multa porrò ex hac ſurditate damna proueniant, tum illud damnoſiſſimum quod propoſita nobis Veritate continetur, *Qui non audit, non audietur.* Quid ſit autem non audire nec audiri, explicabitur in progreſſu Rationis qua Veritas ſic declaratur:

Si ſpectemus ordinarium pœnæ infligendæ modum quem Deus ſeruat dum in hac vità delinquentes punit, animaduertemus talem eſſe proportionem & conuenientiam inter culpam & pœnam vt quo in genere, qua in materia, quoue modo & inſtrumento quis peccat, eodem & puniatur. Sic expreſſe Sapiens vbi agit de Plagis Ægypti, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* *Sap. 11.*
Contemplare decem illas Plagas quibus Ægyptij diuinitus ſunt *Exodi 7. & ſequent.*

Digitized by Google

correpti, quod male affeciſſent populum Dei; videbis omnes ita correſpondere malo quod infligebant Iſraelitis, vt non minus mireris Diuinam in puniendis peccatis Sapientiam quàm Iuſtitiam.

Prima Plaga fuit conuerſio Nili & aquarum in ſanguinem, quia ſcilicet Nilo ſuo Ægyptij ita gloriabantur, vt in eo vno tamquam Deo ſpes ſuas ponerent; & quia mares Iſraelitarum infantes, ſtatim ab ortu in fluuium projecerant; Vnde Moſes miro eductus eſt modo.

Secunda: Ranæ vndique perſtrepentes quibus mirum in modum affligebantur Ægyptij, in pœnam videlicet neglecti vagitus Infantium Hebræorum, quos vt ranas habuerant in aquis perſonantes.

Tertia: Sciniphes animalcula valde aculeata ſtatim prodiſbant è puluere vel è terra tantiſper mota quibus Ægyptij moleſtè pungebantur. Cur ita porro niſi quia ſic Iſraelitas afflixerant in terra fodienda, conuehendiſque oneribus?

Quarta: Omne genus muſcarum ſic importunum erat Ægyptiis, & totis ſimul graue ac ſingulis, vt nullibi poſſent quieſcere: Opportune certe & condigne, quia ſic Iſraelitas flagellis & ſtimulis toto exagitarant corpore.

Quinta: Peſtis ſæuiſſima cunctas animantes Ægypti ſuſtulit: quia nempe Ægyptij non aliter Iſraelitis vtebantur quàm velut animalibus: minus curabant humana corpora quam jumenta ſua.

Sexta: Veſicarum turgentium in Ægyptiorum carne facta ſunt vlcera, & aſpectu horrenda & ſenſu grauia; Nimirum ſic Iſraelitas aduſſerant ſuis in fornacibus accendendis, & coquendis lateribus, vt tota turgerent cute.

Septima: Grando & ignis mixta pariter ferebantur per totam Ægyptum, tum tonitrua perſonabant tam acuta, & fulgura diſcurrebant tali cum impetu, vt omnes horrore quaterentur. Sic videlicet Ægyptij, ſic truci vultu, ſic minaci ore, ſic toruis oculis, contumelioſis verbis, & manu ſemper erecta Iſraelitas diuexarant.

Octaua: Locuſtrarum vis ingens corroſit quidquid in agris ſeminatum erat, quia ſic Ægyptij corroſerant cuncta Iſraelitarum bona.

Nona: Tenebræ denſæ & palpabiles ſic conſtringunt Ægyptios

Digitized by Google

ptios vt velut arctis aſtricti vinculis ſe mouere non poſſent; Quamobrem vero? Quia ſic Iſraelitas ſuis in cuſtodiis concluſerant, & duris vinctos catenis ſibi aſtrinxerant.

Decima denique: Moriuntur in Ægypto primogenita quæuis; quod in mares Iſraelitarum enecandos Ægyptij præcipue intenti fuerant.

Sicque deinceps cum delinquentibus ita eſt actum à Deo vt vix vllus fuerit qui non illud potuerit affirmare quod Rex Adonibezec: *Sicut feci, ita reddidet mihi Deus.* Sicut multorum Regum amputauerat manus & pedes, ſic ipſe mulctatus fuit. Sic humiliantur ſuperbi, ſic auari egent, *Sic omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*, Sic Diuina Iuſtitia in *menſura, & numero & pondere exercetur,* Nonne hinc eſt quod colatur & timeatur? *Iud. 1.* *Matth. 26.* *Sap. 11.*

II. PVNCTVM.

A*TQVI hac eſt proportio & conuenientia pœna cum culpa Illius qui non audit, vt non audiatur.*

Videndum hîc primo quid ſit non audire. Deinde quid non audiri. Ac denique quàm ſit conueniens illa pœna.

De primo ſeptem illæ voces quæ in Pſalmo vigeſimo octauo enumerantur, conſiderari poſſunt tamquam voces Dei quibus vnicuique noſtrum loquitur & quam qui non audiunt, dicendi ſunt non audire Deum.

Prima vox quæ occurrit in Pſalmo, *Vox eſt Domini ſuper aquas,* AQVÆ *populi ſunt*, ait Scriptura, & populi egentiores, vnde eſt illud Eccleſiaſtæ, *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas.* Sic videlicet in mundo peregrinantur & diſcurrunt pauperes velut aquæ decurrentes, vt victum ſibi quærant. Dùm itaque pauper eleemoſynam petit, nonne vox eſt eius qui dicet, *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare?* *Apoc. 17.* *Eccl. 11.*

Secunda vox, *Vox Domini in virtute*, dici debet ſacra Scriptura vbi Deus tanta in virtute loquitur quantam deſcribit Apoſtolus dum ait: *Viuus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* *Matth. 25.* *Heb. 4.*

Tertia *vox Domini in magnificentia*, Mundus eſt vniuerſus de

Sap. 1. quo ſic Sapiens: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Nempe loquuntur nobis omnia Deum eſſe colendum, & illi vni vacandum.

Quarta *vox eſt Domini confringentis cedros*, Superbas ſcilicet mentes, dum de cruce Chriſtus nobis loquitur contemptum mundi & perfectam humilitatem, de qua voce Apoſtolus: *Acceſſiſtis,* Hebr. 12. inquit, *ad teſtamenti noui mediatorem IESVM & Sanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel*, Vnde & addit, *Videte ne recuſetis loquentem.*

Quinta *vox Domini dicitur intercidentis flammam ignis*, Nempe Iob. 31. illius ignis *qui eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*, Quæ vox ita auditur in ſanctiſſimo Sacramento, vt ipſum Sacramentum efficiat in animis noſtris quam ibi loquitur colendam nobis caſtimoniam & puritatem. Sic prædictum olim à Propheta: *Dabit vobis Dominus panem arctum; & non faciet auolare* Iſ. 30. *à te vltra Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient.*

Rom. 2. Sexta *vox eſt Domini concutientis deſertum*, Conſcientia ſcilicet Pſ. 4. de qua cum dicitur, *Opus legis Scriptum in cordibus, & ſignatum ſuper nos lumen vultus Dei*, perinde eſt ac ſi diceretur, ibi vocem eſſe Dei docentis quid ſit bonum & malum, & licet aliæ deeſſent voces, ſic concutientis animum vt malum oderit & amet bonum.

Septima Denique *vox Domini præparantis ceruos*, Id eſt, animas: ad pariendum ſalutis Spiritum, ſicut Ceruæ tonitru territæ facilius pariunt, voxque illa eſt Domini per ſuos loquentis operarios qui cum Apoſtolo dicunt, *An experimentum quæritis eius qui* 2. Cor. 13. *in me loquitur Chriſtus?*

Quibus ſic declaratis, euidens eſt, quod ſicut diuerſa per has diuerſas voces loquitur Deus, ſic plane qui vel vnam non audierit vocem, non audit Deum: qui non audit Pauperem aut Prædicatorem, non audit Chriſtum ſibi loquentem in illis. Is vero non audietur, & quidem conuenienter vt Scripturæ omnes teſtantur. *Qui* Pr. 21. *obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis: & ipſe clamabit & non* Ibid. 28. *exaudietur*, Ac rurſum, *qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Quid clarius? Quid expreſſius? Quid porro terribilius?

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

QVI *non audit igitur, non audietur :* Quia cùm illius negligentiæ ſeu malitiæ pœna conueniens ſit exigenda, non poteſt exigi conuenientior quàm vt qui negligit audire ſe rogantes, negligatur ipſe rogans. *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernéris.* Iſ. 30. *EGO eligam Illuſiones eorum, & quæ timebant adducam eis: quia vocaui, & non erat qui reſponderet: locutus ſum & non audierunt.* Id eſt, Ib. 66. ex multiplici pœnarum genere quibus ego Dominus poſſem eos punire, ſeligam illas præcipue quæ peccato eorum magis conuenient: & in hoc maxime quia peccant quod admoniti vel rogati diſſimulant ſe audire, & illudunt ſibi loquentibus, ſic & ego illis illudam, ſic dum rogabunt non audiam; *Ego quoque in interitu* Prou. 1. *veſtro ridebo & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas & interitus quaſi tempeſtas ingrúerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane conſurgent & non inuenient me: eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint; Comedent fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur.* Quaſi diceret Gal. 6. quod deinde Apoſtolus, *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Quod & ipſi peccatores agnoſcunt qui dicunt apud Prophetam, *Peccata noſtra reſponderunt nobis.*

Velleſne non audiri à Deo & eo præcipue tempore quo eius ope Iſ. 59. & Gratia plurimum indiges? Vide ergo vt illum audias, audi quid loquatur, quid in te arguit Conſcientia? Qua parte magis deficis? Quid te pungit & ſtimulat acrius? Núm tibi durum eſt tam pertinaciter, *contra ſtimulum calcitrare?*

Stupendum certe illud, *Quod in illis minus audimus Deum & magis obſurdeſcimus in quibus attentiores eſſe nos oporteret.* Quæ quidem diſtingui poſſet Veritas à præcedenti, & hac fuſius ratione explanari quæ ſic breuiter indicatur.

Attentiores nos eſſe oporteret in ijs de quibus frequentius & grauius admonemur. Quid clarius? Sed in illis minùs audimus & magis obſurdeſcimus. Quid enim frequentius & grauius inculcatur quàm vt ſuperbiam deteſtati, ſectemur humilitatem, gaudeamus humilitate, exultemus in injuriis, beatos nos arbitremur in paupertate, in luctu & perſecutionibus; miſeros vero in gloria,

in laudibus, & mundano riſu. At nonne ad iſta potiſſimum ſurdi ſumus? Nonne ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas ſic contra hæc Diuina monita
Pſ. 57. reluctamur? Quod ſi vt ait Apoſtolus, *Omnis prauaricatio & inobedientia accipit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus*
Hebr. 2. *ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Dicendum eſſet cum Propheta:
Iſ. 50. *Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico: retrorſum*
Exodi 5. *non abij.* Et contrà cum rebelli Pharaone dicis: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius?* Poteſtne quidquam magis oppoſitum & magis execrandum cogitari? *In mente ergo habe qualiter acceperis,*
Apoc. 3. *& audieris, & ſerua, & pœnitentiam age.*

QVÆ autem cæteris Euangelij partibus Veritates aliunde petendæ reſpondeant, ſic habeto.

Apprehendens eum de turba ſeorſum.

Nulli magis neceſſariò ſecedendum quàm qui minùs neceſſarium ſibi putat ſeceſſum.

In 2. parte, Feria 2. infra Octauam Aſcenſionis.

Miſit digitos ſuos in auriculam eius.

Ad perfectam ſcilicet obedientiam, quæ vt ſic perfecta, nullis oppoſitis rationibus patere debent aures.

Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit ſuæ inobedientiæ.

In 2. parte, Feria 4. infra Octauam Aſcenſionis.

Et exſpuens tetigit linguam eius.

Quæ eſt regula Temperantiæ in edendo, eadem eſt in loquendo.

In 3. parte, Feria 6. Hebdom. 7.

Suſpiciens in cœlum, ingemuit.

Sic pium eſt orare Deum pro ſalute proximi, vt ſit impium non orare.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 10.

Digitized by Google

Et ait illi : adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.

Quod magis confert ad faciendam Confeſſionem, minus efficitur, niſi cum Sacerdote priùs conferatur.

In 1. parte, Fer. 3. Hebdom. 3. poſt Epiphan.

Et præcepit illis ne cui dicerent.

Vide ſuperiore Dominica, de Humilitate.

Bene omnia fecit.

Sic propterea non contriſtabit Iuſtum quidquid ei acciderit.

In 1. parte, die 10. Ianuarij.

Si non ſemper, numquam magnificas Deum.

In 1. parte, Sabbato Hebdom. 4. poſt Epiphan.

HAC HEBDOMADA, occurrit hiſtoria colloquentis Chriſti cum muliere Samaritana, obſeruaturque ſic frequentiſſime Dominum cum vnaquaque anima de ipſius ſalute & perfectione colloqui.

FERIA SECVNDA.

DE SITI CHRISTI DOMINI LOQVENTIS SAMARITANAE.

Da mihi bibere. Ioan. 4.

VERITAS PRACTICA.

Quod vel Inimico numquam negares, ſæpiſſimè recuſas Chriſto.

SENSVS ET RATIO EST, Quia numquam inimico ſitienti negares potum aquæ.
Sed hoc ſæpe recuſas Chriſto.
Ergo illi recuſas quod non negares Inimico; Quod certe eſt impium & crudele, ac proinde præcauendum.

I. PVNCTVM.

TEXTVS Euangelicus paulo longior quàm vt referatur, legi poteſt à verſu quinto capitis vſque ad decimum quintum, ibidemque annotari quæ ad guſtum & fructum valere queant; atque illud maxime quod de Chriſto refertur fatigato, ſedente ſupra fontem, ſitjente & petente à muliere Samaritana quæ tunc aquam hauſtura venerat; *Da mihi bibere*. Iſta enim omnia myſtica ſunt, Vnde ſanctus Auguſtinus: *Iam incipiunt myſteria, non enim fruſtra fatigatur IESVS. Omnia iſta innuunt aliquid; indicare volunt aliquid, intentos nos faciunt vt pulſemus.*

Reuera quidem ſitiebat Dominus vt qui circa meridiem ex longo itinere & calenti ſole fatigatus ſederet; Verumtamen ſitis illa ſitim aliam exprimebat, eratque velut Myſterium & Sacramentum quod eſt ſignum viſibile continens inuiſibilem virtutem & gratiam: ſitis nempe corporea Chriſti ſitim eiuſdem ſpiritualem repræſentebat, qua ſalutem animarum ſitiebat. *Sitiebat*, inquit ſanctus Auguſtinus, *mulieris fidem*. Et quod de hac muliere particulatim refertur, hoc vniuerſim de omnibus idem ipſe Dominus dixit: *Sitio*, iterumque dicit vnicuique noſtrum quoties de ſalute noſtra nobiſcum agit. Quod certe eſt conſideratione digniſſimum, vt caueamus ne quid petenti recuſemus, cum perinde nefarium eſſe poſſit, ac ſi ſitienti potum aquæ negaremus. Quod nefas vt apertius videatur, ſic eſt propoſita Veritas: *Quod Inimico numquam negares, ſæpiſſime recuſas Chriſto*; Hinc enim

Digitized by Google

apparet, recuſationem longe minus eſſe rationabilem ex comparatione ſcilicet Inimici & Chriſti Domini IESV.

Age ergo, quid eſt quod Inimico numquam negares? Nempe aquæ potum ſi commode ſitienti præſtare poſſes, neque enim natura humana adeo fera eſt & inhumana, vt non commiſeratione tantæ miſeriæ moueatur. *Occurrentes ſitienti ferte aquam:* Sic ipſa videtur apud Prophetam natura clamare: aut ſi natura *Iſ. 21.*
repugnaret, tum certe Charitatis Chriſtianæ lex vrgeret, qua expreſſe iubemur referente Apoſtolo, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſitit? Potum da illi*; Cui Charitatis officio qui defuerit, en *Rom. 12.*
condemnationis eius æternæ iam prolata eſt à Iudice ſententia: *Sitiui & non dediſtis mihi potum, nam quamdiu non feciſtis vni de* *Matth. 25.*
minoribus his, nec mihi feciſtis. Velleſne hanc incurrere maledictionis pœnam?

II. PVNCTVM.

A*T QVI hoc ſæpe, in alio ſenſu, recuſas Chriſto.* Quoties ſcilicet à te petit quæ ſpectant ad ſalutem tuam, tanto ardore animi petit quanto peteret ſitiens potum aquæ; ac proinde ſi quæ petit, recuſas; recuſas ſitienti potum. Quod apertiſſime patet in hac muliere Samaritana quæ ſi recuſaſſet Conuerſionem ſuam quam ſitiebat Chriſtus, plane ſitienti & petenti bibere, recuſaſſet potum; Nonne eſt ita? Cur porro ita, niſi quia non aquam putei ſitiebat Chriſtus, ſed eius animæ meliorem ſtatum & ſalutem? At vero ſi modò æque vehementi & ardenti deſiderio quod à te petit deſideret, licet ſitim corporis non ſentiat, nonne tamen dicendus erit ſentire ſitim animi? Nonne ardens deſiderium eſt quædam animi ſitis? Nonne illa erat ſitis qua magis laborabat Chriſtus quàm corporis? Ac denique cùm illius ſitis refrigerium non aliud ſit quam quod petit ad ſalutem; hoc ſi illi negas, nonne eſt ſitienti potum negare?

Certe conſequentia eſt euidens ſi quod antecedit de ſitienti Chriſto non diffitearis. Nec vero diffitendi locus vllus eſt ſi attente cogites Chriſtum Dominum non minori iam deſiderio ſalutem noſtram optare quam cum olim in cruce dixit: *Sitio.* Putaſne aliquid de illius Charitate deductum? Blaſphemum eſſet id cogitare, vnde neceſſarium eſt concludere quod ſi olim

Digitized by Google

ex Charitate ſitiuit tuam ſalutem, ex eadem nunc Caritate quæ nullam diminutionem paſſa eſt, æque illam ſitit, licet non æque ſenſibili modo.

Adde, quod non minori ardore Chriſtus ſalutem noſtram deſideret, quam Dæmon perniciem noſtram. Tantus eſt autem ardor Dæmonis vt comparetur ſiti, dicaturque de eo in libro Iob: *Habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Id eſt, tanta ſiti premitur perditionis hominum, vt non expleatur nec ſatisfiat niſi electos quoſque abſorbuerit: quanto magis Chriſtus ſitire dicendus eſt qui certe magis Deum Patrem & nos amat, quàm Dæmon oderit; vnde euidentiſſimum eſt quod quidquid ex illo deſiderio petit, petit velut ſitiens; & quod illi recuſatur, recuſatur velut potum ſitienti.

Iob. 40.

Ah quoties petiit, & quoties recuſaſti! Recenſe ſi potes & confundere.

III. PVNCTVM.

IGITVR *quod Inimico numquam negares, ſæpiſſimè recuſas Chriſto.* Nec repetendæ ſunt vltrà propoſitiones, adeo iam patent ad Veritatis intelligentiam, ſed ad Praxim vrgenda eſt iſta comparatio Inimici & Chriſti; Nam rectè cogitanti non poteſt non injurioſum eſſe Chriſto Domino & alienum ab omni ſenſu pietatis quod minori apud te in pretio habeatur quàm Inimicus qui in hoc officiorum genere poſtremus haberi ſolet. *Quid inuenerunt in me iniquitatis? POPVLE meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Reſponde mihi.* Sunt ipſa Domini verba de tot tuis repulſis conquerentis. Et rurſum: *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ & non feci?* Tu vero quid feciſti eorum quæ debuiſti? *An quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruſcas?*

Ier. 2. Mich. 6. Iſ. 5.

Reſume etiam ad vehementiores affectus quod Chriſtus Dominus dicebat Mulieri, & tibi dictum puta quoties petit à te quod illi negas: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Forſitan, inquit, quando de te loquitur quia id à te pendet & ſæpius libertate abuteris. At verò quando de ſe ſuiſque donis loquitur, ſic abſolute pronuntiat; *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua* quam

Digitized by Google

quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ac tandem ei dices, *Domine da mihi hanc aquam.* CONVERTE *nos* Thren. 5.
Domine, & conuertemur.

Vide potiſſimum in quo, vel in ſubſtantia, vel in modo, vel in fine. *In quo corrigit adoleſcentior, aut ſenior viam ſuam?* Pſ. 118.

FERIA TERTIA.

DE COGNITIONE SVI QVAM MVLIER SAMARITANA, ET ANIMA NOSTRA HAVRIT A DOMINO.

Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir. Ioan. 4.

VERITAS PRACTICA.

Quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, omnem in nobis exhaurit faſtum:

Id eſt, non tantùm eum qui repugnat cognitioni peccatorum, ſed eum etiam qui opponitur humilitati & modeſtiæ qua quis demiſſe de ſe ſentit.

RATIO EST, Quia quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio notam nobis facit noſtram Inſufficientiam.
Sed ex nota nobis inſufficientia omnis in nobis exhauritur faſtus.
Ergo & quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, omnem in nobis exhaurit faſtum. Quæ Veritas magis confirmatur ex hac ſequenti altera.

Digitized by Google

Quidquid in ſe cognoſcit anima, nil tam certo de ſe cognoſcit quo extollatur, quàm quo humilietur.

RATIO EST, *Quia nil tam certo de ſe cognoſcit anima quam quod fide Diuina cognoſcit.*

Sed nil tam fide Diuina cognoſcit quo extollatur, quàm quo humilietur.

Ergo neque id tam certo cognoſcit; Ac proinde longe verius & tutius ſe humiliat quam ſe exaltet.

I. PVNCTVM.

CVM dicenti Chriſto Samaritanæ vt *vocaret virum ſuum*, reſpondiſſetque Mulier ſe non habere virum: tum illi Chriſtus Dominus, *Bene*, inquit, *dixiſti, quia non habes virum, quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir; hoc verè dixiſti.* Quo in ſermone illud primum egit Dominus vt ſe noſſet Mulier, quò facilius vltrà progrederetur ad conuerſionem ſuam, ſicut reuera contigit. Hoc enim præcipue motiuo inducta eſt vt in Chriſtum crederet, atque vt ſuos etiam Conciues ad credendum adduceret: *Venite*, inquit, *& videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus? Et ex ciuitate illa multi Samaritanorum*, ait Euangeliſta, *crediderunt in eum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Tantum valet vera ſui cognitio.

Quamobrem hoc illud ipſum eſt quod in quauis anima primum incipit operari Dominus, & ad quod perficiendum cum ipſo nos exhortantur omnes ſancti Patres. *Volo animam primùm omnium ſcire ſeipſam*, inquit ſanctus Bernardus, & alij paſſim in illud primi Canticorum: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.*

Serm. 36 in Cantica.

Neque vero nudam & ſterilem ſeu quam vocant ſpeculatiuam noſtri cognitionem operatur in nobis Dominus, ſed fœcundam, ſed fructuoſam, ſed Practicam: Cumque hic potiſſimus huiuſce Cognitionis fructus ſit illa demiſſio animi quæ fugit omnem faſtum, omnem arrogantiam, præſumptionem & complacentiam, hoc imprimis eſt intelligendum, & ſic formanda Veritas quæ mo-

Digitized by Google

do expendatur: *Quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, omnem in nobis exhaurit faſtum*; Aut non eſt à Chriſto cognitio, aut non eſt in cognitione ſeu in cognoſcente ſeipſum, faſtus. Cum vero duplex ſit genus faſtus, vnum quo erubeſcimus confiteri peccata, & aliud quo geſtimus noſtra deprædicare facta: Contra vtrumque cognitio hæc noſtri, nos apte format: ſed de ſecundo hîc particulatim agimus; acturi de primo commodius in ſequenti meditatione. Sicut autem non eſt alia noſtri cognitio per Chriſtum habita quàm quæ nos à tali faſtu reuocat, ſic nec talis cognitio poteſt ab alio quouis haberi quam à Chriſto, quod vtrumque ſimul declarat hæc allata Ratio: Quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, notam nobis facit noſtram inſufficientiam ad omne opus bonum: Sic enim ipſe aperte Chriſtus, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. *NON ait ſine me parum poteſtis*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſed nihil poteſtis facere: ſine ergo parum ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt ſine quo fieri nihil poteſt.*

Quod vt magis confirmaret Dominus, ſic de ſeipſo ſentiebat & loquiebatur: *Non poſſum ego à meipſo facere quidquam. A meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* Quaſi diceret, ſi meam inſufficientiam Ipſe agnoſco, ſi ſic de me loquor, ſi quæ eſt ratio cur id de me dicam, quanto magis illa valet vt de vobis idem ſentiatis. Quo ſpectabat Apoſtolus cum dicebat: *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto IESV, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit,* Id eſt, tamquam nihilum & inane aliquid ſe fecit cum ſe fecit hominem; Sicut enim homo non eſt à ſe, neque à ſe poteſt quidquam boni, ſic Chriſtus Dominus ſe faciens hominem, non eſt à ſe, neque quidquam poteſt à ſe tamquam ab homine; & hoc eſt ſe exinanire; hoc eſt ſe redigere in eum ſtatum in quo verè poſſit dicere, *A meipſo nihil facio: Non poſſum à meipſo quidquam facere*; Hoc eſt denique quod in nobis ſentire debemus, ſicut ſentiebat Idem Apoſtolus à Chriſto probe edoctus, *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Itane ſentis, Itane verè te agnoſcis?

Ib. 5. Ib. 8. Ph. 2. 2. Cor. 3.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

S*ED ex nota nobis noſtra inſufficientia, omnis in nobis exhauritur faſtus.*

Non quod iſta notio noſtræ inſufficientiæ, per ſe ſola faſtum à nobis tollat, neque enim ad hoc ſufficientes ſumus quaſi ex nobis; ſed quod illa ipſa Diuina Chriſti Gratia quæ hanc noſtram inſufficientiam nobis notam facit, ſimul cum iſta notione quam haurimus exhauriat quidquid faſtum & arrogantiam ſapit. Sic expreſſe Diuus Auguſtinus exponens illa Chriſti verba quæ ſupra commemorauimus de vite & palmite: *Magna*, inquit, *Gratiæ commendatio, corda hic inſtruit humilium, ora obſtruit ſuperborum: huic Veritati reſiſtunt liberi arbitrij non aſſertores ſed præcipitatores; Qui à ſemetipſo fructum ſe exiſtimat ferre, in vite non eſt.* Quaſi diceret, ſicut cauſa faſtus & ſuperbiæ prouenit ex falſa opinione quam quis habet de ſua excellentia, de ſuo merito, ſiue, vt aiunt, de ſua ſufficientia; ſic bene iuuante Domino talis deſinet faſtus cum talis cauſa deſinet, cum talis opinio euaneſcet; euaneſcet autem cum vera ei ſuccedet notitia quà homo ſe cognoſcet non ſe magis ſufficientem eſſe ex ſe producere aliquem fructum, quam ſit palmes ſine vite. Licet enim fructum in ſe aut in aliis faciat, quia tamen cognoſcit non à ſe facere, ſimul etiam cognoſcit non magis ſibi eſſe gloriandum quam ſecuri vel alteri

Iſ. 10. cuipiam inſtrumento quo ad agendum vtitur, *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea?*

Ioan. 8. Sic ipſe Chriſtus conſequenter ex cognitione ſui, *Si ego*, inquit, *glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Sic ipſe Apoſtolus, poſt

2. Cor. 4. multa de ſe commemorata: *Tametſi nihil ſum*, Nihil laudis, nihil

1. Tim. 1. gloriæ mihi propterea vendico: Quia *ſoli Deo debetur Gloria*, Solus ille eſt qui à ſe omnia poteſt, & ſine quo nullus hominum quid-

1. Cor. 4. quam poteſt. *Quid habes & quid facis quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.*

Vidiſtine vmquam Sacerdotem ob id ſuperbientem quòd Corpus Chriſti conſecret? Quod tamen eſt opus omnium excellentiſſimum: ſed quia maniteſte cognoſcit ſe id non à ſe facere, idcirco non poteſt inde ſuperbire. Sic neque aliud quiduis boni, Sacerdos aut alius magis poteſt ex ſe facere, quàm ex ſe ſolo, cõſecrare Cor-

Digitized by Google

pus Chriſti; Et qui hanc habet notam ſuam Inſufficientiam, tam parum gloriatur & ſuperbit ex vno quam altero, aut ſi ſuperbit ex vno, tam vanus eſt & arguendus quam ſi ſuperbiret ex alio. Vnde recte Apoſtolus cuidam ex bono ſuo intumeſcenti, *Fruſtrà inflatur ſenſu carnis ſuæ & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratur*; Quaſi diceret, fruſtra gloriatur & ſine cauſa, non ſeipſum iſte nouit, non ſibi ſuam objicit inſufficientiam, non aduertit à quo habeat vt aliquid poſſit. Sicut enim à capite corporis effluit quidquid in membra ſenſus diffluit, ſic à Chriſto totum manat quidquid à quouis homine boni ſentitur & agitur. *Domine omnia opera noſtra operatus es nobis.* Hoc ita forte modo dices cum Propheta, ſed dum vane de tuis extolleris, tibi & Veritati contradicis.

Coloſſ. 2. Iſ. 26.

III. PVNCTVM.

SIC *ergo quæ à Chriſto hauritur noſtri Cognitio, omnem in nobis exhaurit faſtum*; aut non eſt à Chriſto talis ſui Cognitio quæ ſuperbum relinquat hominem, aut ſi à Chriſto eſt, nihil vanitati nihil ſuperbiæ, nihil faſtui relinquit in homine; *Et nolite*, inquit, *in ſublime tolli. RECVMBE in nouiſſimo loco. OSTENDE te Sacerdoti. VNVS eſt bonus Deus. SINITE paruulos ad me venire, talium eſt enim regnum cælorum. ERVNT nouiſſimi primi: & primi nouiſſimi.* Hæc & ſimilia quæ ad noſtri cognitionem & humilitatem faciunt, ſic dicuntur à Domino vt agnoſcamus ab eo ſolo noſtra eſſe omnia, ab eo ſolum hauriri, huic vni accepta eſſe referenda; & hoc ipſum etiam quod de noſtri cognitione cognoſcimus.

Luc. 12. Ib. 14. Matth. 19. Ib. 20.

Quod præclare admodum ſanctus Auguſtinus proſequitur ad illum Pſalmi verſum: *In diluuio aquarum multarum. HAEC*, inquit, *aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ ſalutaris, abjicientis ſe, nihil de ſe præſumentis, nihil ſuæ potentiæ ſuperbè tribuentis. Hæc aqua in nullis alienigenarum libris eſt, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis. Vbicumque etiam inueniuntur optima præcepta morum & Diſciplinæ, humilitas tamen iſta non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat: à Chriſto venit. Hæc via ab illo eſt qui cùm eſſet altus, humilis venit.* Et quæ plura pergit vt diſcas non ab alio quàm à Chriſto quærendam eſſe hanc tui Cognitio-

Pſ. 31.

Digitized by Google

nem, neque ab illo aliam quàm quæ monſtrat omnem deponendum faſtum.

Ioan. 10. O quàm vere Chriſtus, *Ego ſum oſtium: & qui non intrat per oſtium, ille fur eſt & latro.* Primus quippe ad vitam ſpiritualem introitus fit per noſtri Cognitionem: qui vero ſe per Chriſtum non cognoſcit, non intrat per oſtium, & quoties ſibi de ſe boniſque ſuis complacet & gloriatur, fur eſt & latro qui Gloriam Dei ſurripit, & ſe ipſe ſuis denudat bonis.

QVIA vero iſte bonorum aſpectus quæ quiſque putat ſe habere, non parum facit ad faſtum illum & ſuperbiam in nobis excitandam; præſto adſit oportet ſequens Veritas: *Quod quidquid boni in ſe aſpiciat & cognoſcat anima, nihil tam certo de ſe agnoſcit quo extollatur, quàm quò deprimatur & humilietur.* Nihil enim tam certò in ſe cognoſcit quàm quod Diuina fide cognoſcit. Quid clarius? Nihil eſt autem quod tam fide Diuina cognoſcat vnde extollatur, quam vnde humilietur. Neſcit enim fide Diuina ſe habere bonum aliquod, neſcit ſe eſſe in Gratia, neſcit an ſit *in odio* Eccl. 9. *vel in amore Dei*; quin potius ex fide eſt id omnino neſciri. At vero etiam ex eadem fide Diuina certo ſcire debes & indubitanter, te nihil eſſe, te nihil ex te poſſe niſi malum, te verè peccatorem eſſe. *Non eſt enim homo qui non peccet.* Quæ cum plurimum va- 3. Reg 8. leant ad nos deprimendos, nonne apparet tanto hæc certiora eſſe quàm quæ faſtum excitant, quanto certius eſt quod fide Diuina ſcitur quàm quod humana opinione putatur? Cur ergo non te libentius humilies quam te extollas? Nonne ſemper Veritatem malles quàm errorem, quàm falſitatem, aut quàm mendacium? At vera & Chriſtiana humilitas, ipſa eſt Veritas. Vnde quidquid opponitur Veritati, repugnat humilitati, ac proinde non modo faſtus & aperta ſuperbia, ſed qua libet etiam tacita de ſuis bonis aut meritis præſumptio non niſi error eſt, non niſi falſitas & non niſi mendacium. *Verè mendaces erant colles & multitudo montium:* Ier. 3. Id eſt, quidquid in nobis videtur eminens & excelſum, vbi vanitatis Idolo, ſicut olim in excelſis profanè ſacrificatur, vere id mendax & falſum eſt.

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE ILLVSTRI COGNITIONE CHRISTI DOMINI MANIFESTANTIS SEIPSVM SAMARITANAE ET CVIVIS PECCATRICI ANIMAE.

Domine, video quia Propheta es tu, Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet. Ioan. 4.

VERITAS PRACTICA.

Numquam illuſtrius ſe manifeſtat Chriſtus, quàm dum animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam & peccatum latens, ipſi manifeſtat.

RATIO EST, *Quia numquam illuſtrius ſe manifeſtat Chriſtus quàm dum Bonitatis, Potentiæ, & Sapientiæ certiora dat ſigna.*

Sed dum animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam & peccatum latens ipſi manifeſtat, certiora dat ſigna ſuæ Bonitatis, & Potentiæ & Sapientiæ.

Ergo numquam illuſtrius ſe manifeſtat quàm dum animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam, & peccatum latens ipſi manifeſtat. Quod certe eſt ad amorem Chriſti tùm actiuum tùm paſſiuum illuſtrandum, non parum efficax.

I. PVNCTVM.

TAMETSI nihil adhuc de ſe Chriſtus aperte dixerat Samaritanæ mulieri: neque quis eſſet, omnino indicaſſet: tamen vt audiuit Illum ſua ſibi reuelantem peccata, ſtatim cœpit ſubodorari non vulgarem eſſe hominem, ſed eximium quendam Prophetam & Magiſtrum, qui poſſet ſoluere quæſtionem quæ illo tempore agitabatur frequentius de loco ſacrificij publice inſtituendi: ſicque paulatim Mulier ad manifeſtam eius deuenit notitiam, dum apertam accepit ab illo ſuæ Conſcientiæ peccatique latentis cognitionem.

Hec illud eſt videlicet quod vniuerſim de nobis omnibus tam magnifice prædictum erat à Propheta, in perſona Iudæorum: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, populus meus. Et ſcietis quia Ego Dominus cùm aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris.* Quid eſt enim tumulus aut tumulatum eſſe niſi latens habere peccatum in Conſcientia? Quid eſt porro aperiri tumulum, niſi hoc latens manifeſtari peccatum? Quid eſt denique inde ſcire de Domino quia Dominus eſt, niſi inde illum manifeſtius noſſe? *Ezech. 37.*

Hinc ergo deducta Veritas, quæ modo attentius conſideretur, *Numquam illuſtrius ſe manifeſtat Chriſtus quàm dum animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam, & peccatum latens ipſi manifeſtat.* Differetur in craſtinum ſolutio quæſtionis à Samaritana, Chriſto propoſitæ, vt quàm ſit certa hæc Veritas, quàm opportuna ad cognitionem & amorem Chriſti adaugendum expendi poſſit accuratius.

Sic autem aperte declaratur, ex tribus Diuinis attributis. Numquam enim illuſtrius ſe manifeſtat Chriſtus quàm dum ſuæ Bonitatis & Potentiæ ſimul ac Sapientiæ certiora dat ſigna. Vnum eorum ſufficeret quidem ad certam ſui manifeſtationem faciendam: ſic diſtinctim, Deus à potentia cognoſcitur in creatione mundi: ſic à Sapientia in eius conſeruatione: Et à bonitate in Redemptione humani generis. Sed quando tria illa ſimul concurrunt, tunc profecto *funiculus ille eſt triplex qui difficile rumpitur*, tres ſunt illi digiti *qui appendunt molem vniuerſæ terræ*, tres ſunt illi *teſtes in quorum ore ſtat omne verbum*, tria ſunt denique *Eccl. 4. Iſ. 40. Matth. 18.*

quæ

Digitized by Google

quæ de Chriſto enuntiant, quod ibi adſit, ibi operetur, ibi colendus ſit & amandus.

Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Nonne ſciebat Iacob qui loquitur, vbique eſſe Dominum? Sciebat certe, ſed quia in illo loco, *vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui*, & quæ plura referuntur in quibus ſingularis Dei apparebat Potentia, Bonitas, & Sapientia; idcirco tam ſingulariter ibi Deum adeſſe cognouit, vt ſi per impoſſibile, non fuiſſet vbique, fuiſſet tamen in illo loco. Sic ipſe Deus de Templo lociſque ſacris: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit.* Nonne vbique oculos & aures habet erectas? Sed quia in templis plura Bonitatis & Potentiæ ſuæ demonſtrat argumenta, ibi præſertim eſſe Deus & attendere & operari dicitur. O ſi tum etiam eſſemus illic erectiores & corpore & animo, quàm plura ſentiremus Diuinæ ſigna præſentiæ!

Gen. 28.

2. Par. 7.

II. PVNCTVM.

SED *dum animæ peccatricis illuſtrat Chriſtus Conſcientiam, & peccatum latens ipſi manifeſtat, certiora dat ſigna ſuæ Bonitatis, Potentiæ, ac Sapientiæ.*

Primò quidem Bonitatis, nam cum peccatrix anima ſit ab eo auerſa, mereaturque in ſua derelinqui auerſione, quid eſt quod Dominus illam non deſerit? Quid eſt quod æternis eam pœnis non addicit, quod eam Dæmoni non mancipat? Quid inquam eſt quod non modo non eam punit, ſed prætterea monet vt reſurgat, accendit vt excitetur, illuſtrat mentem vt ſe ſuumque ſtatum agnoſcat, quid niſi bonitas & miſericordia, tantoque major Bonitas, quanto res de qua tùm agitur periculoſa, momentoſa & pretioſa eſt? *O quàm bonus & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus, ideoque eos qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.*

Sap. 12.

Suauitas autem de qua hic Sapiens loquitur, eſt in Sapientia, Sapientia vero in variis & accommodatis modis quibus vnumquemque Chriſtus mouet & excitat: quaſi è re nata, quaſi aliud

Digitized by Google

agendo, quaſi ab vno ſucceſſiuè ad aliud. Primo petit aquam, tùm de alia quadam loquitur aqua, poſt de Viro, ac tandem de peccato. Sic cum Samaritana egit, ſic cum vnaque peccatrice anima, ſic ſæpe tecum dum minus forte cogitares, Sic *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.*

Ibid. 8. Poteſtatis denique ſingularem exhibet notam, dum quæ ſecreta ſunt pandit: dum quæ obſcura illuſtrat; dum quæ dura, emollit; quæ mortificata viuificat; Hoc nempe ſolius Dei eſt, ſic in Creaturam illabi, vt citra vllum medium, ſolo ſuo ſpiritu, ſola ſua potentia, in imum animæ fundum penetret, ibique renes ſcrutetur & corda & penitiora quæque videat & videnda proponat. *Hic eſt ſermo viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.*

Hebr. 4.

Poſſeſne te Hunc celare tam Potentem? Poſſeſne te ab illo abſcondere? Aut quando etiam poſſes, velleſne ita latere & celari vt ab oculo tam benigno non videreris?

III. PVNCTVM.

N*VMQVAM ergo illuſtriùs ſe manifeſtat Chriſtus quàm dùm animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam, & peccatum latens ipſi manifeſtat:* Quia quæ ſunt Illuſtriora ſigna ſuæ præſentiæ, ſic manifeſtat, vt minime dubitare poſſit Anima quæ ſe agnoſcit peccatricem, quin ſit Chriſtus à quo illuſtratur, cum ſit tantæ Bonitatis, tantæ Potentiæ, tantæquè Sapientiæ donum, ſic illuſtrari & conuerti, vt non ſit alia Bonitas quam Diuina, non alia Potentia nec Sapientia quam ſuprema & infinita quæ hos effectus patrare poſſit.

Pſ. 143. *Domine, quid eſt homo quia innotuiſti ei, aut filius hominis quia reputas eum?* Sic recolendum beneficium Iuſtificationis, ſic agnoſcendus amor Diuinus quo præuenti ſumus, ſic deprimenda mens in recordatione omnium quibus humiliari & abjici poſſit. Nec parcendum verbis & actis quibus peccati confeſſio exprimatur, & Diuinæ ſatisfiat Iuſtitiæ. *Contemplabor vt videam quid dicatur mihi; & quid reſpondeam ad arguentem me. VENITE & reuertamur ad Dominum, quoniam ipſe cœpit, & ſaluabit nos: percutiet & cu-*

Abac. 2.
Oſeæ 6.

Digitized by Google

rabit nos : ſciemus, ſequemurque vt cognoſcamus Dominum. CON- Ier. 31.
VERTE me & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam : poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. ILLE homo qui dicitur IESVS, lutum Ioan. 9.
fecit, & vnxit oculos meos : Et abij, laui, & video. AN non co- 2. Cor. 13.
gnoſcitis voſmetipſos quia Chriſtus IESVS in vobis eſt? Niſi forte reprobi eſtis ; Quaſi diceret, quid dubitatis in re tam aperta? Poteſtne dubitari quin Chriſtus adſit præſens quando ſuæ præſentiæ tot edit ſigna? Poteſtne vero credi ſic adeſſe ſic mouere Conſcientiam, ſicque ad reſipiſcendum, animam flectere, & non conuerti, non compungi? Certe hoc indicaret nimis obduratum pectus, & velut reprobam mentem. *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies* Hebr. 3.
donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Chriſti effecti ſumus : ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus : Primos ſcilicet illos Gratiarum motus quibus incipimus ſubſiſtere vita ſpirituali; & quos ad finem firmum retinemus quando perfecte conuertimur & in perfecta conuerſione perduramus.

Vide in 1. parte, Fer. 3. Hebdom. 4. poſt Epiphan.

FERIA QVINTA.

DE SVBLIMI COGNITIONE DEI QVAM CHRISTVS SAMARITANAE COMMVNICAT, ET ANIMAE SIBI ADDICTAE.

Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ioan. 4.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Sicut ſpiritus & veritas ſunt indiuiſibiles, ita ſi in ſpiritu & veritate Deum velis adorare, oportet te toto indiuiſim Dei eſſe.

RATIO EST, *Quia ſi in ſpiritu & veritate Deum velis adorare, oportet te perfecte ſubjicere appetitum rationi, & rationem Deo.*

Sed vt perfecte ſubjicias appetitum rationi, & rationem Deo, oportet te toto non minus indiuiſim Dei eſſe, quàm ſpiritus & veritas ſunt indiuiſibiles.

Ergo & te talem eſſe oportet ſi in ſpiritu & veritate Deum velis adorare. Quæ ſane Conſideratio multum habere poteſt momenti ad acquirendam perfectionem.

I. PVNCTVM.

QVÆSTIONEM à Samaritana propoſitam ſic ſoluit Chriſtus Dominus: *Mulier crede mihi, quia venit hora & nunc eſt, quando neque in monte hoc, neque Ieroſolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod neſcitis: Nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt: ſed venit hora & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent Eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant Eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.*

Quæ verba quia ſunt valde ſublimia & auguſta, fuſiori egent explicatione; Vt vero eorum explicatio ſit fructuoſior, inſerenda eſt in ipſa propoſitæ Veritatis declaratione: cùm & reipſa Veritas quæ nunc expendenda proponitur non poſſit melius declarari quam ex illorum explicatione verborum. Sic enim habet: *Sicut Spiritus & veritas ſunt indiuiſibiles, ita ſi in Spiritu & veritate Deum velis adorare, oportet te toto indiuiſim Dei eſſe.* Ratio autem ſeu declaratio hæc eſt, quia ſi in Spiritu & veritate Deum velis adorare, oportet te perfecte ſubjicere appetitum rationi, & rationem

Deo. Quod vt probè intelligatur, vides quam neceſſario ſit explicandum quid ſit *in Spiritu & veritate Deum adorare*: Sic porrò dilucide explicatur proponendo tibi quatuor genera hominum de quibus Chriſtus loquitur.

Primi ſunt Samaritani, qui tum idola ſimul & Deum adorabant, talſis quibuſdam ritibus contra quos Dominus ait, *vos adoratis quod neſcitis*. Secundi ſunt Iudæi, qui vnum & ſolum Deum vero cultu & à Deo ordinato colebant ex quibus ipſe Dominus erat oriundus ac proinde dicebat, *Nos adoramus quod ſcimus*. Tertij erant futuri Chriſtiani, qui neque vt Samaritani talſis ritibus, neque vt Iudæi cruentis & merè corporeis Sacrificiis in templo tantum Ieroſolymitano, ſed in Spiritu & veritate adorarent, Id eſt, ſpirituali cultu qui partim futurus ſit internus in virtutibus, & partim externus in Euchariſtico Sacrificio, eritque magis verum Sacrificium veritate oppoſita non tantum talſitati Gentilium ſed & vmbris & figuris Iudæorum, qui ſolis in cæremoniis exterioribus intenti erant & parùm de cultu interno ſoliciti.

Quarti denique ſunt ex Chriſtianis perfectiores ſeu perfectioni vacantes, qui non tantum aliquoties in templis quod cæteri omnes faciunt, ſed vbique & ſemper Deum colunt, ſuo viuendi modo qui dicitur in Spiritu & veritate: quatenus Spiritui ſubjicitur caro, & mundus Chriſto, prout ipſe Deus ordinat & ab vnoquoque vult fieri. Et hi ſunt Adoratores ſeu cultores & ſerui Dei quos Pater, id eſt, ipſe Deus quærit, nam ſicut Deus Spiritus eſt, ita diligit ſpirituales ſeu ſpirituali vita viuentes. Sic expreſſe inter alios ſanctus Athanaſius, *Veri adoratores*, inquit, *ſunt illi qui fugientes mundum & ſæculum, ſic viuunt vt ipſi de domibus, de corporibus, de operibus, de verbis, de cogitationibus templa & Sacrificia faciant.*

At nonne hoc ipſum eſt quod in propoſitione dicitur, *Si velis in Spiritu & veritate Deum adorare, oportet te perfectè ſubjicere appetitum rationi, & rationem Deo?* Sicut enim illa Dei adoratio in Spiritu & veritate, perfectionem Diuini cultus & Chriſtianæ religionis continet; ita hæc perfectio continetur duplici hominis ſubjectione pro duplici qua conſtat parte, nempe appetitus quæ eſt pars Inferior ſubſit Rationi, & Ratio quæ eſt Superior ſe Supremo ſubdat, id eſt, Deo. Sic iam ſupra ex ſancto Proſpero & aliis Patribus dictum eſt: *Dominetur vitiis ratio, ſubjiciatur corpus* *Proſper. In ſententiis.*

Digitized by Google

animo, animus Deo: & impleta eſt tota hominis perfectio. O quanta inde perfectionis commendatio & dignitas qua ſic in Spiritu & veritate Deus adoratur, qua ſic in homine quod Deus quærit, inuenit!

II. PVNCTVM.

SED vt ſubjicias appetitum rationi, & rationem Deo, oportet te toto, non minus ac Spiritus & veritas ſunt indiuiſibiles, indiuiſim eſſe Dei; Seu, quod idem eſt, oportet te totum eſſe indiuiſum à Deo, oportet te totum, quantus quantus es in animo & corpore, non ex parte tantum, ſed ita omnino eſſe Dei, nihil vt prorſus agas aut cogites quàm quod Deo placet.

Si enim ex parte aliqua deeſſes Deo, vel ex parte inferiori deeſſes vel ſuperiori; nam ſi vtraque pars ſua in ſubjectione contineretur, profectò totus eſſes Dei, totus eſſes perfectus vt dictum eſt, ac proinde totus eſſes Dei, cùm alioquin perfectus non eſſes, niſi totus illius eſſes. Vnde neceſſario ex his duobus alterutrum ſequitur, vel quod totus ſis Dei ſi perfecte ſubjicias appetitum rationi, & rationem Deo: vel ſi non ſis totus Dei, non perfecte compleas ſubjectionem illam vt iuſque partis; Subtractio quædam eſt, *ſubtractionis es filius*, vt ait Apoſtolus: *Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionis filij in perditionem*, Quaſi diceret, toti ſumus Dei noſtri, ſicut filij ſunt toti patris; aut ſi aliquid de toto illo ſubtraheremus, non eſſemus illius toti; & perindè periremus ac ſi penitus non eſſemus Dei. Quia videlicet ſicut ſi Spiritus humanus diuideretur, totus periret, aut ſicut ſi eſſet diuiſa veritas iam non eſſet veritas, ſed mendacium & falſitas, ita plane ſi vel ex aliqua tantum parte deſis Deo, totus deinde deeris; Vel illum totus relinques, vel te Ille totum abjiciet, quia non te vult ex parte aliqua, ſed te totum. *Ex toto corde tuo, ex tota anima tua: ex tota mente tua: ex totis viribus tuis: ex tota virtute tua: ex tota fortitudine tua.* Non aliter reperies expreſſum primum mandatum quam ex toto, vnde ſi aliquid demas, iam non exples mandatum.

(Hebr. 10. — Matth. 22. Luc. 10. Marci 12. Deut. 6.)

Diuidatur infans, inquiebat falſa mater: At verò vera; *Non diuidatur. Obſecro Domine date illi infantem viuum, & nolite interficere eum.* (3. Reg. 3.)

Digitized by Google

Sic plane Diuina Bonitas non patitur nos à ſe diuidi: nos ita totos ſibi vult eſſe, vt non aliter eius ſimus quam ſi ſimus toti.

O quàm longe errant qui tamquam ſeueritatis & Iuſtitiæ iugum eſſet, reformidant quod audiunt de perfecta ſui mortificatione; non eſt id ſeueritatis & Iuſtitiæ, ſed Bonitatis & beneuolentiæ.

III. PVNCTVM.

S*ICVT ergo Spiritus & veritas ſunt indiuiſibiles, ita ſi in Spiritu & veritate Deum velis adorare, oportet te totum indiuiſim Dei eſſe:* Quia oportet te ex vtraque tui parte eſſe ſubjectum Deo, quod eſt adorare Deum in Spiritu & veritate, ſimulque totum illius eſſe: Aut ſi aliqua ex parte deſit illa ſubjectio, deſit & adoratio in Spiritu & veritate. Iam *non ſecundum veritatem ambulas*, iam tu ex illis es de quibus Apoſtolus: *Qui pereunt, eò quod Charitatem veritatis non receperint, vt ſalui fierent.* *2. Theſſ. 2.*

Velleſne id tibi exprobraretur? Velleſne fugere Deum te quærentem? Quò tandem ires ſi ab illo fugeres? Quocumque tandem pergas, te ſeriùs ocyus inueniet; ſed tua intereſt vt qualem te quærit, talem inueniat. Talem autem quærit vt adores eum in Spiritu & veritate: quod cùm perfecte non poſſis explere niſi totus illius ſis, niſi te totum illi ſubjicias, hoc hodie refer ex hac Conſideratione, te tantum obligari ad hanc perfectam ſubjectionem, quantum obligaris ad adorandum Deum in Spiritu & veritate, quantum obligaris ad colendum Deum cùm alios ſui Cultores nolit, quantum denique obligaris ad eum animi ſtatum tibi comparandum, qualem quærit Deus, ne ſi forte te non inueniat qualem quærit, neque tu Illum talem inuenias qualem quæris. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris:* Quaſi diceret, non enim aliter inuenies qualem ſcilicet quæris, niſi toto corde quæſieris. Quid eſt autem toto Dominum corde quærere, niſi nos totos ipſius eſſe, nos totos ipſi ſubjectos, & nos totos quales quærit? Vnde & alibi: *Præbete corda veſtra & animas veſtras, vt quæratis Dominum*, Rurſumque aptiſſimè: *Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes qui quærunt eum in bonitate*, Id eſt, Illi ſubjecti ſint & humiliati ſub potenti manu Dei

Deut. 4. *1. Par. 22.* *1. Eſd. 8.*

neceſſe eſt, qui ſic eum quærunt vt inueniant, aut certe non inuenient. *Quæretis me, & non inuenietis.* TIMEO, inquit Apoſtolus Corinthiis, *ne forte cùm venero, non quales volo, inueniam vos; & ego inueniar à vobis, qualem non vultis.* O quam timendum nobis ne ſic nobiſcum Deus.

Ioan. 7.
2. Cor. 12.

Vide in 1. parte, Die 4. Ianuarij. Et in 4. parte, Dominica 17.

FERIA SEXTA.

DE CONTINVA COMMVNICATIONE CHRISTI CVM ANIMA QVAVIS GRATIOSA ET FIDELI, AD BENE SEMPER AGENDVM.

Ego ſum qui loquor tecum. Ioan. 4.

VERITAS PRACTICA.

Quod Chriſtus ſemper vellet, nobiſcum loqui & agere, ſi vellemus: ſic certe volendum eſt.

RATIO EST, Quia idcirco ſemper vellet Chriſtus nobiſcum loqui & agere ſi vellemus, vt ſemper poſſimus bene agere, vt bene ſemper agamus.

Atqui hoc nobis volendum eſt, ſic ſemper bene agere.

Ergo quod Chriſtus ſemper vellet nobiſcum agere ſi vellemus, ſic certe volendum eſt. Et fructus inde vberrimi ad omnem vitæ partem emanarent.

I. PVNCTVM.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

DIVINVM Chriſti ſermonem de ſpirituali cultu quem quærit à nobis Deus, non potuit non admirari Samaritana mulier: ex eoque factum putatur vt de venturo proxime Meſſia, cogitationem ſuſceperit, quaſi ſubodoraretur Illum eſſe aut Illi ſimilem cui loquebatur: vnde & propterea ſic Chriſto intulit: *Scio quia Meſſias venit qui dicitur Chriſtus, cum ergo venerit Ille, nobis annuntiabit omnia.* Tum vero Chriſtus ipſe Dominus: *EGO SVM QVI LOQVOR TECVM.*

O verba verba ignita, & penetrabiliora omni gladio ancipiti! Quis ſplendor inde erupit in intellectum mulieris? Quis ardor eius voluntatem accendit? Quis amœnus & ſuauis ſtupor omnes eius demulſit ſenſus? Hæc facilius cogitari poſſunt quam exprimi.

Sic porrò Ille Idem ſemper nobiſcum, ſic ille ipſe Chriſtus Dominus numquam ceſſaret nobiſcum loqui, nobiſcum meditari, nobiſcum ſtudere, nobiſcum omnia ſimul agere quæ nobis agenda ſunt. Semper id vellet ſi vellemus, ſi eum ſineremus agere, ſi non obſtaremus, ſi conſentiremus agenti. Numquid hoc mirum! At numquid magis mirum quod nolimus ſic eum nobiſcum agere, quod agenti obſtemus, quod eius actionem & operam interturbemus! Hæc eſt ſcilicet animi noſtri ſtupiditas, hæc eſt eius dementia vt cum ſe Chriſtus continuo nobiſcum communicet ad bene ſemper agendum, malimus bene non agere quam ſic Chriſto attendere. Contra hodie expergiſcendum, excitanduſque modo animus, vt plene intelligat, *Quod ſicut vellet Chriſtus cuncta nobiſcum ſemper agere ſi vellemus, ſic omnino velimus oportet, ſic velimus inceſſanter.*

Ratio iam proximè producta eſt, quod idcirco vellet Chriſtus nobiſcum ſemper agere vt bene ſemper operemur. Sicut enim ſine illo nihil poſſemus agere, vt ſupra viſum eſt, ſic cum illo poſſumus omnia: ne vero cauſemur nobis deeſſe auxilium, ſic ſemper Ille adeſt, vt numquam dicendum ſit, *Per Deum abeſt*, ſicut *Eccl. 15.* expreſſe monet Sapiens. Cur autem quæ de Deo dicuntur vniuerſim, dicantur particulatim de Chriſto, hæc ratio eſt, quia Ille eſt cauſa meritoria totius Gratiæ quæ ad bene agendum datur,

Digitized by Google

& quoties datur atque operatur Gratia, tunc Chriſtus non modo cum duabus aliis Diuinis Perſonis operatur vt Deus, ſed ſimul vt Deus homo ſingulari influxu concurrit ad opus tamquam vitis ad fructum palmitum, tamquam caput ad membrorum motum, tamquam lux mundi ad illuſtrationem & fœcunditatem totius vniuerſi.

Seſſ.6.c.16. Sic luculente Tridentinum ex Euangelio: *Cum*, inquit, *Ille ipſe Chriſtus IESVS tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos Iuſtificatos IVGITER VIRTVTEM INFLVAT: quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto, Deo grata & meritoria eſſe poſſent: nihil ipſis Iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt quo minus plenè illis quidem operibus quæ in Deo ſunt facta, Diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, vere promeruiſſe cenſeantur, cùm Chriſtus Saluator noſter dicat: ſi quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Quaſi diceret, numquam deerit illi gratia per me danda, neque vmquam ceſſabo illi adeſſe & cum illo agere, qui me volet ſecum operari.

O bonitatem! ô Sapientiam! Agnoſco illam eſſe Sapientiam

Sap. 9. quam à bonitate Diuina petebat Sapiens. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam & noli me reprobare à pueris tuis: mitte illam de cœlis ſanctis tuis & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia.* Sic orandum quotidiè.

II. PVNCTVM.

SED *velimus oportet ſic ſemper bene agere.*

Primò id neceſſario volendum eſt quando aliter non poteſt euitari peccatum: ad hoc enim euitandum ſic obligati ſu-

Eccleſ. 15. mus, vt numquam velle peccatum liceat. *Nemini datum eſt peccandi ſpatium.*

Secundò, quando ex officio, ex obedientia, ex Caritate aut ex alia quapiam virtute tenemur agere; tunc bene exercenda virtus, tunc bonum bene eſt agendum, nec omittenda aut differenda

Digitized by Google

occaſio prout monet Sapiens : *Noli prohibere benefacere eum qui potest : ſi vales, & ipſe benefac. Ne dicas amico tuo : vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſsis dare.* Prou. 3.

Tertiò denique, quod hic præcipuè quæritur, vbique & ſemper velimus oportet bene agere, nam niſi talis eſſet voluntas, non eſſet bona, non eſſet conformis Chriſto qui ſemper nos ſecum agere deſiderat, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Luc. 12. Quando hoc ſolum eſſet Chriſti deſiderium, nonne mereretur à nobis impleri? Cur nobis ille adeſt ad omnia? Quidquid dixeris, ſiue honor ſit Patris, ſiue meritum ſui Sanguinis quo ſtimulatur; ſiue Caritatis ardor quo nos proſequitur; ſiue boni æterni conſideratio, quod tantum perit nobis aut prouenit, quantum otioſe vel fructuoſe operamur; quidquid inquam horum dixeris quo moueri poſſit Chriſtus ad continuam ſui communicationem, dici debet ad inducendam noſtram voluntatem, vt ſe Chriſto conformans, æque velit bene agere atque Ipſe deſiderat & contendit.

Quale enim illud eſt ſcire Chriſtum ſtantem ad ianuam & pulſantem vt ingrediatur, vt operetur, vt omnia noſtra dirigat, inſtruat & promoueat pro ſua Bonitate & Sapientia : & nos foris Eum deſeramus, nos ingreſſum denegemus, nos operam noſtram detrectemus, nos probrum hoc ſubeamus, *In propria venit, & ſui eum non receperunt* : nos ipſum aliquando adituri audiamus quod dixit Iſaac Gerariτis, *Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?* Poſſeſne hoc ferre probrum? Apoc. 3. Gen. 26.

III. PVNCTVM.

QVOD *ergo vellet Chriſtus ſemper nobiſcum agere ſi vellemus : hoc certe volendum eſt*; Hoc omnino agendum paribus cum Chriſto animis : vt non *defraudemur à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Eccleſ. 14.

Hoc eſt quod tantopere ſacræ vrgent Scripturæ : *Quodcumque poteſt manus tua inſtanter operare. OMNIS arbor quæ non facit fructum bonum excidetur. OMNEM palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. ABVNDANTES eſtote in omni opere Domini ſemper. BONVM facientes non deficiamus : tempore enim ſuo metemus non deficientes : Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. CONTEMPLANTES ne quis deſit gratiæ Dei.* Eccl. 9. Matth. 7. Ioan. 15. 1. Cor. 15. Gal. 6. Heb. 12.

Digitized by Google

Hoc eſt quod ipſa ſuadet ratio, quod Charitas Chriſti vrget, quod vtilitas noſtra exigit, quod noſtra premit neceſſitas. Niſi enim *cùm metu & tremore ſalutem operemur:* Niſi *theſaurizemus nobis theſauros in cælo:* Niſi *diuites in Deum ſimus:* de ſalute periclitamur. At quis metus & tremor? Qui theſauri? Quæ diuitiæ? Si tam multis bonis priuamur operibus, quantis priuabimur ſi Chriſto deſinus volenti ſemper agere?

Luc. 12.

Hoc eſt denique quod tu ipſe oras in ſingulos dies; *Dirigere & ſanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus, rex cæli & terræ hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in operibus mendatorum tuorum: vt hic & in æternum te auxiliante ſalui & liberi eſſe mereamur, Saluator mundi.*

Capiſne quid ſit dirigi, quid ſanctificari, quid regi & gubernari à Domino? Viſne quod petis: aut id non vis? Si te nolle agnoſcis, cur id oras? Cur diſſimulas? Cur hypocritam agis? *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis.* Si te id velle affirmas: Nonne eſt velle ſemper cum Chriſto agere? Quia vt dirigat, ſemper illi agendum eſt, nec niſi nobis ſimul agentibus nobiſcum aget: nam & ipſi qui aguntur ab eius Spiritu, non aguntur vt nihil agant. Quod præclare docet ſanctus Auguſtinus. *Dicet*, inquit, *mihi aliquis, Ergo agimur non agimus: Reſpondeo, immo & agis & ageris: & tunc bene agis ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, adjutor eſt agentibus. Nemo autem agitatur ſi ab illo nihil agatur. Spiritus enim adjuuat infirmitatem noſtram.* Et alibi expreſſus: *Intelligant ſi filij Dei ſunt, ſe Spiritu Dei agi, vt quod agendum eſt agant, & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant. Et hoc eis oſtenditur quid agere debeant vt quando id agunt, ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione Iuſtitiæ, ſuauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.*

Eccleſ. 2.

Rom. 8.

Serm. 13. de Verbis Apoſt.

l. de Corrept. & Grat. c. 2.

Sed niſi etiam agant quid reſtat niſi vt infructuoſe gratiam ſe accepiſſe doleant?

Vide in 1. parte, Fer. 6. Hebd. 3. in Aduentus.

Numquam eſt Dei amor otioſus.

Digitized by Google

SABBATO.

DE ZELO QVI EX COGNITO CHRISTO SENTITVR, AD EVM ALIIS MANIFESTANDVM, EXEMPLO SAMARITANAE.

Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci : Numquid ipſe eſt Chriſtus? Ioan. 4.

VERITAS PRACTICA.

Rape ad Eum quos potes. Nam ſi potes & non rapis, tot cœlo perdis quot Chriſto lucrari poteras.

RATIO EST, Quia tot cœlo perdis quot tuâ culpa pereunt. Sed ſi potes & non rapis, tot tua culpa pereunt quot Chriſto lucrari poteras.

Ergo & tot cœlo perdis. Quod ſanè damnum ita eſt lugendum, vt in eo lugendo plus hic operæ poni debeat quàm in ipſa probanda Veritate.

I. PVNCTVM.

QVI Dominum comitabantur Diſcipuli, quando cum Samaritana muliere cœpit loqui, abierant omnes in proximam ciuitatem vt cibos emerent; Tum vero cum redierunt, Primò quidem *mirati ſunt quia cum muliere loquebatur, nemo tamen dixit quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Sed rogabant eum*

dicentes, Rabbi, manduca. Ille autem dicit eis; Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis. Dicebant ergo Diſcipuli ad inuicem, Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis IESVS, meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.

Quæ poſtrema verba ſunt valde obſeruanda, tum propter eam quam in ſe continent dignitatem, tum propter reſpectum quem habent ad propoſitam Veritatem quæ eſt de zelo manifeſtandi Chriſti, ad exemplum Samaritanæ mulieris, quæ ſtatim vt audiuit illum eſſe Meſſiam qui expectabatur, *reliquit hydriam & abijt in ciuitatem & dicit illis hominibus: Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci, Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Quod quidem teſtimonium tanti fuit ponderis, vt multi Samaritanorum crediderint, Eum conuenerint, & in ciuitatem ſuam adduxerint, vbi cùm duos dies manſiſſet, *multò plures crediderunt in Eum propter ſermonem eius. Et mulieri dicebant, quia iam non propter loquelam tuam credimus, ipſi enim audiuimus & ſcimus quia hic eſt verè Saluator mundi.*

O quantum potuit vna Mulier, tam breui tempore! Vix vnam modo mulierem multi viri conuertunt, & ecce vna mulier tam multos adducit viros ad Chriſtum! Vndenam hoc? Elanguit plane zelus noſter, & quaſi eſſet indifferens ijs etiam qui Concionatores habentur, quid vel quomodo dicant, dum dicendo placeant, ſic ſuum leuiter munus obeunt.

Itane verò ſit illud indifferens quod niſi diligenter obeas, ita damnoſum eſt vt de ſalute non tantum Auditoris ſed & ipſius Concionatoris agatur? Itane Chriſti cauſa peragitur? Itane negotium ſalutis animarum curatur? Tu quiſquis in id operis à Chriſto vocatus es, diſce quanti ſit ponderis, diſce quàm meritò S. Auguſtinus te hoc vrgeat dicto: *Rape ad Eum quos potes. Nam ſi potes & non rapis, tot cælo perdis quot Chriſto lucrari poteras.*

Certe ſufficeret ipſius rei Dignitas, ipſius Chriſti Ratio cui vel vnam lucrari animam Diuinorum eſt Diuiniſſimum opus: ſed ſaltem cogita quantum etiam tua referat ſi quos potes non rapis. Non enim modò præſtantiſſimum omittis opus, ſed horrendam accerſis tibi perniciem: Quid enim horrendum magis quam eorum eſſe perditionis cauſam quorum ſalutis author fieri poteras? Sic autem prorſus eſt, tu illos ipſe perdis qui tua culpa pereunt. Hoc primum expende. Nondum tibi demonſtratur quod culpa tua

pereant, ſed poſito quod ſequenti patebit puncto, nonne id verè dicitur, quod ſi quis tua culpa perit, tu illum perdis? Nam ſi non illum perderes, quænam eſſet tua culpa? Vel cur dicitur culpa tua, niſi quia tale infert damnum? Niſi enim damnum inferretur non eſſet culpa vel non grauis, cùm culpæ ratio vel grauitas à damno conſequenti petatur.

Sic dicitur de quibuſdam Sacerdotibus quod *peccatum eorum erat grande nimis coram Domino, quia homines retrahebant à ſacrificio Domini*, quaſi diceretur, non aliter eſſe peccatum aut non ita grande niſi hoc ſequeretur detrimentum. 1. Reg. 2.

Nonne ſi des alteri ſcandalum, grauiter peccas, etiamſi leue illud ſit quod agis, etiamſi non ſit ex ſe malum, etiamſi bonum alioquin eſſet? Quia tamen proximum ſcandalizat, quod eſt graue damnum, certe eſt grauis culpa, nec eſt aliter culpa quam quia damnum illud affert, & quanta eſt grauitas damni, tanta eſt culpæ grauitas: Vnde Apoſtolus: *Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat.* Rom. 14. *Sic peccantes in fratres & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*, Id eſt, ne mea culpa pereat & ne illum perdam qui mea culpa ſic periret. Nam vtrumque pari modo Apoſtolus ita connectit vt ſi ex ſcandalo quis pereat, pereuntem perdere is dicatur qui ſcandalizat. *Et peribit Infirmus in tua ſcientia frater propter quem Chriſtus mortuus eſt? Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.* Nonne hoc ipſum eſt quod habet propoſitio, Tot cœlo perdis quod tua culpa pereunt? O quæ culpa ſi culpæ grauitas ex damno penditur! 1. Cor. 8.

II. PVNCTVM.

SED ſi potes ad Chriſtum rapere & non rapis, tot tua culpâ pereunt quot Chriſto lucrari poteras.

Si enim potes cur non rapis? Si quæreretur cur non raperes, hoc vnum poſſes dicere, quod non poſſis: Sed ſi cùm poſſis non rapias, quid dices? Quid excuſabis, Tu præſertim qui hoc debes ex officio? Nihil certe aliud reſpondendum reſtat niſi quia non vis. Percurre animo quidquid obuenerit cogitandum de homi-

Digitized by Google

ne qui non præſtat quod poteſt & quod debet, quære quamobrem non illud præſtet, vide num aliud præter illud vnum occurrat quod nolit, ſi enim vellet cùm poſſit, nonne id faceret? Ac proinde cum id non faciat, nonne inde eſt quod nolit facere?

Iam verò nolle quod debes & quod potes in re tam ſeria & graui, nonne culpa eſt, nonne crimen eſt, nonne peccatum tam graue quàm ipſum ſcandalum, quod vt dictum eſt, non aliter eſt peccatum quàm quod eum perdit quem ſcandalizat?

Nec dicas eos ſua perire culpa, vel tametſi quidquid potes, effeciſſes non inde ipſos conuerſum iri ad Dominum. Eſto enim ſint in culpa: tune vero extra eſſe dicendus es? An neſcis multos ad eandem poſſe culpam concurrere? An ignoras quod illius qui quod debet & quod poteſt non vult efficaciter, mera negligentia eſt, quæ ex illorum genere peccatorum eſt quæ omiſſionis dicuntur, & quæ non minorem ſæpe culpam contrahunt quam quæ commiſſionis vocant? *Quomodo nos effugiemus*, inquit

Hebr. 2 Apoſtolus, *ſi tantam neglexerimus ſalutem*, Id eſt, ſi tantam nobis comparandæ vel aliis procurandæ ſalutis occaſionem non acceperimus?

Sic ſol cauſa eſt tenebrarum & frigoris, quia non illuſtrat aut calefacit aërem. Sic anima dum diſcedit è corpore corpus deforme reddit: ſic medicus ægrum occidit, dum ſanare negligit. Sic diues pauperem quem non paſcit interficit. Sic plane ad rem noſtram: ſi ſalutis alienæ negligentes *diſtricte iudicentur*, inquit

1. p. Paſt. c. 5. ſanctus Gregorius, *ex tantis procul-dubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt.* Eſt autem prorſus idem, non omnino loqui & non loqui apposite: cum perinde ex vtroque ſalus æterna iactetur. Vnde & idem ſanctus Doctor: *Admonendi*

3. p Adm. 25. *ſunt*, ait, *vt ſi proximos ſicut ſe diligunt, minime illis taceant vnde eos iuſtè reprehendant. Vocis enim medicamine vtrumque ſaluti concurritur, dum & ab illo qui infert, actio praua atque peruerſa compeſcitur, & ab hoc qui ſuſtinet doloris feruor vulnere aperto temperatur. Qui enim proximorum mala reſpiciunt, & tamen in ſilentio linguam premunt, quaſi conſpectis vulneribus vſum medicaminis ſubtrahunt, & eò mortis authores fiunt, quò virus quod potuerant curare noluerunt.*

Ibid. Adm. 26. Quod & fuſiſſime poſtea repetens: *Quo reatu*, inquit, *conſtringantur, aſpiciant qui dum peccantibus fratribus Verbum prædicationis ſubtrahunt,*

Digitized by Google

ſubtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abſcondunt. Vnde & benè quidam Sapiens dicit: Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipſi ſeruarent, auctores procul-dubio mortis exiſterent: qua itaque plectendi ſunt pœna conſiderent qui cum fame Verbi, animæ peccant, ipſi panem perceptæ gratiæ non miniſtrant: Vnde & bene per Salomonem dicitur, qui abſcondit frumenta, maledicitur in populis: Et poſt nonnulla quibus hanc ſententiam explicat ſic pergit: *Si medicinalis artis minimè ignari ſecandum vulnus cernerent, & tamen ſecare recuſarent, profectò peccatum fraternæ mortis ex ſolo torpore committerent: quanta ergo culpa inuoluantur, aſpiciant qui dum cognoſcunt vulnera mentium, curare negligunt ea, ſectione Verborum. Vnde & bene per Prophetam dicitur, Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. Gladium quippe à ſanguine prohibere, eſt prædicationis Verbum à carnalis vitæ interfectione retinere, de quo gladio rurſum dicitur, Et gladius meus manducabit carnes.*

Eccleſ. 20. Prou. 11. Ier. 48. Deu. 32.

Ex quibus & aliis quæ plura ibi proſequitur, manifeſte patet, quod erat demonſtrandum, tuam eſſe culpam ſi pereant qui per te ſaluari poterant. Quod S. Iuſtinus Martyr, ſic paucis ſed efficacibus decernit Verbis: *Qui poſſunt nec docent, damnationem incurrunt.* In Dialogo cum Tiph.

III. PVNCTVM.

A*VDI ergo Diuinum monitum: Rape ad Eum quos potes, nam ſi potes & non rapis, tot cælo perdis quot Chriſto lucrari poteras.* Auditores ad audiendum ſunt aliquando excitandi, ſed modò, vt ipſi audiant Concionatores: ſic eos excitat qui ſupra ſanctus Gregorius: *Audiant quod talentum qui erogare noluit cum ſententia damnationis amiſit. Audiant quod Paulus eo ſe à proximorum ſanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens, Conteſtor vos hodierna die quia mundus ſum à ſanguine omnium veſtrum: non enim ſubterfugi quo minus annuntiarem omne conſilium vobis. Audiant quod voce Angelica Ioannes admonetur cum dicitur,* QVI AVDIT, DICAT, VENI. *Vt nimirum cui ſe vox interna inſinuat, illuc etiam clamando alios,* QVO IPSE RAPITVR, TRAHAT, *Ne clauſas fores etiam vocatus inueniat, ſi vocanti vacuus appropinquat. Audiant quod Iſaias qui à Verbi Miniſterio ta-*

3. p. Adm. 26. Act. Ap. 22.

Iſ. 6. *cuit, illuſtratus ſuperno lumine; magna voce pœnitentiæ ſemetipſum ipſe reprehendit dicens, væ mihi quia tacui. Audiant quod Dauid hoc Deo in munere obtulit quod prædicationis gratiam quam acceperat non abſcondit, dicens, Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognouiſti. Iu-* *Pſ. 39.* *ſtitiam autem tuam non abſcondi in corde meo, Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Audiant quid ſponſi colloquio ad ſponſam dicitur, quæ* *Cant. 8.* *habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Audiant quod Moyſes cùm iraſcentem Deum populo cerneret, & aſſumi ad vlciſcendum, gladios iuberet, illos à parte Dei denuntiauit exiſtere qui delinquentium ſcelera incunctanter ferirent, dicens, ſi quis eſt Do-* *Exodi 32.* *mini iungatur mecum. Ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum, & amicum & proximum ſuum. Gladium quippe ſuper femur ponere, eſt, prædicationis gladium voluptatibus carnis anteferre; vt cum ſancta quis ſtudet dicere, curet neceſſe eſt illicitas ſuggeſtiones edomare. De porta vero vſque ad portam ire, eſt à vitio vſque ad vitium per quod ad mentem mors ingreditur increpando diſcurrere. Per medium vero caſtrorum tranſire, eſt tanta æqualitate intra Eccleſiam viuere, vt qui delinquentium culpas redarguit, in nullum ſe debeat fauorem declinare: vnde & rectè ſubjungitur, occidat vir fratrem & amicum & proximum ſuum. Fratrem ſcilicet & amicum & proximum interficit qui cùm punienda inuenit, ab increpationis gladio, nec eis quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur qui ad ferienda vitia Zelo Diuini amoris excitatur, profecto eſſe ſe Dei denegat qui inquantum ſufficit, increpare vitam carnalium recuſat.*

Atqui hæc quidem, vt dixi, ſufficerent ad rapiendos quoſque Prædicatores vt ipſi quos poſſunt, ad Chriſtum rapiant; ſi quis verò ſe nimis adhuc deſidem perſentiret; cogitandum illi attentius quid ſit perdere animam, quid ſit ſua culpâ perire animam quam ſi voluiſſet, ſaluare cum Chriſto poterat.

Primò quidem quando ſola cogitaretur animæ dignitas, ſicut nihil in tota rerum vniuerſitate tanti eſt pretij, ſic nulla foret tanti iactura boni, ſi vel totus periret orbis, quanta eſt vnius animæ pereuntis, ſpectatâ tantum vt dictum eſt, naturali animæ dignitate.

Deinde verò ſi perpendatur Beatitudo cui fruendæ creata erat anima, & vnde tuâ culpâ excidit, quis illius boni pretium, quis illius iacturam pretij commemorare poſſit?

Digitized by Google

Adde his Diuinæ Gloriæ quantum conducat ex ſalute vel perditione animæ! Vide quanto interuallo hæc inter ſe diſtent, vel laudari Deum in omnem æternitatem ab anima, vel blaſphemari!

Quid porro cenſes de Chriſti Sanguine? Quanti putas illum valere ſi rem metiris ſuo pondere? At quantus quantus eſt ille Sanguis, tanti valebat anima quam perdidiſti, nec minoris es reus boni deperditi quàm magnum eſt Diuini Sanguinis pretium quo illa redempta fuit anima quæ per te periit.

Iam verò Infernum ingredere, vide ſempiternos illos ignes, Diuinæ ſufflatu accenſos iræ: intuere animam illic volui & reuolui per immenſa illa quæ numerari non poſſunt annorum ſpatia; quære quamobrem ſic ardeat; audi te in cauſa eſſe, audi quemadmodum te ad Diuinum Tribunal prouocet; prouocatum aſpice Iudicem qui de negligentia vel vanitate tua in dicendo cognoſcat, & ſic reuera decidat, quod ſi fructuoſius prædicaſſes, illa nunc cœlo frueretur anima quæ in Inferno cruciatur, teque illi tandem conjungat in pœnis animæ cuius culpam fouiſti!

Parumne tibi hæc ad ſtimulum & ad propoſitæ Veritatis praxim valere videbantur? Et ne tibi gratis dicta putes, audi Scripturam, audi Prophetam, audi Dominum. *Si ſtetiſſent in conſilio meo & nota feciſſent Verba mea populo meo, auertiſſem vtique eos a via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis. Quid paleis ad triticum? Numquid non Verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterans petram? Propterea ecce ego ad Prophetas qui nihil profuerunt populo huic: Dabo vos in opprobrium ſempiternam, & in ignominiam æternam quæ numquam obliuione delebitur.* Ier. 23.

Hæc pauca ex multis quæ vno continentur Capite, vnde ad vberiorem fructum, Vide etiam atque etiam illud Apoſtoli quam ſit apte veréque dictum:

Opportunè, importunè.

PRAEDICA, inquit, *Verbum, Inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila. In omnibus* 2. Tim. 4.

Digitized by Google

labora, opus fac Euangeliſtæ. Miniſterium tuum imple, ſobrius eſto. Quaſi diceret, quidquid ſit de aliis, Tu tuo fungere officio, ſiue adſint plures aut pauciores qui audiant, ſiue multus aut nullus fructus inde proueniet; Inſta ſemper opportunè, importunè, Inſta importunè ſicut opportunè, Eodem te gere modo apud paucos quo apud multos Auditores: eandem adhibe operam & conſtantiam in modico atque in plurimo fructu. Hoc eſt enim quod multos à dicendo auertit qui, niſi frequens ſit Auditor & locus commodus, & opportunum tempus, non putant ſibi eſſe dicendi locum & tempus. Sed errant,

RATIO EST, *Quia non aliter dicendum eſt quando opportunè dicetur, quàm vt Chriſto ſeruias, vt ipſi placeas, & quod à te Deum velle putas, exequaris.*

Sed quando dices importunè, ſeu quando modicus aut nullus erit ſermonis fructus, perinde Chriſto ſeruies, perinde illi placebis, & quod à te exigit ſolues, ac ſi opportunè & fructuoſè diceres.

Sic ex æquo igitur opportunè inſtandum eſt & importunè ſiue ex ſuperiori ſuggeſtu dicas, ſiue ex plano: ſiue domi, ſiue foris: ſiue in publico, ſiue in familiari congreſſu.

I. PVNCTVM.

VERVM id quidem quod ait Sapiens, ſermonem opportunum eſſe optimum, & quaſdam interdum offerri ad dicendum opportunitates quæ fœlices admodum habent exitus: ſed vbi maxime agitur de Chriſto prædicando, vel vniuerſim de ſalute animæ, vel particulatim de aliquo alicuius arguendo vitio, non ſunt illæ fœlices ità expectandæ occaſiones, vt ſi non adſint, non dicas: Nam Ratio præcipua & primarius finis cur in hoc opere laboremus non tam eſt fructus operis & laboris, quàm Diuina voluntas & ordinatio quæ nos huic operi deſtinauit & cui obedire & placere, totum eſſe debet quod quæramus.

Prov. 15.

Hoc valde expendendum in omni quidem materia ſed in hac

Digitized by Google

præcipuè vbi ſeſe multi fines ingerunt qui Diuinum hoc opus valde deprauant. *Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem* Phil. 1.
Chriſtus annuntiatur, eſt quidem gaudendum cum Apoſtolo, ſed diligenter videndum iſtis Annuntiatoribus, quomodo & quo fine illum annuntient. Audi eundem Apoſtolum, vno abreuiato verbo omnia concludentem, *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti* 1. Cor. 4.
& diſpenſatores Myſteriorum Dei: hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. En fidelitas eſt, illud verbum abbreuiatum. Quid eſt autem eſſe fidelem? Idem ipſe ſe alibi explicat, *Dum modo conſummem curſum meum & miniſterium verbi quod accepi à Domino* Act. 20.
no IESV. Illudque vnum eſt quod identidem ſuis inculcat; *Miniſterium tuum imple. Vide miniſterium quod accepiſti in Domino vt il-* 2. Tim. 4.
lud impleas. Coloſſ. 4.

Hoc ipſum denique eſt quod dicebat Chriſtus, *meus cibus eſt vt* Ioan. 4.
faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Quaſi diceret, hæc mea vita, hoc vno ſuſtentor & viuo vt quid velit à me Is qui me miſit, hoc perficiam: Vnde & diſcedens ex hoc mun- Ibid. 17.
do, licet pauci eſſent conuerſi, dicebat tamen Patri: *Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* Satis mihi eſt tibi ſatisfeciſſe: nihil vltra quæro. Hære diutius in illo Chriſti affectu.

II. PVNCTVM.

SED *quando dices importunè, ſeu quando modicus aut nullus erit fructus, perinde Chriſto ſerui es, perinde illi placebis & munere tuo defungeris, ac ſi opportunè & fructuoſe diceres,* Dum ſcilicet tua non deſit opera: dum ſi defuerit fructus, non per te defuerit: dum nil ſubtraxeris vtilium: dum accommodate & apposite dixeris. Hoc erat miniſterium tuum, hæc miſſio, hæc opera tua: ſatis tibi ſit te feciſſe quod tuum eſt, Deus non plura requiret à te. Non eſt tuæ operæ feciſſe fructum ſed Diuinæ; quod eſt igitur Dei, relinquendum Deo, tibi quod tuum eſt ſufficiat. Sic præclare Apoſtolus: *Gratia Dei ſum id quod ſum, & Gratia eius in me vacua non* 1. Cor. 15.
fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem ſed Gratia Dei mecum. Siue enim ego, ſiue illi; ſic prædicamus. Quaſi diceret, non commemoro nec moror fructum quem per me Deus fecit. Satis mihi eſt & ſatisfactum puto Diuinæ quam accepi Gratiæ,

Digitized by Google

ſi quanta in me fuit, tantus fuerit meus labor: non ex fructu metior impenſa mea obſequia, non exinde capio teſtimonium meæ Conſcientiæ, & debitæ Deo fidelitatis, ſed ex labore, ex conatu & cooperatione cum Gratia: ſicque mecum ſentire debent quotquot eodem mecum funguntur munere. Satis nobis eſt hoc effeciſſe per Gratiam quod à nobis illa exigebat.

Sed nonne fructum exigebat? Omnino, ſi Auditores attendiſſent; ſed poſita Eorum negligentia nihil aliud à te tuoque labore voluit quam vt laborares. Multa quidem præterea dici poſſent de
Luc. 7. Diuina Sapientia quæ ſic *iuſtificatur à filiis hominum*, vt ait ipſe Chriſtus, dum illis non deeſt quo minùs ſi velint conuertantur. Dici etiam multa poſſent de tuo laboris præmio quod te in Cœlis manet. Sed his omiſſis hoc vnum ſufficit quod vnum tibi quærendum eſt, te perinde Deo placere poſſe, ac munus tuum implere quando importune & infructuose dixeris, ac ſi opportune & ad fructum vberrime. Quin addo, ſæpe id amplius ad meritum tuum fore, quod minus aliis proderit ſua culpa; dicique poteſt de vi ac merito tuæ impenſæ operæ quod de pace danda Chriſtus dixit:
Ibid. 10. *Si fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem, ad vos reuertetur.* Parumne tibi eſt, non tantum nihil tibi de tuo perire merito, ſed etiam adaugeri, & quod à te alij non recipiunt, ad te redire cum fœnore?

III. PVNCTVM.

Act. 20. I*NSTANDVM igitur opportunè, importunè*; Nec ſubterfugiendum quo minùs *annunties omnibus omne conſilium Dei*; veniant vocati ad cœnam aut non veniant: ſatis eſt ſeruo ſi quos debet vo-
Luc. 14. cauerit, poſſitque dicere Domino ſuo, *Factum eſt vt imperaſti.*
Math. 10. *NON eſt Diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum: ſufficit Diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo ſicut Dominus eius.* Videſne Dominum, quàm multis & quam multa magnaque de Diuinis, vni Samaritanæ communicarit! Quod ſi virorum aliqui
Luc. 17. de Samaria conuerſi ſunt, quandiu putas in fide perſtiterunt? Certe paulo poſt dum ciuitatem volet ingredi Chriſtus, non admittetur, recuſabunt ingreſſum ciuitatis, illi ipſi apud quos biduum poſuit, quibus loquutus eſt, & quibus videbatur perſuaſiſſe quod eſſet Saluator mundi. Hiccine fructus eius operæ?

Digitized by Google

Certe illis timendum, qui niſi gaudeant fructu ſui laboris, non laborant; timendum inquam eſt, ne ſe potius ſubdolè & malignè quàm Chriſtum quærant! *Operarij ſubdoli,* inquit Apoſtolus, *transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum, ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri Iuſtitiæ quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.* Quaſi diceret, fingunt ſe Zelatores Diuinæ gloriæ & ſalutis animarum, & hoc Zelo tegunt ſuam prauam intentionem, ſicut Dæmon ſæpe obtentu religionis & pietatis, ſuas operit technas & inſidias. 2. Cor. 11.

Hoc eſt tibi magnopere diſpiciendum & deplorandum. *Væ mihi quia tacui. VAE mihi ſi non Euangelizauero. QVI obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, numquam metet. NON poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. SPIRITVS meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo.* Hæc tibi Dominus, tu quid illi? Fatere tuam ignauiam, & modicum Zelum, atque vt accendaris deinceps feruentius, Vide in 1. parte, Die 18. Ianuarij. Iſ. 6. 1. Cor. 9. Eccli. 11. Act. 4. Iſ. 59.

Nemo magis ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui minùs ſibi ſoli ſeruat.

Nemo minus ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui magis ſibi ſoli ſeruat.

Digitized by Google

DOMINICA
DVODECIMA.

PARABOLA SAMARITANI QVI HOMINEM A LATRONIBVS CAESVM CVRAVIT, CVIVS PARABOLAE CONCLVSIO EST:

Vade & tu fac ſimiliter. Lucæ 10.

VERITAS PRACTICA.

Si vis curari, cura.

SENSVS EST, Quòd non modo in homine Parabolico qui incidit in latrones repræſentéris, ſed etiam in viro Samaritano qui hominem male à latronibus affectum curauit. Ac proinde ſicut debes curari ab alio, ſic alium debes curare: Alius eſt, nempe Samaritanus, nempe Chriſtus qui te curet: & alius eſt homo male affectus quem tu cures, nempe proximus in quauis neceſſitate poſitus.

Si vis itaque curari à Chriſto, cura proximum. Si vis curari, cura.

RATIO EST, Quia non potes curari, niſi à Chriſto Domino. *Sed*

Digitized by Google

Sed Chriſtus Dominus non te curabit, niſi cures proximum, quanta poſſis ope.

Ergo ſi vis curari, cura. Quod certe tam æquum eſt, vt non modo aliis ſed tibi ipſi ſis iniquus, ſi vt cureris non cures, quandoquidem aliter curari non poſſis.

I. PVNCTVM.

EVANGELII hodierni tres ſunt veluti partes præcipuæ. Prima eſt quâ dicuntur *Beati oculi & beatæ aures eorum qui videbant & audiebant* Dominum IESVM. Secunda continet interrogationem cujuſdam Legiſperiti, & reſponſionem Chriſti de modo vitæ æternæ poſſidendæ, qui refertur ad mandatorum obſeruationem. Tertia denique cum de proximo diligendo alia eſſet orta quæſtio, Chriſtus enarrauit nobilem illam Parabolam de Homine qui incidit in latrones, à quibus cæſus eſt multis plagis, & de Samaritano qui mira cæſum hominem Caritate curauit, quem neglexerat Sacerdos & Leuita; tùm vero ſermonem concludens, Legiſperito dixit, *vade & tu fac ſimiliter*; ſic adeſto proximo laboranti. Hic eſt ille tuus proximus qui tua magis eget opera, ſicque eum adjuuando vitam æternam quam quærebas poſſidebis. O verè beatæ aures quæ hæc audiebant, & beatæ manus quæ audita complebant! Matth. 13.

Hanc vt beatitudinem aſſequaris tibi hoc idem certiſſimè dictum puta quod illi, vade & tu fac ſimiliter. Atque vt plenius totam Parabolam intelligas, magiſque afficiaris ad eius practicum finem, qui eſt, proximo tua egenti opera ſubuenire & opitulari: Sic te obligatum putes ad hanc opem ferendam, vt quantum adjuuari & curari velis à Chriſto, tuis in plagis & morbis: tantum ipſe curare & adjuuare proximum debeas.

Ratio eſt ampla, & multi plena documenti: nam primo ſicut te agnoſcere debes in illo homine qui plagas accepit; ſic in viro Samaritano Chriſtus Dominus eſt intelligendus à quo ſolo cureris. Plagæ quas accepiſti à primo natiuitatis ortu ſunt quatuor illæ inſignes de quibus expreſſus eſt Diui Thomæ articulus, vbi ex Beda ſic apte ad rem noſtram diſcurrit: *Per Iuſtitiam originalem perfecte* 1. 2. q. 85. a. 3.

ratio continebat inferiores animæ vires, & ipſa ratio à Deo perficiebatur, ei ſubjecta. Hæc autem originalis Iuſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis; & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipſa deſtitutio VVLNERATIO dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum ſcilicet Ratio (ſeu Intellectus) in quo eſt Prudentia: Voluntas in qua eſt Iuſtitia: Iraſcibilis in qua eſt Fortitudo: Concupiſcibilis in qua eſt Temperantia. Inquantum ergo ratio ſeu Intellectus deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ; Inquantum verò voluntas deſtituitur ſuo ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ: inquantum verò iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: inquantum vero concupiſcentia deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ. Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis: Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in vnoquoque diminuitur per peccatum actuale, etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia, inquantum ſcilicet per peccatum & ratio hebetatur, præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum: & major difficultas bene agendi accreſcit: & concupiſcentia magis exardeſcit. Sic ad verbum ſanctus Thomas.

Iam verò quod à Chriſto, & ab eo ſolo quatuor iſtæ plagæ ſeu vulnera poſſint curari, fusè tractat ſanctus Bernardus in hæc Apoſtoli Verba de Chriſto Domino: *Qui factus eſt nobis Sapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Quæ quatuor ad totidem virtutes Cardinales ſic refert, vt cùm Chriſtus dicitur primò Sapientia, idem ſit ac Prudentia per quam tenebras noſtri Intellectus expulit. Deinde cum dicitur Iuſtitia, Iuſtitia illa intelligatur quæ eſt oppoſita malitiæ voluntatis, & quæ à Chriſto prouenit per gratias ſanctificantes quibus peccata abſoluuntur; & per actuales quibus voluntas à malitia ſua conuertitur in bonitatem. Tertio cùm Chriſtus dicitur ſanctificatio, perinde eſt ac Temperantia contra vulnus concupiſcentiæ, quo vulnere, quia præcipue inficitur & maculatur homo in corpore & anima, ideo temperantia quæ eſt illi oppoſita dicitur ſanctificatio ſeu ſanctimonia ſine qua nemo videbit Deum. *Hæc eſt voluntas eius ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione &* aliis quæ corpus & animam maculant, quæque dum per temperantiam continentur, ſanctificatio ſequitur. At quomodo Chriſtus factus eſt nobis iſta

Serm. 22. in Cant.

1. Cor. 1.

Hebr. 12.

1. Theſſ. 4.

Digitized by Google

ſanctificatio ſeu Temperantia? Nempe per exemplum ſuæ vitæ ſanctiſſimæ, longéque abhorrentis ab omni concupiſcentia; tùm vero etiam quia cum factus eſt homo, factus eſt aptius & facilius objectum noſtri amoris vt qui tantum carnalia noueramus amare, carnem in Chriſto reperiremus quam amaremus. Quartò denique cùm dicitur Redemptio, plane idem eſt ac Fortitudo in Iraſcibili contra Infirmitatem, ſic enim Chriſtus maxime fortitudinem quam ſectaremur oſtendit in Paſſione, & nos quà exemplo quà meritis redemit ab illis malis & miſeriis quæ ſibi hominem quodammodo vindicant; *Infælix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Chriſtum. Lex Spiritus vitæ in Chriſto IESV liberauit me à lege peccati & mortis.* Rom. 7. & 8.

Atque hinc pergens ſanctus Bernardus: *Fruſtra*, inquit, *huius ſæculi Sapientes de quatuor virtutibus tam multa diſputauerunt, quas tamen apprehendere omnino nequiuerunt: cum illum neſcierunt, qui factus eſt nobis à Deo Sapientia docens prudentiam, Iuſtitia delicta donans, & Sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter viuens, & Redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Chriſtum ignoratis? Vbinam quæſo vera Prudentia niſi in Chriſti doctrina? Vnde vera Iuſtitia, niſi de Chriſti miſericordia? Vbi vera Temperantia, niſi in Chriſti vita? Vbi vera Fortitudo, niſi in Chriſti Paſſione? Soli igitur, qui eius doctrina ſunt imbuti, prudentes dicendi ſunt: ſoli iuſti, qui de eius miſericordia veniam peccatorum conſecuti ſunt: ſoli temperantes, qui eius vitam imitari ſtudent: ſoli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduerſis tenent. Incaſſum proinde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putat quàm à Domino virtutum, cuius doctrina armarium prudentiæ, cuius miſericordia opus iuſtitiæ, cuius vita ſpeculum temperantiæ, cuius mors inſigne eſt fortitudinis. Ipſi honor & gloria in ſæcula ſæculorum.*

Ex quibus ſancti Patris verbis ſicut manifeſte patet, remedium ab illo nobis allatum qui Samaritanus dici voluit, ſic patet ab eo ſolo datum qui ſolus noſtra eſt ſalus, noſtra ſanitas & noſtra redemptio. Ioan. 8.

O quantùm inde Illi aſtringimur! Quantùm inde illi debemus! Quantùm inde tenemur cum Dauide dicere, *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Pſ. 102.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

S*ED Chriſtus Dominus vt te his curet remediis, vult te curare & iuuare proximum tuum, quanta poſſis ope & Charitate. VADE & tu fac ſimiliter.*

Primò enim niſi condones quæ in te peccata ſunt & niſi reconcilieris omnibus qui te læſerint aut à te læſi ſint, nihil eſt quod
Matth. 5. ſperes à Chriſto. Iam id fuſe multoties ſuprà probatum eſt. *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

Deinde, ſi eſurienti panem, ſi ſitienti potum, ſi nudo veſtem, ſi iacenti auxilium negaueris, negabit & tibi Chriſtus quæ dare
Ibid. 7. paratus erat: nam id ratum fixum, *In qua menſura menſus fueris, remetietur tibi.* Neque aliter Immiſericordes in extremo iudicio condemnabuntur, quàm quod in peccato mortui fuerint: neque aliter in peccato morientur quàm quod eis Gratiæ quædam negatæ ſunt quas habuiſſent ſi miſericordes fuiſſent; ac proinde manifeſte ſequitur, quod niſi curemus proximum non curemur.

Denique, quando hanc Chriſtus protulit Parabolam, dixitque illi viro cui loquebatur, *Vade & tu fac ſimiliter,* Nonne putas tibi Chriſtum ſimul loquutum eſſe? Nonne putas Chriſtum vidiſſe proponendam hanc hodie in Eccleſia Parabolam, tibique particulatim exponendam? Nonne verò credis hæc non fruſtra Chriſtum dixiſſe, non ſine fine aliquo, nec finem alium eſſe quàm vt tali exemplo mouearis ad idem faciendum, aut niſi mouearis
Ioan. 12. nec ipſe tuis miſeriis commoueatur? *Nam qui ſpernit me,* inquit, *& non accipit Verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* Hic eſt autem ſermo quem locutus eſt: *Vade, & tu fac ſimiliter:* Vnde niſi id feceris, ſermo ille te iudicabit.

III. PVNCTVM.

S*I vis ergo curari, cura.* Si vis curari in Intellectu tot ignorantiis quibus cæcutis, doce vel cura doceri quos potes prima fidei Chriſtianæ myſteria. Si vis curari malitia quæ multa eſt in voluntate tua, tu ſimul cura quàm poteris peccantes reuocari, mo-

Digitized by Google

neri, argui: curam illorum præſertim habe qui tibi ſunt crediti. Si vis curari tam longis infirmitatibus & horrendis plagis vtriuſque appetitus, cura infirmitates animi & corporis quas multas vides in proximo. *Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo.* Vide quid tibi fieri velles à Chriſto & ab aliis, & hoc ipſum illis procura: vel ſi negaueris cuipiam, tibi etiam quod velles negabitur: diceſque tuo bono vel damno: *Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* Eccleſ. 31. Iud. 1.

Nec certe alia dici poteſt cauſa cur perinde modo noſtris in vulneribus viuamus & moriamur ac ſi remedia Samaritanus noſter non attuliſſet, niſi quia non vtimur, niſi quia curari nolumus; aut vt curemur, curare alios negligimus. *Tranſijt meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſaluati non ſumus. Super contritione filiæ populi mei contritus ſum & contriſtatus; ſtupor obtinuit me. Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Iere. 8.

Hæc eſt differentia fatui & ſapientis vt ille procul à ſe rejiciat quidquid fructuoſum audit, hic autem ad ſe adjiciat & ſibi applicet: ſic enim aperte Sapiens Eccleſiaſticus: *Cor fatui*, inquit, *quaſi vas confractum & omnem Sapientiam non tenebit: verbum ſapiens quodcumque audierit ſcius laudabit, ET AD SE ADIICIET; audiuit luxurioſus & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.* Quamobrem illud etiam atque etiam tibi hodie applica quod Chriſtus dixit: *Vade & tu fac ſimiliter.* Eccli. 21.

Illa porro ſimilitudo in tribus videtur conſiſtere; Nam primo Chriſtus miſeretur omnium, nullo prorſus excepto; *Miſericordia Domini plena eſt terra*, Vade & tu fac ſimiliter erga omnes. Deinde ſic miſeretur vt omne genus miſeriæ curet, & omne genus impendat miſericordiæ, *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, Vade & tu fac ſimiliter quantum tu quidem poteris. Denique id pure & ex mera Caritate præſtat, *Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontaneè.* Vix tu idem facere poſſis cùm non niſi præuentus diligas: ac ſaltem hoc vnum ſpecta quod ſis præuentus, quod Chriſto id debeas, quod quæ debes Chriſto cùm non poſſis rependere, ſaltem hæc pauca proximo prout ille ordinauit, præſtes; ſicque ex eius veneratione ordinis quo noſtri curam curæ aliorum attexuit, ex æquo vtrumque procuremus. Pſ. 32. Pſ. 18. Oſeæ 14.

Cariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. 1. Ioan. 4.

Digitized by Google

Sic Deus dilexit mundum vt ſic mundus diligeret Deum ſicut dilectus eſt.

In 1. parte, Feria 2. Hebdom. 1. in Aduentu.

Atque ad alias Euangelij partes ſeu particulas, ſi quis aliunde petitas velit applicare Veritates, ſic commode poterit.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

Quàm raro cogitas Chriſtum, tam crebrò reſiſtis ſancto Spiritui.

In 1. parte, Feria 4. Hebdom. 1. in Aduentu.

Multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, &c.

Vix vllus eſt qui non ſe verè putet deſiderare Chriſtum: & vix vllus eſt qui eum verè deſideret.

In 1. parte, Feria 5. Hebdom. 1. in Aduentu.

Et ecce quidam Legiſperitus ſurrexit, tentans eum.

Qui cum affectu incompoſito Deum conſulit, non Deum ſed Deo conſulit.

Non à Deo conſilium petere, ſed dare velle videtur.

In 2. parte, Fer. 4. Pentecoſten.

Magiſter, quid faciendo vitam æternam poßidebo?

Sic dignum eſt cœlum noſtris deſideriis, vt niſi cœlum deſideres, cœlo ſis indignus.

In 2. parte, Feria 6. poſt Octauam Aſcenſionis, in qua Hebdomada videri poſſunt plura his conformia.

In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis?

Qui à lege excludit aliquid, excludit à ſe totam legem.

In 1. parte, In Feſto Purificationis B. Virginis.

Aut nulla aut tota eſt Charitas in agendis, ſicut Fides in credendis.

In 2. parte, Feria 4. Hebdom. 4. poſt Paſcha.

Digitized by Google

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.

Vide in 4. parte, Dominica 17.

Et proximum tuum ſicut teipſum.

Sicut non ſunt amanda vitia propter amicos homines, ſic non ſunt odio habendi homines propter eorum vitia.

In 1. parte, Dominica 5. poſt Epiph.

Quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers, ne tibi parcat Deus.

In 4. parte, Dominica 20. poſt Pentecoſten.

Affectum probat effectus.

In 3. parte, Feria 2. Hebdomadæ 9.

Effectum juuat affectus.

In 4. parte, Fer. 4. Hebdom. 26.

Homo quidam incidit in latrones, &c.

Malo peccati nullum par aliud malum.

In 3. parte, Hebdomada decima, in Appendice ad Miſſiones, capite 13.

Non eſt in peccatis excuſanda infirmitas, cui ſanandæ præſens eſt medicina.

In 4. parte, In Feſto ſancti Lucæ.

Accidit vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præterijt. Similiter & Leuita, &c.

Niſi pauper affectu ſis, vix ſatis affectus eris in pauperes.

In 3. parte, Dominica 6. Vide & Dom. 8.

Si dum adeſt occaſio, virtus abeſt, vix vnquam aderit.

In 2. parte, Fer. 2. Hebdom. 2. in Quadrag.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt, &c.

Digitized by Google

Hic aſcendit ad ſummos, qui deſcendit ad infimos.

In 2. parte, Fer. 3. Hebdom. 2. poſt Octauas Paſcha.

Hoc amanti cœlum paupertas eſt ſeu miſericordia, quod amanti terram, diuitiæ.

In 4. parte, Fer. 3. Hebdom. 17.

Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, reddam tibi.

Ars omnium artium quæſtuoſiſſima eſt eleemoſyna.

In 3. parte, Dominica 6.

Multorum eſt Conſcientia cauteriata & peruerſa niſi te ſinant dirigi.

In 1. parte, Fer. 2. Hebdom. 3. poſt Epiph.

Vade, & tu fac ſimiliter.

Exemplo ſuo Chriſtus nos magis vrget quàm imperio.

In 1. parte, Die 13. Ianuarij.

Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui.

In 2. parte, Feria 2. Pentecoſtes.

Qui non ſeruat conſilia, quia non ſunt præcepta, nec ipſa etiam præcepta ſeruabit.

In 3. parte, Fer. 2. Hebdom. 5.

HAC HEBDOMADA, cùm ſanaſſet Dominus Paralyticum in Piſcina iacentem, multa de rebus à ſe geſtis honorifice ſimul & tam demiſſè prædicat, vt quomodo Magnanimitas cum Humilitate iungenda ſit, aperte doceat; Eò itaque referuntur meditationes & Veritates conſiderandæ, ex toto capite quinto ſancti Ioannis.

FERIA

FERIA SECVNDA.

DE SANATO PARALYTICO, IVXTA PISCINAM.

Vis ſanus fieri? Ioan. 5.

VERITAS PRACTICA.

Quod videris tibi velle, velles quidem, ſed verè non vis.

SENSVS EST, *Præcipuè de ſanitate ſpirituali quam velles quidem, ſed reuera non vis: & quærenti Domino, vis ſanus fieri? Non poſſes verè reſpondere, volo.*

RATIO EST, *Quia ſi repellis neceſſaria ſanitatis remedia, non vis ſanari.*

Sed repellis illa remedia.

Ergo non vis ſanitatem, quam tamen velle videris; Quod eſt ſanè diligenter expendendum.

I. PVNCTVM.

ERAT Ieroſolymis inſignis quædam piſcina quæ dicebatur probatica, id eſt, ouina ſeu pecuaria, πρόβατον enim ouem ſignificat, oues autem & aliæ pecudes in vicino templo immolandæ, ibi prius abluebantur, vt refert S. Hieronymus. Et verò tantę virtutis erat illius ſtagni aqua, vt quicumque infirmus poſt motionem aquæ ab Angelo factam, prior in eam deſcendet, ſanus illico reſurgeret. Illic porrò iacebat inter multos expectantes Angelum, ſuo tempore deſcendentem, Homo quidam paralyticus iam triginta & octo annos; *Quem cum vidiſſet Dominus, Vis,* inquit, *ſanus fieri? At ille, Domine, hominem non*

habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in Piſcinam; dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei IESVS, ſurge, tolle grabatum tuum & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.

Hæc Sacer Euangeliſta fuſius: in quibus illud primò certè mirum & omni conſideratione digniſſimum, quòd Chriſtus ab Infirmo petat an velit ſanus fieri? Poteratne de illius voluntate Chriſtus dubitare? Nemo id ſanus dixerit. Nos itaque, nos animo infirmiores quàm eſſet ille paralyticus corpore, reſpiciebat Dominus; hoc à te quærebat in illius perſona, *Vis ſanus fieri?* Velles quidem, ſed an reuera velis, quæritur, & attente conſideranti Rationem propoſitam, apparebit euidenter te reuera nolle quod tamen tibi videris velle.

Ratio hæc eſt. Si repellis neceſſaria ſanitatis remedia, repellis ſanitatem & non vis ſanus fieri. Quid clarius? Quando præcipue remedia ſunt ita neceſſaria vt vix aliter ſanitas obtineri poſſit. Quando ſunt remedia præſentia, & ita omnia ſimul ordinata & præparata vt poſſit quidem infirmus ſi velit, ea commode ſumere, & tamen nolit; quis non dicat talem periclitari de vita, ſi morbus eſt lethalis? Quis non dicat ſaltem nolle illum ab eo morbo ſanari, cuius ſanandi neceſſaria non vult remedia? Vellet quidem infirmus ſanitatem ſine remediis, ſed non vult abſolute & proprie niſi quãtum poteſt, illis vtatur ſine quibus ſanitas eſſe non poteſt. Quamobrem Chriſtus Dominus non dixit, velleſne? Sed, vis ſanus fieri? Non velleitas quæritur ſed voluntas, voluntas nempe finis abſoluta & efficax quantum in nobis eſt: quæ vt talis ſit, debet ſimul eſſe mediorum ad illum finem, vt ſupra viſum eſt ex ſancto Thoma: Et aperte Scriptura, *Altiſſimus*, inquit, *creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Fili in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum & ipſe curabit te.* At quomodo te curabit? *Da*, inquit, *locum medico, etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te quia opera eius ſunt neceſſaria.* Sicut itaque manifeſtum eſt quod qui neceſſaria illa medici opera nollet cum poſſet, nollet ſimul ſanitatem corporis, quid eſt quod non æque ſit euidens infirmum ſpiritu qui nolit remedia ſpiritualia, nolle etiam ſuam ſpiritualem ſanitatem? Nõnne idem Dominus vtrique ſanitati ſua præſcripſit remedia? Nonne illi parendum vtrobique? Aut certe etiamſi poſſet homo conſentire in

Dominica ſeptima.

Eccleſ. 38.

Digitized by Google

mortem corporis; poſſetne licite velle mortem ſpiritualem mortem animæ, mortem ſempiternam? *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* *Eccleſ. 30.*

II. PVNCTVM.

ATQVI *tu neceſſaria illa ſanitatis remedia ſic repellis, vt ijs omnino nolis vti.*

Hoc eſt præſentis Conſiderationis Caput accuratiùs expendendum, quod vt efficacius fiat, diſtingue hæc tria. Primum, quænam ſit infirmitas tua grauior? Forte Superbia & Vanitas. Secundum, quænam eius ſint remedia magis neceſſaria? Certe eſt humiliatio, vnde Dauid ad Dominum, *Tu humiliaſti ſicut vulneratum, ſuperbum:* vt eum ſcilicet ſanes; Et, *Bonum mihi Domine, quoniam humiliaſti me.* Tertium denique quæriſne an repellis has humiliationes & confuſiones? Sentiſne ſicut Dauid, bonum tibi eſſe quod humilieris aliquando & confundaris? Lætariſne propterea ſicut de remedio ſânitatis, ſicut de bono, ſicut de accepto beneficio? An te beatum exiſtimas ſicut Chriſtus aſſeruit eos eſſe beatos qui maledicta libenter ſufferrent? Reſponde Chriſto, id eſt, ſimpliciter & candide, nam Ille eſt qui te interrogat, & quidquid dixeris, Ille eſt qui te nouit & qui videt quantum intumeſcas contra huiuſmodi occaſiones humiliandi tui, & ſanandæ tuæ infirmitatis. *Inſaniſti in me & ſuperbia tua aſcendit in aures meas.* *Pſ. 88.* *Pſ. 118.* *Matth. 5.* *4. Reg. 19.*

Verè enim Sapiens: *Abominatio eſt ſuperbo humilitas:* & vere, humiliatio caminus dicitur vbi probantur humiles. *Eccleſ. 13.* *Ibid 2.*

III. PVNCTVM.

QVOD *videris ergo velle, velles quidem, ſed verè non vis.* Nam velles quidem non eſſe ſuperbus, ſed tamen non vis, quia non vis te humiliatum, non vis humiliationem quæ eſt remedium neceſſarium tuæ ſanandæ ſuperbiæ, quod perinde eſt ac ſi vulneratus nollet curationem ſine qua vulnus eſt inſanabile; & tum eius voluntas tam aliena eſſet à ſanitate quam à remedio. Sic dicitur animæ obduratæ & recuſanti ſanantem Domini manum: *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua, quid clamas ſuper contritione tua? Inſanabilis eſt dolor tuus,* Quia ſcilicet recuſas me- *Ier. 30.* *Oſeæ 7.*

Digitized by Google

dicinam. Et quidquid dicas, quidquid excuſes, mendacium dicitur coram Deo: quia nulla eſt infirmi excuſatio nolentis ſanitatem, quibus eam modis vult Deus impertiri. Quaſi tu legem ſtatuas Deo, & non Deus tibi! Quaſi tu melius ſcias quid ſit velle aut nolle, quam Deus norit! Quaſi tu ſingulariter & præter ordinem
Iob. 21. velis ſaluari! *Numquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos iudicat?* Si potuiſſet ille paralyticus quem ſanauit Dominus ſeſe mouere, & ſe in aquam projicere: aut ſi hominem habuiſſet à quo projici poſſet, & noluiſſet; reuera noluiſſet fieri ſanus, quia non vſus fuiſſet mediis quibus vti ad ſanitatem commodè poterat; Vnde ille hoc vnum habuit quo ſe excuſaret, *hominem non habeo,* quaſi diceret, non per me ſtat, quantum in me eſt, vel quantum expedit; da viam emergendi, & ſequar. Quod reipſa effecit, nam à Domino iuſſus ſurgere, & lectum portare atque ambulare, non hæſit dubius, non ſtetit piger, non dubitauit ſtatim à lecto ſurgere, non erubuit portare lectum, nec quidquid eorum omiſit quæ iuſſa fuerant vt ſanus fieret. Hoc eſt ſcilicet verè velle; hoc eſt velle ſanari quando ſanitati comparandæ media capiuntur.

Et certe, ſi humana voluntas intantùm certa eſt & recta voluntas, inquantum eſt conformis ſuæ regulæ quæ eſt Diuina voluntas,
1. p. q. 19. a. 9. vt ait ſanctus Doctor, quomodo poſſet intelligi vera eſſe voluntas ſanitatis ſi non ſit voluntas mediorum, cùm non ſit voluntas
1. Cor. 10. conformis Deo qui vult & præſcribit illa ſanitatis media? *An æmulamur Dominum*, inquit Apoſtolus? *Numquid fortiores illo ſumus?*

Hoc itaque tibi ad Praxim in occaſionibus proponendum eſſet, Vis eſſe humilis? Vis ſanari à ſuperbia & vanitate? Reſponde, & vrge teipſum, quòd non aliter ſanaberis quàm per hanc humiliationem quam idcirco permittit Deus. Medium eſt eo affectu quo finis ipſe acceptandus. *Vilior fiam & ero humilis in oculis meis. DO-*
2. Reg. 6. Ibid. 16. *MINVS præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Hùc referri debet quod ſuprà eſt propoſitum:

Niſi diligenter aduertas, Quod petis à Deo iuſtius, hoc eſt quod petis iniuſtiùs.

In hac 3. parte, Sabbato Hebdom. 7.

Quàm periculoſum porrò & capitale ſit, Homine non vti, quaſi ſi Hominem non haberes qui te mitteret in piſcinam, Id eſt Directorem: Vide in 1. parte, tota Hebdomada 3. poſt Epiphaniam.

Digitized by Google

Quid hæc autem ſignificent ad ſpiritualem profectum, *ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula*: declaratum habetur in eadem 1. parte, Feria 4. Hebdom. 4. poſt Epiph.

FERIA TERTIA.

DE HUMILITATE CHRISTI DOMINI QUAE POST SANATUM PARALYTICUM EMINUIT.

Ieſus declinauit à turba conſtituta in loco. Ioan. 5.

VERITAS PRACTICA.

Hæc eſt maximè laudabilis humilitas, quæ ſic laudes fugit vt laudanda non omittat.

RATIO EST, *Quia hæc eſt maxime laudabilis humilitas quæ ſic cauet ab extremis ſuis, vt ſuo ſe in medio generoſe contineat.*

Sed Humilitas quæ ſic laudes fugit vt laudanda non omittat facere, ſic cauet ab extremis ſuis, vt ſuo ſe in medio generoſè contineat.

Ergo hæc eſt maxime laudabilis humilitas, cuius exemplum nobis hîc exhibet luculentum Chriſtus Dominus quod imitemur.

I. PUNCTUM.

MIRABILIS quidem Chriſtus in omnibus operibus ſuis, & ipſe eſt *qui facit mirabilia magna ſolus*; Verùm ſi quod eius opus eſt mirabilius, ſi quod eius miraculum dici poteſt alio præſtantius, certe miraculum ſanati Paralytici videtur eſſe Pſ. 135.

ex præſtantioribus, ob has duas cauſas. Prima, quòd hominis illius infirmitas omnibus eſſet notiſſima, vt qui iam triginta & octo annos palàm ſpectandus iacuiſſet. Altera, quod in loco & tempore fuit ſanatus vbi tùm frequentiſſima totius anni erat populi celebritas, nempe in Piſcina & in feſto Paſchæ vel Pentecoſtes, vt probabilius creditur, quo die vndequaque conueniebant Iudæi Ieroſolymam ſacrificādi gratia, & in illum locum ſeſe omnes dabant quo deſcendebat Angelus moturus aquam Piſcinæ, & eum ſanaturus qui ſe prior in illam poſt aquæ motum immiſiſſet.

Nonne tum ſanare hominem tam infirmum & tanta facilitate quanta ſanatus eſt Paralyticus, glorioſiſſimum erat & ſuper omnem admirationem ſtupendum & exaltandum? Et tamen vix vllum fuit obſcurius miraculum, vix vllum fuit de quo minor ſermocinatio & rariora præconia; nullæ hic laudes, nullus admirationis clamor, nullus religionis ſtupor, nullus ſermo niſi forte illorum qui murmurant quod homo ſanatus ferat humeris lectum ſuum in die feſto. Et quod magis mirum, nec ipſe qui ſanatus eſt ſuum Benefactorem nouit, aut vllas ei gratias egit. *Is autem qui ſanus fuerat effectus,* inquit Euangeliſta, *neſciebat quis eſſet,* qui ſcilicet eum ſanaſſet. *IESVS enim declinauit à turba conſtituta in loco.* O verè generoſam & laudabilem humilitatem Domini IESV qui in tanta gloriæ & honoris occaſione fugit laudem, fugit conſpectum hominum & quærit latebras!

Verùm non hîc tantùm ſiſtit eius Humilitatis generoſitas & commendatio: Nam cùm ſciret illum hominem quem ſanarat corpore, nonnullis premi peccatis, voluit & hanc animi ſanitatem illi conferre, atque idcirco Templum quo iuerat, ingreditur Dominus, hominem conuenit, & hoc ſalutari monito ſanum intus eſſe iubet ſicut exterius: *Ecce,* inquit, *ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quæ Chriſti Domini verba ſic Gloſſa exponit; *Iſtum IESVS ſicut ſanat exterius, ita intus ſanauit.* Ac tandem cùm videret Iudæos non modo non prædicantes miraculum quod patrarat, ſed infrendentes quod ſanaret hominem vel ſanatum iuberet deferre lectum, in die feſto; Ipſe aduerſarios vltro adit, alloquitur, & de ſua cum Deo æqualitate miros habet ſermones. Hoc eſt ſcilicet eſſe generoſum & præcipue commendandum, Sic bonorum operum laudes fugere vt tamen non fugias bene operari, ſic gloriam rei bene geſtæ recuſare vt vel pro-

Digitized by Google

bra tranquille audias, & ſapienter diluas. Hæc eſt denique *vera & verè laudabilis humilitas quæ ſic laudes fugit, vt laudanda non omittat*, quando ſic Dei cultus, ſic proximi vtilitas, & officij ratio poſtulat.

Cuius propoſitæ Veritatis cùm multæ reddi poſſint rationes, tùm hæc modo videtur expendenda, quod hæc maxime laudabilis Virtus vniuerſim loquendo, aut particulatim Humilitas ſit cenſenda, quæ ſic ab extremis ſuis cauet, vt in ſuo ſe medio, ſuaque mediocritate conſtanter & generoſè contineat. Neque enim eſt vera virtus niſi in medio. Nihil frequentius in ſcholis & ſanctis etiam Patribus. *Bonum virtutis moralis*, inquit ſanctus Thomas, 1. 2. q. 64. *conſiſtit in adæquatione ad menſuram rationis. Manifeſtum eſt autem* a. 1. *quod inter exceſſum & defectum, medium eſt æqualitas ſeu conformitas, vndè manifeſte apparet quod virtus moralis in medio conſiſtit.* Sic ſanctus Gregorius Nazianzenus, *non poteſt eſſe virtus cui vel deeſt, vel cui excedit conueniens menſura. Da operam vt ſagittam ita ſemper manu teneas, vt ad deſtinatum ſcopum tendat, vt neque vltra Chriſti mandatum, neque citra eiuſdem præcepta eam mittas, neutro enim modo, virtutis album feries.* Orat. de ſeipſo. Sic Caſſianus explicans vetus illud Prouerbium, ἀκρότητες, ἰσότητες, id eſt nimietates, æqualitates: nimietates ex alterutra parte ſe tenentes, ſiue ab exceſſu, ſiue à defectu, docet æqualiter improbandas. 2. Collat. c. 16. Sic ſanctus Hieronymus: Philoſophorum quoque ſententia eſt μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβάλλας κακίας εἶν, Quod Latinus, inquit, ita poteſt ſermo reſonare, moderatas eſſe virtutes, excedentes modum atque menſuram inter vitia deputari. Ep. 8. ad Demetr. Vide quæ ſuprà fuſius ex Scriptura & ſanctis Patribus referuntur. In 1. parte die 31. Decembris. Et vide attentius quam ſint conformia rationi quæ nobis imperantur, cùm ſit virtus ipſa ratio, ipſa rationis æquitas & moderatio, & quàm proinde ſimus inexcuſabiles qui virtutem negligimus & negligentiæ noſtræ nonnullas etiam rationes prætendimus. *Arguet te malitia tua.* Ier. 2.

II. PVNCTVM.

SED *Humilitas quæ ſic laudes fugit, vt laudanda non omittat facere, ſic cauet ab extremis vt ſuo ſe in medio generoſe contineat.*

Nam quænam ſunt extrema humilitatis, niſi præſumptio, vanitas aut ambitio per exceſſum; & puſillanimitas ſeu nimia ſui ab-

Digitized by Google

jecto per defectum? Ac proinde quodnam eſt humilitatis medium, niſi talis æqualitas & moderatio, vt neque excedat in vno, neque deficiat in altero? Neque nimis præſumat, aut altius ſapiat quam oportet ſapere; neque nimis ſe abjiciat, nimis lateat & taceat cum præjudicio Diuinæ Gloriæ, necnon boni publici vel alicuius particularis iactura. Quod vtrũque extremũ ſic prudenter & generoſe cauet Humilitas, dum ex vna parte, fugit laudes, rumuſculos, congratulationes, & ſimilia ſuperbiæ nutrimenta; nec tamen ex alia quidquam omittit eorum quæ vel Charitas vel Obedientia repræſentant eſſe facienda, ſiue plurimam ſecum inuehant lau-
2. Cor. 6. dem, ſiue modicam, ſiue nullam: *Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, inquit Apoſtolus, non per ſolam gloriam & bonam famam, quia forte excederet in vanitatem: neque etiam per ſolam ignobilitatem & infamiam, ne forte deficeret in nimiam & infructuoſam abjectionem; ſed temperatè vtroque, & per vtrumque in medio: *Per arma Iuſtitiæ, à dextris ſimul & à ſiniſtris*, ſic fortiter vnuſquiſque decertet pro ſalute proximi ſine ſuo ſpirituali damno: & pro ſua propria perfectione ſine proximi detrimento.

Quæ quidem Moderatio inter extrema nos ducens, tam propria eſt humilitati, vt propterea Diuus Thomas hanc referat ad modeſtiam & temperantiam, dicatque humilitatem nihil aliud
2. 2. q. 161. a. 1. eſſe quam *moderationem quandam ſpiritus iuxta illud ſancti Petri: In incorruptibilitate quieti & modeſti Spiritus*: Afferatque illud Origenis ſic ſcribentis in Lucam: *Si vis nomen audire huius virtutis, quomodo etiam à Philoſophis appellatur, Auſculta eandem eſſe humilitatem quam reſpicit Deus, quæ ab illis Metriotis dicitur, id eſt menſuratio vel moderatio.*

O quam multi decipiuntur qui dum ab vno extremo fugiunt,
Eccleſi. 13. in aliud miſeri dilabuntur! Et quam vere monuit Sapiens: *Attende ne ſeductus in ſtultitiam humilieris. Noli eſſe humilis in Sapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris.* Id eſt, ne in humilitatis Praxi ſinas te ex proprio tuo ſenſu trahi, quo in alterutrum virtutis extremorum pertraheris; Sic enim in vitium potius quam Virtutem traheréris.

III. PVNCTVM.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

H*AEC eſt igitur maxime laudabilis humilitas, quæ ſic laudes fugit, vt laudanda non omittat facere:* quia ſic vera eſt Virtus quæ in medio ſiſtit. Vnde expreſſe ſanctus Thomas; *Illi qui contemnunt honores hoc modo, quod pro ijs adipiſcendis nihil inconueniens faciunt, nec eos nimis appretiantur, laudabiles ſunt. Si quis autem hoc modo contemneret honores, quod non curaret facere ea quæ ſunt digna honore, hoc vituperabile eſſet. Et hoc modo Magnanimitas eſt circa honores, vt videlicet ſtudeat facere ea quæ ſunt honore digna: Non tamen ſic vt pro magno æſtimet humanum honorem.* Et alibi, quod eſt valde notandum, ſic ait Magnanimitatem & humilitatem ſimul conuenire, vt humilitas quidem, reprimat appetitum ne tendat in magna præter rationem rectam: Magnanimitas autem animum ad magna impellat ſecundum rationem rectam. Vnde ſicut non obſtat Magnanimitas, quo minus Humilitas tendat ad latendum & ad fugienda honorifica ſeu laudabilia, quando recta ſuadebit ratio, ſic Humilitas non impedit Magnanimitatem quin moueat animum ad illa ipſa laudabilia conſectanda, non propter ipſorum laudabilitatem, ſed propter honorem Dei, & proximi vtilitatem; ſicque humilitas ſit ſemper magnanima & generoſa, ſicut magnanimitas ſemper humilis & modeſta. *Scio & humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum*, aiebat Apoſtolus. Tum aptiſſimè conſequenter ſanctus Ambroſius, *Non ergo indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam & ſcientiam, laudi datur. Eſt enim humilitas formidinis, eſt & imperitiæ atque ignorantiæ, Vnde & Scriptura dixit, humiles ſpiritu ſaluabit. Præclarè ergo dixit ſcio & humiliari, id eſt quo in loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere.* Quod & ſanctus Bernardus ſic egregie: *Non infra dejici, nec attolli ſupra. Non euadere in longius nec extendi in latius. Tene medium ſi non vis perdere modum: locus medius tutus eſt: medium ſedes modi; & modus, virtus.* Vide qua ex parte magis deficias, & proſpice.

2. 2. q. 129. a. 1. ad 3.

2. 2. q. 161. a. 1. ad 3.

Phil. 4.

l. 2. Offic. c. 17.

l. 2. Conſid. c. 10.

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE MAGNIFICA CHRISTI HVMILITATE, SEV DE HVMILI EIVS MAGNIFICENTIA.

Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim Ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & majora ei demonſtrabit opera, vt vos miremini. Ioan. 5.

VERITAS PRACTICA.

Nullus eſt Diues, humili quantumuis paupere, magnificentior.

RATIO EST, *Quia quo quis plura & ditiora bona poſſidet eaque libentiùs omnia, ad rectum quem intendit finem diſpertitur, eò eſt magnificentior.*

Sed nullus diues plura & ditiora bona poſſidet, nec libentius diſpertitur quàm humilis.

Ergo nullus eſt eo magnificentior; Aut certe quo minus eſt magnificus, eo minus eſt humilis. Quod eſt ſolicite prouidendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

CVM argueretur Chriſtus Dominus à Iudæis, quod diem Sabbati violaret, Primum hoc ad defenſionem ſuam reſpondit, *Pater meus vſque modo operatur & ego operor.* Id eſt, nihil ago quod non agat mecum Pater meus qui eſt Deus. Quod perinde erat ac dicere, nihil ago quod poſſitis arguere, quia ipſum eſt Dei opus quod ago. Quo reſponſo cùm illi excanduiſſent, atque iam etiam de illo interficiendo cogitaſſent, quòd Patrem ſuum diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo: Tum IESVS confirmans quod dixerat: *Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; Et quæ ſupra memorantur, In quibus obſeruandam dicimus magnificam Chriſti humilitatem, ſeu humilem magnificentiam. Nam quid humilius, quidue ſimul magnificentius quàm quod ait, ſe nihil à ſe facere, & ſe tamen facere quæcumque Pater facit? Quod non intelligas modo de vno aut altero quod facit opere, ſed vniuerſim de omnibus; Quidquid agit Pater hoc agit filius, & nihil agit filius niſi quod agat Pater; quæ quidem quàm ſint magnifica ſimul & humilia magis adhuc patebit in declaratione Veritatis propoſitæ quæ Paradoxum continere videtur. Quid enim magis contra ſenſum vulgarem quàm quod humilis ſit magnificus? Aut quod etiam nullus quantumuis diues, ſit magnificentior humili, quantumuis paupere? Et tamen ita eſt, & Ratio ſi diligenter expendatur, ita plane perſuadet.

Quid namque eſt eſſe magnificum? Supra liberalitatem Virtus eſt Magnificentia, vt ait ſanctus Thomas, quæ non ſolum reſpicit rationabilem vſum pecuniæ vel aliorum bonorum, ſed magnum vſum, magnos ſumptus & impenſas, ſecundum tamen rectam rationem; Id eſt, ſecundum probatum finem quem ſibi proponit Magnificus, & eò quidem erit magnificentior quò & finis erit magis probatus, quò plura bona & ditiora poſſidebit, & quo minus eis parcet, ſeu quò effuſius omnia diſpertietur ad obtinendum illum finem. 2. 2. q. 134.

Hæc partim delibata ſunt ex ſancto Doctore, ſed quæ habet de fine ſibi proponendo non ſunt breuius contrahenda, nec aliis quàm eius verbis referenda; *Nullus*, inquit, *finis humanorum ope-* a. 2. ad 3.

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE MAGNIFICA CHRISTI HVMILITATE, SEV DE HVMILI EIVS MAGNIFICENTIA.

Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim Ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & majora ei demonſtrabit opera, vt vos miremini. Ioan. 5.

VERITAS PRACTICA.

Nullus eſt Diues, humili quantumuis paupere, magnificentior.

RATIO EST, *Quia quo quis plura & ditiora bona poſſidet eaque libentiùs omnia, ad rectum quem intendit finem diſpertitur, eò eſt magnificentior.*

Sed nullus diues plura & ditiora bona poſſidet, nec libentius diſpertitur quàm humilis.

Ergo nullus eſt eo magnificentior; Aut certe quo minus eſt magnificus, eo minus eſt humilis. Quod eſt ſolicite prouidendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

CVM argueretur Chriſtus Dominus à Iudæis, quod diem Sabbati violaret, Primum hoc ad defenſionem ſuam reſpondit, *Pater meus vſque modo operatur & ego operor.* Id eſt, nihil ago quod non agat mecum Pater meus qui eſt Deus. Quod perinde erat ac dicere, nihil ago quod poſſitis arguere, quia ipſum eſt Dei opus quod ago. Quo reſponſo cùm illi excanduiſſent, atque iam etiam de illo interficiendo cogitaſſent, quòd Patrem ſuum diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo: Tum IESVS confirmans quod dixerat: *Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; Et quæ ſupra memorantur, In quibus obſeruandam dicimus magnificam Chriſti humilitatem, ſeu humilem magnificentiam. Nam quid humilius, quidue ſimul magnificentius quàm quod ait, ſe nihil à ſe facere, & ſe tamen facere quæcumque Pater facit? Quod non intelligas modo de vno aut altero quod facit opere, ſed vniuerſim de omnibus; Quidquid agit Pater hoc agit filius, & nihil agit filius niſi quod agat Pater; quæ quidem quàm ſint magnifica ſimul & humilia magis adhuc patebit in declaratione Veritatis propoſitæ quæ Paradoxum continere videtur. Quid enim magis contra ſenſum vulgarem quàm quod humilis ſit magnificus? Aut quod etiam nullus quantumuis diues, ſit magnificentior humili, quantumuis paupere? Et tamen ita eſt, & Ratio ſi diligenter expendatur, ita plane perſuadet.

Quid namque eſt eſſe magnificum? Supra liberalitatem Virtus eſt Magnificentia, vt ait ſanctus Thomas, quæ non ſolum reſpicit rationabilem vſum pecuniæ vel aliorum bonorum, ſed magnum vſum, magnos ſumptus & impenſas, ſecundum tamen rectam rationem; Id eſt, ſecundum probatum finem quem ſibi proponit Magnificus, & eò quidem erit magnificentior quò & finis erit magis probatus, quò plura bona & ditiora poſſidebit, & quo minus eis parcet, ſeu quò effuſius omnia diſpertietur ad obtinendum illum finem. 2. 2. q. 134.

Hæc partim delibata ſunt ex ſancto Doctore, ſed quæ habet de fine ſibi proponendo non ſunt breuius contrahenda, nec aliis quàm eius verbis referenda; *Nullus*, inquit, *finis humanorum ope-* a. 2. ad 3.

Digitized by Google

rum eſt adeo magnus ſicut honor Dei. Et ideo magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorem Dei. Vnde Philoſophus dicit in quarto Ethicorum quod honorabiles ſumptus ſunt maxime qui pertinent ad diuina ſacrificia : Et circa hos maxime ſtudet magnificus : Et ideo magnificentia conjungitur ſanctitati, quia præcipue eius effectus ad religionem ſiue ad ſanctitatem ordinatur. Sic nempe de Deo dicitur,
Exodi. 15. *magnificus in ſanctitate.*
Pſ. 95. *SANCTIMONIA & magnificentia in conſpectu eius.*
Pſ. 110. *CONFESSIO & magnificentia opus eius.*
Pſ. 144. *MAGNIFICENTIAM gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur.*
Ezech. 38. *ET magnificabor & ſanctificabor.*

Non ſic illi non ſic, qui magnificant fimbrias, qui amant primos recubitus, & primas cathedras.

II. PVNCTVM.

SED nullus diues plura & ditiora bona poſſidet aut libentius diſpertitur aut meliori fine, quàm humilis, quantumuis pauper.

Quid eſt enim ditius aut præſtantius, quàm bonum ſpirituale, in cuius comparatione diuitias nihil eſſe duxit virorum omnium
Sap. 7. ditiſſimus ac Sapientiſſimus? Quis porro bonis ſpiritualibus magis abundat quàm humilis ſuper quem præcipue requieſcit bonorum Author omnium: Qui ſingulariter dicitur conferre humi-
Iac. 4. libus gratiam, vt ſicut valles abundant frumento, ita & humiles omni ſpirituali fructu gaudeant: Vnde ſanctus Auguſtinus, *Quanto*
Serm. de Verbis Dom. *humilius, tanto amplius: confluit enim aqua ad humilitatem vallis, denatat tumoribus collis.* Quis denique libentius & liberalius in nobiliſſimum illum finem, qui eſt Diuinus cultus, diſpenſat illa bona quàm humilis, qui nihil eorum ſibi attribuit, nihil arrogat, nihil reſeruat, ſed totum quod habet, & totum quod eſt in continuum Sacrificium illi offert à quo ſe totum accepiſſe
Pſ. 95. confitetur? Hæc eſt *Confeſſio & ſanctimonia & magnificentia in conſpectu eius.* In conſpectu hominum non ita forte videbitur, ſed in conſpectu Dei non eſt magnificentia niſi vbi ſanctimonia, nec eſt ſanctimonia niſi vbi Confeſſio; neque Confeſſio niſi vbi humilitas, quæ mala ſua mere mala & mere ſua cognoſcit: bona autem ſua, nec mere bona, nec merè ſua confitetur: ſed quidquid eſt inde meriti quidquid gloriæ & honoris totum hoc Deo
1. Par. 29. reddit. *Tua eſt Domine magnificentia & potentia, & gloria; Cuncta*

Digitized by Google

enim quæ in cælo ſunt & in terra, tua ſunt. Quid ſanctius? Quid magnificentius?

Magnificentiam ſuam iactent Aſſueri, Salomones, Iuſtiniani & quotquot in Diuinos etiam ſumptus ſua profuderunt; ſed niſi fuerint humiles, non fuerunt ſancti; & niſi ſancti fuerint, non potuerunt eſſe magnifici, quia ſanctitas & magnificentia non diſiunguntur. *Tu quærebas magnificentiam*, inquit ſanctus Auguſtinus, *prius dilige ſanctitatem. Cum ſanctificatus fueris, eris & magnificus: nam ſi præpoſterè prius eſſe volueris magnificus, antè cadis quam ſurgis. Non enim ſurgis ſed extolleris.* Et poſt pauca, explicans verſus Pſalmi conſequentes: *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino Gloriam & honorem. Tollite hoſtias & introite in atria eius:* Et quæ ſequuntur ad Gentiles conuerſos dirigit, commonetque ne glorientur ſi vel magnificam Deo domum ædificarint, vel pretioſa dederint munera, cùm in illis externis donis non ſit ea magnificentia qua præcipuè colitur & honoratur Deus. *Sacrificium Deo*, inquit, *Spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Cum humili corde intra in domum Dei, & cum hoſtia intraſti. Si autem ſuperbus es, inanis intras. Nam vnde ſuperbires, niſi inanis eſſes? Nam ſi plenus eſſes, non inflareris.* Quaſi diceret, nihil magnificè facis ad gloriam Dei, quantumcumque magna dones, niſi fueris humilis. Sis vero humilis, tum plenus es donis à Deo datis & Deo referendis, quæ licet pauca eſſent, majorem tamen Deo deferrent laudem, & majorem afferrent illi magnificentiam, *Quoniam magna potentia Dei ſolius*, ait Sapiens, *& ab humilibus honoratur.* O verè honoranda humilitas quà ſic honoratur Deus!

In Pſ. 95.

Eccleſi. 3.

III. PVNCTVM.

N*VLLVS eſt igitur Diues magnificentior humili, quantumuis paupere*; Quia nullus eſt qui plura & majora profuſius in nobiliſſimum qui poteſt haberi finem profundat, & frequentius offerat, quàm humilis qui cum pro cultu & dilectione Dei dederit omnem ſuam ſubſtantiam, *Quaſi nihil deſpiciet eam*; Quaſi nihil dediſſet, ſic ſe deſpiciet, quia nihil dediſſe confitetur niſi quod acceperat, niſi quod debebat, niſi quod acceptum à Deo magis obligat dantem ad gratias illi referendas, quàm putet ſibi

Cant. 8.

Digitized by Google

deberi quid aliud, niſi pœnas & flagella ex malo donorum vſu. Quæ Confeſſio & humilitas ita ſanctificant animam, & ita placent Deo, vt inde exurgat Magnificentia quæ in conſpectu eius ſola magnificari debet & æſtimari. Si enim ipſa Dei Magnificentia, vt Scripturæ referunt, in ſanctitate eſt, certe ſi quæ eſt hominum magnificentia, ſic erit in ea ſanctitate quam parat humilitas, cùm vel maxime dicat ſanctus Thomas, magnificentiam *humanam eſſe quandam Diuinæ magnificentiæ participationem quæ nos Deo ſimiles reddat.* Neque enim aliter nos reddit ſimiles quàm humilitate, cùm ſine humilitate magnificentia ſuperbos nos redderet & à Deo maxime diſſidentes.

Suprà. *2. 2. q. 134. a. 1.*

Quamobrem hic etiam atque etiam vide quanto ſit cultu fouenda humilitas à qua eſt talis magnificentia, cui nulla par, ſimiliſque coram Deo reperiatur. Quod ſi coram hominibus magnifici tanto ſunt in honore, quanto nos eſſe videmus, quid ſentiendum eſt de honore quem humiles conſequuntur apud Deum? Sed vide etiam attentius qualis eſſe debet illa humilitas quæ eſt magnificentiæ parens & nutrix, nempe integra, ſincera, indiuiſa quæ non partem ſed totum reddat Deo. Sic enim egregie ſanctus Ambroſius, vt iam ſupra notatum eſt: *In vera humilitate nihil diuiſum, nihilque non ſolidum eſt, & ideo omnes participes ſuos vnum facit, quia inæqualitatem ipſa non recipit. Huius igitur boni proprietas in confeſſione eſt Gratiæ Dei, quæ tota repelletur, niſi tota ſuſcipiatur.* O Verba aurea & authore ſuo digna! Sed neque Verba nec Authorem magnifacis, niſi facta verbis reſpondeant.

l. 10. Ep. 84.

Vide in 4. parte, Feria 6. Hebdom. 16. Vbi hæc Veritas explicatur:

Interrogatus quid primum in præceptis Chriſtianæ religionis obſeruandum; quid ſecundum; quid tertium: Reſponde, Humilitatem.

Digitized by Google

FERIA QVINTA.

DE SVBLIMI ET HVMILI POTESTATE IVDICANDI HOMINES QVAM CHRISTVS SIBI DATAM DICIT.

Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Ioan. 5.

VERITAS PRACTICA.

Superbo maxime formidádũ Diuini Tribunal Iudicij.

RATIO HÆC EST INTER ALIAS, Quia illi maximè formidandum Tribunal eſt, qui ſe dum viueret, Diuino Iudicio magis oppoſuit.

Sed ſuperbus ſe Diuino præcipue opponit Iudicio.

Ergo illi maximè formidandum Tribunal Iudicij: Ac proinde ipſa præcipuè reformidanda ſuperbia.

I. PVNCTVM.

EO dementiæ & impietatis deuenerant Iudæi, vt Chriſtum Dominum auderent accuſare & velut reum læſæ religionis condemnare quod non ſeruaret dies feſtos, aut quod ſe æqualem Deo faceret; quibus cùm reſpondiſſet quæ heri

conſiderata ſunt, nunc addit, tantùm abeſſe vt ab eis accuſari & iudicari poſſit, quin potius futurus ſit aliquando ipſorum Iudex ſicut & reliquorum hominum, iamque ſe in ea poteſtate conſtitutum eſſe à Patre, vt ſicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificet, quos vult etiam mortificet, iudicet & condemnet, quia omne Iudicium ſeu omnis Iudicandi Poteſtas illi prorſus relicta eſt.

Quæ certe Poteſtas quàm ſit honorifica, quàm ſublimis & ſumma, quis non videt ſi præcipue cogitet talem hanc eſſe Poteſtatem vt omnes omnino homines illi ſubdantur, agaturque in eo Iudicio de re omnium maxima quæ eſt ſalus æterna. *Omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim, viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* (Rom. 14.)

At vero intuere quantam humilitatem huic tantæ iungat potentiæ. Primo enim ibi vt homini datam hanc à Patre Poteſtatem fatetur; Deinde, quod certe mirum eſt, non aliter ſe vſurum illa Poteſtate affirmat quàm prout nouerit Patrem velle, & prout ipſe Pater iudicarit. Sic enim expreſſe addit: *Sicut audio, ſic iudico: & iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* (Ioan. 5.) O qualem humilitatem! *Qui*, vt ait S. Gregorius, *tunc quoque obedit cùm Iudex venit.* (l. 35. Mor. c. 10.) Quod & poſtea repetiit Dominus cum dixit: *Ego non iudico quemquam: & ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater.* (Ioan. 8.) Quaſi diceret, ſi mea res duntaxat ageretur, ſi de iniuriis ſolum & calumniis quas patior quæſtio eſſet, libenter cederem, libenter condonarem; ſed ſolus non ſum, non ſolus homo in me offenditur; at ipſe eſt Deus qui eſt Pater meus, qui cum iudicet & condemnet offenſam mihi à peccatore illatam, neceſſe eſt vt cum ipſo eam condemnem, & meum iudicium non poteſt non eſſe iuſtum, quia idem eſt ac Diuinum.

Sic plane Humiles humiliter ſe vbique gerunt dum ſublimiora quæque tractant; cùm è contra ſuperbi etiam in ipſis ſuis humiliationibus intumeſcant & inflentur. His ſane præter cæteros *maximè formidandum eſt Tribunal Iudicis tam potentis & humilis Chriſti.*

Quæ Veritas nobis hodie propoſita, cum ex ſe pateat, tñ vel hac etiam Ratione magis eluceſcet. Si cui videlicet formidandum eſt iudicium illud animæ, quod ſtatim à morte fiet, maxime illi eſt formidandum qui dum viueret, ſuum Diuino Iudicio iudicium magis

Digitized by Google

magis oppoſuit. Nam primò cum is conformiter ſuo iudicio vixerit, oportet eum vitam vixiſſe plane oppoſitam Chriſto, ſicut & ei oppoſitum vt ſupponimus habebat iudicium: quale autem iudicium illi homini poſt vitam futurum eſt qui vitam omnino contrariam Iudici vixit? *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo.* Iſ. 47.

Deinde vero cùm ſuum iudicium prætulerit iudicio Chriſti, non potuit iſta præferentia Iudicij non eſſe iniuſtiſſima & iniquiſſima, proindeque præcipuè iudicanda. *Ego iudicio contendam tecum.* Ier. 2. Denique cum id ſit ratum quod per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur vt ſupra fuſe eſt demonſtratum; iudicio certe puniri & torqueri debet qui iudicio peccauit. Sap. 12. Quod expreſſe refert Sapiens poſt denuntiatas pœnas regibus & Iudicibus terræ, *Quoniam*, inquit, *non rectè iudicaſtis nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ:* Ibid. 6. *Horrende & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet.* Sic enim fiet iuſta retributio & debita viciſſitudo, vt qui durius & ſeuerius iudicium exercuerunt, duriſſimo ipſi exerceantur & condemnentur iudicio. O qualis tum ſtatus animæ! O quam verè Propheta Domino, *In menſura contra menſuram, cùm abiecta fuerit, iudicabis eam.* Iſ. 27.

II. PVNCTVM.

SED ſuperbus ſuum præcipue Diuino Iudicio, iudicium ſeque totum opponit.

Primo quidem cùm Chriſtus inter omnia vitia ſuperbiam quà verbo quà exemplo exagitarit, & ex omnibus virtutibus humilitatem non modo vt vtilem ſed neceſſariam propoſuerit, huic ſe iudicio ſuperbus manifeſte opponit, & nihil æque deteſtatur quàm quod præcipue Chriſtus commendat, nihil æque proſequitur quàm quod odit Dominus. Nonne hoc eſt eſſe illi oppoſitum? *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Luc. 11.

Secundo id patet, quia iudicio de aliis omnibus rebus ferendo, plane ſuperbus ſeſe Chriſto opponit; de diuitiis, de honoribus, de primis cathedris, de humanis laudibus, & de ipſo viuendi modo qui dicitur mundus, quidquid iudicet Chriſtus, contrarium omnino ſuperbus ſentit. Vnde ipſe Dominus his à quibus prouocabatur vt ſe mundo manifeſtaret mundano modo: *Mundus*

Digitized by Google

Ioan. 7. *me odit, quia teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt.*
Ibid. 14. Et paulo poſt, *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Quaſi diceret, nihil illi mecum, neque mihi cum illo eſt, qui *Rex eſt ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*, Sed omnia nobis
Iob. 41. oppoſita.

Tertio denique, cum ſuperbus non ſuperbiat niſi ex opinione ſiue ex iudicio proprio alicuius boni naturalis quod ſe putat habere præ aliis, vnde laudem & gloriam plus æquo ambit & ſectatur, hoc totum iudicium vanum eſt, vitioſum eſt, diabolicum eſt, ac proinde Chriſto Domino prorſus oppoſitum, qui cum
Ioan. 5. & 8. de ſeipſo diceret ſe nihil eſſe, ſe nihil à ſe facere, ſi ſuam gloriam quæreret, gloriam ſuam nihil eſſe; ſolum Deum eſſe bonum, & & ſimilia: longe magis id dicit & ſentit de homine, ac proinde ſic directe oppoſita prorſus ſentit vt non aliter ac cœlum exaltatur à terra, ſic viæ Domini & cogitationes eius exaltentur à viis & à co-
Iſ. 55. gitationibus ſuperbi & mundani. Vnde cum Petrus nondum ſanctus, Dominum alloqueretur ex ſenſu nimis adhuc humano & mundano; *Vade*, inquit Dominus, *poſt me Satana, ſcandalum es*
Matth. 16. *mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* O ſi vel ſapere humana, Chriſto eſt aduerſari, quis niſi ſuperbus præ cæteris Chriſto aduerſatur, qui humana præ cæteris ſapit? Sic aptè
Serm. 7. in Pſ. 118. ſanctus Ambroſius exponens illud Scripturæ: *Dominus ſuperbis reſiſtit: Tamquam ſuæ contumeliæ propulſator, veluti quoddam ſuſcepit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen: tamquam dicat, meus iſte aduerſarius eſt qui me laceſſit, mihi debetur iſta congreſſio.*

III. PVNCTVM.

S*I cui ergo formidandum eſt Tribunal futuri Iudicij, ſuperbo maxime eſt formidandum, qui ſuum ita diuino Iudicio Iudicium, ſuos mores, affectus, ſenſus, vitamque opponit vniuerſam, vt quod Chriſtus dixit bonum, hoc malum ſuperbus ſentiat; & quod Ille malum prædicat, hoc iſte bonum pronuntiet.* Sed quis ſapientior, quis Iudex æquior? Ex quo autem Iudicio Iudex iudicabit? An ex Diuino ſuo, vel ex mundano ſuperbi & Diabolico?

Iſ. 50. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus, quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ. Et cadet ſuperbus & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum.* Et alibi: *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt*
Mal. 4.

omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, quæ non derelinquet eis radicem & germen. Videſne ſuperbo maxime paratum eſſe Iudicium? Videſne primos illos eſſe iudicandos qui ſe primos inter homines eſſe voluerunt? *Sicut iudicio contendi aduerſum Patres veſtros, ſic iudicabo vos, dicit Dominus Deus.* Ezech. 20.

Atque hæc forte ſatis concedes de ſuperbis illis quorum iam iudicia ſumpta ſunt, de Lucifero, de Pharaone, de Core, Dathan, & Abyron, de Herode & de ſimilibus; de te autem nihil tale eſſe timendum. At verò vide, quid de rebus ſentias & iudices? Quid de diuitiis & honore; quid de his omnibus quæ mundus prædicat, & quæ Christus contrà execratur? Nam vt ipſe aiebat, *quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Luc. 16. Cuinam Iudicio te tuamque vitam magis conformas? Hoc eſt enim Iudicium quod de rerum caducarum pretio facis, hoc eſt inquam Iudicium quod ſuperbia facit, & quod reddit formidandum Tribunal Chriſti, qui contra ſentiens contrariam tibi omnino ſententiam pronuntiabit. *Dies Domini ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & humiliabitur.* Iſ. 2.

Senti de te quidquid voles, atque iſta Iudiciorum contrarietas quæ eſt in te & in Chriſto, vocetur ſuperbia vel quouis alio nomine, parùm refert ſi reuera Chriſto aduerſaris, nam hoc eſt nomen quo vel ſuperbus vel quiuis impius in extremo Iudicio male mulctatur, neque in alios quam Chriſto aduerſarios dicit Apoſtolus deſæuiturum Iudicium, *Terribilis*, inquit, *expectatio Iudicij, & ignis æmulatio quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Hebr 10. *DIES ille Domini, dies vltionis, vt ſumat vindictam de inimicis ſuis.* Ier. 46. Talem vindictam qui non ſatis timeret, nonne nimis præſumeret? At ſcito te non poſſe dici timere illam, quamdiu in te agnoſces ſuperbiam quam non exagites & inſecteris. *Nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitias & iudicia Dei,* ait Sapiens. Eccleſ. 17.

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

DE CLARITATE CHRISTI QVAM NON ACCIPIT AB HOMINIBVS.

Ad hac Eius Verba:

Claritatem ab hominibus non accipio. Ioan. 5.

VERITAS PRACTICA.

Claritas quæ ab hominibus accipitur, mera eſt obſcuritas.

RATIO EST, Quia illa Claritas tota eſt in Iudicio hominum.
Sed in tali hominum Iudicio nihil niſi obſcuritas.
Ergo & ipſa Claritas mera eſt obſcuritas; ac proinde cauenda & contemnenda.

I. PVNCTVM.

NE putarent homines quidquid Chriſtus antè dixit ad defenſionem ſuam contra calumnias Iudæorum, ideo dixiſſe vt injuriam repellendo, ſartam tectam ſuam gloriam conſeruare vellet; atque inde eius exemplo de conſeruanda ſua gloria nimis ſatagerent & angerentur homines; ne hoc inquam ſibi fingerent & perſuaderent, hæc verba ſtatim addidit: *Claritatem ab hominibus non accipio*, quibus profitetur ſe quidquid dixit ad ſuam gloriam, non eo dixiſſe animo vt gloriam ab hominibus expectaret; Iam enim ſe ſatis humanæ Gloriæ, ſi quam in hoc mundo quæreret, accepiſſe à Ioanne, ad quem miſerant rogaturi de ipſo teſtimonium, & à quo perhonorificum, vt veritas poſtulabat, re-

Digitized by Google

tulerant. *Ego autem*, inquiebat, *non ab homine teſtimonium accipio, ſed hæc dico vt ſaluemini. Ego habeo teſtimonium majus Ioanne*, Nempe à Scripturis, à Prophetis, ab Angelis, ab ipſo Patre æterno, à miraculis, à ſanctitate, ab operibus; *Opera quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea, ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* *Ioa. 5.*

Sic Ille non tantum vt Iudæos inſtrueret, ſed nos præcipuè qui hæc lecturi, audituri & meditaturi eramus, nos qui captandæ humanæ gloriæ nimis intendimus, ſic diſceremus eius exemplo, quod ſi quid aliquando in noſtri noſtrorumque defenſionem apud homines dicere cogeremur, non ita diceremus quaſi humanam captaremus auram & gloriam: ſed hoc vnum duntaxat eniteremur vt Veritas innoteſceret, neque tam noſtram quam Veritatis cauſam & patrocinium ſuſciperemus.

Quid enim illa eſt humana Gloria ſi per ſe ſpectetur? Quid illa Claritas quæ ab hominibus accipitur, ſi attente conſideretur? *Mera eſt obſcuritas, mera eſt vanitas, merumque nihil.*

Quod vt clare pateſiat, expende quod primo dicitur totam iſtam Claritatem pendere à Iudicio hominum; Nempe humanum ipſum eſt Iudicium, ſeu ipſa teſtificatio Iudicij quod de illo faciunt homines quem honorant, vel de rebus ob quas illum honorant. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Quod ita verum eſt vt ſi ſciremus eum, à quo honorem accipimus, malè de nobis ſentire & iudicare, Plane nollemus eius honorem; & eum tamquam Adulatorem & Paraſitum deteſtaremur; *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt.* Quia malumus internum de nobis Iudicium honorificum quàm ipſam externam honorificationem, quæ niſi teſtetur honorem internum, diſſimulatio eſt & irriſio; vnde & mallemus quodammodo illis externis priuari teſtificationibus, dummodo nobis conſtaret aliunde nos in bona eſſe apud eos æſtimatione & opinione: Adeo verum eſt totum eſſe in iudicio hominum. O humanam opinionem: quanta mala in mundum inuexiſti, quanta quotidie inuehis, & quanta in futurum inuehes! Sic clamabat identidem ſanctus Franciſcus Xauerius. *Matth. 16.* *Ierem. 9.*

II. PVNCTVM.

SED *in illo humano Iudico nihil eſt niſi obſcuritas.* Quod tribus quidem modis intelligi poteſt. Primò, id val-

Digitized by Google

de obſcurum eſt quid verè ſentiant de nobis homines; nam ſenſus ſuos ita variè confingunt & diſſimulant vt vix cuiquam hominum certa fides poſſit adhiberi. *Caput ſuum mouebit*, inquit Sapiens, *& plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.*

Eccleſi. 12.

Secundò, tametſi nobis loquerentur vt ſentiunt, ita tamen obſcurum eſt an vere ſentiant & iudicent, vt nihil certi poſſis habere. Quid enim incertius quam humana de rebus iudicia? Quis neſcit, & quis non experitur quantis pateant erroribus, quot ignorantiæ tenebris inuoluantur, & quam ſæpe ſpeciem ſeu apparentiam pro re ipſa ſumamus? Vnde Chriſtus Dominus. *Nolite iudicare ſecundum faciem:* Et Propheta; *Species decepit te. POPVLE meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Stat ad iudicandum Dominus: & ſtat ad iudicandos populos*, Quaſi diceret, ſolius eſt Domini iudicare.

Ioan. 7. Dan. 13. Iſ. 3.

Tertiò denique, licet ſint aliqui qui aliquando in aliquibus rectè ſentiant & iudicent, quàm parum durat ille ſenſus? Nonne ſtatim euaneſcit, aut in aliud immutatur? Nonne vel etiam quo ipſo durat tempore, tantis aliunde infuſcantur & obſcurantur vitiis & vituperiis illæ laudes, vt ſatius eſſet ad famam & gloriam non laudari, quàm tot adjunctis probis laudem fœdari; Nam vt ſunt in malum proni ſenſus, vt ſibi mutuo inuident homines, ſi quid aliquando laude dignum agnoſcant in homine, ſtatim vitioſum aliquid ſibi repræſentant, quo illa laus pene tota deteritur & obtenebratur. *Verba bilinguis quaſi ſimplicia: & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.* Nonne illos audis, Doctus eſt & eloquens, ſed parum religioſus. O Vanitatem! O humana iudicia quis vobis fidat? Quàm verè Dauid, *Verumtamen vani filij hominum. Mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. QVI inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates. DISPERDAT Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* Sic Sapiens de his vniuerſis iudiciis Deo loquens; *Tamquam pueris inſenſatis, iudicium in deriſum dediſti.* Id eſt, oſtendiſti quàm eſſent ridicula omnium hominum iudicia, quàm puerilia, quàm malè ſana & inter ſe pugnantia.

Pr. 18. Pſ. 61. Pſ. 37. Pſ. 11. Sap. 12.

III. PVNCTVM.

ERGO *ipſa Claritas quæ ab hominibus accipitur, mera eſt obſcuritas.* Cum non niſi ab hominum Iudiciis pendeat in quibus nihil

Digitized by Google

niſi obſcurum, incertum, dubium, inuolutum & ita vno verbo infuſcatum, vt meræ tenebræ dici poſſint: *Tenebris obſcuratum habentes intellectum.* Quæ autem à Deo eſt Claritas ipſa lux eſt, ſicut *& Deus lux eſt in quo tenebræ non ſunt vllæ*, Neque fallitur in ſuo iudicio, nec quemquam fallit: Quem Ipſe laudat verè eſt laudabilis: & quem probat, vere probandus eſt. Nonne igitur præſtat hanc magis à Deo Gloriam quærere quam ab hominibus? *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat*, aut quem homines prædicant, *ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Commendat autem præcipue humilem & Pauperem Spiritu, quæ commendatio tam vera & luculenta eſt Claritas, quam verum & certum eſt Dei Iudicium.

Epheſ. 4. 1. Ioan. 1. 2. Cor. 10.

Non vetatur tibi Gloria, ſed vana tantùm & tenebroſa, eiuſque loco vera proponitur. Diſce vbi Pax vbi vera Gloria: Et hoc propone ſeriò: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. ERATIS aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.*

Gal. 6. Epheſ. 5.

O quam vere Picus Mirandulanus, *Si illud eſt verum, quærendam gloriam, non quæ ex hominibus, ſed quæ ex Deo eſt, cur de Iudiciis hominum ſemper pendemus? Deo placere nemo eſt qui curet.*

SABBATO.

DE REPVGNANTIA ET INCOMPATIBILITATE FIDEI CVM VANA GLORIA.

Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Ioan. 5.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Ne diuina pereat fides, pereat potius humana gloria.

RATIO EST EVIDENS, *Quia in æquali periculo bonorum inæqualium, ſatius eſt perire minus bonum quam majus.*

Sed humana gloria, minus eſt bonum quam Fides Diuina quæ periret niſi periret humana gloria.

Ergo ne Diuina pereat fides, pereat potius humana gloria.

I. PVNCTVM.

CONCLVDEMVS cum Domino agitatam tota Hebdomada de humilitate materiam, hac eius nobili ſententia, Quod ſit ita repugnans Diuina Fides cum humana & vana gloria, vt vix ſimul poſſint conſiſtere; Hic eſt enim ſenſus Verborum Chriſti, *Quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & Gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* Quaſi diceret, mirum eſſet ſi vos cupidi vanæ gloriæ, crederetis: cum id fieri nequeat, cùm ſimul repugnent Fides & vanitas.

Hinc autem efficax elicitur motiuum ad fugandam iſtam vanitatem & mundanam gloriam, Quod ſcilicet alioquin pereat Fides; Quis enim ſanus de re tanta qualis eſt fides Chriſtiana, velit periclitari, ob affectum inanis gloriæ? Et tamen ni pereat iſte affectus, peribit fides; *Ergo ne fides pereat, pereat potius iſte prauus affectus.*

Quæ Concluſio ſatis per ſe nota, vt planiùs etiam innoteſcat, & in affectum effectumque deriuetur, Vide quam verum ſit quod prima propoſitione dicitur, ſatius eſſe perire minus bonum quam majus, quando videlicet alterutrum ex æquo periclitatur, vt niſi minus pereat, pereat majus. Nonne hoc in quolibet genere boni eſt euidentiſſimum? Nonne vt ſeruetur totum corpus, exponitur membrum? Nonne vt membrum ſeruetur, exponuntur pecuniæ? Nonne vt pecuniæ conſeruentur, quies & voluptas deſeruntur? Non eſt hærendum diutius in re tam plana, niſi forte mireris homines

mines in hoc tam ſtolidos vt quod in bonis præcipuum eſt, ſalus animæ, poſtponant cæteris longe inferioribus: Quam vt ſtoliditatem illis objiceret Dominus, ad ſerpentem, infame illud & odioſum animal illos prouocat. *Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes*, qui ſcilicet vt caput ſeruent in quo viuunt, reliquum exponunt corpus. *Sic inter fallentia & ſolida bona diſcernant*, ait ſanctus Proſper, *Tales Dominus in Euangelio fieri præcepit.* Quò etiam referri poteſt quod ab ipſo Domino dictum, tradiderunt antiqui: *Eſtote boni Trapezitæ*, id eſt, prudentes in delectu bonorum. Itemque illud Apoſtoli, *omnia probate, quod bonum eſt tenete*: Et rurſum: *Hoc oro, vt Charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu, vt probetis potiora.*

Matth. 10. *l. 3. de Contempt. c. 29.* *Caſſ. Coll. 1. c. 20. & Coll. 2. c. 9.* *1. Theſſ. 5.* *Phil. 1.*

II. PVNCTVM.

SED *humana Gloria minus eſt bonum quam fides Diuina, quæ periret niſi periret humana ſeu vana gloria.*

Ne quidem bonum eſt vana illa Gloria cùm ſit peccatum, vt expreſſe ait ſanctus Thomas ex Diuo Auguſtino: Et ſuper temporalia quæuis mala ſit grauius malum. Sed eſto, ſit aliquod ſenſibile bonum; At quis Chriſtianus comparet illud bonum cùm fide Diuina, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, vt ait Apoſtolus, *ſine qua nihil ſanctum, nihil caſtum, nihil viuum*, vt ait ſanctus Leo, & de qua vt alios omittam, ſic apte ſanctus Ambroſius: *O theſauris omnibus opulentior Fides! ô virtutibus corporis omnibus Fides fortior! ô medicis omnibus ſalutarior!* Et tu huic tam excellenti bono compares neſcio quas gloriolæ blanditias! ô probrum!

2. 2. q. 132. a. 1. *5. Ciuit. 13.* *Hebr. 11.* *De Nat. Chr. Ser. 4.* *l. 3. de Virg.*

Quòd autem periret Fides niſi periret vana gloria ſeu inordinatus vanæ gloriæ appetitus, multis modis explicari poteſt. Primò cùm Chriſtus multa dixerit contra id quod vano illo gloriæ appetitu appetunt homines: ne hi manifeſtè videantur ſe Chriſti dictis opponere, malunt illa ſenſu alio & peruerſo interpretari quàm quo reuera Chriſtus dixit, & quo facile crederent niſi vana retraherentur gloria. Quod nempe Chriſtus dixit: *Væ vobis diuitibus! Væ cùm benedixerint vobis homines! Væ vobis qui diligitis primas cathedras & ſalutationes in foro!* Non credunt vani ſeu mundani homines: Non credunt ſe propterea miſeros ſicut dicit Chriſtus: imo ſe crederent miſeros niſi ſalutarentur: & non aliter amant *Luc. 6.*

Pſ. 143. benedici & ſalutari quàm quia ſe propterea beatos putant. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Nonne ſic igitur periret fides contra hos ſaltem articulos qui de mundo ſiue de mundi vanitate proponuntur? At quis neſcit, vno pereunte articulo, totam perire fidem?

Deinde verò de aliis articulis fidei non minùs dici poteſt quod à vana pereunt gloria, quàm qui vanam ipſam ſpectant gloriam. Nam vanus & ſuperbus ita de ſe præſumit, vt ſe poſſe putet intelligere quæ ſimpliciter credenda eſſent; vel niſi ea intelligat, non ſe putet debere credere. Qua mentis præſumptione quid pernicioſius noſtræ fidei, quæ niſi omnem captiuet intellectum, ipſa captiuatur: & *Veritas Dei*, vt loquitur Apoſtolum, *in injuſtitia* Rom. 1. *detinetur*, & tandem perit.

Quod naturali quidem conſequentia ſic neceſſe eſt euenire cùm vnum ita repugnet alteri, vt ſe inuicem ſimul ferre non poſſint: ſed & ſupernaturali ac Diuina inſuper Prouidentia ſic agitur, vt cùm Deus ſuperbis maxime reſiſtat, atque illos tùm præſertim humiliet & caſtiget quando curioſiùs res Diuinas inueſtigant: non aliter frequentius illos puniat quàm permittendo vt non modò non intelligant quod præſumunt, ſed variis circa hoc implicentur erroribus; ſicut aperte monet Apoſtolus: *Ideo mittet illis Deus* 2. Theſſ. 2. *operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati ſed conſenſerunt iniquitati:* Suæ ſcilicet vanitati qua iniquè præſumebant ſe de rebus fidei velle cognoſcere.

Denique cùm dicatur mori & perire Fides, niſi ad actum reuocetur, quando eius exercendi neceſſitas ſeſe offert: quis non videt quàm crebro neceſſe ſit vnumquemque Chriſtianum multos fidei actus palam exercere quos tamen profiteri pudebit, niſi vana pereat gloria, niſi deriſum potius quam plauſum, niſi potius ignominiam quàm gloriam, ſit paratus à mundo accipere. Si nempe condonandum eſt proximo, ſi ferendæ injuriæ, ſi toleranda probra, ſi cedendum inferioribus, ſi vincendum in bono malum, Nonne hæc Chriſtiana Fides commendat? At nonne hæc vana mundi reprobat gloria? Quid hîc igitur agat mundanæ huius mancipium gloriæ, quando fidei declarandæ non declinanda occurrit neceſſitas? Nonne ſi deſiſtas agere quod tunc agendum Fides docet, licet fidem ore teneas, opere tamen perdis, quando vel aliquid oppoſitum poſitiuè quod vocant operaris, vel negatiuè

Digitized by Google

tantùm, non id agendo quod Fides exigebat? Nonne ſic expreſſè ſanctus ait Iacobus: *ſic & Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Quaſi cadauer exanime, dicebat S. Bernardus; corpus eſt, ſed mortuum, & mortuum corpus non modo non eſt homo, ſed nec penè corpus. *Hæc eſt gens*, inquit Propheta, *quæ non audiuit vocem Domini Dei ſui; nec recepit diſciplinam: perijt Fides, & ablata eſt de ore eorum.* Id eſt, fidem quidem receperat & ore fatebatur, ſed cùm ad diſciplinam ſiue ad opus ventum eſt, perinde ſe geſſit ac ſi fidem non habuiſſet, ſic fides perijt & ablata eſt de ore eorum; ore confitentur, factis autem negant. *Iac. 5.* *Serm. 24. in Cant.* *Ier. 7.*

III. PVNCTVM.

N*E Diuina igitur pereat fides, pereat potius humana gloria:* Quamquam nec ipſa peribit gloria, quia nihil eſt glorioſius quàm conſtanter ſuam ſeruare fidem, ſed pereat inordinatus ille appetitus gloriæ qui ſic animam occupat vt nullum Diuinæ fidei locum relinquat. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum: in gladio pereant: paruuli eorum elidantur.* Quaſi diceretur, ſi aliter perire non poteſt praua illa mundi affectio quàm pugnando, certe pugnetur, & in ipſis primis motibus & cogitationibus elidatur: *Nam hæc eſt victoria quæ vincit mundum Fides noſtra.* Et hi ſunt qui triumphant in cœlis, *Qui fidem ſuam numquam mutauerunt ab eo.* *Oſeæ 14.* *1. Ioan. 5.* *Tob. 12.*

In hoc itaque prælio ſtandum & perſiſtendum acriter, *In omnibus ſumendo ſcutum fidei. SCVTO circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die. LEVITER volat*, inquit ſanctus Bernardus, *leuiter penetrat, ſed dico tibi, non leue infligit vulnus, cito interficit. Nimirum ſagitta hæc vana gloria eſt. Qui feruentiores eſſe videntur, ipſi paucant, ipſi ſibi caueant in hac parte: nihilominus adhuc ſoliciti non deſerere ſcutum inexpugnabile Veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati?* *Epheſ. 6.* *Pſal. 90.* *Serm. 6. in Pſ. Qui habitat.*

Sic ille pluribus, quorum ſumma eſt, vt obuias illas & familiares quæ occurrunt ex Scripturis Veritates ſemper paratas habeamus quibus vanitatem expugnemus: Atque in ipſo pugnæ procinctu Verba Scripturæ pronuntiantes, exerceamus actum fidei, vt per fidem cedat Vanitas ne per Vanitatem cedat Fides. *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas, & caſſa ſolicitudo mentis.* *Eccl. 1.*

Digitized by Google

1. Reg. 12. *NOLITE declinare poſt vana quæ non proderunt vobis, neque eruent*
Ier. 10. *vos quia vana ſunt. VANA ſunt & opus riſu dignum, in tempore vi-*
Pr 30. *ſitationis ſuæ peribunt. VANITATEM & verba mendacia longe fac*
Pſ. 40. *me. Odiſti obſeruantes Vanitates ſuperuacuè.* Pluſquam vana & vacua talis eſt obſeruatio, quia non modo nihil prodeſt ad gloriam, ſed & multum obeſt. Vide in 2. parte, Sabbato Hebdom. Septuageſimæ.

DOMINICA
DECIMA TERTIA.

DE DECEM LEPROSIS MVNDATIS A DOMINO, QVORVM VNVS DVNTAXAT ACCEPTVM AGNOVIT BENEFICIVM.

Nonne decem mundati ſunt? Et nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Luc. 17.

VERITAS PRACTICA.

Verè paucorum eſt vera Gratitudo.

RATIO EST, Quia vera Gratitudo ea eſt quæ refert vſum accepti beneficij in vnum Deum.

Sed paucorum eſt, ſic vſum referre beneficij in vnum Deum. Ergo & paucorum eſt vera Gratitudo. Ac verendum magnopere ne tu inter multos ingratus potius, quam inter paucos gratus cenſearis.

I. PVNCTVM.

EVANGELII hodierni narratio plana eſt. *Occurrerunt Domino decem viri leproſi qui ſteterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes; IESV, præceptor, miſerere noſtri. Quos vt vidit, dixit, Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Reſpondens autem IESVS, dixit: Nonne decem mundati ſunt? Et nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi, Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.*

Hæc ſanctus Lucas, ex quibus ſingillatim expenſis, multa poſſent ad praxim vel nondum declarata formari: vel iam propoſita repræſentari.

1. In lepra fœditatem peccati agnoſce, & vide ſupra in Appendice ad Miſſiones.

2. Cum ſit verò lepra proprij conſilij & propriæ voluntatis; Vide in 2. parte, Sabbato Hebdom. 2. poſt Paſcha, & Feria 5. quæ eſt Octaua Aſcenſionis.

3. Statim vt leproſi occurrunt Domino, leuant ad ipſum vocem ſuam, nec differunt. Sic captanda virtutis occaſio, multumque cauenda dilatio. Vide in 1. parte, Feria 2. Hebdom. 4. in Aduentu. Die 5. Ianuarij. Feria 2. Hebdomadæ 4. poſt Epiph. Et in 2. parte, Fer. 2. Hebdom. 2. in Qudrageſima.

4. *IESV præceptor, miſerere noſtri.* Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. 2. Tim. 2. Vide in 1. parte, In die Circumciſionis Domini.

5. *IESV præceptor.* Quæ ſint eius præcepta, qui Decalogus & quam malè ſeruatus. In hac 3. parte, In die Transfigurationis Domini.

Digitized by Google

6. *Miſerere noſtri.* Satis id multi clamant, ſed pauci ex animo; Rara eſt admodum Contritio, veráque pœnitentia. Vide in 1. parte, Dominica 4. Aduentus, & in Appendice ad Miſſiones.

7. *Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Hoc ipſum iam dixerat vni leproſo, *Vade, oſtende te Sacerdoti.* In 1. parte, Dominica 3. poſt Epiph. & tota ſequenti Hebdomada, vbi notantur ſex capita de quibus vnicuique expedit ſæpe adire Sacerdotem vel Directorem. Vide & frequenter vtere, ſunt enim ad dirigendam Conſcientiam peropportuna, ſiue vt declinet à malo, ſiue vt faciet bonum.

8. *Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Quàm ſit præſtans Obedientia quæ dicitur Charitatis. In 1. parte, Feria 6. Hebdom. 4. poſt Epiphan. Et in 3. in fine vbi agitur de voto Obedientiæ. Quo magis Chriſto ſubjicimur, eo magis erigimur. In 2. parte, Feria 3. Quinquageſimæ.

9. *Vnus autem vt vidit quia mundatus eſt.* Non ita liquet de peccatis remiſſis, nec propterea tamẽ habẽda eſt ſolicitudo anxia & ſcrupuloſa, ſed neque rationabilis deponenda. In 1. parte, Fer. 3. Hebd. 4.

10. *Nonne decem mundati ſunt, &c.* De vera Gratitudine quæ non minus modò paucorum eſt, quàm tunc fuit vnius tantum ex decem viris mundatis. Quod quia mirum eſt & non minus damnoſum quàm probroſum, idcirco ſingularis hæc proponitur Veritas: &

Ratio eius quæ affertur non ita forte trita eſt & obuia, proindeque plurima conſideratione indiget vt benè intelligatur quid ſit vera Gratitudo, neque enim in verbis ſita eſt, nec in affectu ſolo ſenſibili, aut in tali ratione beneficij ad Deum qua frequenter dicimus nos tale ab eo accepiſſe beneficium, nos illi valde eſſe obſtrictos, plurimaſque reddimus gratias. Non hic inquam ſiſtit Gratitudo, ſed in ipſo Beneficij & acceptæ gratiæ vſu ſecundum Deum, id eſt, eo modo, eo fine, eo loco & tempore, quo putamus Deum velle nos vti ſuo beneficio, nihil aliud penitus attendentes quàm illam eius ordinationem, & voluntatem, vt ſicut eum agnoſcimus Authorem Gratiæ, Ita & Finem eiuſdem, actu & effectu purè agnoſcamus. *Qui manducat*, inquit Apoſtolus: *Domino manducat; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim noſtrum ſibi viuit.* Rom. 14.
Quaſi diceret, hoc eſt verè gratias Deo agere ſi manduces vel

Digitized by Google

non manduces propter Deum: quia reuera non aliter viuere debemus, neque alio nobis fine ſua dona largitur Deus, quam vt ipſi ſeruiamus & viuamus.

Quod confirmans Idem Apoſtolus, *In omnibus*, ait, *gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto IESV.* Id eſt, ſic vult Deus agnoſci ſua beneficia, vt ſicut in omnibus Eum Benefactorem habemus, ita & in omnibus gratias reddamus. Sed quomodo in omnibus, niſi omnia referendo ad ipſum? Quod & alibi ſic apertiùs exprimit: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine D. N. IESV Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum:* Siue vt ait Pſaltes, *In idipſum*, id eſt, in illud ipſum propter quod collatum eſt beneficium. 1. Theſſ. 5. Coloſſ. 3. Pſ. 35.

Et certe, quantumcumque de accepto beneficio Deum laudaremus, ſi beneficio abuteremur ad eum offendendum, nonne ingrati eſſemus? Si quis autem non refert vſum beneficij ad Deum, Deum offendit quia ſic habet alium finem præter Deum, qua inordinatione finis & deprauatione intentionis, non poteſt non offendi Deus, vnde eſt illud Pſalmi, *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.* Id eſt, dum mihi bene non faciunt, male faciunt. Et hic eſt primus Ingratitudinis gradus, ait ſanctus Thomas. Alioquin ille Pharizæus qui dicebat, *Deus, gratias tibi ago quod non ſum ſicut cæteri hominum*, Et quæ alia ſuperbe effutiit, Gratus fuiſſet & Gratitudinis quoddam exemplar ediſſet; quis hoc tamen dicat? Cur porro potius ingratus cenſendus eſt quàm gratus, niſi quia gratias ſuas non referebat ad Deum; referebat quidem beneficium ſed non beneficij vſum; fatebatur Deum authorem bonorum ſuorum operum, ſed non eorum finem. Non propter Deum opera illa fecerat, nec propter Deum agnoſcebat ſe accepiſſe gratiam vt opera illa faceret, atque idcirco non erat verè gratus. 2. 2. q. 107. Luc. 18.

Denique videndus eſt noſter Samaritanus qui non modo gratias verbo reddebat, ſed *procidens in faciem ſuam*, & ſe totum aduoluens pedibus Benefactoris ſui, ita vult ei adhærere, vt non prius ab eo diſcedat quin iubeatur abire, & quocumque tandem eat, non ibit niſi iuſſus, nihil faciet niſi iuſſus, & propter eum qui iuſſit, ſicque non modo Eum agnoſcet authorem ſanitatis & vitæ, ſed ad Illum, & ſanitatem & vitam ſuam referet. Hoc eſt eſſe Gratum. *O Domine, quia ego ſeruus tuus ſum, ego ſeruus tuus* Pſ. 115.

Digitized by Google

& filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Nempe meipſum in hoſtiam & in laudem tuam.

II. PVNCTVM.

SED *paucorum eſt, ſic vſum beneficij referre in vnum Deum.* Nam ad hanc puram relationem oportet eſſe affectibus ſuis puros; quod certe paucorum eſt: Quando enim nimis afficimur erga creatum aliquid; ſicut dolemus quando non illud poſſidemus, ſic quando re cupita fruimur, amor gaudium, & alij humani affectus ita rem ad nos attrahunt & referunt, vt vix de relatione ad Deum cogitemus; ſatis nobis eſſe putamus ſi quod

Iſ. 1. erat in deſiderio atque in ſpe, poſſideamus; *Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit: & po-*

Ier. 2. *pulus meus non intellexit! AMBVLAVERVNT poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & non dixerunt, vbi eſt Dominus qui aſcendere nos fecit de terra Aegypti!*

In hoc enim ſitus eſt amor concupiſcentiæ, vt ad nos rem concupitam deferamus, propter nos illam amemus: Nos in ea diligamus. Amor autem Amicitiæ amat amicum propter ipſum, amat Deum propter Deum, hæc eſt vtriuſque amoris differentia; Et licet non ſemper malus ſit amor concupiſcentiæ, nec malum ſit, amore noſtri ordinato beatitudinem æternam concupiſcere vel gratias quæ nos ad illam ducant; In multis tamen talis amor valde imperfectus & vitioſus eſt, Nempe qui ſanitatem tantum optet vt bene valeat, qui donum orationis tantum deſideret vt commodius oret; iſti affectus non ſunt ſatis puri, & quia non ſatis puri ſunt, nos in nobiſipſis ſiſtunt: nec vltra tendunt in Deum; & quia non vltra tendunt in Deum, non ſunt ſatis puri.

Iſta enim duo ſeſe inuicem conſequuntur, ac proinde veriſſimum eſt quod ad hanc puram relationem vſus beneficij, oportet eſſe affectibus ſuis puros, & vnius Dei gloriam quærere. *Appro-*

Iac. 4. *pinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores.*

Phil. 2. *Purificate corda duplices animo.* Quam pauci vero tales! *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt IESV Chriſti.* Vnde paucorum certe eſt, ſic vſum beneficij referre in vnum Deum. Neque aliter ipſi nouem Leproſi non redierunt atque ingrati fuerunt, quam quia ſic ſanitatem amabant vt cum ſe viderent ſanos, tum quaſi obtinuiſſent

Digitized by Google

obtinuiſſent quod vnum optabant, conquieuerunt, nec aliud cogitarunt. O peruerſum noſtri amorem qui ſic peruertit amandi ordinem vt dona pluſquam Datorem amet.

III. PVNCTVM.

V*ERE igitur paucorum eſt vera Gratitudo:* Nam paucorum eſt vera cordis & affectuum puritas, cuius defectu non refertur vſus accepti beneficij ad vnum Deum, in qua ſola vſus relatione ſita eſt vera Gratitudo: Vt è contra Ingratitudo, quando beneficium aliter vſurpatur: quia Deum priuat ſua gloria, ſua laude, ſuo fine, ſuoque merito. *Ego dedi eis frumentum & vinum & oleum, & argentum multiplicaui eis & aurum quæ fecerunt Baal. ARGENTVM ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola vt interirent.* Quod confirmatur ex his Apoſtoli verbis, *In nouiſſimis diebus*, inquit, *erunt homines ſeipſos amantes, ſuperbi, elati, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti*; Quæ ſunt omnia vitia oppoſita Gratitudini ab vna eademque radice prodeuntia, quæ eſt inordinatus ſui amor. Hic nempe vt dictum eſt omnia ad ſe attrahit, & quidquid ore dicatur, contradicit opere, & non eſt ex multis qui redeat & det gloriam Deo niſi vnus aut alter.

Oſee 2. *Ibid. 8.* *2. Tim. 3.*

Expende iterum illa Chriſti verba, *Qui redeat & reddat gloriam Deo.* Nam vt flumina fluunt ad mare vnde veniunt, ſic beneficia ad fontem ſuum redire debent: & vt gloria non datur tantùm verbo, ſed magis opere, ſic non ille gloriam accepti beneficij dabit Deo qui dicet tantùm ſe ab eo accepiſſe beneficium, niſi etiam omnem ex vſu beneficij referat gloriam; alioquin quæ Dei gloria, ſi tantùm agnoſcatur Author beneficij, vt ab Illo proueniat: ſed non finis vt ad ipſum Authorem referatur? Non eſt diuidenda Dei Gloria ſed vni Deo relinquenda, *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo*. *Iſ. 42.*

Eſt aliud in beneficio præter laudem & Gloriam, quod tibi facile concedet Deus, nempe meritum & merces; ſed ſi Gloriam boni operis quam ſibi reſeruat præripuere volueris, tum eius merito & fructu priuabere. *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* *Matth. 6.* Qua de re ſupra fuſius.

Iam vero reflecte diſcurſum in teipſum, & vide an ita Deum purè quæras in omnibus acceptis Gratiis, vt nihil de tuo honore

cogites ? Hinc iudica de tua Gratitudine vel Ingratitudine. Nolles Ingratus dici; Nam *omne vitium dixit qui dixit Ingratum* : Sed ſiue dicaris vel non, ſi reuera fueris coram Deo ingratus, nonne te idem probrum manet, ac ſi diceteris ? At vero niſi cuncta pure & ſincere ad illum referas, nonne hæc eſt Ingratitudo quam hodie didiciſti ? Vides ergo quanta te maneat obligatio purificandi ſemper affectus, ne intentio corrumpatur & Gratitudo violetur ? Hoc ſit propoſitum tuum : *Ego autem ad Dominum aſpiciam : expectabo Deum Saluatorem meum.* Vide in 1. parte, Feria 3. Hebdom. 5. poſt Epiphan. In 2. Feria 5. Septuageſimæ: In 3. Feria 2. Hebdom. 2. *Mich. 7.*

Ad Sacramentum vnde Virtutes exeunt, reuertuntur, vt iterum fluant.

HAC HEBDOMADA, cùm à Iudæa Dominus tranſiſſet in Galilæam, adduxit Diſcipulos ſuos in deſertum, quò ſtatim conuenit multitudo multorum millium quos ex triduano ieiunio feſſos pauit, multiplicatis quinque panibus & piſcibus; tum Diuino illos Sermone inſtruxit qui habetur Ioannis ſexto, de Sacramento ſui Corporis, cuius Figura quædam fuit, antecedens panum multiplicatio.

FERIA SECVNDA.

DE SECESSV DOMINI ET DISCIPVLORVM EIVS IN DESERTVM.

Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Marci 6.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Chriſto non ſeruit, qui Chriſto quidem laborat, ſibi verò quieſcit.

RATIO EST, Quia Chriſto non ſeruit qui debitam ei ſeruitutis partem ſubtrahit.

Sed qui Chriſto quidem laborat, ſibi vero quieſcit, debitam ei ſeruitutis partem ſubtrahit.

Ergo is Chriſto non ſeruit. Quod cùm ſit valde pudendum & damnoſum, audiendus Chriſtus Dominus vocans ad quietem ſicut ad laborem, vnde nec minus quieſcendum propter Chriſtum, quàm laborandum.

I. PVNCTVM.

FATIGATOS ex longo itinere Diſcipulos, ſeu variis iteratarum ſæpe Miſſionum laboribus fractos, cùm Dominus paululùm recreare vellet, *Venite*, inquit, *ſeorſum, in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim*, vt *Marci 6.* addit Euangeliſta, *qui veniebant & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant.* O fœlix pro Chriſto labor! O fœlix cum Chriſto quies! Quieſce tantiſper in illo affectu: Tum vide accuratius, quomodo Ille ipſe qui Operarios ſuos ad opus & laborem vocat, reuocat ad quietem: neque hi aliter requieſcunt quàm vt laborarunt, nempe non aliter laborarunt quam vocati ſeu Miſſi ad opus & laborem, neque etiam ab opere & labore ceſſant niſi reuocati, niſi iuſſi vt quieſcant. O Illuſtre documentum quo diſcamus quid ſit ſeruire Chriſto! Multi enim putant ſatis eſſe ſi quas horas impendant in eius obſequium vel orando, vel ſtudendo, vel cuiuis demum ſuo vacando muneri: tùm verò pòſt ſibi viuant, ſibi manducent, ſibi relaxent animum, ſibi otientur, ſibi quieſcant, & vno verbo quidquid vitæ degendæ ſupereſt, prout velint tranſigant, & quidquid velint, ſui gratia velint & agant.

Sed errant profectò grauiter: & contra hunc errorem ſtatuitur

Digitized by Google

propoſita Veritas, *Quod is Chriſto non ſeruit qui Chriſto quidem laborat, ſibi autem ita quieſcit, quaſi quieſcendo & relaxando animum non ita ſpectandus eſſet Chriſtus ſicut laborando.* Non eſt hoc ſeruire Chriſto, non eſt ſeruire Domino ſuo ſi debitam ei ſeruitutis partem detrahas, quam nullo modo vellet ſibi detrahi. Sicut enim peccarent Domini qui debita mercedis parte ſeruos deſraudarent, ſic plane peccant ſerui, ſi debitam Dominis denegent ſeruitutis partem. *Colοſſ. 3.* *Serui, obedite per omnia Dominis carnalibus*; Vide vt nihil excludit Apoſtolus, qui & rurſum expreſſius; *Titi. 2.* *Seruos*, inquit, *Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non FRAVDANTES, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Quæ ſi Dominis carnalibus præſtanda ſunt, quanto magis Chriſto, qui tale ius habet in vniuerſam vitam noſtram, vt Ipſe de iure ſuo non poſſit remittere, nec te ita debito ſeruitutis eximere vt aliquam vitæ partem non illi debeas, ac niſi reddas, fraudis factæ reus exiſtas.

Et certe, ſi Apoſtolus proponit ſeruitutem quam debemus Chriſto in exemplar ſeruitutis quæ debetur hominibus, velitque *Epheſ. 6.* *per omnia ſeruos obedire ſuis Dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſeruos Chriſti*; Nonne conſequens eſt, ſic ipſi Chriſto plene atque vniuerſim ſeruiendum eſſe, nulla vt debitæ ſeruitutis pars deſit? Alioquin quomodo inde concluderet, ſic Dominis ſeruiendum in omnibus ſicut Chriſto, niſi ſic Chriſto ſeruiendum eſſet in omnibus? *Luc. 12.* *Ille ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Cur porro niſi quia non ſeruit Domino? Cur vero non ſeruit Domino, niſi quia debitam ei ſeruitutis ſuæ partem negat & ſubtrahit? O infidum ſeruum, qui cum ſubtractos homines à ſeruitute ſui Domini deberet in officium reuocare: ſe inde etiam, malignè ſubripit, & malignitatis ſuæ iuſtas obtendit cauſas!

II. PVNCTVM.

SED *qui Chriſto quidem laborat, ſibi verò requieſcit; ſic debitam ei ſeruitutis partem ſubtrahit.*

Nam cum illa requies & relaxatio animi ſit pars quædam vitæ, vitam autem debeat omnino integram & nulla ex parte deficientem in eius ſeruitutem, profecto tantum demit debitæ ſeruitutis,

Digitized by Google

quantum demit vitæ. Aut neget Chriſtianus debere ſe totam vitam Chriſto, aut fateatur ſe quod debet non reddere, ſi tollit illam vitæ partem quam ſibi ſoli applicat. *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno. VT qui viuunt, iam non ſibi viuant*, ait Apoſtolus; Quod vt apertius videas, inquire apud temetipſum cur laboret ille ſeruus Chriſto, qui laborem illi ſuum non negat? Cur Chriſto ſeruit ex illa vitæ parte quæ laborando conſumitur? Dicat aliquam cauſam, appellet aliquem Titulum quo ſe putet obligatum ad illam ſuæ ſeruitutis partem quam concedit. An quia Chriſtus eſt Dominus? An quia Redemptor noſter? An quia Iudex & Retributor futurus? Dic, dimidiate Chriſti ſerue, dic quod voles Nomen quod inferre tibi videatur aliquod ſeruitutis obſequium; niſi videatur totius vitæ inferre ſeruitutem, ſanctum illud nomen blaſphemabis, tantumque illi detrahes dignitatis & meriti, quantum de ſeruitio putabis detrahendum. Cum enim tale ſit Nomen vt quantus quantus es, totum te Chriſto addicat: Tu qui partem tui tantùm inde concedis, & negas aliam; nonne negas ſancto Nomini quod debetur? Nonne ius Chriſti proſcindis? Nonne imperium contrahis? Nonne Dominium conculcas? Nonne id denique reipſa dicis quod ſolus auſit proferre impius, *Quis eſt omnipotens, vt ex illa parte ſeruiamus ei?* O intolerandam audaciam. 1. Cor. 6. 2. Cor. 5. Iob. 21.

Addi poſſet quod alibi monſtratum eſt, illam vitæ partem qua ceſſatur à labore, tantò magis deberi Chriſto quanto eſt carior, & quanto eſt euidentius periculum ne cum ſibi quis viuit & non Chriſto, ſolutius viuat & liberius peccet. O quanta tùm linguæ libertas! ô quanta tum peccandi procliuitas? *In 1. parte, die 4. Ianuarij.*

III. PVNCTVM.

NON *ſeruit igitur Chriſto qui laborat quidem Chriſto, ſibi vero requieſcit*; Quia dum ſibi requieſcit, ſe ita ſubtrahit Chriſto ſicut ſi ſibi laboraret: cùm æque illi debeat quietem, ac laborem: cùm illi æque debeat illam vitæ partem qua quieſcit, atque illam qua laborat: cum illi æque debeat illum vitæ actum quo loquitur, atque illum quo ſilet: cum illi denique ſe totum debeat, ex quo toto quantum deducit, tantum de ſeruitute deducit, tantoque verius dicendum de illo eſt quod Chriſto non ſeruit. *Huiuſ-* Rom. 16.

Digitized by Google

cemodi Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, ſuæ libidini, ſuæ quam vocant recreationi & voluptati.

3. Reg. 18. Deut. 22. Leuit. 19. Eccli. 2. 2. Cor. 6. Math. 6. Apoc. 3. 2. Cor. 6.

Hoc eſt ſcilicet *claudicare in duas partes*; Hoc eſt *arare in boue ſimul & aſino*: Hoc eſt *veſte indui quæ ex duobus texta eſt*: Hoc eſt *agrum ſuum ſerere diuerſo ſemine*: Hoc eſt *duplicem eſſe corde, & duabus viis incedere*: Hoc eſt *ſociare lucem cum tenebris, & Chriſtum cum Belial*: Hoc eſt *ſeruire velle duobus Dominis*: Hoc eſt *neque calidum neque frigidum eſſe, ſed tepidum*. Quæ omnia in Scripturis reprobantur; contráque palam conceptis verbis edicitur: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.*

Luc. 17.

Times forte, ne nimis multa Deo præſtes! Inconſulte! Poſtquam feciſſes omnia, te nonniſi ſeruum inutilem profiteri deberes; qualem te vero dices cum aliqualem tantum partem reddideris? Vide in 1. parte, Die 4. Ian.

FERIA TERTIA.

DE QVINQVE HOMINVM MILLIBVS SATVRATIS, MVLTIPLICATIONE QVINQVE PANVM, QVAE FVIT FIGVRA SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Accepit IESVS *Panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Ioan. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quod præſertim ſpectat Chriſtus, non eſt quid ad ſe afferas, ſed quid à te auferas.

RATIO EST, Quia in acceſſu ad ſacram Menſam, de quo

Digitized by Google

hîc præcipue agitur, quod præſertim ſpectat Chriſtus, eſt puritas cordis.

Atqui ad puritatem cordis magis refert quid à te auferas, quàm quid ad Chriſtum afferas.

Ergo hoc ipſum eſt quod præſertim ſpectat Chriſtus, non quid ad ſe afferas, ſed quid à te auferas : Prauam ſcilicet cupiditatem qua Cor inficitur, & qua ſublata purum manet cum Gratia, & aptius diſpoſitum ad alias gratias recipiendas.

I. PVNCTVM.

DE hac panum multiplicatione, cæteriſque miraculo coniunctis circumſtantiis, iam ſemel atque iterum ſuprà tractatum eſt. Quod modo hîc proponitur conſiderandum referri debet ad vſum ſanctiſſimi Sacramenti cuius figura quædam fuit hæc panum multiplicatio. Sic enim quotidie Diuinus ille Panis multiplicatur, vt licet innumera hominum millia eo reficiantur, ſemper tamen ſuperſit quo refici poſſint : Et verò imprimis attendenda eſt illa hominum diſpoſitio qui multiplicatis à Chriſto panibus ſaturati ſunt. Vide vt omnes ſua omnia reliquerunt, vnum vt Chriſtum ſequerentur. Contemplare attentius vt omnes prædicanti attendunt, & loquenti ſic adhærent vt ſui penitus ſuorumque obliti nihil aliud curent, nil aliud cogitent. Iam triduo ieiuni permanent, nec vllus de cibo loquitur, nullus de diſceſſu verbum facit; nec timent famem, nec laborem metuunt, nec mortem reformidant. Tantum Chriſto fruantur, tantùm loquentem audiant, vel ſilentem videant, & ſibi ſatis eſſe profitentur. Non diſcedent niſi iuſſi vel dimiſſi, & morientur potius ad eius deuoluti pedes quàm ab illo dimitti petant. O præclarum exemplar procurandæ diſpoſitionis ad ſacram Menſam! Sic affectu reliquiſſe nos omnia oporteret ſicut illi effectu homines : ſic reficeremur Communicantes, & tam Diuina mentis ſaturitate repleremur, vt non aliquid nos reliquiſſe ſed mutaſſe in melius, tùm facile ſentiremus.

In 2. parte, Dom. 4. Quadrag. In 3. parte, Dom. 6. poſt Pentec.

Hunc in finem proponitur Veritas modo expendenda, Quod

ex multis quæ videntur facienda paranti ſe ad ſacrum Epulum, *Non tam poſitiuum aliquid Chriſtus ſpectat quod ad ſe afferas, quàm negatiuum, ne afferas: & quod à te prius tollas quam accedas.*

Ratio iam ſæpe potuit agitari, ſed quoties agitur de præparando corde ad orationem vel Communionem, nihil aliud inquirendum aptius & conuenientius quam ipſius cordis puritas & Matth. 5. munditia. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt:* Non tantum aliquando in gloria, ſed iam in gratia quam percipient tam vberem & copioſam, vt verè Deum præſentem ſentiant & quodammodo videant. Cum enim ſit idem Dominus hic recipiendus à nobis, qui nos in cœlo recipiet, ſicut vt ab eo recipiamur, maximè requiritur puritas & munditia, ſic vt eum recipiamus, eadem ſuo modo Puritas quæritur, quia velut pro eodem à nobis duci debet, & à Chriſto nos recipi, & nos Chriſtum reci- Pſ. 17. pere. *Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea,* dicendum cum Dauide quoties cum Chriſto nobis verſandum eſt, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſemper & vbique eſt Chriſtus, ſemper eſt Dominus, vbique ſanctus & ſanctitatis amantiſſimus, Leuit. 11. 1. Pet. 1. *Sancti eritis quia ego ſanctus ſum, dicit Dominus.*

Adde, quòd cùm ex ſe ſatis ſit propenſus ad conferendas gratias, dùm nihil ex parte noſtra obſit; hoc vnum maxime quærit nihil vt obſit, cumque aliud quod obſtet vehementius nihil ſit quàm impuritas cordis aut affectuum: Quid eſt quod illi iuſtius perſoluamus? Nonne tam ſæpe audis illum inclamantem, Iſ. 1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, & venite*; Quaſi diceret, nec aliter etiam venire audeatis. Nonne hoc tibi notum? Nonne hoc tibi videtur æquum? Ioan. 13. Nonne hoc timendum quod dixit Petro: *Si non lauero te, non habebis partem mecum?*

II. PVNCTVM.

ATQVI *ad puritatem cordis magis refert quid à te auferas, quam quid ad ipſum afferas.*

Afferendum quidem eſt Cor mundum quod petit, ſed Cor vt mundetur, non tantæ eſt poſitiuæ noſtræ operæ quàm negatiuæ. Nihil quicquam niſi cum Gratia poteris, ſed poteris cum ipſa facilius quæcumque dicuntur poſitiua, id eſt, actu ipſo præſtanda

vt

Digitized by Google

vt orare, confiteri, abſtinere & ſimilia, quàm non amare honorem, non timere contemptum, nulla re denique perperam affici; hæc ſunt ſcilicet negatiua quæ præ aliis difficiliora ſunt etiam cum pari gratia, & quæ minus proinde damus, in quibus tamen dandis tota conſiſtit puritas, quia hæc ſunt *quæ coinquinant hominem*, Hæc ſunt quæ dicuntur à nobis auferenda, hæc ſunt quæ magis refert auferre ad cordis puritatem, quia donec à corde auferantur, cor non erit purum; ſtatim autem atque ſublata fuerint, purificabitur. *Math. 15.*

Aufer rubiginem de argento & egredietur vas puriſſimum, ait Sapiens, *Si quis ſe emundauerit ab iſtis, erit vas in honorem, ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum*, inquit Apoſtolus, *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*, ait ipſe Dominus. Aufert ipſe quidem ſolus ab inuitis Iudæis quæ in templo vendebantur, ſed vult à te ſimul volente & lubente auferri quod in templo cordis tui profanum eſt & immundum. *Si abſtuleris de medio tui catenam.* O præclarè dictum! ſunt enim non modo concatenati cordis affectus, ſed cor ita ſuis ligatur affectibus, vt catena cordis ſit ipſe cordis affectus, neque aliter Cor ligari deſinat, quam deſinat prauè affici. *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes.* *Prou. 25. 2. Tim. 2. Ioan. 2. Iſ. 58. Ibid.*

III. PVNCTVM.

QVOD *ſpectat ergo præcipue Chriſtus Dominus, non tam eſt quid ad ſe afferas, quam quid à te auferas*, Quia in tuis illis prauis affectibus auferendis puritas cordis quam maximè quærit, ſita eſt; & Charitas tua major oſtenditur cùm quod in te eſt difficilius, tibique carius, non negas petenti Chriſto. Sic *Incorruptio facit eſſe proximum Deo*, Et ſic proximum eſſe Deo facit eſſe ſanctum, eſſe beatum, eſſe Diuinum. *Sap. 6.*

Hinc aptè Sapiens: *Qui mundus eſt, rectum eſt opus eius*, Quaſi diceret, rem totam perfecit, totum confecit negotium qui mundus eſſe cœpit. Vnde & Apoſtolus: *Has ergo habentes promiſſiones, cariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Arduum quidem opus; *ſed opus eſt etiam grande*, præparare animum recipiendo Chriſto. *Neque enim homini præparatur habitatio ſed Deo. Mundate domum* *Pr. 21. 2. Cor. 7. 1. Par. 29. 2. Par. 29.*

Digitized by Google

Domini, auferte omnem immunditiam de ſanctuario. Hoc videlicet cogitandum, nil minus agi quam de paranda domo Domini, quàm de ornando ſanctuario, & inſtruendo propitiatorio vbi veriſſime ſedeat Chriſtus Dominus.

Quod autem à te petitur, licet arduum & difficile ſentiatur, non eſt bonum aliquod quo te priues, ſed malum eſt quo te priuari bonum eſt & beatum. Aut certe ſi te putas dare aliquid, vide cui des, nempe Deo cui nihil vnquam perit datum; vnde aptiſſime Sapiens: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Hoc eſt videlicet honorare Dominum de noſtra ſubſtantia, quando pro illius honore naturales cordis affectus expurgamus; Tum vero Dominus ſeipſo nos ita reficit & ſaturat, vt quod iam dixi, non dediſſe ſed accepiſſe ſentiamus. Hinc & alius Sapiens, *Bono animo gloriam redde Deo. Da Altiſſimo ſecundum datum eius, quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi.* Nonne iam ſat multis nos præuenit? Nonne ſat multa in cœlo nobis reſeruat? Et quaſi nihil illa eſſent, quaſi nihil feciſſet, aut facturus eſſet: nunc in præſenti etiam multiplicanda ſpondet quæ ipſi vltrò dederimus: nec tamen excitamur ad id dandum quod poſtulat! Infida certè nimis humana corda.

Prou. 3.

Eccleſi. 35.

Vide Initio huius 3. partis.

FERIA QVARTA.

DE SVBMERSIONE PETRI AMBVLANTIS SVPER AQVAS.

Videns ventum validum, timuit; & cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens, Domine, ſaluum me fac. Matth. 14.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Res aduerſæ non poſſent quemquam dejicere, niſi ſe his priùs vellet ſubjicere.

RATIO EST, *Quia rebus aduerſis dejici nihil proprie eſt aliud quàm à virtute tùm exercenda reuocari ad vitium.*

Sed niſi homo vellet ſe rebus aduerſis ſubjicere, non eum poſſent à virtute ad vitium reuocare.

Ergo non poſſent quemquam dejicere, niſi ſe his prius vellet ſubjicere, & ſinere ſe in vitium trahi. Quod nimis probroſum eſt & cauendum.

I. PVNCTVM.

PROPE deſertum illud, vbi Chriſtus Dominus requieuit cum Diſcipulis & pauit turbas, erat quoddam fretum ſeu ſinus maris quà ducebatur Betſaidam & Capharnaum, quę erant ciuitates Galilææ, quóque venturus erat ipſe Dominus. Illuc verò præmiſit ſuos, *& iuſſit aſcendere in nauiculam & præcedere eum trans fretum donec dimitteret turbas. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare. Et videntes eum, turbati ſunt dicentes, quia Phantaſma eſt. Et præ timore clamauerunt, ſtatimque IESVS locutus eſt eis, dicens, Habete fiduciam, Ego ſum, nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit, Domine ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait, Veni. Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam vt veniret ad IESVM. Videns vero ventum validum timuit, & cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens, Domine ſaluum me fac. Et continuò IESVS extendens manum, apprehendit eum, & ait illi, Modicæ fidei quare dubitaſti?*

Hæc ſanctus Euangeliſta, quæ omnia quidem ſingulari ſunt conſideratione digniſſima, ſed imprimis quod vel Petrus ambulet ſuper aquas, vel ſubmergatur. Si enim ſubmergitur pondere

Digitized by Google

ſuo naturali, quomodo ante ambulabat? Aut ſi virtute Domini ambulabat, quomodo poſtea tam periculoſe ſubmergitur? Ratio expreſſa eſt in Textu: *Videns*, inquit, *ventum validum, timuit* & diffidit: Vnde illi Dominus, *Modicæ fidei, quare dubitaſti?*

En ergo cauſa ſubmerſionis Petri, non naturale pondus, non mare agitatum, non venti flantes; ſed inordinatus timor & diffidentia. *Non ventus periculum*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *ſed modica fides fecit.*

Sic plane nobiſcum agitur in Aduerſis de quibus tantopere querimur, Non ipſæ res nos deprimunt, ſed ipſi nos noſtra culpa deprimimus & nos mergimus. Quæ putamus eſſe rerum vitia, noſtra ſunt, & merè noſtra. *Neque enim res aduerſæ quemquam dejicere poſſent, niſi ſe prius illis vellet ſubjicere.* Quæ Veritas modo expendenda cùm iam ſupra ſæpius aliis expreſſa terminis declarata fuerit, nunc breuiter & facile ſic perſuadetur.

Rebus aduerſis dejici nihil eſt aliud quam non eſſe conſtantem, non eſſe patientem, vel humilem vel obedientem, vel denique non eam exercere virtutem quæ tùm exercenda eſſet Chriſtiano & Religioſo: Sed potius degenerare in vitium oppoſitum, vel murmurando, vel ſuperbiendo, vel impatientiæ verba, nimiæque triſtitiæ ſigna dando: quod eſt valde notandum. Nam non eſt proprie dejici, opprimi vel paupertate, vel calumnia, vel quauis demùm miſeria, cùm multi viri fortes ſic oppreſſi fuerint, neque tamen dejecti. Non eſt etiam angi tantiſper aut ita dolere & contriſtari vt qui patitur videatur dejectus: ſic enim plures etiam Sancti ſuis in aduerſis rebus, nonnihil doluerunt, *Et ſupra modum grauati ſumus*, ait Apoſtolus, quantum ad ſenſum ſeu ad dolorem ſenſibilem, quo videbantur quidem dejecti, ſed non ita verè & propriè, *Dejicimur*, inquit Idem, *ſed non perimus.* Quod antè ſic expoſuerat dicens, *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur.* Quaſi diceret, ſic aduerſis premimur & dolemus, vt tamen dolor non ſit vitioſus, non ſimus propterea impatientes, indignabundi, & murmurantes: ſed ſtamus in Domino; *Aeſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, ſed in omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.*

2. Cor. 1.

2. Cor. 4.

Rom. 8.

Hoc eſt non dejici, nam hoc eſt non reuocari à virtute in vitium. Cum è contra *qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Do-*

Iudith 8. 1. Cor. 10.

mini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, Hi vere dejecti ſunt, & proinde *exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt*, vt Scriptura ſæpe commemorat.

Numquid tu ex iſtis es? Et numquid quorum ſequeris culpam, timere debes pœnam?

II. PVNCTVM.

S*ED niſi homo vellet ſe rebus aduerſis ſubjicere, non eum poſſent à virtute in vitium reuocare.*

Intelligendum primò quid ſit, *ſe aduerſis ſubjicere:* nam id bono ſenſu poſſet dici & fieri, quo ſcilicet Sapiens dicit, *Collum veſtrum ſubjicite iugo.* Sed alius eſt ſui ſubjiciendi modus & ſenſus quo nempe idem ait, *Ne ſubjicias te omni homini pro peccato*, id eſt, ne te ita ſummittas & permittas cuiquam homini, vt ſi te ad peccandum vellet attrahere, conſentias potius quam reſiſtas. Peruerſa enim tùm eſſet ſummiſſio & ſubjectio. Sic itaque ſe aduerſis ſubjicere, perinde eſt ac ſe ita illis dimittere & ſe totum ſinere, nulla vt vi oppoſita renitaris & obſiſtas, ſicque frangaris animo, & in illa delabaris vitia quæ vere dejectum & miſerum hominem faciunt, vt ſupra dictum eſt. Eccleſi. 51. Ibid. 4.

Iam vero quod hîc proponitur, *niſi homo vellet ſic ſe abjicere & ſummitti aduerſis, non poſſent aduerſa quæuis illum à virtute in vitium auocare*, ſatis aperte patet: Manet enim ſemper homo liber & ſatis potens cum Gratia, vt ne totus quidem Infernus poſſit eum cogere ad peccandum ſi homo nolit. *Fidelis enim Deus eſt*, ait Apoſtolus, *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Et rurſum, *Ipſe enim dixit, non te deſeram, neque derelinquam, itaut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. FREMIT mundus, premit corpus, inſidiatur Diabolus, non cado*, inquit ſanctus Bernardus, id eſt non pecco, non ſum impatiens, *Fundatus enim ſum ſupra firmam petram.* Quæ certe Petra ſatis capax & potens eſt vt ſic ſuſtentet & firmet quoſuis homines ſi ſe illâ firmari velint; vnde ſi cadant, ſi peccent, ſi murmurent, non aliunde eſt quàm quia nolunt ad Petram recurrere: nolunt dare manum ſuſtentanti Chriſto, nolunt illi confidere, nolunt omnino pati, & cùm propterea tamen miſeriis ſuis non liberentur, malunt pati 1. Cor. 10. Heb. 13. Ioſ. 1. Pſ. 117. Serm. 61. in Cant.

Digitized by Google

ſine Chriſto quam cum Chriſto, malunt pati in peccato quam cum Virtute.

O miſeros impatientes, bis miſeros! miſeros in miſeriis, & miſeriores in peccatis! Quam verè Sapiens in Prouerbiis, *Qui impa-*
Pr. 19. *tiens eſt, ſuſtinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet.* Item-
Eccleſ. 3. que Eccleſiaſticus: *Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum.* Nonne te illius peccatoris miſeret! At nonne tu ille es peccator qui ſic addis malum tuis malis?

III. PVNCTVM.

RES *aduerſæ non poſſent igitur quemquam dejicere, niſi ſe his prius vellet ita ſubjicere, vt propterea virtutem dęſereret & in peccatum laberetur,* Quod eſt proprie rebus aduerſis dejici, ſed quod eſt etiam extra rerum omnium creatarum poteſtatem, quæ ſi vnâ omnes iungerentur, & ſuperæ & mediæ & inferæ, non poſſent hominem inuitum & nolentem inducere ad peccandum. Nemo enim inui-
Luc. 10. tus peccat. *Nihil vobis nocebit,* inquit Dominus. Tùm vero ſan-
1. Pet. 3. ctus Petrus: *Et quis eſt qui vobis noceat ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati. Timorem autem eo-*
Matth. 14. *rum ne timueritis, & non conturbemini. HABETE fiduciam: Ego ſum, nolite timere.* Sic Chriſtus dicebat Diſcipulis clamantibus, quod videntes hominem ambulantem ſupra mare, putabant eſſe Phantaſma ſeu ſpectrum.

Sic plane Chriſtus eſt in hoc turbulento caſu qui te vexat. Quod tu vocas incommodum, Phantaſma eſt & mera Imaginatio. Muta nomen & voca potius commodum quia Chriſtus eſt, Chriſti eſt
Eccleſ. 2. bonitas & prouidentia quæ te his ventis ad portum ducit. *Suſtine Suſtentationes Dei; conjungere Deo & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua.*

Contemplare attentius in Diſcipulis quam ſæpe audiuiſti Praxim virtutum quâ diſtinguntur quæ ſunt noſtræ poteſtatis, & quæ non ſunt. Vide vt laborant remigando, hoc enim poſſunt: ſed cùm flantem ventum non poſſint retardare, non hoc tentant, non id laborant. Sic tu ſemper in omni caſu vide quid poſſis, & in Domino
Ibid. effice. Quod minimè verò poſſis, acquieſce ſic volenti Deo. Si quid autem videris perdere. *Crede Deo & recuperabit te.* Vide in 1. parte, Dominica 4. poſt Epiphaniam.

Digitized by Google

FERIA QVINTA.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO VT EST PANIS VITAE.

Ego ſum Panis vitæ. Ioan. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quàm pretioſus eſt Panis vitæ, tanto in pretio eſſe deberet vita, cuius eſt Panis.

Vel ſic:

Quàm parum pretioſus tibi ſit Panis vitæ, apparet ex paruo pretio in quo illam habes vitam.

RATIO EST, *Quia finis & media ſic inter ſe conueniunt, vt ex vnius æſtimato pretio, colligatur & aliud.*

Sed Panis vitæ & vita ſpiritualis quam in paruo habes pretio, habent ſe per modum finis & medij.

Ergo quàm parùm pretioſus tibi ſit Panis vitæ apparet ex paruo pretio in quo illam habes vitam. Quod quia nefas eſt dictu, diſce tanti eſſe faciendam illam vitam, quanti ipſum Panem vitæ.

I. PVNCTVM.

CVM Dominus veniſſet Capharnaum, eò etiam conuenerunt Iudæi cùm ex illis ipſis multi qui in Deſerto paſti erant, tum ex aliis plurimi qui hoc miraculo fuerant excitati, atque eius videndi & alloquendi miro deſiderio

tenebantur, qui ſic ſuos aleret & foueret. Poſt aliquos ergo ſermones vltro citróque habitos, eò tandem Dominus orationem deuoluit vt occaſione panum quos pridie multiplicauerat in eorum conſpectu, de Pane Sacramentali ſeu de Sacramento Corporis & Sanguinis ſui ſub ſpecie Panis & vini relinquendo, fuſe diſſeruerit prout habetur capite ſexto ſancti Ioannis. Nos inde tria duntaxat in tres ſequentes dies deducemus, vnde ex frequenti huius ſanctiſſimi Sacramenti vſu diſcamus eſſe Spirituales, Cœleſtes & quos vocant Diuinos homines.

Ac primo quidem hodie ſpirituales in hæc Chriſti Domini Verba: *Ego ſum Panis vitæ*, Id eſt, vitæ ſpiritualis qua diſponimur ad beatam & æternam. Et quia in hoc maxime deficimus, quòd vitam illam in Praxi non ſatis æſtimemus, in id præcipue nobis incumbendum eſt, vt intelligamus quanti ſit à nobis facienda. Non poſſumus autem certiùs intelligere quam ex comparatione ipſius Panis & vitæ, quæ comparatio talis eſt vt quam pretioſus eſt Panis vitæ, tanto in pretio eſſe deberet vita cuius eſt Panis: ſeu quod idem eſt, Quàm parum pretioſus tibi ſit Panis vitæ, apparet ex paruo pretio in quo illam habes vitam.

Sic propoſita Veritas ſi attente conſideretur erit forte efficacior, cùm in id conſentire nimis refugiat animus vt parùm æſtimemus Panem illum qui Chriſtus Ipſe eſt. Etverò manifeſta eſt ratio quæ id conuincit: Quia videlicet tanta eſt colligatio finis & rei cuiuſlibet quæ propter illum finem facienda proponitur, vt quantum finis æſtimatur, tantùm res illa æſtimetur cuius æſtimatio tota deriuatur à fine. Vide quæ ſupra dicta ſunt de mediis ad finem: nam idem concludunt de fine ad media.

Proponatur duobus Viris idem labor ad honorem conſequendum, quis eorum putas laborabit impenſius? Nonne is certe qui honorem magis æſtimabit? Cur pro pecuniis tantus labor aſſumitur: pro virtute nullus? Quia plus pecuniæ æſtimantur quàm
Eccl. 10. Virtus. *Pecuniæ obediunt omnia*, inquit Sapiens. Cur Iſraelitæ noluerunt laborem illum aſſumere qui erat aſſumendus pro terra
Pſ. 105. Promiſſionis obtinenda? *Quia*, inquit Pſaltes, *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* Terra erat illis velut finis laboris, & quia finis ille parum ducebatur ab illis, ſic & labor neglectus eſt, quia ſi finis non æſtimatur, neque res ad finem ducens, vllo erit in
Luc. 16. pretio. *Sic filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua,*

Digitized by Google

ſua, quia filij ſæculi magis laborant pro ſæculo, quàm filij lucis pro cœlo. Cur porro ita, niſi quia ſæculum magis in Praxi à ſuis filiis, quam cœlum à ſuis æſtimatur.

O pudor humani generis! *Pudor eſt certe*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *ſic excitari ad virtutem ſicut ad pecuniam; quemadmodum Sapiens nos ita excitat dicens, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam: ſed quandoquidem eò deuenimus, ſi ſaltem vt pecuniam ſic ſapientiam & virtutem quæreremus! At proh dolor, longe minus hanc quærimus!* *Prov. 2.*

II. PVNCTVM.

SED *Panis vitæ, & vita hæc ſpiritualis quam in paruo habes pretio, habent ſe per modum finis & medij.*

Vita ſpiritualis eſt quidam veluti finis Panis vitæ, quia panis hic vitæ idcirco præcipuè inſtitutus eſt vt vitam ſpiritualem agamus. *Hæc vita noſtræ cauſa eſt*, inquit ſanctus Hilarius, *quod in nobis manentem per carnem, Chriſtum habemus.* Sic Tridentinum iam ſupra auditum, vbi de ratione ſeu fine eius inſtitutionis agitur: *Saluator noſter ſumi voluit Sacramentum hoc tamquam ſpiritualem animarum cibum quo alantur & confortentur viuentes vita illius qui dixit, qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Quid clarius? Quid expreſſius? Nam ſicut vita naturalis eſt finis illius panis quem propterea manducamus, ſic vita Spiritualis eſt finis illius quem idcirco comedimus. Non enim viuimus vt comedamus, ſed comedimus vt viuamus. Vnde & vna eademque petitione docemur eundem Panem petere: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Quaſi diceretur: da nobis vtrumque panem pro vtraque vita, naturali ſcilicet & ſupernaturali ſuſtentanda. Admirare, obſtupeſce; talem Panem miniſtratum, pro tali vita, pro tali fine! *Seſſ. 13. c. 2.* *Matth. 6.*

Quàm paruo autem in pretio vitam hanc habeas, niſi agnoſcas, tu teipſum planè ignoras, nam cùm hæc vita ſpiritualis tota ſit poſita in mortificatione interna qua ſenſitiuus Appetitus ſubjicitur Rationi & Ratio Deo, ſicut iam toties viſum eſt: an neſcis quàm parum huic mortificationi ſtudeas, quàm raro tibi contradicas ex vera virtute, quàm crebro & frequenter tibi tuis in rebus ſatisfactum velis? *Cùm ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Hæc ex multis nota certiſſima. *1. Cor. 3.*

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

QVAM parùm igitur tibi ſit pretioſus Panis vitæ, apparet ex paruo pretio in quo practicè vitam illam habes, cuius eſt panis & cuius eſt quoddam veluti medium, quo talis vita nutriatur, creſcat & roboretur. Sic enim dum finem parui ducis, profectò neceſſe eſt, vt quod eſt medium inſtitutum ad illum finem, parui facias. Nam licet alij ſint fines huius Sacramenti & ſacrificij, cùm tamen certum ſit etiam, vnum hunc ex primariis & præcipuis eſſe, vt vitam illam alat ſpiritualem, quis non videat contemptum huius vitæ ſpiritualis redundare in ſacrum Panem ex illa ſaltem parte & conſideratione qua eſt medium ad illum finem?

Iam verò parumne tibi videtur Chriſtum ex parte contemnere, niſi ex toto contemnas? *Quare calce abjeciſtis victimam meam?* (1. Reg. 2.) Id eſt, ex aliqua parte: Quod certe nimis inuiſum eſt & impium; vnde & alibi grauiſſime conquerens prouocat cœlum & terram ad hanc impietatem proclamandam.

(Iſ. 1.) *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus eſt: Filios enutriui & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me.* Licet nutrimentum illud eſſet eſca communis, ad vitam naturalem ſuſtentandam, tamen impium & ſceleratum eſſet filios, talem alumnum ſpernere, talem Patrem contemnere; quanto magis nefarium ſi eum ſpernas qui te ſuo Ipſe Corpore paſcit & nutrit! quanto id ſtupendum magis cœlo & terræ! Vrge te in hac cogitatione vehementius, nec à meditando ſurgas niſi ſerio ſtatueris te non modo in ſpeculatione vt dicitur, ſed in Praxi & reipſa tanti facturum ſpirituali modo viuere, quanti illud facis quod Chriſtus inſtituit vt illo ſpirituali modo viuas, alioquin *Iudicium tuum manducabis, non dijudicans corpus Domini*, (1. Cor. 11.) non dijudicans quo fine ſit inſtitutum Sacramentum.

Vide in 2. parte, Feria 6. Hebdom. 4. poſt Paſcha, vbi hæc exhibetur Veritas:

Quàm glorioſum eſt Sacramento, multa in nos poſſe, ſi velimus: tam ignominioſum eſt, pauca poſſe quòd nolimus.

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

DE SACRATISSIMO SACRAMENTO VT EST PANIS DE COELO.

Pater meus dat vobis Panem de cœlo verum.

Hic eſt Panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum Panis viuus qui de cœlo deſcendi.

Hic eſt Panis qui de cœlo deſcendit. Ioan. 6.

VERITAS PRACTICA.

Qui cœleſti pane ſic viuunt vt cœleſtes fiant, ita in ſuis viuunt corporibus, ſicut Cœlites in aſſumptis.

RATIO EST, Quia Cœlites ſic viuunt in aſſumptis corporibus, vt nullo corporis deprauentur motu.

Sed qui cœleſti pane ſic viuunt vt cœleſtes fiant, ſic nullo ſui corporis deprauantur motu.

Ergo ſic in ſuis viuunt corporibus ſicut Cœlites in aſſumptis. Quæ certe eſt excellentiſſima ſacræ Communionis Gratia, quam vtrum fructuoſe participes, patet ex hac nota, ſi ſinas corpus tuum ſuis deprauari motibus.

I. PVNCTVM.

AD declarationem Verborum Domini quibus ſe dicit, *Panem de cœlo verum*, ſufficeret illa ratio quam ſubjicit, *Quia de cœlo deſcendit*, Et qui de Ipſo manducauerit non ita moriatur quin per mortem in cœlo viuat. Sed præterea fructuoſè con-

Digitized by Google

ſiderari poteſt, idcirco etiam ſanctiſſimum Sacramentum ſic Panem de cœlo dici, quod qui frequenter illud & religioſe vſurpant ita quodammodo Cœleſtes fiant vt impleatur illud Apoſtoli: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.*

1. Cor. 15.

Sed qua nota, quò indicio hi agnoſcentur qui ſic fient cœleſtes? Nempe illo quod propoſita Veritate continetur, vt ſicut Cœlites in aſſumptis viuunt corporibus, Ita illi in ſuis, quantum humana pati poteſt conditio. Nihil enim aptius exprimit ſingularem illam gratiam quæ ex frequenti & religioſo Sacramenti refertur vſu, quàm quod dicitur de Angelis vel de aliis in cœlo reſidentibus quando hic apparent hominibus. Contemplare tantiſper Raphaelem Archangelum aut alium quemuis ex illis Beatis Spiritibus, cum hominibus conuerſantem. Aſſumpſit ſibi corpus aëreum, id eſt, ex aëre conflatum & compactum in quo ſic angelicè viuit vt nullo corporis deprauetur motu, quia reuera tale corpus non deprauatur ſicut mortale noſtrum corpus. Dico mortale, quia quando erit immortale & beatum poſt reſurrectionem, tum erit etiam Spiritale, incorruptum, glorioſum: ſicque iam tale eſt Chriſti Domini Corpus, ac Beatiſſimæ Virginis Matris, eorumque omnium qui forte reſurrexerint in æternam vitam: qui omnes quantumcumque hic nobiſcum agerent, ſic in ſuo viuerent corpore ſicut in cœlo viuunt, id eſt incorruptè, immaculatè, ſanctè ac beatè, quia ſemper beati eſſent, licet in cœlo non eſſent; & ſtatui beatorum repugnat poſſe corrumpi aut deprauari. *Caro & ſanguis*, inquit Apoſtolus, *regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit.*

1. Cor. 15.

O fœlicem illum ſtatum! ô beatam incorruptelam! ô incorruptam beatitudinem!

II. PVNCTVM.

SED *qui cœleſti Pane ſic viuunt vt cœleſtes fiant, ſic nullo ſui corporis deprauantur motu.*

Moueri quidem poſſunt aliquo deprauato motu, ſed ita leuiter aut ita repugnante ratione cum gratia, vt ipſi vix deprauentur: Sicut vnus pro omnibus profitetur Apoſtolus, qui licet adhuc

Rom. 7.

Digitized by Google

videret aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuantem ſe in lege peccati, Vnde exclamaret, *Infælix homo quis me liberabit de corpore mortis huius*, continuò tamen addit, *Gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.* Vnde & concludit: *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto IESV, qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto IESV liberauit me à lege peccati & mortis*; Id eſt, ab illo peccati fomite qui per conſenſum noſtrum nos occidit, ſed qui nihil nocet ſine conſenſu noſtro: Ne autem conſentiamus facit illa Chriſti gratia, quæ tam certo tam copioſe & abundanter in frequentato piè Sacramento ſolet hauriri, vt ſola eius quod receptum eſt cogitatio, teſte ſancto Chryſoſtomo, *Nobis omnium irrationabilium motuum poſſit eſſe correctio.* *Hom. 61.*

Multa ſanctorum Patrum in hanc dicta ſententiam vide ſuperius; & adde quod hic maximè proprium eſt, ſic perfectè adimpleri quod ait Apoſtolus, *ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: ſimul & reſurrectionis erimus.* Nam negando conſenſum prauis motibus, complantamur ſimilitudini mortis Chriſti, id eſt ſumus ei in morte ſimiles; nempe ſicut Ille in cruce eſt mortuus, ita & nos nobis morimur, crucifigentes veterem hominem: Tùm vero etiam ſimiles ſumus eius reſurrectionis, quatenus in corpore noſtro mortali viuimus ſicut in Immortali, ſicut in Incorrupto, & Glorioſo. Quodque alibi rurſum repetit: *Semper nos qui viuimus, in mortem tradimur propter IESVM: vt & vita IESV manifeſtetur in carne noſtra mortali, Ergo mors in nobis operatur*; Nempe operatur vitam illam reſurgentis IESV, vitam incorruptam, vitam nullo corporis deprauatam motu. Nam cùm ſic per Chriſti gratiam affecti ſimus vt inordinato nulli motui conſenſum velimus dare, ſtatus eſt quidam mortis qui operatur beatum illum ſtatum Reſurrectionis quo velut immortales & incorrupti dici poſſumus, vt in ſecunda parte demonſtratur. *In 1. & 2. Hebdomada huius 3. partis. Rom. 6. 2. Cor. 4. In Feriis Paſchalibus.*

O mihi ſic liceat mori, vt mihi ſic liceat viuere!

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo Cælites in aſſumptis viuunt corporibus, ita & qui cæleſti pane ſic viuunt vt cæleſtes fiant, ſic in ſuis licet corruptis &*

Digitized by Google

deprauatis corporibus incorrupti tamen & vix vllo deprauati viuunt motu, quia per communicationem Chriſti Corporis quod frequenter & ſtudioſe ſuſcipiunt, hanc recipiunt gratiam vt quod ait ſanctus Auguſtinus cum Apoſtolo, *Mortificent membra ſua quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, & alia, quando eis mente non conſentiunt, neque exhibent eis arma, corporis membra. Et quod eſt vigilantia majore Continentiæ curandum, ipſa etiam eorum cogitatio, ſi eorum quadam ſuggeſtione, & quaſi ſuſurratione tangatur, tamen ab eis ne oblectetur, auertitur.*

l. de Contin.

Vide quàm longe abſis à tali ſtatu! Vide quid inde te auocet, qua cura te præpares ad Sacram menſam, qua vigilantia tuis animi & corporis motibus reprimendis incumbas! *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis.*

2. Ioan.

SABBATO.

DE DIVINISSIMO SACRAMENTO

IN VETERI MANNA FIGVRATO.

Hic eſt Panis qui de cœlo deſcendit; Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc Panem, viuet in æternum. Ioan. 6.

VERITAS PRACTICA.

Qui oblatam expellit Sacramenti gratiam, qua Diuinus eſſe poſſit, non minus forte peccat quam qui olim manna repulerunt.

RATIO EST, Quia in hoc præcipue peccarunt Iſraelitæ nauſeantes manna, quod viliſſimos Aegypti cibos illi pretioſo cœleſti cibo quem offerebat Deus, anteferrent.

Digitized by Google

Sed qui oblatam expellit Sacramenti gratiam, qua Diuinus eſſe poſſit, mauult eſſe animalis quam Diuinus; & ſic viliſſimum animi ſtatum præfert digniſſimo quem offert Chriſtus.

Ergo non minus peccat quam qui olim manna repulerunt. Quod certe non eſt mediocriter formidandum.

I. PVNCTVM.

ANTIQVVM manna quod Iſraelitis quotidie de cœlo deſcendebat, ſic erat figura Diuiniſſimi Sacramenti, vt quæ Diuinitatis in Chriſto ſunt, magis repręſentaret quam humanitatis. Quòd enim manna *omne delectamentum in ſe haberet, & omnis ſaporis ſuauitatem*, vt ait Sapiens: Vel quòd bonis tantum ſaperet, non autem malis; quòd nulla compararetur arte: quod qui plus de illo colligerent quàm ordinata eſſet menſura, non plus reportarent; Ac denique ſi quæ eſſent alia huius cibi miracula, Diuinas proprietates ita exhibebant, vt cum etiam Euchariſticum Sacramentum figurarent, Diuinam non modo Chriſti naturam exprimerent ſed & Diuinam eius virtutem qua Diuinos eos faceret ſuique ſimiles, qui ſe frequentarent religioſius, ſibique ſe totos vnirent arctius. *Sap. 16.*

Non ſatis illi fuit Diuinitatis ſuæ participes nos facere, in illa quam aſſumpſit humanitate, niſi etiam vnumquemque particulatim Diuinum hominem faceret, ſi Diuinus eſſe malit quam animalis, aut niſi malit animalis eſſe quam Diuinus. Hoc enim vnum obſtat ad hanc particularem Diuinitatis participationem & conſortium ineundum. Quod obſtaculum quam ſit indignum, quam iniurioſum Deo, & nobis pernicioſum, non poterat melius exprimi quàm Veritate propoſita, qua denuntiatur, *Non minus peccare eum qui Diuinam illam Sacramenti gratiam qua Diuini efficimur, à ſe excludit, quàm qui vetus illud manna olim repudiarunt.*

Vna eſt enim eademque prorſus vtriuſque peccati ac iniuriæ Ratio quæ primo in Iſraelitis patuit quod viliſſimos Ægypti cibos cibo illi tàm pretioſo & cœleſti, quale erat Diuinum illud manna quod illis quotidie miniſtrabatur, anteferrent. *Recordamur*, inquiebant, *Piſcium quos comedebamus in Aegypto gratis: In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe & allia. Anima* *Num. 11.*

Digitized by Google

noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. In quo quidem peccato triplex videtur ineſſe malitia, nam primo volunt aliter regi quàm velit Deus. Deinde cum Panis ille tam ſuauis eſſet & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati & guſtui, prorſus immerito conqueruntur de tali cibo. Denique comparant illi & anteponunt cibos tam viles & abjectos, vt vel ipſorum nomina pudorem injiciant ac horrorem: Vnde grauiter ſuccenſus Deus dedit illis quidem eſcas quibus concupiſcentiæ tantiſper ſatisfa-

Ibid. cerent: *Sed adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis: vocatuſque eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ: ibi enim ſupelierunt populum qui deſiderauerat.*

Hebr. 10. *Horrendum quippe eſt incidere in manus Dei viuentis*; Et valde procliue eſt in illas incidere, ſi quod benignæ manus illæ offerunt ad noſtram ſalutem & perfectionem, maligna mente repellimus.

II. PVNCTVM.

SED qui oblatam expellit Sacramenti gratiam qua Diuinus eſſe poſſit, mauult eſſe animalis quam Diuinus, & ſic viliſſimum animi corporiſque ſtatum præfert digniſſimo quem offert Chriſtus.

Sigillatim cuncta ſunt enucleanda. Primo dicitur oblatam eſſe Sacramenti Gratiam quâ per frequentem & religioſum Sacramenti vſum Diuini quidam homines reddimur. Nam qui vita Dei conſtanter viuit, Diuinus homo non minus dici poteſt quàm Virgines dicuntur Angelici, quod Angelica viuant vita; aut quàm fraudulenti & mendaces dicuntur Diabolici, quod ſic Diabolum imitentur. Quid eſt autem aliud viuere vita Dei quàm operari in omnibus, vbique & ſemper, ſicut Deus operatur, aut quod ipſe

1. p q. 18 operatur? Sic enim ſanctus Thomas ponit Dei vitam in eius operatione per quam & demonſtrat in eo eſſe vitam. Quid vero prætendit aliud Chriſtus Dominus ſeſe nobis communicans in Diuiniſſimo Sacramento, quàm ſe ita nobiſcum commiſcere & vnire, vt ex nobis duobus fiat vnum quodammodo Principium earum omnium operationum quæ vel in intellectu, vel in voluntate, vel in cæteris animi corporiſque facultatibus exerceri poſſunt ad æternam vitam, poſſimuſque vere cum Apoſtolo

Gal. 2. affirmare, *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus?*

Et

Digitized by Google

Et rurſum, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* 2. Cor. 13.
Nonne ſic Apoſtolum diceres Diuinum hominem? Cur porro, niſi quia Deus in illo viueret & operaretur? Vnde idem dici neceſſe eſt de quouis homine qui ſua quæque in Deo vel in quo Deus operetur: Vnde Sapiens, *obaudite me Diuini fructus.* Eccleſi. 39.

Secundo, Diuinam illam quæ offertur expellit gratiam, qui ad eam vel recipiendam vel in vſum adducendam non attendit; Qui ſibi ſcilicet non inuigilat vt ex ea potius operetur quam ex appetitu naturali, vel humano reſpectu: *Qui ea potius quæ carnis ſunt* Rom. 8. *ſapit, quam quæ ſunt Spiritus*: Vnde

Tertio patet, quod qui Diuinus eſſe poterat ſi tali gratiæ conſtans cooperatus eſſet, euadit in aliud quoddam extremum vt ſit animalis, id eſt, animali vita viuat; Non modo non ex Gratiæ Diuinoque ductu, ſed ne quidem ex rectæ Rationis motu; at ſolum ex appetitu quæ pars illa eſt inferior quæ nobis vna eſt cum cæteris animantibus, ac propterea dicitur animalis, & animales illi qui ex ea potius quam ratione viuunt, *ANIMALES, Spiritum* Iudæ. *non habentes. ANIMALIS homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* 1. Cor. 2.

Quarto denique, quod eſt præcipuum Propoſitionis caput, cùm quis ex naturæ viuens impetu ſic mauult animalis eſſe quàm Diuinus, manifeſte viliſſimum viuendi ſtatum præfert digniſſimo quem offerebat Chriſtus. Præfert enim animalem ſtatum Diuino; præfert naturam corruptam, Diuinæ Gratiæ; præfert terram cœlo, tempus æternitati: vno denique verbo, præfert appetitum Deo.
Obſtupeſcite cæli ſuper hoc! Ier. 2.

III. PVNCTVM.

QVI oblatam igitur expellunt Sacramenti gratiam, non minus forte peccant quam qui olim manna repulerunt; Quia cùm poſſent ſi vellent per illam gratiam eſſe Diuini homines, malunt eſſe animales; cùm poſſent Diuinam vitam viuere, malunt viuere belluinam: cùm poſſent ſuis in omnibus animi corporiſque motibus Cooperatores Diuinitatis exiſtere, malunt deſerto Deo ſequi appetitum: quod certe non eſt minus iniquum quam neglecto manna, concupiſcere viliores aliquos cibos. *Qui nutriebantur in* Thren. 4. *croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Eſto non murmurent, non ſe nauſeare dicant ſuper Diuino cibo, ſicut Iſraelitæ faſtidioſi de ſuo

Digitized by Google

manna locuti ſunt; Eſto in hac parte ſint Iudæis modeſtiores, quia tamen longe major eſt inter Diuinam & animalem vitam diſtantia, quam inter manna deſerti & Ægypti allia: ſic fieri poteſt coram Deo, vt quod ex vna parte decedit iniquitatis, accedat & ſuperetur ex alia.

Quod eò magis verum eſt, quòd hîc non fiat comparatio vnius actus ſiue peccati cuiuſquam, cum peccato Iudæorum. De interno & habituali quem vocant ſtatu quæſtio eſt, & quo ſenſu affir-
Apoc. 3. mat Dominus ſe malle frigidum quam tepidum, hoc ipſo dicendum eſt pejori ſæpe in ſtatu eſſe animales, licet minus peccare videantur, quàm qui facinora quædam perpetrant grauiora. Hi enim facilius reſipiſcunt & ad meliorem mentem redeunt quam
4. Coll. c. 19. illi tepidi & animales. Quod præclare Caſſianus: *Frequenter*, inquit, *vidimus de frigidis atque carnalibus, Id eſt, de ſæcularibus ac Paganis ad ſpiritualem perueniſſe feruorem: de tepidis atque animalibus omnino non vidimus.*

O deplorandum eorum ſtatum qui tantò magis pereunt quo ſe minùs perire vident! Videſne teipſum in hoc periculo? Certe oportet te eſſe vel frigidum, vel calidum, vel tepidum. At te frigidum & de peſſimis vnum eſſe, quales ſunt Pagani & ſcelerati quique, non profiteberis. An vero te calidum, te feruentem & inter ſanctiores te recenſere audebis? Quid reſtat ergo quàm quod ſis tepidus & animalis, ſicque periculoſe viuas, niſi quantocyus
Eccleſi. 21. ad meliora ſuſpires? *Qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum.*

Niſi Chriſto reſiſteres, ſic te Chriſtus in ſe, ſicut panem conſecratum, conuerteret.

Vide in hac 3. parte, Sabbato Hebdom. 1.

Digitized by Google

DOMINICA
DECIMA QVARTA.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, &c. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Vel Domino Deo, vel libidini renuntiandum.

RATIO EST, *Quia ſic verum eſt neminem poſſe duobus diuerſis & diſſidentibus ſeruire Dominis, vt ſi horum vni ſeruire velimus, renuntiandum ſit alteri.*

Sed Dominus Deus & libido ſunt illi duo diuerſi & diſſidentes Domini, quorum vni ſeruire velimus.

Vel igitur Domino Deo vel libidini renuntiandum eſt. At renuntiare Deo quis niſi perfidus velit? Ergo renuntiandum libidini, quod ſane motiuum eſt efficax.

I. PVNCTVM.

QVOD in more frequentique vſu poſitum cernimus apud eos qui perſuadendum aliquid ſuſcipiunt, vt ſibi repugnantes cogant ad concedenda quædam abſurda quæ tamen nolint concedere: hoc familiare Chriſto fuit, & hoc inſigniter patet in hodierno Euangelio. Propoſitum Chriſto erat perſuadere nobis vni Deo ac Domino ſeruiendum eſſe: Difficilis ſane

perſuaſio terrenis mentibus quæ Deo quidem ſeruire non detrectent, niſi planè ſint infideles; at illi vni ſeruire, & non libidini ſimul ac cupiditati, tam difficile ſemper eſt viſum quam facile eſt & procliue ſuis ſeruire cupiditatibus.

Quid ergo fiat illis peruerſis mentibus? Numquamne Veritati cedent? Numquamne oppoſitam deponent falſitatem? Numquamne ſoli ſuo ſeruire Domino perſuaderi ſe ſinent? Sinent certe, cum Diuina Gratia, ſi audiant in quod ſe alioquin abſurdum & periculum conjiciant. Nam niſi ſuo ſoli Domino ſeruiant, ſeu quod idem eſt, ſi libidini ſimul ac Domino ſeruire pergunt, non Domino, non vlla ex parte Domino, ſed ſoli ſeruiunt libidini. *Nemo enim poteſt duobus ſeruire Dominis*, quales ſunt Dominus & libido. *Aut vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Alterutri neceſſario renuntiandum. At quis non videt quàm ſit delirum & abſonum, quam ſit periculoſum, & extremum renuntiare Domino vt ſoli ſeruiatur libidini? Quis non ſentit niſi plane infidelis quàm ſit æquius renuntiare libidini, vt ſoli ſeruiatur Deo! Hic finis & ſcopus eſt quò Chriſti ſermo tendit? Hoc vnum premit & vrget, vt hoc conſiderato abſurdo facilius acquieſcamus in id quod docet, *Vni Domino Deo ſeruiendum.*

Quamobrem ex omnibus conſiderandis illud vel maxime quod proponitur & qua exprimitur forma perpendi debet, *Vel Domino Deo, vel libidini renuntiandum.* Nam ſi ſemel hoc perſuaſum fuerit, planè intentum habebitur. Quàm facilè autem perſuaderi poſſit, ſic ipſe nobis Dominus palàm demonſtrat. *Nemo*, inquit, *poteſt duobus Dominis ſeruire*, Hoc fundamentum eſt totius diſceptationis, hic rei fundus & cardo. Sic porro hæc ſententia debet intelligi vt duo illi quibus ſeruiri non poteſt Domini, ſint inter ſe oppoſiti & diſſidentes: ſic enim propterea Chriſtus addit, *aut vnum odio habebit & alterum diliget*, quo quidem dicto non tantum declarat ſe agere de diuerſis & repugnantibus Dominis, ſed manifeſte probat quod dixit non illis poſſe duobus ſeruire Dominis, quia ſcilicet cum ſint oppoſiti, oppoſitos etiam in ſeruo procreabunt odij vel amoris affectus: non poteſt autem ſeruus, ſi de naturæ motu loquamur, ſic ſeruire odioſo ſicut amato. Sicut enim amatum ſuſtinebit, ita & odioſum contemnet.

Deinde verò, licet ſeruus quantùm in ſe quidem eſt vtrique Domino ſeruire poſſet; non poſſet tamen, quantum in ipſis eſt Do-

Digitized by Google

minis : Nam vt dictum eſt, cum ſibi aduerſentur illi Domini, quod vni ex ipſis à ſeruo gratum erit, erit ingratum alteri. Quidquid Dauidi bene feceris, hoc ſibi Saul malum interpretabitur. Vide huius rei luculentum exemplum, capite vigeſimo ſecundo libri primi Regum.

Quod & illuſtrari poſſet ex his quæ à ſanctis Patribus atque ipſo in primis ſancto Thoma dicuntur, nec non vnicuique ſunt nota 1. p q. 81. a. 2. de diuerſis noſtris affectibus inordinatis. Nam vnde rixa & lites in nobis ? *Nonne ex concupiſcentiis quæ militant in membris noſtris,* Iac. 4. quæ cum ſint plerumque oppoſitæ, quando vni ſeruire volumus, aliam offendimus: quando concupiſcibili ſatisfacimus, ſæpe iraſcibilis commouetur : ſicque in nobis de nobis rixa fit & contentio; quia quot ſunt affectus oppoſiti tot ſunt diuerſi Domini, quibus placere vellet inordinatus animus ; cum id autem non poſſit idcirco angitur & vexatur. Cur id vero non poſſit quid eſt aliud quàm quod nemo poſſit duobus ſeruire Dominis, quorum vt vni ſeruiat, neceſſe omnino eſt vt alteri renuntiet ; *Dum alterna intentione ſe impetunt quaſi aduerſante ſe vnda collidunt*, inquit ſanctus 17. Mor. 18. Gregorius iuxta illud Iſaiæ, *quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus in conculcationem & luctum.* Iſ. 57.

II. PVNCTVM.

SED *Dominus Deus & libido ſunt illi duo diſſidentes Domini, de quibus hîc ſingulariter agitur.*

Poſſent alij oppoſiti Deo, deſignari : poſſet Dæmon & Mundus, Id eſt, quot quot homines vita & moribus Deo aduerſantur, ſiue id quod in mundo & inter homines, malo vtentium vſu & fine, Deo contradicit : ſed vna voce *libidinis* hæc omnia continentur, quia neque Dæmon, neque Mundus ita Deo ſe opponit ſicut ipſa libido hominis quæ vna vel maxime Deum impetit, atque illi contrà obnititur. Libido autem, triplex eſt illa concupiſcentia quâ circa vitæ commoda, voluptates & honores inordinate impellimur, quarum illa quæ oculorum concupiſcẽtia ſiue habendi amor dicitur, hîc potiſſimum à Domino ſugillatur ; hoc eſt mammona quod diuitias ſignificat & diuitiarum appetitum; ſimul verò & aliæ connectuntur concupiſcentiæ quia par omnium & eadem plane eſt ratio.

Digitized by Google

Tribus porro præſertim modis hæc libido Deum ſibi facit aduerſarium. Primò in ſuis primis & ingenitis motibus qui vt plurimum legi Diuinæ contradicunt: hæc eſt enim lex in membris poſita quam videbat Apoſtolus repugnantem legi mentis ſuæ, & ſe captiuantem in lege peccati.

Rom. 7.

Deinde eſt quando reſurgendũ à peccato, quanti Deum inter & hanc libidinem oppoſiti motus? Quàm diuerſis vtrimque ſtimulis mens agitata peccatoris! *Numquid qui cadit non reſurget? Et qui auerſus eſt non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum quaſi equus impetu vadens ad prælium*, Id eſt, reuocantur à ſua quique concupiſcentia, ne ipſos ſui pœniteat.

Ier. 8.

Tertio denique, ſi quid Deo conſulente vel imperante ferendum eſt aut agendum quod diſpliceat aut nihil ages ſi libidinem audis, aut niſi repugnanter, & inuitè, malleſque Deum tibi ſubdere quam te Deo. *Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei.* Quaſi neſci es eum eſſe omnipotentem & omni excellentem virtute; aut quaſi nolles talem eum eſſe, ne tantæ cogaris virtuti cedere. *Qui dicebant Deo, recede à nobis: & quaſi nihil poſſet facere omnipotens, æſtimabant eum.* Sic plane omnes praue affecti; quidquid Deus bonorum polliceatur, aut quidquid pœnarum comminetur, tam parum illi cedunt, tam parum illum æſtimant, quam ſi nihil eorum quæ dixit, poſſet facere. Nonne hoc eſt cum Deo diſſidere? Nonne hoc eſt illi aduerſari? Imperet Deus Dæmoni, quidquid volet, imperet cœlo, ſoli, lunæ, cæteriſque creaturis, mari, terræ & inferis, nulla vna erit quæ non Diuina imperia ſtatim adimpleat. Imperet vero libidini, ſeu humano animo, *Non concupiſces; poſt concupiſcentias tuas non eas:* Eritne vel vnus homo, vel certe quam rarus erit qui poſt aurum non abeat nec ſperet in pecunia & theſauris, quis eſt hic, & laudabimus eum? Adeo id manifeſtè conſtat, quàm hic vnus & ſolus ſit Dominus, qui Domino Deo contradicat & aduerſetur!

Iob 21.
Ibid. 22.
Exodi 20.
Eccleſ. 18.
Eccleſi. 31.

Quo iure autem hic appetitus dicatur Dominus, nullum eſt plane legitimum; imo eſt naturale ac poſitiuum, vt ſeruiat ac ſubjiciatur Rationi & Gratiæ, *ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, ait ipſe homini Dominus *Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter.* Sed cùm ſit homo liber & ſui iu-

Gen 4.
Iſa. 33.

Digitized by Google

ris, ius illud ſic peruertit vt qua lege libido ſeruire debuerat, eadem videatur imperare; & illa eſt ancilla de qua Sapiens, *quæ facta eſt hæres Dominæ ſuæ*, quæ dominatum in rationem ita exercet, vt Diuinitatem ipſam æmuletur, & quod in idolis Dæmon tentat, hoc in mente Appetitus obtineat, vt tamquam Deus colatur, & ſit illud *idolum zeli ad prouocandam æmulationem*, de quo apud Prophetam; Et fuſè declaratum eſt in hac 3. parte, Dominica prima. Vide accuratè, & ingemiſce vehementius ad tantæ peruerſitatis aſpectum.

Prou. 30.

Ez. 8.

III. PVNCTVM.

V*EL igitur Domino Deo, vel libidiui renuntiandum.* Nam cùm ex vna parte nemo duobus Dominis ſeruire poſſit; ex alia vero, nobis omnino neceſſe ſit vel ſeruire Deo vel libidini: profectò hinc liquide ſequitur quod eo ipſo quo vni ſeruire velis, renunties alteri neceſſe eſt. *Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, & præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli.* Nonne id concedis de vero Dei ac idolorum cultu? Nonne fateris vtrumque ſimul eſſe non poſſe? At nonne audiuiſti libidinem eſſe velut idolum his qui libidini ſeruiunt? Nonne audiuiſti Chriſtum Dominum aperte denuntiantem omnibus qui ſe ſequi volent, vt *ſe abnegarent*, vt ſibi ſuiſque omnibus *renuntiarent?* Quid magis aut expreſſius dici poſſet de idolis abnegandis quàm quod de libidine dicitur?

1. Reg 7.

Luc. 9. 14.

Sicut autem Chriſtus libidinem, ſic libido Chriſtum abnegandum pronuntiat. Aut certe quod eſt immanius, ipſe eſt Dæmon qui per libidinem Chriſto renuntiari iubet, vt ſibi ſeruiatur; Quod iam ſæpe ſupra ſanctus docuit Cyprianus, dum de duplici tractat Martyrio, vbi hæc inter alia plurima: *Satanas tibi loquitur per tuam concupiſcentiam, abnega Chriſtum, & eſto diues: Sacrifica mammonæ, & Chriſto nuntium remittito. Nec dicit, morere, ſed potius oblecta oculos, & tamen tu ſponte ſubmittis genua Satanæ, & ABNEGATO CHRISTO te totum illi mancipas!* Poteratne loqui ſignificantius? Poteratne expreſſius dicere de Chriſto abnegato, ſi ſequaris libidinem, quàm quod Chriſtus de abneganda dixit libidine, ſi velis Ipſum ſequi.

O portentum peruerſitatis! Quid peruerſum dici poteſt niſi

Matth. 27. quod infra libidinem Gratia, niſi quod infra inferos cœlum, & infra Satanam, Chriſtus ponatur! *Quem vultis de duobus,* inquiebat ille peruerſus Iudex! Iniqua certe Chriſti atque odioſa comparatio cum viro virorum omnium nequiſſimo! Sed quàm longe iniquior ſi cum ipſo Satana, ſi cum ipſa nequitia comparetur! Quando vel ſola Dominorum diuerſitas proponeretur, nonne tanta eſt vt vna eius conſideratio rem ſupra modum execrandam ſubjiciat? Quid vero, ſi diuerſa eorum obſequia, ſi diuerſa quæ proponunt

Hom. 29. ad Pop. ſibi obſequentibus præmia, conſiderentur? *Nunc fit idem,* ait ſanctus Chryſoſtomus, *quale ſi Rex, ſuos quidem hæredes, filij vero cohæredes poſt alia quoque innumera beneficia nos conſtituere volens, contemnatur: Latronum verò princeps qui nos parenteſque noſtros innumeris affecit incommodis, vno tantum obolo prætendente, à nobis adoretur. Regnum Deus pollicetur, & contemnitur: gehennam mininiſtrat Diabolus, & adoratur!* Breuius verò ſanctus Auguſtinus, *Patietur,*

l. 2. de Serm. Dom. in monte c. 14. inquit, *durum & pernicioſum Dominum quiſquis ſeruit mammonæ, ſua enim cupiditate implicatus ſeruit Diabolo.*

Hæc eſſent ponderanda peccatori, hæc mundano perpendenda, quando reſiſtendum eſt cupiditati, quando certandum contra ſeipſum. Audiant illi qua de re agitur, intelligant ſemel nihil minus agi quam de Chriſto Rege vel Dæmone præferendo. Non verba putent quæ dicta ſunt cum ſint à ſanctis dicta Patribus. Non hominum ſola putent dicta, ſed & ipſius Chriſti qui palam

Luc 11. idcirco profeſſus eſt: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Expen-

Vide in 2 parte, Dom. 3. in Quadr. dant hoc Diuinæ pondus vocis, *contra me eſt*, contra Chriſtum, pro Dæmone! Nec leuiter percurrenda iſta quæ hîc habet Dominus, *Aut vnum odio habebit, & alterum diliget.* Nam ſi ex fide Diuina certum eſt quod ſicut reſiſtendo libidini pro Chriſti cultu, Chriſtum diligis, & Dæmonem odio habes: Sic dum libidini cedis, Dæmonem diligis & Chriſtum odio habes.

Dic quidquid contrà voles, magis Chriſto id affirmanti credendum eſt, quam neganti tibi. Et ſemel quidem dixiſſe, ſatis

Ioan. 7. 15. Chriſto eſſet: at iterum atque amplius idem repetiit, *Me mundus odit. Odio habuerunt me gratis.* Quæ certe Verba ſatius eſſet re-

2. Reg. 19. cogitare & credere, quam quæ illi opponi poſſint inquirere. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.*

Videri paſſim multa poſſunt, ex ſingulis partibus hûc ſpectantia. Præſertim vero hæc:

Sibi

Sibi non Domino viuit qui temperatè non viuit.

In 1. parte, Dominica 4. in Aduentu.

Nonniſi tribus oblatis concupiſcentiis Rex Chriſtus te agnoſcitur.

In 1. parte, In Epiphania Domini.

Niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis.

In 1. parte, Die 12. Ianuarij.

Qui non renuntiat omnibus, non poteſt eſſe Chriſti Diſcipulus.

In 1. parte, Fer. 3. Hebdom. 6. poſt Epiphan.

Hæc ſponſæ fides eſt, vt ſicut neminem præter ſponſum velit diligere, ita velit à nullo diligi.

In 1. parte, Sabbato Hebdom. 6. poſt Epiphan.

Sicut martyrio vita naturalis, ſic mortificatione vita ſenſualis.

In 1. parte, de ſanctis Martyribus.

Quid nequius quam quod excogitauit caro & ſanguis?

In 2. parte, Feria 2. Septuageſimæ.

Quà latè patet mundus, &c. De concupiſcentia quæ facit mundum oppoſitum Chriſto.

In 2. parte, Fer. 5. poſt cineres.

Quod difficillimè crederes, te contra Chriſtum eſſe, hoc eſt facillimum creditu ſi Chriſto credis.

In 2. parte, Dom. 3. in Quadrageſima.

Quod nouo negatur homini contra veterem, hoc indulgetur veteri contra nouum.

In 2. parte, Sabbato Hebdomadæ Paſſionis.

In die vero paraſceues, multa, vbi de peccato grauius affligente Chriſtum, quam ipſa Cruce crucietur.

Vel nulla Chriſti recoletur memoria, vel nulla erit in eius cultu querimonia.

Digitized by Google

In 2. *parte, Dominica infra Octauam Aſcenſionis.*

Peruerſa quædam eſt in mundo Trinitas quæ niſi caueatur, Diuinam in nobis peruertit Trinitatem.

In 3. *parte, Dominica prima.*

Satius eſſet nullo die velle viuere, quam non omni die velle cum Chriſto mori.

In 3. *parte, Fer.* 5. *Hebdom.* 2.

Quò minùs concupiſcentiam mortificabis, eò magis à concupiſcentia mortificaberis.

In 3. *parte, Fer.* 4. *Hebdom.* 5.

Non tam ſpectatur quid dones in Diuinis, quàm quid non dones.

In 3. *parte, Fer.* 6. *Hebdom.* 8.

Quæ magis oculata eſt concupiſcentia, magis eſt cœca.

In 3. *parte, Sabbato Hebd.* 9.

Niſi ſe quiſquis Chriſto conformet, ſibi Chriſtum conformabit.

In 4. *parte, Fer.* 2. *Hebd.* 15. *poſt Pentec.*

Videnda porrò in eadem 4. *parte, Dominica* 17. *& tota inde ſequens Hebdomada vbi de concupiſcentia & de diuitibus varia.*

Quod ſeruitutem peccati facit magis tolerabilem, hoc eam reddit minus tolerandam.

In 4. *parte, Fer.* 6. *Hebd.* 19.

Numquam magis eris tuus, quàm cum de tuo minus habebis, vt totus Chriſti ſis.

In 4. *parte, Fer.* 4. *Hebd.* 24. *quæ pene tota hûc referri poteſt.*

Quis vt Deus?

In 4. *parte, In Feſto S. Michaelis Archangeli.*

Digitized by Google

AD ALIAS EVANGELII PARTES.

Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.

VERITAS PRACTICA.

Solicitudo animi tanto minus probanda eſt, quanto magis probat Chriſtus, ſeu quantis demonſtrat rationibus, ne ſimus ſoliciti.

RATIO EST MANIFESTA, Quia tanto minus aliquid eſt probandum, quanto magis Chriſto & rationi opponitur. Quid clarius?

Sed ſolicitudo animi tanto magis Chriſto & rationi opponitur, quanto magis Chriſtus probat, ſeu quantis demonſtrat rationibus ne ſimus ſoliciti. Nonne hoc etiam euidens?

Nam dum plura Chriſtus affert quibus Doctrinam ſuam probat, profecto & ſe id ſentire manifeſtius indicat, & verum eſſe quod ſentit, manifeſtat apertius; Vnde & quod illi Doctrinæ opponimus, tum magis Chriſto & rationi opponitur.

Ergo & hinc manifeſtè patet quod ſolicitudo animi tanto minus probanda eſt & habenda, quanto magis probat Chriſtus ne ſimus inordinatè ſoliciti.

Quamobrem hoc vnum ſupereſt, vt quantis id Chriſtus rationibus probet, demonſtretur. Sunt autem octo efficaces & validæ in Euangelij textu.

Prima eſt, quia ſolicitum eſſe, idem eſt ac ſeruire mammonæ ſeu cupiditati: hanc enim ſolicitudinem inordinata cupiditas imperat, cui ſi ſeruis, Deo non ſeruis; nam nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, vnde & primum eſt quod inde Dominus infert: *Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis*; Quaſi diceret; ſicut oſtendo non eſſe

Digitized by Google

ſeruiendum cupiditati, ne Domino Deo non ſeruias, ſic ſimul indico non oportere eſſe ſolicitos, quia ſic cupiditati ſeruiretur, non Deo. Spinæ ſunt ſuffocantes Verbum Dei, & ipſæ inordinatæ ſolicitudines ita nociuæ ſunt vt illud Chriſti Verbum quo dicuntur alia Dei Verba ſuffocare, ſuffocent. Vide hanc Veritatem expoſitam, in 2. parte Dominica Sexageſimæ.

Secunda ratio quam Chriſtus affert, *Nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?* Id eſt, cum ſine dubio ſalus æterna tum animæ tum corporis præſtet terrenis aliis bonis, nonne ſatius eſt vacare illi negotio, & impedimenta quæuis rejicere quales ſunt illæ mundi huius ſolicitudines? Vel ſic intelligi poteſt Chriſti dictum: Si Deus vobis non ſolicitis animam & corpus dedit, quæ profecto præſtantiora ſunt quam eſca vel veſtimentum; Nonne & dabit alia quæ his ſuſtentandis ſunt neceſſaria, & quæ multo minora ſunt? Nam qui dat eſſe dat conſequentia. Si pro illo quod principale vocant, nulla fuit adhibenda ſolicitudo veſtra, nec pro illo quod acceſſorium dicunt, inferri debet, inordinate videlicet, vt diximus, non ibi figentes acrius animum, aut finem reponentes, aut de noſtra præſumentes induſtria, vt eſt apud
1. 2. q. 108. a. 3. S. Thomam.

Tertia ratio, *Reſpicite volatilia cæli, conſiderate coruos*, vt eſt
Luc. 12. apud ſanctum Lucam, Id eſt, viles illas ac deſides beſtias quas tamen Deus paſcit, *Quanto magis vos, qui pluris eſtis apud illum?*

Quarta, *Quis veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Addit ſanctus Lucas, *Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?* Vnde duplex eruitur ſenſus, primo quaſi diceret Dominus, ſi quod eſt minus non poteſtis, neque quod eſt majus tentare fas eſt, veſtris ſolicitudinibus: Adjicere autem ad ſtaturam ſuam cubitum vnum, quod non poteſtis, minus eſt quam vitam ſuam in multos prorogare annos, quod vnum tamen tentatis efficere dum de vita veſtra nimis eſtis ſoliciti. Deinde vero ſicut vanum & inutile prorſus eſſet, multum angi & ſolicitum eſſe de adjiciendo ad ſtaturam ſuam vel vno cubito, quia non poteſtis; ſic plane caſſa & vacua cenſeri debet illa ſolicitudo quæ de vita longiori laborat, hoc enim non magis eſt in veſtra poteſtate quam aliud.

Quinta ratio, *Conſiderate lilia agri.* Diuerſa eſt hæc ratio à Tertia quia [illegible] proponebat volucres quibus paſcendis intendit Deus.

Digitized by Google

Nam diceret homo ſolicitus, ſibi non tantum vitæ neceſſaria cômparanda eſſe: ſed quæ inſuper decent ſtatum ſuum. Reſpondet itaque Dominus neque in his etiam Deum defuturum, quod declarat exemplo liliorum quæ non ſunt ad neceſſitatem agri vel hominum, ſed ad decorem, ad venuſtatem, & honeſtam voluptatem: quæ quidem lilia, ſimileſque alij flores tanta varietate & concinnitate ſunt condita, vt nec Salomon ſua potentia vel ſapientia potuerit eſſe gratior & glorioſior: vnde interri omnino neceſſe eſt, quod ad ſtatus ſui decentiam deſiderare quis poſſit, tam prouide diſpenſaturum Deum, quàm iſta minutiora nobis non ſolicitis & cogitantibus abunde prouidet & ſubminiſtrat.

Sexto, *modicæ fidei. Quanto magis vos puſillæ fidei?* Amica quædam eſt objurgatio diffidentiam arguentis quæ omnium ſolicitudinum cauſa eſt, & cauſa tam dedecoroſa fidelibus qui Diuinam agnoſcunt Prouidentiam, quàm odioſa Deo qui ſe benignum Patrem æque ac potentem Dominum vellet agnoſci; *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* *Luc. 12.* *Epheſ. 5.*

Septimo, ſic pergit objurgare diffidentes & plus æquo ſolicitos. *Hæc enim omnia Gentes inquirunt,* Id eſt, Infideles quos Ethnicos & Paganos dicimus qui vel ignorant Deum vel eius negant prouidentiam, non ſunt de rebus ſuis magis ſoliciti quàm qui ſe fideles profitentur, quod certe indicat vel illos parum eſſe fideles Deo, vel parum ſibi fidelem Deum credere. Quod vtrumque quàm ſit damnoſum quis non videt?

Octauo denique ſic concludit, *Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis.* Quaſi diceret, quid non Ille faciat qui ſuos amat tamquam pater filios, qui poteſt his quos amat benefacere, & qui probe ſcit quibus indigeant, vt bene faciat? De bonitate patris & potentia non dubitatis, nam in vniuerſo patet mundo; Neque minus certi ſitis de certa eius ſcientia circa vnumquemque particulatim cui tantum aduigilat quantum toti vniuerſo. Nonne hinc aptè ſanctus Petrus: *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi curæ eſt de vobis.* Et nonne his te rationibus in id adduci ſines? *1. Petr. 5.*

Mirum certe quod Chriſtus ſuorum velit reddere rationem dictorum: ſed quanto magis mirum quod neque Chriſto nec eius rationi creditur? Si quæ ratio videretur infirma, en Chriſtus qui ſua illam authoritate roboret. Si Chriſtus in loquendo eſſet ex-

Digitized by Google

celſior: En ratio quæ loquentem interpretetur, & nobis illum accommodet. Quid eſt quod vltra debuit facere vineæ ſuæ, & non
Iſ. 5. fecit ei? *An quod expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* In duobus differunt vua & labruſca, Primum quod vua ſit ſuauis, labruſca verò aſpera. Deinde quod vua ſit vtilis, labruſca infrugifera. Sic plane de anima curis vacua vel ſolicita; Sicut illa tota quieta eſt, tota ſuauis & frugifera; ſic iſta inquieta peracerba, nulli vtilis, & ſibi noxia. *Comedent fructus viæ ſuæ. OBSTVPESCENT eorum dentes.* Et patebit ipſis ſenſibus, quis è duobus æquior Dominus: An mundus qui non niſi curas & ſolicitudines in ſuos injicit: An Chriſtus qui curam omnem in ſe projectam recipit.

Prou. 1. Ez. 18.

Vide in 1. parte, die 6. Decembris.

In 2. Fer. 2. Hebdom. 3. poſt Paſcha. Feria 3. Hebdom. 4. Fer. 3. Hebdomadæ intra octauam Aſcenſionis.

In hac 3. parte, Dominica 6. & Fer. 3. ſequenti. Feria 3. Hebd. 7. Feria 4. Hebd. 8. Feria 5. Hebd. 9. Sabbato Hebd. huius 14. In fine de voto paupertatis. Quo quis pauperior, eò ditior.

In 4. Feria 4. 6. & Sabbato Hebd. 17. Sabbato Hebd. 18. Feria 2. Hebd. 21. & pleraque ſequentes ibi Feriæ. Feria 4. Hebdom. 4. Feria 2. Hebd. 28.

Quærite ergo primùm regnum Dei, & Iuſtitiam eius: & hæc omnia adjicientur vobis.

VERITAS PRACTICA.

Niſi primùm quæras regnum Dei, quantumuis aliter illud quæras, non acquires.

RATIO EST, Quia niſi primùm quæras regnum Dei, curam eius quærendi poſtponis alteri curæ.

Sed ſi curam quærendi regni Dei poſtponis alteri curæ, non acquires regnum, quantumuis aliter illud quæras.

Ergo niſi primùm quæras regnum Dei, quantumuis aliter illud

quæras non acquires. Quod quàm ſit periculoſum quis iam non videt, ſiue multitudinem eorum qui non ita regnum illud quærunt, inſpicias: ſiue damnum quod inde ſequitur, ſpectes.

I. PVNCTVM.

HÆC eſt maximè practica Veritas & vniuerſalis Concluſio quam Chriſtus Dominus ex prædictis deduxit omnibus: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & Iuſtitiam eius.* Quaſi diceret, hoc primùm debetis quærere quod primum eſt dignitate & merito. Sed regnum Dei primum eſt dignitate & merito ſupra creata omnia, ſicut oſtendi vobis. Ergo hoc debetis primum quærere. Ergo hoc primum quærite. Sicut autem per regnum Dei comprehendit illud quod eſt finis noſter, vt Dei Gloria, ſalus ac Beatitudo noſtra: ſic per Iuſtitiam eius intelligit quæcumque ſunt ex noſtra parte facienda vt regnum illud comparetur, quæ vſitatiori nomine dicuntur Media quorum alia ſunt communia omnibus, alia particularia pro vario cuiuſque ſtatu, *Sicut diuiſit Dominus.* 1. Cor. 7.

Ne verò tantùm exiſtimetur hoc eſſe Conſilium & non præceptum omnino neceſſarium quod exequamur, ſic eſt formata Veritas, quæ modo expendatur, vt plane intelligas, *Quod niſi primùm quæras illud regnum Dei, quantumuis illud aliter quæras, non acquires*, Id eſt, talem importat neceſſitatem exequutionis, qualis eſt neceſſitas acquiſitionis. Quid autem magis neceſſarium, quàm quod ait Dominus, *Vnum eſſe neceſſarium?* Luc. 10.

Sic porro breuiter & dilucidè declaratur Veritas: Niſi primùm quæras regnum Dei, curam eius quærendi poſtponis alteri curæ. Hæc eſt enim communis interpretatio vocis illius *primùm* vt ſignifiet non prioritatem vt vocant temporis, ſed excellentiæ, meriti, dignitatis, *quaſi* diceretur, maximè, præ cæteris omnibus præcipue, ſingulariter & ſupra cætera omnia.

Sic expreſſe ſanctus Auguſtinus, *primum non tempore ſed dignitate* vt in ſequenti veritate refertur fuſius: ſatis hìc autem declaratur cum dicitur, hoc reipſa primùm quæri vel non quæri regnum Dei ſi cura eius quærendi præferatur vel poſtponatur alteri cuiuis curæ.

Digitized by Google

Cùm enim totum quærendi negotium conſiſtat in cura ſtudioque quærendi, ſi prima eſt cura, primùm quæretur. Poteſt autem eſſe prima cura dupliciter, nempe exterius & interius: exteriùs quidem, ratione temporis, curando primùm & antequam aliud quiduis agas quod ſpectat ad ſalutem: interius autem intentione mentis, ſeu affectu, pretio ac rei æſtimatione quam vocant appretiationem & præferentiam, quæ non tantum in animo reſideat, ſed inde ad opus in quouis operandi occurſu tranſeat: præferendo ſemper quod eſt Diuinæ Gloriæ ſeu ſalutis æternæ, cæteris quibuſuis omnibus etiam vitæ huius temporalis, ſicut
Eccleſi. 32. monebat Sapiens, *Non ponas animæ tuæ ſcandalum:* & ſicut agebat Apoſtolus: *Non facio animam meam*, id eſt vitam, *pretioſiorem quàm me*, id eſt, ſalutem.

Epiſt. ad Valer. *Primas apud nos curas*, inquit S. Eucherius, *quæ prima habentur, obtineant, ſummaſque ſibi ſolicitudinis partes quæ ſumma eſt vindicet, hæc nos occupet in præſidium ſui, iam non plane prima ſed ſola omnia vincat, eo ſtudio quo præcedit omnia.* Hoc eſt ſcilicet primum quærere regnum Dei, cum ſic eius quærendi cura, curæ præfertur alteri; vel ſi quid aliud ex æquo cures, non quæris primùm regnum Dei: ſiue de vtroque affirmes ſiue neges; ſiue priùs vnum dicas ſiue poſterius: vnum plane & idem eſt dicere, ſi curam quærendi regni poſtponis alteri, non quæris primum regnum Dei: vel niſi primum quæras regnum Dei, curam eius quærendi poſtponis alteri.
Ier. 32. *Verterunt ad me terga & non facies, cùm docerem eos diluculo & erudirem, & nollent audire vt acciperent diſciplinam.*

II. PVNCTVM.

SED ſi curam quærendi regni Dei poſtponis alteri curæ, non acquires illud regnum.

Cum enim duo ſint ad acquirendum illud regnum præcipuè neceſſaria, nempe Diuina Gratia, noſtrumque ſtudium; plane verendum eſt ne tunc vtrumque deſit. Ac primo quidem gratia non omnis quidem ſed quanta tibi adfuiſſet, ſi tuas non peruertiſſes curas; quantùm enim Deo diſplicet ſic minoris æſtimari quæ pluris eſſent ducenda, tanto de ſolita diminuit gratia, ſicque *cum peruerſo peruertitur, ſicut cum bono bonus fit, & cum ſancto ſanctus*

vt

Digitized by Google

vt eſt in Pſalmis & quidem appoſitè in Hebræo, vbi non peruerti Deum ſed *luctari & contra obuerſari* legimus, quaſi diceretur. Ipſum ex adjutore fieri aduerſarium; Quod ſanè numquam ſatis expenditur. Pſ. 17. Bellarm.

Deinde verò noſtrum ſtudium ſeu opera quam ad Diuinam debemus adjungere Gratiam, quis neſcit inde tanto magis debilitari ac frangi, quantò minor eſt cura ſiue rei de qua tunc agitur æſtimatio? Quis neſcit tanto magis vel minus in rem adlaborare homines, quantò magis vel minus illam velint: tantùm autem velint, quantum de rei pretio iudicant? Nonne propterea iam ſæpe aliàs Sapientem audiuiſti, qui nos vt vehementius ad conquirendam Sapientiam adhortaretur, *Si quæſieris eam*, inquit, *quaſi pecuniam*, id eſt, quo ardore & ſtudio pecunia ſolet quæri, quæ multum æſtimatur & colitur! Sic manus à Propheta videtur ſub extenſis animalium pennis, quia quæ per manum operatio deſignatur, non aliter ad ſuum opus fertur, quam prout operis præcedit cognitio, reique valor: Vnde in illa celebri ſtupendaque quadriga quam idem vidit Propheta, pari pede incedunt bos & aquila, licet longe diſpari moueantur motu, quia nec vehementius nec tardius quàm vt res exigit, incedendum. Et tarditas maturanda, & maturitas retardanda pro rei pretio, quæ quæritur. Prou. 2. Ezech. 1.

Hoc verò inſuper proprium habet cura temporalium, vt ſi ſemel laxetur, totum abripiat animum, vixque cœleſtibus quam applicet partem, relinquit vllã. Quid tum dimidiatus poterit animus qui licet totus adeſſet, vix ſatis eſſet operi? Nonne hæc eſt eorum culpa qui ad cœnam magnam & regias nuptias inuitati noluerunt accedere, quia ſcilicet aliis nimis implicati erant curis. Nonne idcirco Dominus, *Nemo*, inquit, *mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Quia quò reſpicit, eò tendit, & quò tendit, inde à ſcopo ſuo, inde à regno Dei auertitur. Quò ſpectabat Apoſtolus cum diceret, *An neſcitis quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium, ſic currite vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet:* quaſi diceret, qui non abſtinent ab omnibus, qui ſeſe aliis implicant, non current non comprehendent. Luc. 9. 1. Cor. 9.

Et rurſum, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit*, quia ſi ſe his implicaret non Deo militaret, vel militans expugnaretur, vinceretur. Quid porro aliud ſignificat 2. Tim. 2. Apoc. 12.

Digitized by Google

Mulier illa quam Ioannes vidit ſole amictam, ſtellis coronatam, & Luna ſub pedibus eius? Nonne anima quæuis eſt cœlo nata, cœlo intendens, quæ Lunam habet ſub pedibus non in capite, id eſt, curam temporalium & mutabilium infra res æternas & immutabiles, alioquin ſtellas non attingeret, cœlum non poſſideret.

Hæc eſt denique differentia benedictionis Iacob & Eſau, qui figuram exhibent Electorum & Reproborum. Nam cùm vtrique à Patre promittatur ros cœli & pinguedo terræ; in hoc potiſſimum diuerſa eſt hæc promiſſio, quod ros cœli aſſignetur Iacob ante pinguedinem terræ: Et è contra, pinguedo terræ detur Eſau ante rorem cœli. Quaſi diceretur, hoc vno maxime differre inuicem Electos & Reprobos, quòd illi primo regnum Dei & Iuſtitiam eius quærant, tum omnia illis adjiciantur; iſti vero Reprobi primo velint terrena omnia ſibi adjici, tùm regnum Dei quærent; Sed quærent; at non inuenient, non acquirent: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium, cùm videritis Abraham & Iſaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente & Aquilone & Auſtro, & accumbent in regno Dei. Et ecce ſunt nouiſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt nouiſſimi.* Id eſt, Illi ſunt qui expellentur foras qui primi ſunt in curis huius ſæculi.

Gen. 27.

Luc 13.

III. PVNCTVM.

ERGO *niſi primùm quæras regnum Dei, quantumuis aliter illud quæras, non acquires:* Quia dum alia magis curabis, major iſta cura te abſtrahet ab illa quæ acquirendo Dei regno eſt neceſſaria, ſicque opera tua non inuenientur plena coram Deo, ſic tepidus eris nec calidus quod pejus eſt quàm eſſe frigidum: ſic modicam habebis virtutem quæ dum appendetur, non erit regno emendo ſufficiens: ſic licet aliqualem tuum laborem ſciat Dominus, habebit tamen aduerſum te, *Quod charitatem tuam primam reliquiſti, & niſi prima opera facias veniet tibi, & mouebit candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Quæ omnia ſic expreſſis denuntiata verbis, nonne veritatem apertè confirmant? Nonne eius declarant praxim? Nonne vt primùm illud quæramus regnum Dei, nos vehementer excitant?

Apoc. 3.

Ibid. 2.

Quid ſtultius, & à communi hominum agendi more diſiun-

Digitized by Google

ctius, quàm minora præferre majoribus, lucem tenebris, & mendacium veritati poſtponere? Quid ſentires de homine qui breuiori calceando calceo pedem abſcinderet? Nonne hunc ſtultum diceres? Cur porrò niſi quia cum calceus ſit propter pedem, non pes propter calceum, veſanus ille ſit qui hunc inuertit ordinem cum aperto ſui detrimento. At nonne hoc ipſum eſt, cùm corpus præfertur animæ, cum æterna cedunt temporalibus & Chriſtus mundo poſthabetur? Nonne ſicut veſtimentum propter corpus, ita & corpus propter animam? Nonne hunc peruertit ordinem cum manifeſto ſui damno qui plus in corpus quam animam impendit curæ ac ſtudij? *Numquid poterit aliquis guſtare quod guſtatum affert mortem?* Nonne guſtus, nonne voluptas cedunt timori mortis aut amori vitæ? Cur non igitur cedent timori mortis animæ, vel amori vitæ ſempiternæ? *O ſtulti & tardi corde ad credendum!* Vide in 2. parte, Feria 6. poſt Octauam Aſcenſionis. Iob. 6. Luc. 24.

Sic dignum eſt cœlum noſtris deſideriis, vt niſi cœlum deſideres, *Quantum ſcilicet deſiderare par eſt*, cœlo ſis indignus.

ALIA VERITAS PRACTICA, PRAECEDENTI CONNEXA.

Sic primo quæri debet regnum Dei, vt ſecundo nil ita quæri poſſit.

SENSVS ET RATIO EST, *Quod quæri debet regnum Dei, tamquam finis.*

Sed ſecundò nil ita quæri poteſt, vt finis.

Ergo ſic primò quæri debet regnum Dei, vt ſecundò nil ita quæri poßit. In quo tamen multi peccant.

I. PVNCTVM.

HANC Veritatem multum illuſtrat præcedens Veritas, & præcedentem Veritatem multum illa confirmat. Quod enim ſupra dictum eſt de notione huius vocis *primò* ſiue *primùm*, huc recurrit, vt non tam ſignificet ordinem

numeri quam dignitatis: ſic nempe intelligendum quod modo proponitur; *Sic primo regnum Dei quæri debet vt ſecundo nil ita quæri poſſit,* Quaſi diceretur, poſſunt quidem ſecundo quæri alia, ſed non quo ſenſu quæritur primo regnum Dei. Nam ſic primo quæritur regnum Dei tamquam finis, tamquam ex ſe & propter ſe nobis appetendum: non ita vero alia quæ ſecundo quæruntur: non ſic vt finis & propter ſe poſſunt appeti, ſed velut ſecundaria, velut media quædam ad illum vnum finem ordinata, & propter illum ſolum vſurpanda.

Hinc autem vt dixi plurimùm roborantur quæ conſiderata ſunt de comparatione terrenorum cum cœleſtibus & Diuinis: nam ſi illa tantum vt media quædam ad finem deſiderari poſſunt, quomodo vehementius poſſunt deſiderari quam ipſe finis? Quis medicinam quæ propter ſanitatem tantum aſſumetur, magis diligat quàm ipſam ſanitatem? Quod ſi ſanitati officeret medicina vel cibus, quis amans ſanitatis non medicinam & cibum fugeret? Sic plane ſi obſunt terrena cœleſtibus, quis amator ſalutis non terrena caueat?

Age igitur expendamus attentius quo ſenſu primùm quæri debeat regnum Dei, nempe vt Finis, qui quidem tripliciter cogitari poteſt. Primò vt ſignificet perfectionem noſtram: *Dicitur* *In Pſ. 54.* *enim finis qui conſumit & dicitur finis qui perficit,* ait S. Auguſtinus: *aliter quippe intelligimus cum audimus, finitus eſt cibus qui manducabatur; & aliter intelligimus cum audimus, finita eſt veſtis qua texebatur; in vtroque audimus, finitum eſt, ſed cibus vt iam non eſſet, veſtis vt perfecta eſſet, finis ergo noſter, perfectio noſtra eſſe debet.* Sic itaque primo quæri debet regnum Dei, tamquam noſtra perfectio, ſic enim vnimur Diuinæ voluntati quæ nos eo tendere voluit per quotidiana media quæ ſubminiſtrat; & in illa vnione noſtra eſt perfectio, perfecta eſt illa voluntas Dei de qua ſan- *Rom. 12.* ctus Apoſtolus, *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacere & perfecta*; Nempe vt ſæpe dictum eſt, bona eſt voluntas Dei cum quidquid vult facimus; eſt vera beneplacens quando illo quo vult modo agimus; perfecta denique eſt, cùm vnum quem habet finem nobis proponimus. Poſſetne proponi melior?

Secudo finis dicitur quod propter ſe appetitur, nec vltra ſi finis eſt vltimus, referri poteſt. Cum autem regnum Dei ſit ipſe Deus in nobis regnans per gratiam & per gloriam, ſic profecto

Digitized by Google

tamquam finis primo quæri debet, quia nihil vltra eſt quod ſupra quæri poſſit. Sunt quidem varij gradus & ſpecies eius inquirendi, ſed dum Ipſe ſemper quæratur ſemper finis noſter quæritur, quocumque modo quæratur. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* *SED ſi ſemper quæritur, quando inuenitur?* ait ſanctus Auguſtinus. *An ſemper dixit, in tota vita iſta quà hîc viuitur, ex quo nos id facere debere cognouimus, quando & inuentus quærendus eſt? Iam quippe illum inuenit Fides; ſed adhuc eum quærit Spes. Charitas autem & inuenit eum per fidem; & eum quærit habere per ſpeciem, vbi tunc ſic inuenietur vt ſufficiat nobis, & vlterius non quæratur.* *Pſ. 104.*

Tertiò finis dicitur quies ſeu quoddam veluti centrum in quo aliquid requieſcit tamquam in termino quem prætendebat; Sic manifeſte regnum Dei finis eſt noſter, noſtra quies, noſtra fœlicitas, hic quidem inchoata per Iuſtitiam ſeu virtutem quæ nos ducit ad patriam; illic vero perfecta & completa; Quo in ſenſu quæri debet regnum Dei, ſtatuendo noſtram omnem fœlicitatem & requiem in illo quærendo inueniendo & poſſidendo. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* FESTINEMVS *ergo ingredi in illam requiem.* Id eſt, hoc vnum intendamus, non retardemur in aliis deguſtandis, ne ſi forte nimis retardemur, non poſſimus in illam ingredi requiem. Sic feſtinatur non corporis paſſibus, ſed animi affectibus. *Pſ. 131.* *Hebr. 4.*

II. PVNCTVM.

S*ED ſecundo nil ita quæri poteſt, vt finis.*

Nihil ita ex terrenis quæri poteſt tamquam noſtra perfectio; Nihil in creaturis omnibus quod per ſe ſic appetendum, & vltra quod aliud quæri non poſſit; Nihil in quo quieſcamus, nihil quod vt finem & ſcopum prætendamus. Quid enim ſunt creata omnia quam vanitas vanitatum, & afflictio ſpiritus & caſſa ſolicitudo mentis? Et tu in his finem tuum ponas? Tu nihil vltra quæras? Tu tamquam illa ſint bona in ſe, bonumque tuum, quæras? Ita plane fit dum peccatur peccato illo quod mortem affert. Non aliter peccatum lethale eſt, nec aliter æterna punitur pœna quàm quod in creatura ponitur finis vltimus. Et licet ſecundo quæratur loco, ſic tamen quæritur quaſi primùm *Eccl. 1. 2.*

Digitized by Google

quæreretur. Nam primùm & finis hîc pro eodem habentur, vt dictum eſt, ſicque propterea quod vni regno Dei debetur vt primum quæratur, hoc peccator creaturæ defert, hoc voluptati, hoc pecuniæ, hoc vanitati Nec efficacius probari poteſt nil poſſe quæri vt finem vltimum, quam dicendo nil poſſe quæri quod ſit lethiferum, quod ſit mortale peccatum. Qua de re vide quæ fuſius proferuntur in hac 3. parte, Dominica prima: & in quarta, Sabbato Hebdomadæ 18.

III. PVNCTVM.

SIC primo igitur quæri debet regnum Dei, vt ſecundo nil ita quæri poſſit, Quod vtrumque ſimul expreſſe à ſancto Auguſtino traditur dum Chriſti Domini Verba ſic exponit: *Quid interſit inter bonum quod appetendum eſt, & neceſſarium quod ſumendum eſt, hac ſententia declarauit cum ait: quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Regnum ergo & Iuſtitia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appetendum, & ibi finis conſtituendus propter quod omnia faciamus quæcumque facimus: ſed quia in hac vita militamus vt ad illud regnum peruenire poſſimus, quæ vita ſine his neceſſariis agi non poteſt: apponentur vobis hæc inquit, ſed vos regnum Dei & Iuſtitiam eius primum quærite. Cum enim dicit illud primum ſignificauit quod hoc poſterius quærendum eſt non tempore, ſed dignitate. Illud tamquam bonum noſtrum; hoc tamquam neceſſarium noſtrum, neceſſarium autem propter illud bonum. Neque enim verbi gratia, debemus Euangelizare vt manducemus; ſed ideo manducare, vt Euangelizemus.* Et poſt multa. *Et ideo cum dixiſſet: quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, non dixit, deinde iſta quærite, quamuis ſint neceſſaria, ſed ait, hæc omnia apponentur vobis, id eſt conſequenter, ſi illa quæratis ſine vllo veſtro impedimento, ne cum iſta quæritis, illinc auertamini, aut ne* DVOS FINES CONSTITVATIS, *vt & regnum Dei propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria: ſed hæc potius propter illud. Ita vobis non deerunt, quia duobus Dominis ſeruire non poteſtis. Duobus autem Dominis ſeruire conatur qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc omnia temporalia. Non poterit autem ſimplicem habere oculum, & vni Domino ſeruire, niſi quæcumque ſunt cætera, ſi ſunt neceſſaria, propter hoc vnum aſſumat; id eſt, propter regnum Dei.* Et poſt pauca: *Ergo ſimplici corde tantummodo*

l. 2. de Serm. Dom. c. 16.

Digitized by Google

propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes: Non autem in hac operatione vel ſolam vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare, quorum omnium temporalium nomine craſtinum poſuit dicens, nolite cogitare de craſtino, non enim dicitur craſtinus dies niſi in tempore, vbi præterito ſuccedit futurum. Ergo cum aliquid boni operamur, non temporalia ſed æterna cogitemus, tunc erit illud bonum & perfectum opus. Pergit vero deinde pluribus declarare quomodo Sancti poſſint ſibi temporalia prouidere, ſic videlicet *vt propter iſta, Deo non ſic militent, vt in operibus ſuis non regnum Dei, ſed iſtorum acquiſitionem intueantur.*

Quod & alibi copioſè proſequitur explanans illum Pſalmi decimi octaui verſum, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem:* Concione 12. *HOS*, inquit, *oculos quibus contemplamur quare faciamus quidquid* In Pſ. 118. *facimus, auerti poſcit, ne videant vanitatem, id eſt ne hanc attendat propter quam faciat cum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ propter quàm multa magna fecerunt qui magni in hoc ſæculo nominati ſunt.* Et poſt multa contra hanc vanitatem, ſic propius ad rem noſtram: *Porrò ſi vanum eſt propter hominum laudes bona facere, quanto vanius propter adipiſcendam pecuniam, vel augendam, ſiue retinendam, & ſi quid huiuſmodi eſt commodi temporalis quod nobis accedit extrinſecus, quia omnia vanitas. Propter ipſam denique temporalem ſalutem non debemus facere bona opera noſtra, ſed potius propter illam quam ſperamus æternam, vbi bono incommutabili perfruamur, quod nobis erit ex Deo, imo quod nobis eſt ipſe Deus.*

Ex quibus ſancti Doctoris verbis intellige quàm ſit illorum qui ſe nimis addicunt temporalibus frigida ratio, cum aiunt ſe non habere malam intentionem, ſe nulli facere injuriam, ſe ſua tantum velle ſibi ſuiſque conſeruare. Nam quæro abs te ſi ex illis es, propter quid vis illa tibi bona conſeruare? Nonne propter ipſa bona quæ nimis diligis, aut propter hanc temporalem vitam quæ illis ſuſtentatur bonis? Nonne hoc eſt quod ait ſanctus ille Doctor, eſſe vanum & cauendum? Nonne ſatis mala eſt illa contentio qua tantum vacas bonis acquirendis vel conſeruandis propter ipſa bona? Expende illud *propter*, expende finem ibi latentem. Non quid agas contempleris, ſed *propter quid*, illud agas. Nam ſi vel bonum opus ageres propter illum finem cuius gratia tuis vacas commodis, tùm bonum male age-

res, & bonum eſſe deſineret: quantò id magis verum in his tuis negotiis & affectibus vbi nil Spirituale & Diuinum, ſed totum terreſtre eſt ac humanum quod tractas. Non eſt crimen quia terreſtre eſt, ſed quia propter hoc ſolum tractas quod eſt terreſtre & caducum, non ſicut res ipſæ vituperabiles & criminoſæ, ſed vel affectus, vel vſus, vel vtentis intentio ſeu finis. Si affectus eſt immoderatus, crimen eſt in illa immoderatione affectus. Si profanus aut peruerſus eſt vſus, crimen eſt in illa vſus peruerſitate. Si finis denique ſolum temporalis nec alio ſpectans crimen eſt in illo fine, quia quod vni debetur Creatori vt ſit finis ad quem, ſicut eſt principium à quo ſicut omnia, tu transfers in creaturam; quod tametſi leue initio videatur, fit tamen proceſſu ſemper graue, quandoquidem ille eſt oculus qui te ſcandalizat & qui potius deberet erui quam quod inde ſequitur damnum inferri. Sunt illæ ſpinæ ſuffocantes ſermentem cœlitus iactam, ſunt illa denique *deſideria nociua & inutilia quæ*
1. Tim. 6. *mergunt homines in interitum & perditionem*; Numquid hoc leue cenſeri debet?

Tu autem ô homo Dei, hæc fuge, ſectare verò Iuſtitiam pietatem, &c.

Sicut à Deo, ſic ad Deum.

Vide hanc inter alias quæ multæ hûc referri poſſunt Veritates.
In 2. parte, Dominica 4. poſt Paſcha.

HAC HEBDOMADA, cùm Scribæ & Pharizæi quererentur apud Dominum de Ipſius Diſcipulis quod non ſeruarent ſeniorum Traditiones, reſponſione ſua Chriſtus Dominus deteget nobis aliquas Illuſiones quæ in vita ſpirituali poſſunt accidere, deque ijs certiſſimæ Veritates ſtatuentur: Ex capite decimo quinto Matthæi.

FERIA

Digitized by Google

FERIA SECVNDA.

QVERVNTVR SCRIBÆ ET PHARIZAEI APVD DOMINVM DE ILLIVS DISCIPVLIS.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Matth. 15.

VERITAS PRACTICA.

Nec propter alios à bono te excuſabis, nec quemquam alium propter te accuſabis.

SENSVS PROPOSITIONIS EST, Quod ſi ad majorem tuam perfectionem agnoueris coram Deo aliquod bonum tibi eſſe faciendum, ſic conſtans eſto in eo faciendo vt non deſiſtas; nec te putes excuſatum ab illo bono opere propter alios qui non idem faciunt; neque vero etiam propterea quemquam accuſes qui non idem præſtet.

RATIO EST, Quia vbi agitur de bono perfectionis, non eſt æqua ſemper tui & aliorum ratio ſiue obligatio.

Sed quando non eſt æqua obligatio, non eſt locus excuſationi, aut accuſationi.

Ergo nec te excuſare debes à bono propter alios, neque alios propter te accuſare. Quod tamen procliue eſt fieri, & diligenter cauendum.

I. PVNCTVM.

ERANT Scribæ & Pharizæi religioſiores ſui temporis apud Iudæos; ſed eorum religioſitas tam multis erat infuſcata ſuperſtitionibus vt potiùs irreligioſitas cenſenda eſſet. Hæc autem inter alias frequentiſſima vigebat ſuperſtitio,

Digitized by Google

vt dùm menſæ accumberent, ſe toties lauarent ad vſque cubitum, quoties cibi genus eſſet mutandum; erantque ita religioſi in ea ceremonia, vt ſi quos pietatis ſectatores cernerent non eam obſeruare, notarent eos vt profanos & velut læſæ religionis reos incuſarent. Cum itaque Diſcipulos Domini animaduerterent perfectioris vitæ cupidos, nec tamen huius conuiualis obſeruantiæ ſtudioſos, conueniunt ipſum Dominum grauiter expoſtulantes & dicentes: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas cum panem manducant.* Expreſſiora quædam habet ſanctus Marcus, *Et cum vidiſſent*, inquit, *quoſdam ex Diſcipulis eius communibus manibus id eſt non lotis manducare panes, vituperauerunt: Pharizæi enim & omnes Iudæi niſi crebro lauerint manus non manducant, tenentes traditionem ſeniorum, & à foro niſi baptiſentur non comedunt, & alia multa ſunt quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.*

Marci 7.

Hoc erat igitur grande piaculum Diſcipulorum Domini quod ſe ita non lauarent: ſeu potiùs hæc erat Pharizæorum intoleranda ſuperſtitio & Illuſio vt vulgarem quandam manuum ablutionem velut religioſam obſeruantiam colerent, & quos viderent non colere, velut irreligioſos accuſarent. Reſpondebit illis Dominus ſequenti meditatione, Interim vero obſeruemus hoc eſſe ſatis familiare & commune vitium ijs qui ſe paulo arctius continent in officiis Chriſtianæ & Religioſæ Pietatis, vt alios notent, accuſent, iudicent & condemnent qui apparent liberiores & laxiores. Quod eſt Illuſionis genus damnoſiſſimum.

Certe, ſi quis liberior & laxior te vellet contra Conſcientiam tuam relaxare & in partes ſuas attrahere; cauere quidem debes ne diſſoluaris, conſtans eſto, nec te putes excuſandum ſi à bono deſiſtas propoſito quia & illi non ſic viuunt: Verum neque tu alios etiam accuſes quod non idem atque tu ſeruent. *Nec te excuſare potes, nec alios accuſare.*

Hæc eſt Veritas ad Praxim vtiliſſima, Cuius fundamentum hoc eſt quod primo præmittitur, Quoties agitur de bono Perfectionis ſeu de bono quod non eſt præceptum, ſed tantum ex conſilio & vt vocant, ex deuotione; fieri poteſt vt non æqua ſit tui & aliorum ratio. Nulla quidem eſt, vt ſupponimus, neque in te neque in aliis, obligatio ex præcepto; ſed tamen poſſunt conſiderari alia

quædam obligationum genera. Primo ex certa Dei inſpiratione, deinde ex Directoris conſilio; Denique à cognitione ſui qua quis ſe videt his aut illis mediis ad perfectionem magis iuuari vel inde impediri, tunc dicitur ineſſe major quædam obligatio ad quæ ex illis motiuis ſe quiſquis inductum nouerit. *Non enim omnia poſſunt eſſe in hominibus*, ait Sapiens, Et rurſum: *Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. NVMQVID omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? VNVSQVISQVE proprium donum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius vero ſic. HAEC dicit qui tenet ſeptem ſtellas in manu ſua*; Id eſt, diuerſos ſpiritus, variaque dona cœleſtia, nam ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic cœleſte donum à dono, ſic Diuina Gratia differt à Gratia. O diuitem in omnes Dei Bonitatem! ó prouidam cunctis Diuinam Sapientiam!

Eccleſ. 17. Ibid. 37. 1. Cor. 12. Ibid 7. Apoc. 2. 1. Cor. 15.

II. PVNCTVM.

S*ED quando non eſt æqua & ſimilis obligatio, non eſt locus excuſationi propriæ vel accuſationi alienæ.*

Sicut enim obligatus ad bonum non excuſatur ſi obligationi non ſatisfaciat, ita certe non obligatus non poteſt accuſari. Hoc ipſo autem quo Deus tibi dat Gratiam ad aliquid faciendum, quam non dat alteri, ſimul tibi declarat, illud à te velle quod non ab altero. *Sequere me dicit Dominus Petro, hic vero videns Diſcipulum quem diligebat IESVS, dixit IESV, Domine hic autem quid? Tum Dominus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te, tu me ſequere.* Quaſi aperte diceret: non illud ipſum ab eo volo, quod à te, Petre, deſidero. Quamobrem ne me deſiſtas ſequi quo greſſu & qua ratione volo me ſequaris, etiamſi me ille non eodem modo ſequatur. Nec propterea Illum accuſabis quod ſe tibi non adjungat ad idem opus, quia nolo idem ab eo.

Ioan. 21.

Non eſt ſpectanda præciſe res de qua eſt quæſtio, ſed Diuina voluntas circa rem talem. Res erat bona & ſancta, miniſtrare menſis initio naſcentis Eccleſiæ ſicut miniſtrabant Apoſtoli: At vero vbi ſenſerunt ſe admonitos à Spiritu ſancto ſatius ipſis eſſe prædicare verbum Dei, non eſt bonum, *Non eſt æquum*, inquiunt, *nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis*; Tum videlicet non erat bonum eis, quia tum aliud ab eis volebat Dominus. Iam vero ſi

Act. 6.

Digitized by Google

quis Apoſtolorum ſe à prædicando verbo voluiſſet excuſare quod alij Diſcipuli non illud prædicarent: aut ſi non prædicantes Diſcipulos voluiſſet accuſare; nonne iniqua fuiſſet eius excuſatio & accuſatio? Cur porro, niſi quia non erat æqua & ſimilis vtrorumque obligatio, non idem ab vtriſque volebat Deus? Quod quidem per ſe eſt tam clarum & manifeſtum vt Ambitio & Negligentia duo illa inſigniora Vitia non aliter grauius perpetrentur quàm quod vel ſupra quæ Deus velit, vel infra procedatur.
Prou. 4. *Neque declines ad dextram, neque ad ſiniſtram: vias enim quæ à dextris ſunt, nouit Dominus; peruerſæ verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt.* Ex vtra parte deficis? Forte ex vtraque.

III. PVNCTVM.

NEC *propter alios igitur à bono te excuſabis, nec quemquam alium propter te accuſabis:* Quia ſic peruerteres vniuerſum Gratiarum ordinem qui tam diuerſus eſt circa bona quædam facienda quàm ſunt diuerſi non tantùm ordines in Eccleſia, ſed diuerſæ etiam perſonæ in vnoquoque ordine. Ac proinde dicebat
1. Cor. 15. Apoſtolus: *Vnuſquiſque in ſuo ordine,* primùm quidem in ijs quæ ſpectant gratiam, tum quæ futuram gloriam. Hæc eſt ſcilicet Va-
Pſ. 44. rietas qua *circumdatur Regina in veſtitu deaurato,* Id eſt, Eccleſia triumphans & militans cuius tot ſunt figuræ & adumbratæ quædam Imagines, quot ſunt in mundo corpora ſiue cœleſtia ſiue terreſtria, ſiue humana ſiue ciuilia: quæ cum omnia non niſi diuerſis conſtent partibus, quæ ſuum quæque munus & ordinem diſtinctum habent, nihil eſſet vniuerſæ rerum naturæ repugnantius, quàm ſi pars vna, deſerto ſuo munere & ordine, ſe in alterius munus ingereret, aut ad ſui formam cæteras omnes efformaret.

Numquid ſol ceſſabit lucere quia ſolus in die lucet? Aut numquid ideo cætera poteris accuſare aſtra, quòd minus quàm ſol lucent? Velleſne corpus humanum aut totum eſſe oculum, aut to-
2. Tim. 2. tum aurem? Quis à ficu poma, vel à pomo ficus deſideret? Numquid *in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam?* Quid inſulſius quam ſi ſeruus dominari velit, aut
Prou. 30. Dominus ſe ſeruo nimis ſubjiciat? Hoc eſt *quod terram commouet & conturbat,* inquit Sapiens, cum *ſeruus regnauerit:* & hoc eſt quod *terra non poteſt ſuſtinere, cùm ancilla fuerit hæres Dominæ ſuæ.*

Digitized by Google

Vide quæ ſupra de his fuſius vbi non modo diſcas quàm ſit fructuoſum ſibi ſuoque muneri vacare fideliter, ſed quàm præterea perniciofum, inde diſcedere quouis prætextu, vel alios iudicare, quod idem tecum non ſentiant, nec ſe tibi conforment. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet, Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis eſt qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. Vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus: ſed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.* Quod certe fit alterutro ex his duobus quæ in Veritate conſiderata continentur, nempe ſi deſiſtas facere propter alios quod tibi faciendum cognoueris: aut ſi accuſes alios quod idem tecum non præſtent. Vtroque poſſunt perinde offendi, quia vtrumque perinde eſt inordinatum. *In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerua.*

In 1. parte, in Communi Conf. Pontif.

Rom. 14.

Apoc. 3.

FERIA TERTIA.

RESPONDET DOMINVS PHARIZAEIS.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram? Matth. 15.

VERITAS PRACTICA.

Nemo ſui boni, vel mali bonus Iudex.

Id eſt, in Ratione boni vel mali agendi, Iudicium noſtrum quantumuis pium videatur & religioſum, nobis ſaltem debet eſſe ſuſpectum.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia vbi periculum eſt ne noſtrum Iudicium à natura corrupta corrumpatur, ſuſpectum nobis eſſe debet.*

Sed in ratione boni vel mali agendi, periculum eſt ne Iudicium noſtrum corrumpatur.

Ergo tùm nobis ſaltem ſuſpectum eſſe debet; & non ſtatim ſequendum: ſicut multis aliquando accidit, & tibi ſæpius.

I. PVNCTVM.

Comm. in Matth.

RECTISSIME ſanctus Hieronymus de reſponſione Domini ad Pharizæos, *Falſam calumniam vera reſponſione confutat. Cum*, inquit, *vos propter traditionem hominum Præcepta Dei negligatis, quare Diſcipulos meos arguendos putatis, quod Seniorum iuſſa paruipendant vt Dei ſcita cuſtodiant?* Quodnam vero Pharizæi mandatum tranſgrederentur, Ipſe Dominus in Euangelio pergens loqui, ſic aperit; *Nam Deus dixit, honora Patrem & matrem, & qui maledixerit Patri vel matri, morte moriatur; vos autem dicitis, quicumque dixerit Patri vel matri, Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit Patrem ſuum aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.*

Quæ Domini Verba ſic explicat Idem ſanctus Hieronymus; *Præceperat Dominus, vel imbecillitates vel ætates vel penurias Parentum conſiderans, vt filij honorarent etiam in vitæ neceſſariis miniſtrandis, Parentes ſuos. Hanc prouidentiſſimam Dei legem volentes Scribæ & Pharizæi ſubuertere, vt impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt peſſimos filios, vt ſi quis ea quæ Parentibus offerenda ſunt, Deo vouere voluerit, qui verus eſt Pater, oblatio Dei præponatur Parentum muneribus: vel certe ipſi Parentes, quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegij crimen incurrerent declinantes, egeſtate conficiebantur. Atque ita fiebat vt oblatio liberorum ſub occaſione templi & Dei, in Sacerdotum lucra cederet.*

Hæc ſanctus Doctor in quibus illud præcipuè obſerua quod dicit, *Vt impietatem ſub nomine pietatis inducerent.* Quod propriè eſt illudi quando ſub prætextu boni fit malum. O quam multos hæc illudit illuſio! Quam multi libere peccant vt aliquid boni

agant? Quàm multi officioſè mentiuntur, iucundè detrahunt, & vt placeant aliis, diſplicent Deo! *Numquid Deus indiget veſtro mendacio?* Iam pridem dixit Apoſtolus & ſupra declaratum eſt. *Non eſſe facienda mala vt eueniant bona.* Sed quia ſæpe aliter iudicamus, & videmur nobis piè & religioſe iudicare, idcirco opportune hæc vniuerſalis Veritas proponitur vt in ratione boni vel mali agendi, Iudicium noſtrum, quantumcumque pium & religioſum videatur, ſuſpectum nobis ſit, nec cito in praxi ſequendum.

Iob 13. *Rom. 3.* *In 1. parte, die 2. Ian.*

Ratio eſt facilis, ſed ſæpe nobis conſideranda pro fructu quem continet, mirum enim quantum noſtro nos decipiamus iudicio, & eo quidem facilius quo videtur æquius & religioſius. At certe diffidendum & tùm vel maximè cum periculum eſt ne à natura corrupta corrumpatur. Hæc eſt vna videlicet ex humanis miſeriis deploratiſſima, vt cùm appetitum cohibere & regere deberet Ratio atque Iudicium, Iudicium potius ipſe appetitus peruertat & deprauet. *Inconſtantia Concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum*, ait Sapiens, *Munera excæcant prudentes & ſubuertunt Verba Iuſtorum*, ait ipſe Deus: & alibi, *Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium.* Certe vbi ſublata eſt anima, Iudicium ſupereſſe non poteſt, neque aliter qui dat munera, Iudicium accipientis aufert, quam quia munerum appetitu ſe ſuo ſinit corrumpi Iudicio qui munus accipit. *Neſcierunt facere Iudicium rectum, theſaurizantes iniquitatem & rapinam in diebus ſuis. AVDITE hoc Principes domus Iacob, & Iudices domus Iſrael qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis. Principes in muneribus iudicabant: & Sacerdotes in mercede docebant; & Prophetæ in pecunia diuinabant: & ſuper Dominum requieſcebant dicentes: Numquid non Dominus in medio noſtrum? Non venient ſuper nos mala. Propter hoc, cauſa veſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.* Quaſi diceret, inde tota pernicies quod Iudicium corrumpatur: & inde tota Iudicij corruptio quod ex appetitu deprauetur.

Sap. 4. *Exodi 23.* *Prou. 22.* *Amos 3.* *Mich. 3.*

II. PVNCTVM.

SED in ratione boni vel mali agendi tunc maximè periculum eſt ne Iudicium noſtrum corrumpatur.

Digitized by Google

Quia videlicet tunc maxime viget & excitatur appetitus naturalis. Nam ſi hic appetitus hoc vnum ſpectat vt quod ſibi placet, auide proſequatur, & quod ſibi diſplicet, cito fugiat; Nonne tum illa proſecutio & fuga maximè concitantur quando eſt euitandum culpæ malum, vel bonum opus faciendum? Quandoquidem in alterutro ſemper ineſt quod magis appetitui placeat aut diſpliceat. Quid enim huic magis placet quam epulari, iocari, ludere, quæ ſunt mala ſæpe euitanda: & quid magis diſplicet quam ieiunare, ſilere, obedire, humiliari, & ſimiles virtutum actus, quæ
Hebr. 12. ſunt nobis bona præſtanda? *Omnis diſciplina*, inquit Apoſtolus, *in præſenti quidem videtur, non eſſe gaudij, ſed mœroris.* Atque inde primo ſequitur vt pro majori complacentia vel diſplicentia quam appetitus ſenſit, ipſe appetitus corrumpatur, deinde vero
Iudith 16. ſic corruptus iudicium ad ſe trahat & corrumpat. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius: Pulchritudo eius captiuam fecit animam eius:* De Iudith a ſermo eſt circa Holofernem: & de re quauis delectabili, circa iudicium ſermo vſurpari poteſt.

Quod vel ex eo maxime probatur quod tam multi peccent & tam pauci ſe vere agnoſcant peccatores, quia videlicet in peccatis cæcutiunt, corruptum eſt iudicium; videtur feſtuca in oculo pro-
Apoc. 3. ximi, & trabs non apparet in proprio. *Collyrio inunge oculos tuos vt videas.*

III. PVNCTVM.

NEMO *igitur ſui boni vel mali bonus eſt Iudex.* NON *eſt qui*
Iſ. 59. *inuocet iuſtitiam*, ait Propheta, *neque eſt qui iudicet verè*; Quod tum præcipue verum eſt quando agitur de bono virtutis arduo & difficili exercendo quod refugit appetitus; vel de vitioſo actu euitando quo concupiſcentia delectatur; tunc niſi diligenter cum Gratia ſibi homo aduigilet, facile ſibi perſuadebit tale bonum ſibi non expedire, aut tale malum ſibi non nocere. *En morior, quid*
Gen. 25. *mihi proderunt primogenita, Sic accepto pane Eſau, & lentis edulio, comedit, & bibit & abijt paruipendens quod primogenita vendidiſſet.*
Sap 4. Sic *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona:* Sicque mens faſcinata vel negabit ſe peccaſſe, vel quod peccauit non eſſe admodum graue.
Prou. 30. *Comedit & tergens os ſuum dicit, non ſum operata malum.* PECCAVI,
Eccleſ. 5. *& quid mihi accidit triſte?*

Itane,

Digitized by Google

Itane vero Chriſtianus de peccato iudicare poſſet, niſi iudicio corruptus eſſet? O quàm vere ſanctus Dorotheus: *Cum ſubjecti ſimus multis paſſionibus, prauiſque affectibus, noſtro Iudicio non debemus omnino fidere. Quando enim norma vel regula curua eſt & inflexa, numquam quod ſecundum eam dirigitur, rectum efficitur, ſed diſtortum.* *QVOD ſi culpam amici,* inquit ſanctus Bernardus, *in tuo iudicio, amor illius aut minuit, aut prorſus abſcondit, quanto magis amor tui tuum contra te iudicium fallet?* Serm. 19. Tract. de Grad. Humil.

Sanctus vero Gregorius in Moralibus de hac vniuerſa iudicij prauitate & ignorantia ſic præclarè & fuſe diſſerit: *Sæpe recto ſtudio contra delinquentium culpas accendimur, & cùm vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum iuſtæ diſtrictionis æſtimamus. Sæpe officium prædicationis aſſumimus, vt per hoc fraternæ vtilitati ſeruiamus, ſed niſi placeamus cui loquimur, nequaquam libenter accipitur quod prædicamus. Cumque placere mens vtiliter ſtudet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit, & quæ à captiuitate vitiorum curabat alios eruere, ipſa ſuis facinoribus incipit captiua ſeruire. Quaſi latrunculus quippe eſt appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumque propoſitæ vtilitatis intentio ad ſtudia priuata deducitur: horrendo modo vnum idemque opus culpa peragit quod virtus inchoauit.* l. 9. Mor. c. 18. & 19.

Sæpe & ab ipſis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio oſtendit. Sæpe ſe fidelem ſibi nec ipſa cogitatio exhibet, quia aliud ante oculos mentis verſat, & longe ad aliud ex intentione feſtinat. Nam plerumque nonnulli terrena præmia appetunt, & iuſtitiam defendunt, ſeque innocentes æſtimant & eſſe defenſores rectitudinis exultant, quibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, à defenſione protinus iuſtitiæ ceſſatur: & tamen defenſores ſe Iuſtitiæ cogitant, ſibique ſe rectos aſſerunt qui nequaquam rectitudinem, ſed nummos quærunt.

Et poſt pauca. *Sæpe recta agimus & nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus, ſed tamen mens in ſui fiduciam erecta, his à quibus nihil expetit, placere contemnit, eorum iudicia deſpicit, ſeque male liberam per abrupta elationis rapit: & inde ſub vitio pejus obruitur, vnde quaſi deuictis vitiis, nullis ſe appetitionibus ſubjacere gloriatur. Sæpe dum noſmetipſos plus iuſto diſcutimus, de ipſo diſcretionis ſtudio indiſcretius erramus, & mentis noſtræ acies quò plus cernere nititur, obſcuratur: quia & qui importunè ſolis radios aſpicit, tenebreſcit, & inde nihil videre compellitur, vnde videre amplius conatur.*

Ex quibus ſancti Doctoris verbis, & aliis ſupra dictis patet, Iudicium humanum deprauari ex appetitu tripliciter, Primo quidem cum homo ſibi fingit non eſſe malum quod perpetrat: Deinde cum an ſit malum aut bonum plane ignorat. Denique cum bonum putat quod eſt malum. O quis ſibi fidat! ô quis ſibi non diffidat!

Prou. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ: ne ſis Sapiens apud temetipſum, VIA*
Ibid. 11. *ſtulti recta in oculis eius; qui autem Sapiens eſt, audit conſilia. NE di-*
Eccleſi. 11. *cas quid eſt mihi opus? Et quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas ſufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor?*

Vide in 1. parte, Feria 4. & 5. Hebdom. 3. poſt Epiphan. Et in 2. parte, Sabbato Hebdom. 2. poſt Paſcha: Feria 5. quæ eſt Octaua Aſcenſionis, Vbi hæc tractatur Veritas:

Qui ſenſu ſuo priuato ſaniorem ſe aliis putat, ſano ſe priuat ſenſu.

FERIA QVARTA.

DE HIS CHRISTI DOMINI VERBIS AD PHARIZAEOS.

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Iſaias dicens, Populus hic labiis me honorat, Cor autem eorum longe eſt à me. Matth. 15.

Verba Prophetæ ſunt hæc:

Appropinquat Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me: Cor autem eius longe eſt à me. Iſ. 29.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Quò ſæpe vehementius Deum oras, ore quidem illi adſtas propius, ſed corde diſtas longius.

RATIO EST, *Quia quò vehementius aliquid Deum oras, ſæpe eſt naturalis ipſe affectus magis inordinatus.*

Sed cùm ſic orando affectus eſt magis inordinatus, tùm corde diſtas à Deo longius, licet illi adſtes ore propius.

Ergo & quò ſæpe vehementius Deum oras, ore quidem illi adſtas propius, ſed corde diſtas longius. Quod certe eſt Illuſionis genus valde cauendum,

I. PVNCTVM.

QVÆ Dominus in Pharizæos Verba proſequitur, plana ſunt, ſi de Pharizæis tantum intelligantur; ſed ſi ad nos, vt par eſt, illa conuertimus, vix vllus forſan ſe ijs notari animaduertet, niſi quod orando diſtractum cor habeat, quæ eſt humana infirmitas quam ſancti quique gemunt.

Verùm, In Veritate propoſita grauius aliquid continetur quod merito eſt expendendum. Fit enim aliquando & forte à te ſæpius, vt cùm quid vehementius naturaliter deſideramus, id etiam vehemẽtius Deum rogemus, & tùm nos magis deuotos, magis illi affectos, vnitos & orationi attentos exiſtimemus. Quæ certe eſt Illuſio damnoſiſſima & valde cauenda; Nam è contra, *Quo illud vehementius Deum oras, tum ſæpe longius ab eo diſtas.* Nonne hoc eſt pauendum ſi verum eſt? Diſce autem ex hac Ratiocinatione quàm ſit verum. Dubitari non poteſt quin ſape quando vehementius aliquid Deum rogas, illud aliquid ex illo rerum genere ſit quas naturaliter diligimus vt vitæ proſperitates, commoda, fœlices negotiorum euentus, honores, diuitias & ſimilia quæ ſunt ordinaria noſtra deſideria, ſatis honeſtis & piis etiam tecta pretextibus, vt ſic commodius ſeruiamus Deo, vel ne bonorum contrariis & oppoſitis premamur malis. Nonne hæc aliquando ita deſideras

& Deum oras? At nonne verendum eſt ne illa deſideres vehementius quàm oporteret? Nonne verendum eſt ne deſiderium illud minùs ſit ordinatum, & plus æquo feratur in rem concupitam, quàm recta Ratio poſtulet?

Perge vlterius & inquire à te ipſo nùm quando ſic vehementior eſt affectus, affectus ſit magis inordinatus, aut in re quæ deſideratur, aut in modo, vel in fine. Sic Eſau vehementer benedi-
Gen. 27. ctionem Patris poſtulabat, Nam *irrugiit clamore magno, & conſternatus*, ait, *Benedic etiam & mihi, Pater mi.* At vero quam parum
Hebr. 12. fuerit tum eius affectus ordinatus, conſtat ex Apoſtoli Verbis: *Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt; non enim inuenit pænitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Sic Rex Antiochus, Rex ille ſceleſtus qui tam
2. Macch. 9. vehementer, *orabat Dominum à quo non erat miſericordiam conſecuturus*, Nonne ex ipſo naturali & inordinato quo viuebat affectu ſic orabat vt viueret, & quò vehementius orabat, licet affectum tegeret & diſſimularet, eo tamen coram Deo magis inordinatus erat? Nam reuera vitam non deſiderabat niſi vt more ſolito viueret. Sic denique vehementer illi orabant de quibus ipſe Deus,
Iſ. 58. *Rogant me*, inquit, *Iudicia Iuſtitiæ, appropinquare Deo volunt: quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? Humiliauimus animas noſtras, & neſciſti!* Sed quod eis reſpondetur, ſatis indicat quàm inordinatum orando & ieiunando affectum haberent, vnde quo erat eorum oratio vehementior, tanto magis inordinatus prodibat eorum
Iacobi 4. affectus. O quàm vere ſanctus Iacobus: *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.*

II. PVNCTVM.

SED cùm ſic orando, tuus affectus eſt magis inordinatus, tùm corde diſtas à Deo longius, licet illi adſtes ore propius.

Nam quod eſt valde conſiderandum, numquam corde longiores à Deo ſumus quam cùm voluntate & affectu diſſentimus; quando autem deſiderium rei alicuius eſt vehementius quàm oporteret, tunc eſt inordinatum, & voluntas ita deſiderans ſic à Deo diſſentit, vt quantum eſt inordinate deſiderans, tantum
Pſ. 63. à Deo diſſentiat, diſtentque ſimul longius. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Id eſt, tanto magis recedet Deus ab

illo homine qui ſe inordinate prouehit aut aliquid ſupra ſe altius cupit. *Numquid eſt cor tuum rectum*, aiebat Iehu Rex Iſrael, *ſicut cor meum cum corde tuo?* Et ait Ionadab: *Eſt. Si eſt*, inquit, *da manum tuam: Qui dedit ei manum ſuam: at ille leuauit eum ad ſe in currum.* Sic Deus ab vnoquoque petit vt ſe ſibi vniat, viuantque ſimul. Non eſt autem cor rectum ſi eſt inordinatum, cum rectitudo cordis pendeat à ſua regula, quæ eſt æterna Lex ſeu Diuina voluntas. 4. Reg. 10.

Sic apte ſanctus Auguſtinus; *Qui ſunt recti corde? Qui voluntatem ſuam ad voluntatem Dei dirigunt, non voluntatem Dei ad voluntatem ſuam curuare conantur.* Et paulo poſt, *Hoc cogitant qui recto ſunt corde, qui voluntatem Dei ſequuntur non ſuam: faciunt illum præcedentem, & ſe ſequentes: non autem ſe præcedentes & illum ſequentem. Et in omnibus eum bonum inueniunt, ſiue emendantem, ſiue conſtantem, ſiue conſolantem, ſiue exercentem, ſiue coronantem, ſiue purgantem, ſiue illuminantem.* In Præfatione. Pſ. 124. In Expoſit. eiuſdem.

Itemque alibi: *Qui ſunt recti? Qui dirigunt cor ſecundum voluntatem Dei, & ſi eos perturbat humana fragilitas, Diuina conſolatur æquitas. Quamuis autem corde mortali priuatim aliquid velint quod ſuæ interim cauſæ vel negotio vel præſenti neceſſitati conueniat, vbi intellexerint & cognouerint aliud Deum velle, præponunt voluntatem Melioris voluntati ſuæ, & voluntatem Omnipotentis voluntati infirmi; & voluntatem Dei, voluntati hominis.* Et poſt multa de exemplo Chriſti orantis in horto, *Non quod ego volo, ſed quod tu Pater. QVOMODO*, inquit, *diſiunctus es à Deo qui iam hoc vis quod Deus? Eris ergo rectus & te decet laudatio, quoniam rectos decet laudatio. Si autem curuus fueris, laudes Deum quando tibi bene eſt, blaſphemas quando tibi male eſt*, &c. Quaſi diceret, ſicut illi corde cum Deo conjuncti ſunt qui recti ſunt, ſeu qui amant & faciunt eius voluntatem: ſic ab eo diſiuncti ſunt corde qui curui ſunt & ita inordinati vt Deum non laudent niſi cum ipſis bene fecerit. *Si non fuerint ſaturati, & murmurabunt*, O infida corda, ô curuas in terram animas. In Pſ. 32. Pſ. 58.

III. PVNCTVM.

QVO *ſæpe igitur vehementius Deum oras, ore quidem illi adſtas propius, ſed corde diſtas longius*, Quia illa orationis vehementia procedit potius ab inordinato quodam cordis affectu

Digitized by Google

quam à recta ratione vel pia voluntate: Vnde fit vt quàm inordinata eſt cordis affectio, tam longe Cor diſtet à Deo. Sicut enim acceſſus cordis ad Deum conſiſtit in ipſius cordis rectitudine & ordinatione ſecundum Diuinam voluntatem, ſic eius à Deo receſſus fit, cùm curuum & inordinatum redditur, quando ſcilicet ſeſe per affectum naturalem nimis inflectit in res creatas.

Oſee 7. *Væ eis, quoniam receſſerunt à me. Non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me.* Id eſt, ſatis quidem vehementer orabant cùm clamarent & vlularent, ſed cum pro ſuis bonis temporalibus tantum me orarent, ibique cor haberent defixum: quò ſe putabant orando propius ad me accedere, eo recedebant longius, ſic orando tantum temporalia & caduca. Non me inuocant non me deſiderant qui ſic orant, ſed illa tantum bona quæ ſibi optant.

Quod præclare ſanctus Auguſtinus ad illa Pſalmi Verba;

Pſ. 52. *Deum non inuocauerunt.* NONNE, inquit, *quotidie tales rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite ſi poſſimus hoc dicere adjuuante ipſo Deo. Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe vult diligi, hoc eſt, caſtè amari: non propterea ſe amari, quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergo inuocat Deum vt diues fiat, Deum non inuocat, hoc enim inuocat quod ad ſe vult venire: quid enim eſt inuocare, niſi vocare in ſe? In ſe ergo vocare, hoc dicitur inuocare. Nam cùm dicitur, Deus da mihi diuitias: non vis vt ipſe Deus ad te veniat, ſed vis vt diuitiæ veniant ad te. Quod vis vt ad te veniat, hoc inuocas. Si autem Deum inuocares, ipſe ad te veniret, ipſe eſſet diuitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam, & inanem conſcientiam. Deus non implet arcam, ſed pectus. Quid tibi proſunt exteriores diuitiæ, ſi te interior premit egeſtus? Ergo iſti qui propter ſæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præſentem & terrenam fœlicitatem inuocant Deum, non inuocant Deum.*

Hæc ad Verbum ſanctus Ille Doctor ex quibus non modo patet propoſitæ Veritatis Ratio, ſed quàm ſit damnoſum quàm pudendum & alienum à vera religione ſic orare Deum. Hoc eſt ſcilicet quod Eccleſiaſticus primo ipſo libri capite tantopere

Eccleſi. 1. præcauebat: *Ne ſis incredibilis timori Domini, & ne acceſſeris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, & addu-*

Digitized by Google

tas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat te; quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia. Nec importunum videri debet quod ex ſancto Iacobo huc iterum reuocamus: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, Peccatores: & purificate corda, duplices animo.* Iac. 4.

Hanc Eccleſiaſtes cordis purificationem, ſic oraturo commendabat: *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei; & appropinqua vt audias.* Id eſt, caue affectum inordinatum, caue ne ex eo Deum ores; audi potius ipſum Deum te admonentem vt hunc prauum deponas affectum; cui admonitioni ſi parueris, longe plus Deo dabis quam ſi multas illi mactaſſes victimas; vnde & pergit Sapiens, *Multo enim melior eſt obedientia quam ſtultorum victimæ, qui neſciunt quid faciunt*: Nempe neſciunt nec cogitant quantum Deo diſpliceat ſic orari cum affectu inordinato. *Videte, vigilate, & orate.* Eccl. 4. Marci 13.

Videri debet in 2. parte, Feria 4. Pentecoſtes.

FERIA QVINTA.

AD HÆC CHRISTI DOMINI VERBA CONTRA PHARIZAEOS.

Omnis Plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. Matth. 15.

VERITAS PRACTICA.

Humana conſilia eò ſæpe pejora, quo meliora.

RATIO EST, Quia conſilia quæuis eò pejora ſunt, quò magis obſunt intento fini.

Digitized by Google

Sed quò meliora ſunt, eò ſæpe intento fini magis obſunt.

Ergo eo ſæpe pejora ſunt quò meliora. Quamobrem in id acuratiùs inuigilandum eſt.

I. PVNCTVM.

CVM nihil haberent Pharizæi quod Verbis Chriſti opponerent, nec tamen Chriſto Domino crederent, hoc vnum reſtabat illis murmurare, infrendere, & tamquam ſe ab eo male acceptos atque offenſos palàm conqueri. Quod cùm animaduerterent Diſcipuli Domini, *Accedentes,* inquit Euangeliſta, *dixerunt ei: Scis quia Pharizæi audito Verbo hoc, ſcandalizati ſunt. At ille reſpondens ait: omnis plantatio quam non plantauit Pater meus Cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum; cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Quaſi diceret, ne turbemini aut vllo modo moueamini propter facta Pharizæorum, quia deficient, exareſcent, aut etiam euellentur, ſicut infecunda plantatio; Atque vniuerſim illud certi habetote quod quidquid non fuerit à Deo vel cùm Deo inſtitutum, illud non ſtabit.

Quæ Chriſti Domini ſententia valde Moralis eſt & ſaluberrimum continet documentum, quo admonemur nihil inconſulto Deo ſtatuendum: nihil quidquam ſuſcipiendum ſine Deo, nihil alioquin profuturum, quantumcumque videatur ſapienter ſuſceptum; Imo quò ſapientius illud videbitur, ſi tantum humanùm eſt conſilium, nec Diuinum acceſſerit; *quò inquam illud humanum conſilium melius & vtilius apparebit, eò ſæpe deterius fiet.*

Hoc eſt quod expreſſius hodierna Veritate proponitur, per humana conſilia intelligendo non modo quidquid homines conſulunt, ſed quod ipſi nobiſcum ſtatuimus, noſtro tantum naturali & humano conſilio inſtructi, ſine peculiari recurſu ad Deum & non habita potius ratione ad Eius ordinationem & voluntatem quàm ad noſtram. Hæc erit plantatio quam non plantauit Pater Cœleſtis, & quæ eradicabitur, nihil proficiet, imo & nocebit, & tanto forte grauius quanto illud humanum conſilium videbatur vtilius. Quod quia magis mirum eſt & periculoſum niſi præcaueatur, idcirco diligentius expendendum.

Ratio

Digitized by Google

Ratio autem quæ id demonſtrat, hæc eſt inter alias, quod tunc cenſeri debet conſilium inutile aut etiam pernicioſum quod adeo non proficit ad finem negotij cuius cauſa ſuſcipitur, vt ei noceat & contraueniat. Nonne hoc eſt ipſo naturæ notum lumine, necnon ipſo naturali ſenſu compertum? Quorſum enim deliberamus & conſilia nobiſcum vel cum aliis ſimul inimus de negotiis, niſi ad ea fœlicius ad ſuum finem & exitum perducendà? Quænam autem meliora vel pejora conſilia dicimus niſi quæ facilius eò ducunt, aut inde deducunt quò ſpectamus? Quænam prudentior mediorum electio niſi quæ directius ad propoſitum finem ducit? Nonne vel hoc ipſo Diuina commendatur Sapientia quod *attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter*, Id eſt, conuenientibus ſibi propoſito finī mediis. Atque hinc Sapiens: *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans: GENS abſque conſilio eſt & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent ac nouiſſima prouiderent.* Nempe inconſulti ſunt qui ſibi finem ſuum non proponunt. *Sap. 8.* *Prou. 14.* *Deut 32.*

II. PVNCTVM.

SED humana conſilia quò vtiliora videntur, eò ſæpe magis obſunt fini ſeu negotio quod ſuſcepimus, quàm illi proſint.

Primò quidem quando hoc vnum eſſet quod humana ſunt tantùm conſilia quibus Diuina non acceſſerunt, neque vt accederent ſunt implorata, nonne ſufficeret ad prouocandam illam deſertionem Dei quam ipſe per Prophetam minatur: *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium & non ex me, & ordiremini telam & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum, qui ambulatis vt deſcendatis in Aegyptum, ET OS MEVM NON INTERROGASTIS: ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.* Quæ omnia tam vere nobis ſingulatim applicari poſſunt, quam certum eſt de nobis ſingulis ſingularem eſſe Dei prouidentiam, ſi eam vellemus attendere. *Iſ. 30.*

Deinde verò, quò vtiliora videntur illa conſilia, major in eis fiducia ponitur, tantumque ſolent homines in humana induſtria & ſolertia ponere vt quo major eſt induſtria & ſolertia, eo plus

Digitized by Google

in ea ponant. Nonne id eſt naturale & humanum? At ſcito id eſſe valde pernicioſum quia inde magis etiam à Deo retrahimur, aut certe minus in eo fidimus. Quod ita quidem illi diſplicet vt propterea ſe negotio Ipſe opponat & rem diſturbet, quod his apte

Iſ. 19. Propheta concepit & expreſſit Verbis: *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Lege caput integrum Prophetæ quod pene totum eſt de hoc argumento, & caput trigeſimum primum vbi hæc præcipue perpendenda ſunt verba: *Aegyptus homo, & non Deus: & equi eorum caro & non Spiritus: & Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimulque omnes conſumentur.* Cui cohærenter Ieremias, *quoniam ob-*

Ier. 2. *triuit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum in ea.*

Denique, quantumcumque ſint illa conſilia nobis ad negotium temporale ac humanum finem vtilia, quænam eſt illa vtilitas ſi æterno nocet negotio & illi obſtat ſupernaturali Fini ad quem omnia dirigenda eſſent negotia? *Quid enim proficit homo ſi lucretur*

Luc. 9. *vniuerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?* Sæpe autem hoc accidit vt quò vtiliora ſunt illa humana conſilia ad finem temporalem, deteriora ſint ad ſupernaturalem. Nam cùm finis temporalis vix ſit alius quàm vel honoris vel commodorum aut voluptatis argumentum: Quid hæc ad vitam æternam? Imo quantam ab incommutabili & vero bono hæc caduca deducant, quis non videt, quis non deplorat niſi cæcus & perditus? *Pro-*

Iſ. 5. *pterea dilatauit Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſique eius ad eum.* Nonne & propterea *Prudentia carnis mors eſt? Et*

Rom. 8. *Sapientia carnis inimica eſt Deo? Legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt.* Sic *ſtultam fecit Deus Sapientiam huius mundi.*

1. Cor. 1.

III. PVNCTVM.

HVMANA *ergo conſilia eò ſæpe pejora quo meliora:* Quia cùm merè humana ſint, humanâ tantum ducuntur ſapientia quæ

1. Cor. 1. Diuinæ ſic eſt oppoſita vt quod *ſtultum eſt Dei, ſapientius ſit hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius ſit hominibus:* Vnde quid ſequitur niſi quod videbatur melius coram hominibus, fiat coram Deo pejus, ſicut quod erat apud Deum Sapientius, factum apud ho-

Digitized by Google

mines ſtultius? *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum: Conſilium autem Domini in æternum manet.* Iam vero quid boni ſperes Deo non adjuuante? Aut quid mali non timeas contradicente Deo? Pſ. 32

Nihil agas, inquit Deus, me inconſulto, & omnia tibi fœliciter fluent. Tu vero contra; Etiam Te non conſulto, fœlicius cedent. Itane auderes loqui? Et nonne apud Deum opera magis audiuntur quam verba? Non credis Sapienti, vel potiùs ipſi Deo ſic per Sapientem imperanti; *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne innitaris Prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita Illum, & Ipſe diriget greſſus tuos. Et ne ſis Sapiens apud temetipſum.* Quod & Apoſtolus repetit: *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* Neque ad hanc propriam cauendam Prudentiam, ſufficit conſulere homines, niſi etiam Ipſe conſulatur & inuocetur Deus. Vnde aperte Sapiens, poſtquam dixit inter Conſultores eum eſſe præferendum qui ſanctitate præſtat, addit & poſt illum etiam conſultum, tum præcipue Deum eſſe conſulendum. *Cum viro*, inquit, *ſancto aſſiduus eſto, quemadmodum cognoueris obſeruantem timorem Dei; Cor boni conſilij ſtatue tecum, non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera quàm ſeptem Circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Et in his omnibus deprecare Altiſſimum vt dirigat in Veritate viam tuam.* Pr. 3. Rom. 12. Eccleſ. 37.

Denique, vt magis appareat differentia plantationis plantatæ à Domino & non plantatæ, ſeu animæ confidentis in Deo vel in homine, audi ipſum loquentem Dominum: *Hæc dicit Dominus: maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cùm venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Ier. 17.

Videſne differentiam vtriuſque Confidentiæ? Poteratne magis innoteſcere quàm ex facta comparatione tantæ benedictionis & maledictionis oppoſitæ? Quis tam parùm ſui amans qui cùm poſſit à Deo benedici benedictione præcipua, malit meledici maledictione peſſima? Sic proinde ſapienter Iuniorem monebat Se-

Digitized by Google

Tobiæ 4. nior Tobias: *Omni tempore benedic Deum: & pete ab Eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Quem in vſum apti
Pſ. 5. occurrent multi Pſalmorum verſiculi: *Domine deduc me in iuſtitia tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.*
Pſ. 142. *NOTAM fac mihi viam in qua ambulem, &c.*

Vide in hac 3. parte, Quæ tres primæ habentur de ſtatibus, circa finem totius partis.

FERIA SEXTA.

Quæ procedunt de ore, de corde exeunt: & ea coinquinant hominem. De Corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Matth. 15.

VERITAS PRACTICA.

Etſi in aliis hominibus, Concupiſcentia ſæpe peccatum minuit: In te tamen ſæpius auget.

RATIO EST, Quia quando Concupiſcentia antecedens eſt, diminuit peccatum; Quando vero eſt conſequens, illud auget.

Sed in te ſæpius eſt conſequens.

Ergo & ſæpius auget peccatum; Quod tamen non aduertis & in quo multùm illuderis.

I. PVNCTVM.

VT apertiùs appararet quàm longe grauiùs arguendi eſſent Pharizæi ſuis illotis cordibus, quàm Diſcipuli Domini, non lotis manibus; *Tunc conuocatis ad ſe Dominus turbis dixit eis, Audite & intelligite: Non quod intrat in os coinqui-*

nat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tum paulo poſt particularius ad Diſcipulos, *Quæ procedunt*, inquit, *de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.*

Quæ Chriſti Domini Verba cùm poſſint intelligi de omni peccato quod ex corde exit, quatenus à voluntate procedit; ſunt tamen quædam quæ de corde magis exeunt, quæ ſcilicet ex Concupiſcentia magis procedunt, & ea ſunt etiam quæ magis peccantem coinquinant quia peccatum augent, quod certe pauci aduertunt, Tuque inter illos ſi te probe noris, & grauius his peccatis peccas, & minus aduertis. Audi igitur Veritatem propoſitam quæ tota tibi proponitur: *Etſi in aliis peccatum ſæpe diminuit Concupiſcentia, in te illud tamen ſæpius auget.* Agnoſces ex hac Ratione quæ præſupponit quod docet Diuus Thomas, appetitum ſenſitiuum ſeu concupiſcentiam, poſſe ſe habere ad liberum arbitrium *antecedenter & conſequenter.* Antecedenter quidem ſe- *1. 2. q. 77, a. 6.*
cundum quod paſſio appetitus ſenſitiui trahit vel inclinat rationem vel voluntatem. Conſequenter autem ſecundum quod motus ſuperiorum virium ſi ſint vehementes, redundant in inferiores; non enim poteſt voluntas intenſè moueri in aliquid quin excitetur aliqua paſſio in appetitu ſenſitiuo. Si ſit igitur antecedens paſſio, diminuet peccatum, quia minus eſt à voluntate, & quanto minus peccatum eſt voluntarium, tantò minus eſt peccatum. *Paſſio autem conſequens non diminuit peccatum ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis eius, inquantum ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati: & ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.*

Ipſa ſunt ſancti Thomæ Verba quibus nihil addendum pro intelligentia primæ propoſitionis, niſi forte illud Sapientis: *Poſt* *Eccleſi. 18.*
concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Quibus Verbis poteſt illa antecedens & ſubſequens notari paſſio. Atque pro aliquali commouendo affectu, cogita paulo diutius quantùm quotidie peccata peccantium creſcant, non modo numero, ſed grauitate, cùm eorum quotidie creſcat Concupiſcentia. *Cor ſuum* *Ier 51.*
leuauerunt contra me quaſi ventum peſtilentem. Multus eſt in his Verbis ſenſus; exquire.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

S*ED in teipſo ſæpius eſt illa conſequens Concupiſcentia.*
Quidquid ſit de aliis, teipſum inſpice; *Vide vias tuas in con-*
Ier. 2. *ualle: Scito quid feceris: curſor leuis explicans vias ſuas. Onager aſſue-*
tus in ſolitudine. In deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui. Nonne iam pridem agnoſcis te vanitati, libidini, aut alteri, quod noris, vitio eſſe obnoxium? An illud qua par eſt ſolicitudine curas euellendum? Si deeſt neceſſaria ſolicitudo, ſignum eſt te amare illud vitium, & tibi eſſe voluntarium, adeout quando in illud incidis, non ex paſſione antecedente ſed conſequente incidas.
Ier. 3. *Scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricatus es.* Antecedebat paſſio in primis adoleſcentiæ annis cùm nondum illam ita clare aduerteres: ſed modo poſt tot annos in ea ſentienda & cognoſcenda poſitos, poſt tot meditationes, tot Gratias, tot Communiones ad eam extirpandam efficaciſſimas; ſi adhuc viget, voluntarie quodammodo detinetur, ſicque conſequens eſt; quòd non tam à paſſione voluntas, quàm à voluntate mouetur paſſio; cùm ſi pridem voluiſſes, ſi velles etiam nunc
Ier. 2. cum Deo, facile concupiſcentiam reprimeres. *Arguet te malitia tua.*

Adde quod, vltrò quæris occaſiones, aut oblatas non refugis; tu teipſum ad vanitatem excitas, extollendo res à te geſtas, excitando tacite alios ad prædicationem tui; & aliis miris modis
Ier. 8. quibus Concupiſcentiam foues. *Quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Hoc eſt *attrahere ventum amoris ſui.*

Deniquę, quoties occurrunt contraria paſſioni ſeu concupiſcentiæ; dic, quæ non das ſigna doloris & impatientiæ? Quid porro illa ſignificant niſi te diligere illud & omnino velle quod
Ier. 4. doles non habere? *Via tua & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: iſta malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* Expende ſingula Prophetæ Verba.

III. PVNCTVM.

E*TSI in aliis igitur Concupiſcentia ſæpe diminuit peccatum, in te tamen ſæpius auget,* Quia ſæpius conſequens eſt, voluntaria

eſt, voluntarie nutrita & excitata. *Hæc ſunt quæ de corde exeunt & quæ coinquinant hominem.* Quod ſic Propheta exprimit Verbis aptiſſimis: *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.* Id eſt, non calenti ſed frigido vt dicunt ſanguine, malum operatur: quaſi diceretur, non repentino motu ſed quaſi præcognito & deliberato, licet aliter peccanti videatur. Atque in hoc duplex eſt Illuſio. Prima quidem quod putes non eſſe voluntarium niſi quod expreſſo voluntatis actu perficis, quaſi non velles quod te velle non cogitas. Error eſt alibi refutatus. *Ier. 6.*

Deinde verò, etſi fatearis te peccare in illis ad quæ natura incitante propendes, non tamen idcirco grauiter te peccare arbitreris, quia naturæ propenſio videtur peccatum excuſare. Sed non ita in te, vt dictum eſt, quia cum corruptam debuiſſes naturam excolere, necnon Diuinæ ſubjicere Gratiæ: Tu illam potius foues & nutris, vnde fit vt non modo ſit voluntaria & inexcuſabilis illa naturæ propenſio, ſeu quæ inde procedit culpa; ſed tanto euadit grauior & pœnâ dignior, quanto eſt magis naturalis, quia magis eſt nota, magis tua, magis expreſſa per tot actus in te concitatos, à te liberè acceptatos, & ſponte quadam elicitos. *Dom 7. poſt Pentec.*

Non id quidem aduertis, non id putares ita eſſe, quia ex illis es de quibus dicitur, *Tranſierunt in affectum cordis*, Id eſt, quanti *Pſ. 72.* quanti ſunt intellectu, voluntate, memoria, verbis, factis, geſtibus, & ſe totis, tranſierunt in affectum cordis, nihil aliud ſapiunt aut cogitant; ſeu ex his omnibus animi corporiſque facultatibus, affectum ſuum fouent & colunt. Quo tantum abeſt vt excuſentur, quin propterea grauius accuſentur, quia hinc apparet valde robuſtam eſſe concupiſcentiam: nec aliter roborari potuiſſe quam libera voluntate conſentiendi primis eius innatis motibus. Quod ſatis aperte Sapiens, cum dixit, *Si præſtes animæ tuæ* *Eccleſi. 18.* *concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Id eſt, talem te ipſe efficies qualem te Inimicus, qualem te Dæmon optat, nempe in peccatis totum, nec aduertentem. Nam ſi ſaltem aduerteres; aut ſi totus in concupiſcentia non viueres, res in extremo non eſſet: ſed totum aut pene totum eſſe in culpabili concupiſcentia, nec aduertere, nec ſentire, nec monenti credere, hoc eſt *concupiſcere concupiſcentiam*, quod eſt extremum malitiæ. Exar- *Pſ. 105.* deſce contra ſeriò, conſtanter & ſolicitè. *Perſequar inimicos meos* *Pſ. 17.*

Digitized by Google

& comprehendam illos : & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare : cadent ſubtus pedes meos. Sic dicendum, ſic agendum in Domino.

Videri poteſt in 1. parte, Feria 5. Hebdomadæ 6. poſt Epiphaniam. In 2. parte, Feria 5. poſt Cineres : Et in hac 3. parte, Feria 3. Hebdom. 8. Vbi hæc exhibetur Veritas :

Ne putes te benè ſemper excuſatum, cùm dicis : non putabam.

SABBATO.

DE MVLIERE CANANÆA.

O Mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis. Matth. 15.

VERITAS PRACTICA.

Sicut non ſatis fidit Deo, qui nimis ſatagit : ſic, qui de ſuo non ſatis agit.

R*ATIO EST*, *Quia fiducia in Deum debet eſſe ordinata.*

Sed qui de ſuo non ſatis agit, non minus agit contra ordinem Diuinæ fiduciæ, ſeu contra fiduciam ordinatam, atque is qui nimis ſatagit.

Sicut ergo non ſatis fidit Deo qui nimis ſatagit, ſic qui de ſuo non ſatis agit. Quod tamen pauci cogitant.

I. PVNCTVM.

I. PVNCTVM.

ADIVNGIT proximè ſuprà dictis in eodem capite, ſanctus Matthæus hiſtoriam de muliere Cananæa, quæ cum audiſſet Dominum IESVM accedere in partes Tyri & Sidonis, *ſtatim à finibus illis egreſſa clamauit dicens ei, miſerere mei Domine, fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes Diſcipuli eius rogabant eum dicentes, Dimitte eam quia clamat poſt nos. IESVS autem reſpondens ait, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. At illa venit & adorauit dicens, Domine adjuua me. Qui reſpondens ait, Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. At illa dixit, Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Tunc reſpondens IESVS, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.*

In quibus ſacri Euangeliſtæ verbis illud præcipue obſeruandum eſt quod notat ſanctus Auguſtinus, *Clamabat fæmina, & diſſimulabatur à Chriſto, non vt miſericordia negaretur, ſed vt deſiderium accenderetur, & humilitas commendaretur.* Sicque nobis aperte detegitur duplex quædam Illuſio & error errori oppoſitus, in quem plerique incidunt, dum aduerſis premuntur, aut aliqua graui neceſſitate laborant.

Sunt enim qui tùm ita ſatagunt, ita ſe cruciant & inani labore diuexant, quaſi Deo non fiderent. Sunt alij verò qui ſe ita dicunt Deo fidere, vt nihil ſibi agendum putent. Quæ duo cum ſint extrema vtrimque vitioſa, nunc luculento Cananææ exemplo nobis euitanda proponuntur. Non enim illa ſe inaniter domi excruciat, non vanos edit eiulatus, non ſe male vexat cum male vexata filia. Sed neque tamen otioſa remanet: adit Chriſtum, adit Apoſtolos, repulſa non repellitur, rejecta non abjicitur; vrget & inclamat opem ac miſericordiam, nec quieſcit donec impetret quod optabat.

Hoc eſt verè Deo confidere, ſic inter extrema laboris & ſolicitudinis, incedere vt neque excedat ſolicitudo neque deficiat: Et quia clarius eſt quod qui nimis ſatagunt, minus videntur Deo confidere quam qui nihil de ſuo agunt; Idcirco ab vno ad aliud diſcemus Veritate propoſita, *quod plane ſicut non ſatis confidit Deo qui nimis ſatagit, ſic qui de ſuo non ſatis agit.*

Digitized by Google

Ratio eſt ita plana, vt quoad illam primam partem qua dicitur veram in Deum fiduciam debere eſſe ordinatam, nulla ſit alia probatione opus. Nihil enim non ordinatum poteſt illi placere qui *non*
1. Cor. 14. *eſt Deus diſſenſionis*, ſeu vt græca vox habet, *inordinationis Deus, ſed pacis & ordinis*. Et licet virtutes Theologicæ non conſiſtant ex ſe in medio ſicut morales, ſed tantò melius illarum bonum ſit, quan-
1. 2. q. 64. a. 4. tò magis acceditur ad ſummum, vt ſcribit ſanctus Thomas: ex parte tamen noſtra, vt ait Idem ſanctus Doctor, in medio quodam conſiſtunt: quia debemus ferri in Deum credendo, ſperando, & amando, ſecundum menſuram noſtræ condicionis, quâ fit vt Virtutes illæ quibus credimus ſperamus & amamus, habeant extrema quædam & medium quo poſſint ordinari.

Et particulatim de Spe ſeu fiducia ſic ibidem: *Spes*, inquit, *eſt media inter præſumptionem & deſperationem ex parte noſtra*. Quod & alibi expreſſius, vt mox videbitur.

Cant. 2. Serm. 49. in Cantica. O quàm præclare ſanctus Bernardus ad illa ſponſæ verba: *Ordinauit in me Charitatem: DISCRETIO ita omni Virtuti ordinem ponit, vt ordo modum tribuat & decorem.*

II. PVNCTVM.

SED *qui de ſuo non ſatis agit, non minus agit contra ordinem Diuinæ fiduciæ, ſeu contra fiduciam ordinatam, atque is qui nimis ſatagit.*

Cur enim qui nimis ſatagit non ſeruat ordinem, niſi quia excedit plus agendo quam debeat, plus agendo quàm velit Deus, quàm Ratio poſtulet, quàm requirat negotium, quàm ipſe Agens poſſit perficere? *Quid de craſtino ſoliciti eſtis*, Id eſt, inani & inquieta
Matth. 6. rerum ſolicitudine quæ ad ſolum Deum ſpectant. *Quis veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam, cubitum vnum?*

Sic planè qui de ſuo non ſatis agit, ſic per defectum peruertit ordinem; Non enim agit quod eſt ordinatum vt agat, & ſine quo Deus nihil præſtabit: Quæ eſt manifeſta præſumptio, Spei Diuinæ
2. 2. q. 21. a. 1. & ſequentib. oppoſita, inquit S. Thomas, cùm quis inhæret Diuinæ potentiæ *per immoderantiam*, reſpiciendo ſcilicet quod abſolutè Deus poſſit, & non quod velit facere per certa quædam media: in quo ex vna parte eſt exceſſus, inordinate ſperando; ex alia vero eſt defectus non agendo quæ ſunt ordinata vt illud fiat quod ſperatur; *Sicut ſi ſine pœnitentia ſibi vellet peccata remitti, aut ſine meritis ſaluus*

Digitized by Google

eſſe. Quid de illo cenſeres, qui ſic ſe ſperare diceret? Plane præſumeret, nec niſi male & inordinate ſperaret: quia non ſeruaret ordinata. Cur non igitur ille in alia quauis materia ſic dicetur præſumere, ſicque ordinem non ſeruare, qui de ſuo non agit quod agendum eſt: qui non ſerit, quod metat: qui non ſtudet, quod diſcat: qui non orat, quod obtineat: qui non ſe colligit vt orare poſſit?

Numquid de tribulis ficus, aut de ſpinis vua? Numquid quia ſolicitudo vetatur nimia, nulla eſt prorſus habenda? Quorſum illæ Domini voces, *ſerue male & piger: SERVVM inutilem projicite in tenebras exteriores.* Quorſum illæ Apoſtolicæ cohortationes, *ſolicitudine non pigri, SOLICITE cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem. VOS autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem: In virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam: in abſtinentia autem patientiam: in patientia autem pietatem: in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis, Charitatem. Hæc enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent, non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in D. N. IESV Chriſti cognitione: Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum delictorum.* Math. 7. Math. 25. Rom. 12. 2. Tim. 2. 2. Pet. 1.

An hæc tibi videntur inaniter dicta? Vel ſi ſerio dicta putas, nonne aperte vides quam multa ſint inter ſe ordinata quæ de tuo conferas: aut ſi non conferas, non ſerues ſtatutum ordinem? *Vade ad formicam, ô piger: & conſidera vias eius.* Prov. 6.

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo non ſatis fidit Deo qui nimis ſatagit, ſic qui de ſuo non ſatis agit.* Vterque ſcilicet deſerto veræ Fiduciæ medio, ſe in extrema projicit quæ inordinatam fiduciam faciunt quâ magis offenditur Deus quàm colatur. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Quod ſi bene direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, habitabo vobiſcum. Ecce vos confiditis in ſermonibus mendacij qui non prodeꝛunt vobis. INDICABO tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam,* ET SOLICITVM AMBVLARE CVM DEO TVO. Tum Vox Domini ad ciuitatem clamat: *Et ſalus erit timentibus nomen tuum.* Ier. 7. Mich. 6.

Certe ſi quis recte vmquam & ordinate ſperauit in Domino,

fuit ille Pſaltes Regius quem idcirco multoties à Deo liberatum Ipſe Deus affirmat quod in ipſo ſperaſſet: quomodo vero ſpem & fiduciam ſuam exercebat? *Ego*, inquit, *ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum.* Id eſt, ſicut arbor & illa præcipue arbor quæ eſt valde frugifera ex ſe ſuaque radice ſimul cum ſole producit fructum ſuum, ita ego cum Deo quod in me erat, quod meum erat, quod à me Deum velle narem, in id totus elaborabam, id vnum contendebam. Quod cùm vbique præſtiterit, tum id maxime apparuit in rebus cum Saule geſtis. Licet enim certo ſciret ſe futurum Regem, ſeque iam inunctum à Propheta Samuele non obliuiſceretur; ita tamen declinabat omnes illos mortis caſus in quos ſe redactum ſæpiſſime vidit, quaſi nihil promiſſum ſibi fuiſſet: ſic nempe volebat Deus ipſum ſperare & confidere, vt non in ſuo quidem arcu ſperaret, ſed in Diuina miſericordia ſe protegente: neque tamen ita ſperaret in illa protectione vt nihil ageret, ſed agendo conſideret & confidendo ageret. *In Deo meo tranſgrediar murum.* Sic & nos exhortatur vt agamus & ſperemus, *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.*

Pſ. 51. Pſ. 17. Pſ. 30.

Sic ſancta Iudith, poſtquam conciues ſuos de vana quadam & inutili ſolicitudine qua ſe angebant arguit, docet illos quid agere debeant, & ad illud agendum exhortatur: *Humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato ſeruientes illi, dicamus flentes Domino, vt ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum miſericordiam ſuam.* Hæc æmulare virtutis exempla; nec pigeat à fœminis diſcere quod eſt agendum; ſed pudeat potius non id agere quod illæ docent & faciunt.

Iudith. 8.

Cùm autem multa paſſim de ſpe ac fiducia proponantur, videri poſſunt in ſingulis partibus.

FINIS CONSIDERATIONVM ET VERITATVM TERTIAE PARTIS DE VITA DOMINI IESV.

Digitized by Google

VERITATES PRACTICÆ.

AD DIES FESTOS SANCTORVM QVI INCIDVNT IN HANC TERTIAM PARTEM.

DE SANCTO BARNABA APOSTOLO. Die 11. Iunij.

Erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto & fide. Act. 11.

VERITAS PRACTICA.

Tanto vnuſquiſque eſt magis aut minus verè bonus & ſanctus, quantò magis minuſue participat de Spiritu ſancto.

RATIO EST, *Quia tanto quis eſt magis aut minus vere bonus & ſanctus, quanto magis de vera bonitate & ſanctitate participat.*

Sed vera Bonitas & ſanctitas eſt Spiritus ſanctus.

Ergo tantò quis eſt magis aut minus verè bonus & ſanctus,

Digitized by Google

quantò magis minuſue participat de Spiritu ſancto; quem proinde oportet crebrò & vehementer orare & colere.

I. PVNCTVM.

Act. 4. 9. 11. 2. 13. 14. & 15. QVALIS hic Vir, quanti que meriti fuerit, diſce ex libro actuum Apoſtolorum, notatis capitibus, vbi ſic inter alia, de Illo & de Coapoſtolo Ipſius, Paulo, omnes Apoſtoli ſimul congregati loquuntur Antiochenis Chriſtianis; *Placuit nobis collectis in vnum eligere viros & mittere ad vos cum cariſſimis noſtris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri IESV Chriſti.* Sed ipſe Spiritus ſanctus, iam ante quanti eum faceret, ſatis manifeſtarat, cùm ex omnibus Diſcipulis, Eum ſegregandum iuſſit ad idem Prædicationis Euangelicæ munus ad quod Act. 13. Apoſtolus Paulus erat vocatus. *Segregate*, inquit, *mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos.*

Quid quod Idem Spiritus ſanctus totum Seipſo repleuit hominem, vt ex eiſdem Actis relatum eſt, nonne hoc vnum ſufficit ad ſingularem ſancti Viri ſanctitatem declarandam? Nam vt habet propoſita Veritas, *Tanto vnuſquiſque eſt magis aut minus bonus & ſanctus, quantò magis minuſue participat de Spiritu ſancto*; Vnde cum ſanctus hic Apoſtolus plenitudinem quandam huius Spiritus participarit, quid niſi plenitudinem ſanctitatis & bonitatis habuit? Congaude illi, & ope eius ad Veritatis notitiam & Praxim implorata, Expende primò quàm verum ſit quod prima Propoſitione dicitur, Tantò vnumquemque magis aut minus verè bonum & ſanctum eſſe, quantò magis minuſue de vera bonitate & ſanctitate participat. Sicut enim à diuitiis homo eſt diues, à doctrina doctus, à fortitudine fortis, à Iuſtitia iuſtus, & à cæteris qualitatibus ita inſtructus & affectus, quales ipſæ ſunt; ſic prorſus à bonitate & ſanctitate bonus & ſanctus eſt, quiſquis eſt ſanctitatis capax, & à majori bonitate magis bonus & ſanctus. Ephes. 4. *Induite nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in Iuſtitia & ſanctitate Veritatis*: Id eſt, in vera ſanctitate, non falſa, non adumbrata. Quænam ſit porro illa Veritas ſeu vera Sanctitas deducunt ſancti Patres à duobus Græcis vocabulis quorum primum & magis vſitatum eſt ἁγιότης ſeu ἅγιον quod componitur, inquit Origenes, ex à priuatiua,

& γῆ id eſt terra, quaſi dicas ſine terra, ſine terrenis affectibus. Hic proprius veræ ſanctitatis effectus & character: Vnde ſanctus Dionyſius vocat eam *omni ex parte immaculatam puritatem.* Aliud vero vocabulum eſt ὅσιον ſeu ὁσιότης, quo dum ſanctus Chryſoſtomus vtitur, intelligit ſemper ab omni ſcelere & labe immunem puritatem; Vnde & ſanctus Iacobus veram religionem vocat *mundam & immaculatam apud Deum*; Quia eius præcipua pars eſt, vt ait, *Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. SALVVM me fac Domine, quoniam defecit ſanctus; quoniam diminutæ ſunt veritates.* Sic nempe deficit Sanctus dum deficit Veritas ſeu vera Sanctitas quæ ab hominibus diminuitur, detruncatur, peruertitur, & deprauatur.

l. de Diu. Nom. c. 12.

Iac. 1.

Pſ. 11.

II. PVNCTVM.

AT vera hæc bonitas & ſanctitas eſt Spiritus ſanctus.

Non modo in ſe vt eſt Increata Bonitas & Sanctitas cum duabus aliis Diuinis perſonis, ſed in nobis dicitur vera ſanctitas; Primo quatenus verè ſanctificat animam noſtram ſuâ præſentiâ, ſuâ gratiâ, cæteriſque donis ſupernaturalibus illi adjunctis, quæ nos à terrenis ad cœleſtia transferunt. Deinde quatenus operatur in nobis, & nos in Eo quidquid ſanctum & bonum eſt, per triplicem viam perfectionis, purgando nos ab omni labe peccati; tum illuminando ad eas virtutes cognoſcendas & exercendas quæ ſunt noſtro conformes ſtatui. Denique prouehendo ad ſublimem quandam vnionem cum Deo, in qua conſtituti creſcamus quotidie tùm multitudine tum perfectione nobiliſſimorum Caritatis actuum; vt patet in illis primis Chriſtianis qui ſancto feruentes Spiritu ſua omnia projiciebant ad pedes Apoſtolorum, vno contenti Deo, quos inter iam à prima conuerſionis die ſingulariter eminebat Beatus Barnabas, de quo hæc ſunt inſigniter ſcripta in Actis Apoſtolorum: *Ioſeph autem qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, quod eſt interpretatum, filius conſolationis, Leuites Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.*

Act. 4.

Sic nempe *Spiritus Veritatis quem mundus non poteſt accipere*, mundana & terrena omnia conſulebat abjicienda, vt toti Spirituales & Cœleſtes euaderent, qui à terrenis affectibus emerſiſſent. Ad

pedes vero Apoſtolorum non in manus, pecuniam & ſua quæque afferebant, tum quod indigna illa reputarent quæ illorum manibus contractarentur, tum quod, vt ait ſanctus Chryſoſtomus, majoris ducebant Chriſtiani quod ab Apoſtolis dona reciperentur, quàm quod darentur. Hoc eſt enim potiſſimùm contemnere opes, hoc eſt paſcere eſurientem Chriſtum, ſi abſque arrogantia & faſtu id facias, ſicque des aliis quaſi tibi ipſi plura dari quam dare beneficia videaris.

O excellentem illorum hominum ſanctitatem! ô ſingulare Spiritus ſancti Donum quo vno reliqua continentur, quando ſic affecta eſt anima vt poſtquam ſua omnia externa & interna dederit, plus ſe recepiſſe ab eo qui accepit ſua, quàm ſe dediſſe ſentiat!

III. PVNCTVM.

TANTO igitur vnuſquiſque eſt magis aut minus verè bonus & ſanctus quantò magis minuſue participat de illo Spiritu ſancto à quo eſt talis bonitas & ſanctitas quæ eſt immaculata puritas & vera ſanctitas. Pſ 103. *AVFERES ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Prius auferendus noſter Spiritus, tum deinde datur Diuinus. Quantum aufertur de noſtro, tantum datur de Diuino. Si toti noſtro exinanimur, toti Diuino replemur, O qualis mutatio, ô qualis Spirituum diuerſitas, humani & Diuini! Et tamen formidamus dare noſtrum, vix mediam eius concedimus partem, vix vltro etiam gratis oblatum Spiritum illum ſanctum recipimus aut retinemus: priuſquam enim de noſtro poſſimus aliquid, ſeſe Ipſe offert, ſeſe inſinuat, Ipſe nos excitat, ipſe pro nobis poſtulat, Rom. 8. id eſt, poſtulare facit, & poſtulantibus ſeſe amplius atque amplius in dies communicat.

Luc. 11. *Quis ex vobis*, inquit Dominus, *patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouum, numquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter de cælo dabit Spiritum bonum petentibus ſe.* Vbi apte Beda: *bonum dicit ex quo omnia bona: & hoc vnum præcipue petendum manet quia in eo vnó cætera continentur.* Vide ſupra Sabbato ante Pentecoſten, quomodo ſanctus Spiritus ſit orandus.

DE

Digitized by Google

DE BEATO ALOYSIO GONZAGA SOCIETATIS IESV. *Die 21. Iunij.*

Conſummatus in breui expleuit tempora multa. Sap. 4.

VERITAS PRACTICA.

Mendaces filij hominum in ſtateris, ſi res non pendunt cœli pretio.

RATIO EST, Quia hoc eſt homines eſſe mendaces in ſtateris, ſi res aliter æſtiment quam reuera valeant.

Sed ſi res non pendant cœli pretio, res aliter eſtimabunt quàm reipſa valeant.

Ergo & erunt mendaces in ſtateris. Quod quàm ſit damnoſum patet. Quàm ſit vero cauendum & qua induſtria, diſces ex Beato Illo, cuius eſt hodierna memoria apud Patres Societatis IESV.

I. PVNCTVM.

ALOYSIVS Gonzaga Marchio Caſtillionenſis ex Sereniſſima Mantuanorum familia, cùm ageret annum decimum octauum admiſſus eſt in Societatem IESV, in qua tantùm vixit per quinque annos: ſed tanta cum perfectione vt vere de eo dici poſſit quod Sapiens de Henocho refert, *Conſummatus in breui, expleuit tempora multa.* Sap. 4. Id eſt, in illo breui ſpatio quinquennij, tantum ſibi meritorum cumulum & theſaurum comparauit, quantum ſi alius non ita ſtudioſus perfectionis ſibi collegiſſet per multas annorum decades. Hoc autem inter alia pietatis colendæ monumenta quæ de illo ſane multa extant, nar-

ratur ſolemne Ipſi fuiſſe dicere, quoties de rebus humanis cogitaret, audiret, aut vſurparet aliquid; *Quid hoc ad vitam æternam?* Quaſi diceret, non aliter mihi res iſta eſt æſtimanda & vſurpanda quàm prout reuera valet; neque aliud plane valet quam prout me ex Diuina ordinatione iuuat ad finem meum qui eſt honor Dei cum vita æterna, conſequendum. Cui quidem dicto cùm interiorem conformaret animum ad ſingula quæque obuerſantia vel abſtinendo, vel ſuſtinendo, mirum quantum in religioſæ perfectionis ſtudio illis quibus vixit annis profecerit, quippe qui hac ſolerti arte & continua Praxi nihil inane faceret, nihil non meritorium, nihil non actu & reipſa intentum ac directum ad Beatum & æternum illum finem cui poſſidendo creati ſumus.

Quod & nos cum Diuina Gratia vt fructuoſiús imitemur, propoſita eſt Veritas, quæ non modo ſanctæ huius Praxis vtilitatem, verùm & neceſſitatem quandam oſtendat, cum alioquin niſi qua hic Beatus ſtatera res humanas ponderabat, ponderemus, ſimus
Pſ. 61. *illi mendaces filij hominum in ſtateris*, de quibus Pſaltes Regius. Quis hoc autem de ſe vere dici patiatur? At profecto id tam vere dici poterit, quam certum eſt ex vulgato Scripturæ ſtylo & ſenſu, *Eſſe mendacem in ſtateris*, nihil aliud eſſe quam inique & injuſte de rebus iudicare, ſeu pluris aut minoris eas facere & prædicare quam valeant. Sicut enim qui priuato & injuſto pondere, Id eſt, grauiori vel leuiori quàm leges ferant, res vendibiles ponderaret, mendax in ſtateris diceretur, quod grauiter in lege cauebatur; ſic qui majoris aut minoris res externas hominum & internas æſtimat; qui honorem ſcilicet, diuitias, fœlicitatem ſæculi, popularem auram & ſimilia magno in pretio habeat: paupertatem verò, humilitatem & virtutes mundo deſpectas deſpiciat; mendax eſt in ſtatera, id eſt, in illa æſtimatione & iudicio quod de rebus facit. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera iuſta, & æqua ſint pondera:*
Leuit. 19. *STATERA doloſa, abominatio eſt apud Deum, & pondus æquum*
Prou. 11. *voluntas eius.*

II. PVNCTVM.

S*ED qui res non pendunt cæli pretio & qua ſtatera Beatus hic res humanas ponderabat, aliter eas æſtimabunt quàm reuera valeant.*

Digitized by Google

Sicut enim res dicuntur pendi & ponderari pretio cœli, quando de his non aliter iudicatur, quam prout valent ad ſalutem, ſeu ad promerendam æternam illam beatitudinem quæ in cœlo poſſidetur: ſic aliter pendi & æſtimari dicuntur, quando nulla beatæ illius vitæ ſeu Diuini cultus ratio proponitur, quando ex vulgi ſenſu, & populari trutina ponderantur, quando ex mundano & corrupto iudicio æſtimantur. Tunc autem quis non videat aliter res æſtimari quam reuera valeant? Quid enim res omnes valent quàm prout hominem ducunt ad ſuum finem, cui fruendo conditus ipſe eſt; & alia omnia creata ſunt & ordinata vt ipſum iuuent ad illum ipſum finem attingendum?

Sunt hæc enim media vel naturalia vel ſupernaturalia quæ ſuam bonitatem à fine ſuo deriuant, ſicut à ſanitate medicina quæ eſt ad illam ordinata. Non ita vero vulgus res æſtimat, non ita mundus de his iudicat & contendit. Paupertatem abhorret vt extremum malum, diuitias autem proſequitur tamquam ſuum bonum. Et tamen beati dicuntur Pauperes Spiritu, & væ diuitibus intonatur. *Euerterunt ſcilicet ſenſum ſuum & declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Id eſt, idcirco peruerſe de rebus iudicarunt quia non eas cœli pretio expenderunt, nullam in eis cœli ſed terræ tantum & humanæ vitæ rationem induxerunt. Vnde & Sapiens, *oculi ſtultorum in finibus terræ*, quaſi diceret, qui de rebus aliter ſentiunt ſicut ſtulti & amentes, idcirco ita ſentiunt quia non vltra terrenas & humanas rationes ſeſe euehunt. Nihil de cœlo cogitant. *Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens*, inquit ſanctus Iacobus, *ſed terrena, animalis, diabolica.* Hæc eſt ratio inferior quæ de rebus ſecundum carnem & mundum iudicat, cui oppoſita eſt illa ſuperior quæ vt ait ſanctus Auguſtinus, *intendit æternis conſpiciendis, aut conſulendis, & ex iis accipit regulas agendorum.*

Luc. 6. *Dan. 13.* *Prou. 17.* *Iac 3.* *l. 12 de Trin. c. 7.*

QVI vero æterna intueri negligunt, inquit ſanctus Gregorius, *& appetitui temporalium mentis puſillanimitate incumbunt, tanto ab æternis altius corruunt, quanto bona temporalia eſſe quaſi ſola ſuſpicantur. His iuſtorum ſimplicitas diſplicet, & cum occaſionem perturbationis inueniunt, ſuam eos arripere duplicitatem ſuadent, vnde apte quod ſubditur, Dixit illi*, nempe Iobo, *vxor ſua: adhuc permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo & morere.* O quale iudicium, quale conſilium. *Vere quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta eſt*, quæ in Io-

3. Mor. 14. *Iob. 2.*

Digitized by Google

quendo terram non cœlum reſpexit ! Quo humano & terreno ſenſu cum Petrus Dominum eſſet alloquutus, hoc ſtupendum accepit reſponſum : *Vade poſt me Satana : ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.*

Matth. 16.

III. PVNCTVM.

MENDACES *igitur filij hominum in ſtateris ſi res non pendant cæli pretio, & niſi qua ſtatera Beatus hic vniuerſa ponderabat, & ipſi ponderent.* Nam pluris humana, & minoris æſtimabunt ſpiritalia quàm valeant ; aliter de vtriſque iudicabunt quam eſſet iudicandum ex relatione quam habent ad finem cuius ſunt media. Quod eſt eſſe ita mendacem in ſtateris quàm qui res venales venderet iniquo pondere. *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum.* Vno videlicet & eodem pondere res vniuerſæ ſunt expendendæ prout cœlo valent, & colendo Deo rerum omnium Conditori. *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij ponderabitur,* Id eſt, quantum ipſe Deus rem æſtimat, & æſtimari à nobis imperat. Atque hinc mendaces & mendacia dicuntur quæcumque huic Diuinæ & ſoli veræ non reſpondent æſtimationi. *Ephraim, paſcit ventum, & ſequitur æſtum : tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat.* Notanda hæc valde verba, quaſi Propheta diceret, tot mendacia multiplicat quot habet falſa de rebus iudicia & quot profert verba his iudiciis conformia. Quid diceres de homine ita mendaci vt quot verba tot proferret mendacia ? Quid vero dices de te niſi hac vtaris ſtatera, qui quot ſenſus quot iudicia & verba de rebus humanis profers, tot mendacia, tot vanitates, tot inſanias falſas multiplices & vaſtitatem, id eſt, ad tuam ipſius perniciem.

Pr. 20. Leuit. 27. Oſeæ 12.

O quam opportunè Sapiens : *Cogitationes Iuſtorum Iudicia* ; Nempe, non ex leui naturæ ductu & impetu de rebus cogitant ſed maturo cum conſilio, cum reflexione ad finem æternum, & ad Diuina Iudicia : quæ propterea etiam dicuntur pondus & ſtatera, quia ſunt forma quædam & menſura Iudicij quod de rebus conformiter nos habere par eſt niſi malimus decipi. *Iuſtum iudicium iudica,* vel certe iuſto iudicio iudicaberis. Quid tibi autem morituro & iudicando ille honor, illa pecunia ? *Non proderunt diuitiæ in die vltionis : Iuſtitia autem liberabit à morte.*

Pr. 12. Ibid. 16. Ioan. 7. Prou. 11.

Digitized by Google

O ſi tibi hæc ſaperent ſi hæc in corde eſſent frequentius & in ore, quàm *multa redimeres modico pretio!* Hæc eſt eminens ſcien- *Eccleſi. 20.*
tia IESV Chriſti propter quam Apoſtolus exiſtimabat omnia detri- *Phil. 3.*
mentum eſſe de qua in 2. parte, Feria 3. Pentecoſtes, Vbi hæc Veritas ſtatuitur:

Qui eminentior eſt in hac eminenti ſcientia, minùs inter homines eminere cupit.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Die 24. Iunij.

Quis putas Puer iſte erit? Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Sicut prima & puerilis ætas index eſt ſecuturæ vitæ præſentis, Ita hæc vita præſens indicium eſt futuræ pòſt æternitatis.

RATIO EST, *Quia idcirco prima & puerilis ætas index eſt ſecuturæ vitæ præſentis, quòd talem cum ea connexionem habeat, vt ab vna facile ad aliam capiantur indicia.*

Sed non minor eſt ad hunc eundem finem connexio huius vitæ cum futura & æterna.

Ergo non minus inde poſſunt capi indicia; Ac proinde ſicut pueritia ſequentis eſt index ætatis, ita & hæc præſens vita, futuræ eſt indicium æternitatis. Quod certe eſt valde obſeruandum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

ADMIRANDA prorſus omnia quæ in Sancti Ioannis Conceptione & Natiuitate contigerunt. Annuntiatur ab Angelo; Concepitur à ſterili matre; Sanctificatur ex ipſo matris vltro; Iam inde agnoſcit Redemptorem in aluo Sanctiſſimæ Virginis adhuc exiſtentem, & exultat præ gaudio: Naſcens Patri loquelam perditam reddit; Matri Prophetiam impertit. Nomen à cœlo datum accipit. Quid plura? Dum circumditur & vagit infans in cunis, tam multa ſupra infantilem ætatem edit pietatis & virtutis ſigna vt omnes noti & vicini hæc ſpectantes & audientes, inter ſe mutuo quærerent, *Quis putas Puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo*, inquit Euangeliſta, Quaſi diceret, in illo Infante Dominus oſtendebat quædam potentiæ ſuæ miracula quæ portendebant aliquid grande futurum.
Matth. 11. Nec vana certe fuerunt portenta & ſigna, nam *Ille eſt Propheta & plus quam Propheta*, inquit ipſe Chriſtus Dominus, *de quo eſt ſcriptum, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te. AMEN dico vobis non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta.* Nemo melius nouit quis ſit magnus quàm Chriſtus qui eſt ipſa quædam menſura Sanctorum magnitudinis: ac proinde Illius erat nobis enuntiare quam magnus eſſet Ioannes.

Quibus tantiſper conſideratis, redi ad Puerum, venerare Eius ſanctitatem, & ſanctitatis ſigna mirare, quibus vt ait ſanctus Ambroſius, *Futuræ vitæ inſigne præmittitur, & gratia ſequuturæ virtutis ſignatur.* Tum verò, vt inde fructus ſolidior excerpatur: Contemplare Veritatem propoſitam: Atque illud imprimis quid ſit cur ab Infantia, conjectura capiatur in ſequentem ætatem? Nempe quia talis eſt connexio primæ & conſequentis ætatis, vt ex illa facile colligatur quid ſit deinceps futurum. Sic Sapiens,
Pr. 20. *Ex ſtudiis ſuis*, inquit, *intelligitur Puer*, Cum enim ſolo naturæ ductu agatur, natura ſe ſtatim prodit & quo propendeat certis indiciis aperit; vbi vero tantillum Puer naturali aſſueuerit propenſioni, tùm roboratur in dies, & ex libidine fit conſuetudo, atque ex conſuetudine quædam velut neceſſitas. Hinc illud inter om-

nia Prouerbia: *Prouerbium eſt*, inquit Sapiens, *Adoleſcens iuxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.* Et apud Iobum: *oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient:* Quia videlicet, vt ait ſanctus Hieronymus, *difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem quo primùm imbuta eſt.* Ibid. 22. Iob. 20. Ep. ad Gaudent.

Vnde ſanctus Gregorius Nazianzenus cùm Iulianum illum Apoſtatam adhuc Athenis Iuuenem noſſet, non dubitauit augurari ex eius iuuenilibus vitiis quàm vitioſus in omnem ætatem futurus eſſet. Quod & de pluribus Sanctis memoratur quos præueniens Gratia iam inde à pueris efformabat ad virtutem: & fundamenta quædam ponebat quæ eſſent indicia futuri ædificij.

O beatus ille quem ſic præuenerit Dominus in benedictionibus dulcedinis ſuæ!

II. PVNCTVM.

SED non eſt minor ad hunc finem connexio huius vitæ præſentis cum futura & æterna.

Nam ex vita præſenti ſic futura dependet vt qualis quiſque hîc vixerit ſeu bene ſeu male, talem omnino ſortiatur exitum & ſortem fœlicem aut infœlicem in omnem æternitatem. *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur, quæ ſeminauerit homo, hæc & metet; quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Nihil poterat dici expreſſius, ſicut enim tam manifeſta eſt connexio inter ſementem & meſſem, vt nemini dubium ſit quin aliud nihil metatur quam quod eſt ſeminatum; ſic ne dubites, inquit Apoſtolus, quin ſimilis & prope par connexio reperiatur inter hanc & alteram vitam. In hac enim ſeminatur, & quod ſeminaueris, metitur in altera. Si ſecundum carnem vixeris, vitæ tuæ meſſis inter Zizaniorum faſciculos in æterno igne parata eſt. Quod ſi Spiritu viuis & ambulas, tibi tua meſſis ſeruatur in cœleſtibus illis horreis vbi triticum ſuum Deus ſeruat. Gal. 6. Matth. 13.

Sic ſanctus noſter Ioannes Pharizæis illis qui ad ſe ventitabant,

Digitized by Google

Mt. 3. prædicebat: *Progenies viperarum quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?* Et poſt quædam de Chriſto iamiam venturo, *Cuius*, inquit, *ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*; Quaſi diceret, ſicut video vos modo tamquam inanes paleas ſine vllo fructu, ita mihi vos videre videor in illo igne vbi homines ſuæ infructuoſæ vitæ pœnas daturi comburentur.

At dices, id quidem certum & ratum de his qui ſuo in peccato moriuntur: ſed non omnes qui in eo viuunt, in eo mori: nec proinde tantam eſſe connexionem huius vitæ cum altera, quanta eſt primæ & tenerioris ætatis cum adulta & virili. Reſ- Matth. 7. pondetur, non omnes quidem in peccato mori, ſed majorem partem, & eam certe totam quæ in lata & ſpatioſa vita incedit & ambulat, quæ idcirco via perditionis dicitur, & ſpatioſa quod multi per eam ambulent & pereant. Sicut autem de Adoleſcente audiuiſti quod iuxta viam ſuam ambulans non recedet ab ea, ſic de Viro ambulante in lata via: vix vmquam inde recedet & in ea peribit. Quid eſt enim ambulare per illam viam aut ab illa recedere? Nonne hoc vnum eſt, quod tam ſæpe audiuiſti, ſecundum concupiſcentias viuere, aut eas omnino coercere velle? Iam vero quotus ex his qui cupiditate pecuniæ vel honoris aut voluptatis tenetur, ab ea ſeſe coerceat? Licet aliquoties aut ſæpius peccatum confiteatur, apparetne propterea cupiditatem deponi? Putaſne vero peccatum dimitti non depoſita ex animo cupiditate? Quod perinde eſt ac ſi quærerem, putareſne peccatum dimitti non contrito vel non attrito? Quid reſpondes? An ignoras, ſine dolore animi nullam eſſe Confeſſionem? Et vero quis eſſe poteſt dolor peccati, retenta cupiditate rei quæ fuit cauſa peccati? Nullus plane, nullus talis peccati dolor, nulla neque vel attritio; vel Contritio: nulla Confeſſio; ac proinde quid ſequitur niſi mors in peccato quæ eſt illa vitæ latæ perditio?

Nonne hoc ipſum eſt quod Chriſtus Dominus tam aperte di- Ioan. 8. xit quàm ſunt hæ apertæ voces; *In peccato veſtro moriemini.* Non enim aliis aut alia de cauſa dixit quam quod incederent per illam latam viam, & ab ea numquam recederent, quia quam ſemel mundi cupiditatem altius animis ſuis impreſſerant, numquam Ier. 13. exuerent. *Aut mutare poſſet Aethiops pellem ſuam, & Pardus varie-*

tates

tates ſuas, ſi poſſent illi vere conuerti & reſipiſcere. Poſſent quidem cum Gratia, ſi volent: ſed non volent, neque reuertentur; tanta eſt prauæ cupiditatis improbitas, ſicque frequentius videas ex malo puero virum bonum, quam ex malò viro, ſenem ſanctum & in arcta via poſitum, quæ ſola eſt ſalutis via.

Quorumdam hominum, inquit Apoſtolus, *peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium:* Id eſt, antequam indicentur ab hominibus aut à Deo, patet illos iudicandos, patet illos à peccatis non receſſuros, atque in ipſis tandem morituros. Neque illos paucos eſſe homines, ſed multos, inquit cum lachrymis; *Multi ambulant, quod ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus.* Audiſne finem eorum fore interitum? Vnde vero id audet affirmare, niſi propter connexionem huius & alterius vitæ quæ talis eſt vt qui ſic inimicus crucis Chriſti fuerit, male pereat in æternum? O æternum male quod à momento pendet huius vitæ! 1. Tim. 5. Phil. 3.

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo prima & puerilis ætas index eſt ſecuturæ vitæ præſentis, Ita hæc vita præſens indicium eſt futuræ poſt æternitatis*; Propter eandem ſcilicet antecedentium & conſequentium connexionem quæ vtrobique pariter reperitur, & quâ fit vt non temere ſed rationabiliter indicetur vnum ex alio. *Ego ſcio contentionem tuam, & ceruicem duriſſimam. Adhuc viuente me & ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſè egiſtis contra Dominum, quantò magis cum mortuus fuero? Noui quod poſt mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via quam præcepi vobis, & occurrent vobis mala in extremo tempore quando feceritis malum in conſpectu Domini.* Sic Moſes ſuis, non ſpiritu tantum Prophetico, ſed ratione probe ſubducta, quod ſcilicet natura ſua eſſent contentioſi, neque naturæ domandæ ſtuduiſſent, ac proinde conſequenter euenturum affirmat, vt cum ab eis diſceſſerit, in pejus ruant & tandem intereant. Quod & reuera contigit; atque idem prorſus eos omnes manet euentus qui dum viuunt non ita ſibi temperãt, vt cùm moriuntur, intemperantis ipſos vitæ pœniteat. *Tempore quo fuerint diſſipati, peribunt. Inuoluta ſunt ſemitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum & peribunt.* Nonne quot verba, tot fulmina? Deut. 31. Iob. 6.

Digitized by Google

Neque tu inſtes contra, hoc eſſe de aliis iudicare, quod eſt à Chriſto vetitum, & hoc eſſe eos in deſperationem agere, quod eſt omnino nefas. Non enim ex nobis ipſis iudicium ferimus, Ipſe eſt Chriſtus Dominus, Ipſe omnium Index, qui poſt allatum eorum exemplum qui repentino caſu perierunt, ſemel ac iterum, *niſi pœnitentiam*, inquit, *egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Quod autem illi pœnitentiam vix agerent qui ſuis eſſent addicti cupiditatibus, nonne euidenter indicauit cum dixit, *facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum?* Vnde enim tanta difficultas niſi à defectu pœnitentiæ? Et vnde talis defectus niſi à praua cupiditate quæ ita diuitum animos occupat vt nullum pœnitentiæ locum relinquat? Quod & Apoſtolus manifeſte declarauit: *Nam qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Crediſne his Chriſti Domini & ſancti Apoſtoli verbis? Poteſne vero his credere & non iudicare eos perituros quos ipſi iudicant & condemnant? Ne propterea verò deſperent quamdiu viuunt, ſi velint reſipiſcere; At niſi reſipiſcant, deſperent certe, ſed neque Chriſtus, neque Apoſtolus, neque nos, in deſperationem eos adigimus, ipſi ſe potius præcipites agunt cùm redire nolunt, nec opportunis vti remediis quæ ipſis offeruntur. *Reſipiſcant*, inquit, *à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipſius voluntatem.* Et idcirco indicia illa prolata ſunt ante mortem, ne poſt mortem proferantur, ne in illa incidant iudicandi, dum tempus habent pœnitendi. Quod præclare ſanctus Bernardus, dum de ſignis beatæ vitæ diſſerit: *Hoc ſane verbo*, inquit, *& electis conſolatio miniſtratur, & ſubtrahitur reprobis excuſatio. Cognitis ſi quidem ſignis vitæ, quiſquis hæc negligit, manifeſtè conuincitur in vano accipere animam ſuam, & pro nihilo habere terram deſiderabilem comprobatur.*

Luc. 13. — Matth. 19. — 1. Tim. 6. — 2. Tim. 3. — In Oct. Paſch. Ser. 2.

Quod & Dominus Iudæis exprobrabat qui noſſent faciem cœli dijudicare, & ex certo cœli aſpectu, quæ aëris futura eſſet temperies poſſent prædicere; cùm tamen ea quæ ad ſalutem ſuam ſpectabant, ex ſignis non minus certis quæ ipſis erant objecta, neſcirent aut nollent conjicere. *Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à vobiſipſis non iudicatis quod iuſtum eſt?* Vide in quarta parte, in

Luc. 12.

Digitized by Google

Feſto Decollationis ſancti Ioannis. Et vide quæ in te ſint à tua praua cupiditate ſigna infauſta, vt cum Diuina gratia proſpicias, *Vigiles, & omni tempore ores vt dignus habearis fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.* Ibid. 21.

ALIA VERITAS PRÆCEDENTI ADIVNGENDA, VEL SEORSIM CONSIDERANDA IN ILLVD ISAIAE:

Dominus poſuit me ſicut ſagittam electam. Iſ. 49.

Sanctus Ioannes Electis eſt, ſicut ſagitta electa.

SENSVS EST DVPLEX; Primus ad eos magis ſpectat qui proficiunt in Spiritu quorum eſt proprium facile compungi & excitari cum Gratia, majores ad progreſſus, ex eorum attenta conſideratione quæ ipſis confuſionem pariant, & modicam ſuam virtutem indicent. Talis eſt autem ſancti Ioannis vita tam aſpera, tam innocens, tam longè ſupra humanam eminens, cuius certe conſideratio vel hoc vno valde compungat & ſagittet eorum animos, qui ſe non putant plura poſſe quam faciant, cùm tamen ad perfectiora vocentur. Vndenam potui tam multa, tam grandia, tam perfecta? Putaſne à meipſo? Nonne ex Gratia? Nonne ex vocatione ad talem gratiam talemque ſanctitatem? *De plenitudine eius nos omnes accepimus?* NON *poteſt homo accipere quidquam niſi fuerit ei datum de cælo.* Tibi ergo cum minime deſit ea Gratia quæ augendæ tuæ perfectioni neceſſaria eſt, quid eſt quod vltra non progrederis? Quid quod excuſas nimiam difficultatem? Sic Ille hodie & quoties conſideratur ſuo in deſerto, neque manducans neque bibens, ſic ſagittat & compungit electorum mentes, vt hinc valde confundantur & excitentur. Ioan. 1. Ibid. 3.

Alter ſenſus, pro his qui non ita proficiunt aut perfectioni vacant, præſupponit quod monet ſanctus Petrus, *Magis ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando: ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris IESV Chriſti.* Quo præſuppoſito, ſic intelligenda eſt Veritas vt 2. Pet. 1.

Digitized by Google

qui velint certam ſuam Electionem facere, conſiderent Vitam & Verba ſancti Ioannis: hinc ſagittabuntur, hinc excitabuntur cum Gratia ad illam certam Electionem faciendam. Talis Conſideratio Medium eſt aptiſſimum ad hunc finem.

RATIO EST, Quia Medium aptiſſimum ad certam ſuam Electionem faciendam illud eſt quod ſingulariter excitat animum ad refrænandam triplicem Concupiſcentiam. Sicut enim concupiſcentia non refrænata radix eſt omnium peccatorum, & inde conſequentis æternæ damnationis cauſa: ſic quando refrænatur, ſecuris ad illam radicem ponitur, ſubtrahuntur peccata & ſalus comparatur. Nonne hoc eſt quod ſupra dicit ſanctus Petrus: *Hæc enim facientes non peccabitis & ſalui eritis?*

Sed Conſideratio Vitæ & Verborum ſancti Ioannis ſingulariter excitat animum ad refrænandam triplicem concupiſcentiam, ſeu illum appetitus motum qui dicitur *concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* (1. Ioan. 2.) *DOMINVS poſuit eum ſicut ſagittam electam*, Id eſt ſingularem & aptiſſimam, ad hanc triplicem retundendam ex animo Concupiſcentiam. Quod certè patuit in triplici hominum genere qui prædicantem Eum conuenerunt, & quo audito compuncti ſunt & perſuaſi vitam in melius commutare. Primo quidem Pharizæi quorum ſuperbiam exagitauit & excuſſit. Deinde Publicani & milites, qui cum aliena raperent, ab hac praua cupiditate dimoti ſunt. Tertio denique meretrices, Eo audito, impuræ voluptati renuntiarunt. Quod enim omnes audiebant contra has concupiſcentias à ſancto illo Viro pronuntiatum, in Eo ipſo videbant impletum & cumulate perfectum. Videbant vitam voci conformem; videbant paupertatem oppoſitam ſuis rapinis: videbant humilitatem cuiuis ambitioni repugnantem: videbant aſperitatem longe à voluptate abhorrentem. Vox erat clamans, ipſa eius vita, ipſe habitus, ipſe potus & eſus, ipſe is totus corpore & animo, quantus quantus erat, Vox erat clamans; (Luc. 3.) *qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcam ſimiliter faciat. CONTENTI eſtote ſtipendiis veſtris*, Id eſt, nihil aliud concupiſcite: *Securis ad radicem. OMNIS arbor non faciens fructum bonum, excidetur.*

(Matth. 3. Luc. 3. Ioan. 5.) Hæc erat *ſagitta ſalutis Domini, ſagitta electa & acuta* qua illi transfixi ſunt de quibus dicitur, *quod baptiſati ab eo confiterentur peccata ſua*, deteſtarentur priſtinam vitam, & ad ipſam vitiorum

radicem penetrantes, ſic cupiditati iam repugnabant, vt quæcumque ab Illo crimina, probra & maledicta in ſe intorqueri audirent, audirent ſine murmure; peterentque omnes paribus animis quid ſibi faciendum deinceps eſſet ad ſalutem.

O certe aureum & opportunum Petri Chryſologi dictum: *Ioannes virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma Iuſtitiæ:* Ser. 127. Vnde apparet luculente Veritas quo ſenſu eſt propoſita vt qui velint Electionem ſuam certam facere, conſiderent vitam & verba ſancti Ioannis, quibus tamquam ſagitta compungentur, & inhorreſcent & inardeſcent ad melius, vt de ſe fatebatur ſanctus Auguſtinus. 11. Conf. 9. Vide in Eius die Feſto. Vide etiam attentius quomodo Chriſtus Dominus Prædicationem illam Ioannis vocet *conſilium Dei* Luc. 7. quod quia non ſunt ſequuti, dicuntur *ſpreuiſſe illud in ſemetipſos*, Id eſt, in ſuam perniciem & reprobationem, quaſi diceret; quod erat eis medium à Deo conſtitutum vt ſuam certam electionem facerent, verſum eſt ipſis retrò in occaſionem ruinæ & perditionis. Quod quidem illis poſtea grauius & apertius declarauit cum diceret, *Venit ad vos Ioannes in via Iuſtitiæ, & non crediſtis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, vt crederitis ei.* Matth. 21. Crediderant ex Pharizæis nonnulli, ſed vel plures alij non crediderunt, vel illi ipſi qui crediderant exciderunt à fide, & *ad horam tantum exultarunt in luce eius*, Ioan. 5. vt iam illis dixerat Dominus. O quàm verendum ne hic totus ſiſtat diei fructus, exultare ad horam! ô quàm timendum, ne & ipſa diei exultatio ſit potius humana vel etiam ſenſualis, quam Diuina vel Spiritualis! *Exulta cum tremore.* Pſ. 2.

Quæ plura de Magnitudine ſancti Ioannis dici poſſent, peti debent ex hoc triplici capite. Primum eſt, ex perſona Chriſti affirmantis inter natos mulierum non Illo eſſe majorem. Secundum eſt, ex Ipſius officio quod eſt eſſe Teſtem Chriſti, & quod eſt eſſe Talem Sanctitate vt iure merito illi credatur teſtimonium de Chriſto ferenti. Tertium ex ipſius ſancti Ioannis Humilitate quæ ſumma fuit & cui ſemper ex æquo reſpondet Sanctitatis magnitudo. Vide autem in 1. parte, Dominica 2. & 3. Aduentus. In 2. Die 2. Aprilis. In 4. Feria 3. Hebdom. 16.

Digitized by Google

Die 29. Iunij.

IN FESTO SS.
APOSTOLORVM
PETRI ET PAVLI.

Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Pſ. 44.

VERITAS PRACTICA.

Sicut fide, ſic moribus, veri probantur ſubditi tantorum Principum.

RATIO EST, Quia veri ſubditi tantorum Principum idcirco fide probantur, quod hi duo præ cæteris Apoſtoli fuerint conſtituti Principes, vt nos docerent veram fidem quam qui non tenent non ſe illis vere ſubdunt.

Sed ita etiam ſunt conſtituti Principes vt nos docerent Chriſtianos mores, quos æque ſeruaremus ac fidem.

Ergo ſicut fide, ſic moribus veri probantur ſubditi tantorum Principum: Vnde apparet quanta ſit neceſſitas operum ac morum fidei Chriſtianæ conformium, cum alioquin noſtros non cognoſcamus Principes, qui ſunt conſtituti ſuper omnem terram, vt omnis terra ſubdatur eis, aut per illos Chriſto Domino, cui non aliter ſeruitur quam intellectu & voluntate, ſeu fide ac moribus.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

QVAM vere illi Duo inter alios Apoſtolos conſtituti ſint Principes ſuper omnem terram, patet ex eminenti eorum dignitate & poteſtate qua ſingulariter à Chriſto Domino donati ſunt. Et quidem Poteſtas ſancti Petri & eius ſucceſſorum Pontificum quæ dicitur Poteſtas Clauium tres habet eminentiæ gradus ſupra quoſuis alios Sacerdotes & Pontifices. Primus, quia eſt vniuerſalis & abſoluta de remittendis omnibus omnino peccatis, Cenſuris & quibuſlibet vinculis diſſoluendis quæ animam ligare poſſent & à Cœli introitu retardare: ſic enim illi dictum & ſucceſſoribus, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Quæ Poteſtas aliis Pontificibus eſt limitata. Secundus gradus eſt, quod hæc Poteſtas in omnes omnino perſonas extenditur, nullo Iuris ipſius ſicut in aliis, definito termino: *Paſce,* inquit, *agnos meos, Paſce oues meas*; Paſce paruos & magnos: filios & Patres; ſubditos & Dominos; omnes denique peccatores ſaluandos. Tertius eſt quod hæc poteſtas eſt ita perpetua & indeficiens vt portæ inferi non ſint præualituræ aduerſus eam, ſicut præualuerunt aduerſus alias aliorum Pontificum ſedes quæ ab hæreticis aut Schiſmaticis fuerunt occupatæ.

Matth. 16.
Ioan. 21.

O Beate Cœli Ianitor, inquit ſanctus Hilarius, *cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præjudicata authoritas ſit in cœlo: vt quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem condicionem obtineant & in cœlo.*

Sic ille Primus omnium & Iudæos & Gentiles conuertit, atque à peccatis abſoluit vt eſt in actis Apoſtolorum. Act. 2. & 10.

POTESTAS vero ſancti Pauli quæ dicitur Scientiæ ad conuertendos homines in tribus etiam excelluit præ cæteris. Primo quidem quia Chriſtum & eius vitæ mortiſque myſteria ſingulari concepit intelligentia & concipienda propoſuit, *Cuius factus ſum,* inquit, *miniſter ſecundum donum gratiæ Dei quæ data eſt mihi, ſecundum operationem eius. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt Gratia hac in Gentibus, Euangelizare inueſtigabiles Diuitias Chriſti, &*

Ephe. 3.

Digitized by Google

illuminare omnes. Secundum quo præcellit eius ſcientia eſt, vt vix vlla gens fuerit quam non per ſe ſuaſue epiſtolas erudierit, informarit & permouerit ad Chriſti cultum. *Vt aliquem*, inquit, *fructum habeam in vobis ſicut & in cæteris gentibus, Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: ita (quod in me) promptum eſt, & vobis qui Romæ eſtis Euangelizare.* — Rom. 1.

Tertium denique quod Ipſemet prædicando peragrarit plures orbis partes vbi abundantius omnibus cum Diuina Gratia ſe laboraſſe ſcribit, & reipſa oſtendit quam vere eſſet Domino, *Vas electionis vt portaret nomen eius coram gentibus, & Regibus & filiis Iſrael.* Vnde & de Illo tam apte prædicari poteſt quam quod de ſole dicitur: *Vas admirabile, opus Excelſi: magnus Dominus qui fecit illum: & in ſermonibus Illius feſtinauit iter.* — 1. Cor. 15. — Act. 9. — Eccleſi. 43.

O vere digni Principes conſtituti à Domino ſuper omnem terram. *Iſte eſt Aaron & Moyſes quibus præcepit Dominus vt educerent filios Iſrael de terra Aegypti per turmas ſuas. Hæc ſunt duo luminaria magna quæ creauit Deus ſuper terram, vnum vt præeſſet diei, & alterum vt præeſſet nocti. Hi ſunt duo Cherubini ſuper Arcam vbi Diuinum oraculum ſtatutum eſt & ſedes Domini. Hi ſunt duo Corporis cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtituti lumen oculorum. Hæ ſunt duæ ſingulares columnæ æreæ ſuis propriis deſignatæ nominibus. Hæ ſunt duæ oliuæ iſtæ ad dexteram candelabri & ad ſiniſtram eius. Iſti ſunt duo filij olei qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ. QVOMODO amplificemus Zorababel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu: & IESVM filium Ioſedec, qui in diebus ſuis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum Domini, paratum in gloriam ſempiternam.* — Exodi 6. — Gen. 1. — S. Leo Serm. 1. de Apoſt. — 3. Reg. 7. — Zach. 4. — Eccleſi. 49

Multi ſunt in Scripturis ſimiles typi & figuræ quibus adumbrati ſunt hi duo Primarij Eccleſiæ Viri ac Principes, & quibus recolendis ita potes immorari, vt quæ ſunt tamen ædificationis tuæ vel proximi, non omittas reuoluere. Quod certe Chriſto Domino, atque ipſis Apoſtolis non minus erit glorioſum, quàm ſi eorum memoriam cogitando vel dicendo celebriorem feceris. Quid enim magni confert quod noſtri ſint Principes ſi non ſumus eorum ſubditi? Aut quomodo ſumus eorum ſubditi, ſi non illis vltro nos ſubdimus in quibus noſtri ſunt Principes? Neque enim Dignitate tantum ſunt principes vt colantur, ſed authoritate & potentia vt nobis imperent quæ ſunt Chriſti & ſalutis, noſque ipſis obſequamur.

Nam

Digitized by Google

Nam *arma militiæ noſtræ*, inquit Vnus eorum pro vtroque, *non carnalia ſunt, ſed Potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Quaſi diceret; noſter Principatus ſeu noſtra poteſtas non eſt ſimilis Poteſtati terrenorum Principum, qui ferro armati, & robore militum cincti, ſuos ſibi ſubditos in officio continent; Sed arma quibus vtimur, ipſa eſt virtus & Potentia Dei quam nobis ſcilicet dedit Deus ad proponenda & perſuadenda myſteria fidei & præcepta morum quibus Chriſto ſeruitur. Quæ quidem potentia & authoritas talis eſt vt ſi nobis non creditur nec obtemperatur, tam parata ſit Inobedientibus vltio quàm ſi Deo ipſi non paruiſſent. Quamobrem attendendum quid nobis imperent, & an imperatis fideliter obſequamur. 2. Cor. 10.

Et quidem quod ſpectat ad Intellectum ſeu fidem Catholicam nemo dubitat eam eſſe tenendam integerrime quam illi docuerunt: ſed de voluntate & moribus quod ſcriptis reliquerunt ſuis, non ita forte perſuaſum habes æque illis eſſe obtemperandum. In quo certe tantùm erras quantùm ſi illos omnino tuos non agnoſceres Principes. Neque enim omnino tuos agnoſcis niſi te illis omnino ſubdas: nec te illis omnino ſubdes niſi Intellectu & Voluntate, niſi Fide & Moribus, vtroque ſimul indiuiſim; *Sicut fide ſic moribus veri probantur ſubditi tantorum Principum.* Cur enim vno te illi ſubdas & non altero, cum ſit par vtrobique ratio? Dic aperte quod palàm profiteris, Cur non auderes diſcedere ab illa integra fide quam docuerunt hi noſtri Principes, quamque Romana tenet Eccleſia, niſi quia nobis à Chriſto tales conſtituti ſunt vt quod de fide docuerunt, tam fixum firmumque ſit nullo vmquam vt tempore poſſit deficere; atque id modo tam verè certoque vigeat, quam ſi modo ab ipſis traderetur. *Ego rogaui pro te Petre,* Luc. 22.
aiebat illi Dominus; *vt non deficiat fides tua:* hoc Ego ſingulare Priuilegium tibi conceſſum volui, vt non modo Tu fide non deficias, quod eſt commune aliis Apoſtolis, ſed nec illa tua fides quam in Romana docebis Cathedra numquam deficiat, quod tibi eſt ſingulare & proprium.

Sic ſanctus Bernardus ad Innocentium; *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandata regni Dei, &* Ep. 190.

præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua? Vnde & Diuus Hieronymus ad Damaſum, *Obſecro*, inquit, *vt mihi literis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum trium hypoſtaſeon detur authoritas; non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis.*

L. 3. Apolog. contra Ruffin. Itemque de ſancto Paulo contra Ruffinum: *Scito Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam eiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annuntiet quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli authoritate munitam non poſſe mutari.*

Atque idcirco hic Idem Apoſtolus ad Romanos ſcribens, antequam eò deueniſſet, congaudet illis *quod fides eorum annuntictur in vniuerſo mundo*; ſibique ipſe gratulatur quod *eam ipſam fidem ſit edoctus* nec aliam profiteatur quam quæ illis eſt tradita, quaſi diceret, quod & Galatis ſcripſit: *Ego ipſe cum Petro contuli quod à Chriſto didici, ne in vacuum currerem*; ne ſuſpectus aliis eſſem, ſi cum Illo non conueniſſem cuius indubitata fides erat.

Rom. 1.

Gal. 1. & 2.

O verè firmam Petram ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, & contra quam portæ Inferi nil præualebunt. Nonne ita credis? Non quia præciſe Petrus dixit aut Paulus, ſed quia quod dixit Petrus & Paulus, hoc Chriſtus dixit, hoc Deus reuelauit, *Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri IESV Chriſti virtutem & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* Sic illi paſſim quod à Deo acceperunt, ſe nobis tradere profitentur.

2. Pet. 1.

II. PVNCTVM.

SED Illi ipſi Duo Principes ſic à Chriſto Domino ſunt conſtituti, vt nos docerent Chriſtianos mores quos æque ſeruaremus ac fidem.

Tria hic dicuntur. Primum illis ipſis non minus eſſe ordinatum à Chriſto Domino vt nos docerent mores quam fidem. Nam cum certum ſit ſola fide ſine bonis moribus neque Chriſtum coli, nec Chriſtianum ſaluari poſſe: certe oportebat illos qui præcipue conſtituti erant vt Chriſti cultum & Chriſti Cultorum ſalutem prædicarent, de bonis moribus edocendis præceptum accepiſſe: Matth. 28. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.*

Secundum eſt, quod in illis docendis moribus & præceptis non

minus ſint infallibiles nec minoris authoritatis & poteſtatis quàm in docenda fide. Cum enim eandem à Chriſto habeant authoritatem ad vnum æque ac aliud : quid eſt quod in fide tradenda eſſent infallibiles, & non in moribus? Nonne æque ad omnia quæ docebunt, illis eſt dictum : *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit?* Luc. 10.

Atque hinc tertium eſt, quòd non minus obſeruanda nobis ſunt eorum præcepta moralia, quàm quos vocamus fidei Chriſtianæ articulos, cum non minus illa nobis præcipiant, neque minus ſignificent eſſe ad ſalutem neceſſaria, quàm eorum fides, quæ credenda docent. *Hanc ecce vobis, chariſſimi,* ait ſanctus Petrus, *ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem, vt memores ſitis eorum quæ prædixi, verborum.* Et poſt multa : *Propter quod, chariſſimi, ſatagite immaculati & inuiolati Ei inueniri in pace : & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitramini : ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis.* Et concludens; *vos igitur fratres præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* 2. Pet. 3.

Quinam porro illi eſſent Inſipientes, antè aperuit cùm dixit *venturos in nouiſſimis diebus in deceptione Illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes,* Et inanibus dictis auocantes à bonis moribus quos poſſent inducere ad liberiores genio laxandas ſecum habenas. Quod ne faceremus nos præmonet, perſuadetque ſua & fratris ſui Pauli authoritate, quæ certe ad coercendam propriam concupiſcentiam ſicut iubet, plus apud nos valere debet quam Illuſorum dicta vel errores Inſipientium.

Sic apte ſanctus Bernardus: *Hi mihi traditi ſunt in Magiſtros & in Mediatores quibus ſecurè me committere poſſim.* Et poſt multa: *Hi ſunt Magiſtri noſtri, qui à Magiſtro omnium, vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos vſque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt vel docent nos Apoſtoli ſancti? Non piſcatoriam artem, non ſcenofactoriam, vel quidquid huiuſmodi eſt : non Platonem legere, non Ariſtotelis verſutias inuerſare, non ſemper diſcere, numquam ad Veritatis ſcientiam peruenire. DOCVERVNT ME VIVERE. Putas parua res eſt ſcire viuere? Magnum aliquid, imo maximum eſt. Non viuit qui ſuperbia inflatur, qui luxuria ſordidatur, qui cæteris inficitur peſtibus, quoniam non eſt viuere, ſed vitam confundere, & appro-* Serm. 1. de Apoſt.

pinquare vſque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere: & ſic perſeuerare vſque ad mortem. Expende hæc acuratè.

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo fide ſic moribus veri probantur ſubditi tantorum Principum.* Sicut enim qui fidem eorum non teneret, non ſe bonum & fidelem probaret Eorum ſubditum, quia non crederet quod docuerunt, tamquam Principes à Chriſto conſtituti vt nos docerent: ita plane qui mores ab eis traditos non obſeruat; Quia propterea ſic etiam conſtituti ſunt Principes vt nos mores docerent, & eorum doctrinæ morum non minus adhæreremus in Praxi quàm doctrinæ fidei. Sic enim non tantum pro fide Chriſtiana, ſed pro caſtis moribus quos docebant dicuntur eſſe accuſati apud Neronem, & ab eo propterea condemnati. Atque idcirco ſanctus ipſe Petrus quanti à nobis deberent fieri præcepta morum & vitæ quæ tradidiſſet, ſic vniuerſim docebat: *Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Saluatoris IESV Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora, deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoſcere viam Iuſtitiæ, quàm poſt agnitiorem, retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Quaſi diceret, numquam admiſſi eſſent ad fidem, niſi refugientes coinquinationes mundi bonos illos mores ſtatuiſſent de quibus acceperunt à nobis præceptum: Nunc vero cum in fide progreſſi ſunt, putabunt forte ſibi eſſe licitum vt ab his noſtris præceptis reſiliant & rurſum ſe mundo inquinent. At vero tantum abeſt vt id liceat, quin potius inde magis augeatur peccatum, & minus peccaſſent non accipiendo fidem & præcepta, quam non ſtare præceptis acceptis, cum fide retenta.

S. Ambr. in Epiſtolis.

2. Pet. 2.

Sic & ſanctus Paulus. *Teſtor coram Deo & Chriſto IESV; & electis Angelis, vt hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. PRAECIPIO tibi coram Deo qui viuificat omnia & Chriſto IESV vt ſerues mandatum ſine macula, irreprehenſibile, vſque ad aduentum Domini noſtri IESV Chriſti.* Hoc eſt eſſe Principem ſic præcipere, & hoc eſt eſſe ſubditum ſic parere vt præcipit.

1. Tim. 5.

Ibid. 6.

Ne te vero dicas obrui & confundi multitudine præceptorum

Digitized by Google

moralium quæ nobis tradunt hi Principes. Vide quid magis in te repugnet moribus tuo ſtatui conuenientibus, & vide quid contra præcipiant: Hoc eſt præceptum quod tibi tradunt, hoc eſt in quo vel maxime te illis probabis ſubditum, vel negabis.

An te Acedia torporue mentis conſtringit; nec forte ſatis vigilas in aſſidua virtutem Praxi? Audi ſanctum Petrum: *Curam,* inquit, *omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem: in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam:* Et quæ plura ſequuntur vſque ad nonum capitis verſum, ex quo diſces non conſilium ſed præceptum eſſe, cùm pœnæ ſeu damna proponantur non obſequentibus. *2. Pet. 1.*

An te piget obedire nonnullis ſuperioribus? Audi ſanctum Paulum: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* *Rom. 13.*

O quam diuerſi modo mores ab illis quos docuerunt! ô quàm vere & grauiter ſanctus Leo: *Pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere. Plus impenditur Dæmoniis quàm Apoſtolis!* An hoc tibi dictum conueniat, apparebit hodie ex correcto vel incorrecto vitio cuius argueris. Niſi enim te corrigas, plus impendes & deferes Dæmonibus qui te in vitio retinent, quam ſanctis illis Apoſtolis qui te ab eo reuocant. *Pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere.* *Serm. 3. de Apoſt.*

DE SANCTO PETRO.

Et ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini. 1. Pet. 2.

Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Zacch. 3.

VERITAS PRACTICA.

Cui ſanctus Petrus petra viua non eſt, Petra eſt ſcandali.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia idcirco ſanctus Petrus petra viua dicitur, quia qui firmiter illi adhæret, ſana fide viuit ſaniſque moribus.*

Sed qui non firmiter ſic illi adhærent, dicunt inter alia, ipſum fide & moribus peccaſſe Petrum, quod eſt Eum ſibi facere Petram ſcandali ſiue occaſionem ſui peccati.

Ergo Cui ſanctus Petrus Petra viua non eſt, Petra eſt ſcandali. Quod certe eſt diligenter cauendum.

I. PVNCTVM.

QVÆ de ſancto Petro ſingularia dicunt Patres & Scripturæ Interpretes, quæque iam partim dicta ſunt, hic poſſunt repeti & referri ad ſeptem Capita deſignanda ſeptem illis myſticis oculis qui ſuper lapidem vnum dicuntur ineſſe à Propheta Zaccharia. Multis autem ea modis referri
Zacch. 3. poſſunt. Primo quidem circa Eius Perſonam, ſeptem hæc annotantur. Primum: intuitus Petrum IESVS imponit ei nomen
Ioan. 1. Cephæ ſeu Petri. Secundum: Aſcendit Dominus in nauem Pe-
Luc. 5. tri, vnde docet turbas, & tùm Petro ſingulariter dicitur, *Noli*
Math. 14. *timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Tertium: ſolus Petrus vnà cum Domino ambulat ſuper aquas, ſicque vnicum ſe Chriſti vicarium deſignauit, qui non vni populo ſed cunctis præeſſe debe-
2, de Conſid. ret, inquit ſanctus Bernardus. Quartum: Petro inter omnes confitenti Chriſtum Dominum, Filium Dei, reſpondet Dominus,
Math. 16. *Et Ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Et tibi dabo claues regni cælorum*, Et quæ ſequuntur Diuina Verba. Quintum: Cum de cunctis Apoſtolis dixiſſet Do-
Luc. 22. minus: *Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum*, tum
Ibid. Petro ſingulariter, *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Sextum, In domo Pontificis negantem ſe Petrum Dominus reſpicit, tum pœnitens Petrus peccatum amarè deflet. Septimum denique, poſtquam Petrus inſignem præ cæteris ſuum Chriſto indicauit amo-
Ioan. 21. rem, *Paſce agnos meos*, inquit illi Chriſtus, *Paſce oues meas*, Qui-
In Anchor. bus Verbis *concreditum illi ouile*, ait ſanctus Epiphanius.

Digitized by Google

DEINDE vero hic alius rerum ab ipſo geſtarum Septenarius conficitur quo ſingulariter omnium Primus & facile Princeps agnoſcetur. Primus de ſubſtituendo in locum Iudæ Apoſtolo verba faciens ad reliquos omnes fideles qui erant numero fere centum viginti, ab omnibus ne vno quidem refragante, auditur, & rem conficit. Primus, accepto Spiritu ſancto ſermonem habet apud Iudæos quorum circiter tria millia primo illo die conuerſa ſunt. Primus, inter omnes primum edit miraculum. Primus, primos ex Credentibus peccatores pœna mortis mulctat. Primus, primum Hæreſiarcham Simonem Magum refutat, arguit, & condemnat. Primus Gentilem Cornelium ſibi ab Angelo miſſum de fide inſtruit, baptizat, & Eccleſiæ aggregat. Primus denique in primo generali Concilio palàm loquitur, & agitatam de legalibus abrogandis definit quæſtionem.

Act. 1. *Ib. 2.* *Ib. 3.* *Ib 5.* *Ib. 8.* *Ib. 10.* *Ibid. 15.*

SVNT qui ad primam Eius Sedem ex multis prærogatiuis, has ſeptem ſingulares referant. Primò, quod vna & ſola dicatur Apoſtolica. Secundò, quod quæ illi adhærent ſedes Epiſcopales, ſemper teneantur Orthodoxæ, & veræ Eccleſiæ, non item aliæ. Tertiò, quod tamquam ſuprema omnium de aliis omnibus iudicet & à nullo iudicetur. Quartò, quod leges condat quibus obedire fideles omnes debeant. Quintò, quod in fide & moribus errare non poſſit. Sextò, quod & locis & temporibus definita non ſit, neque vnquam defecerit aut deſitura ſit aliquando. Septimò, quod ſola de controuerſis in fide definiat, & de ſenſu Scripturæ ſacræ dijudicet.

ALII denique ſunt qui hunc eximiarum S. Petri virtutum Septenarium texunt. Prima eſt Obedientiæ promptitudo quà vocantem Chriſtum ſequutus eſt. Secunda eſt, Renuntiatio perfecta omnium. Tertia eſt ſingularis eius fides. Quarta, præcipuus in Chriſtum Dominum amor. Quinta eſt, pœnitentia continua. Sexta, inſignis animi fortitudo, conſtantia, vigilantia, & omni ex parte perfecta Paſtoralis cura. Septima eſt humilis Manſuetudo, quæ cùm aliàs tùm in aduerſante ſibi Paulo apparuit, & in eius laudandis Epiſtolis, in quibus ſe reprehenſibilem eſſe vidit; Vnde hæc illa egregia ſunt ſancti Gregorij: *Se*, inquit, *minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, etiam vt in hoc præiret, quatenus qui Primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus & in humilitate. Penſate ergo, fratres chariſſimi,*

Hom. 18. in Ezech.

in quo mentis vortice ſtetit qui illas Epiſtolas laudauit in quibus Scriptum ſe vituperabilem inuenit. Quæ illi manſuetudo tanta eſſe potuit, quæ quies animi, quæ ſoliditas atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat quod Primus Apoſtolorum vocatus eſt, non quod claues regni cæleſtis acceperit; non quod peccata quæcumque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta & in cælo: non quod in mare pedibus ambulauit, non quod Paralyticos in IESV nomine iubendo erexerat: non quod ægros, corporis ſui vmbra ſanauerat: non quod mentientes Verbo occiderat; non quod mortuos oratione ſuſcitabat. Ne igitur increpationis Verba dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat quaſi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret.

Sic de ſingulis Eius virtutibus commendandis, atque aliis etiam titulis ſuprà commemoratis facile deduci poſſent ex ſanctis Patribus, quæ fuſius narrarentur: ſed præſto illa ſunt apud Controuerſitas, & maxime Bellarminum: & dandus eſt tandem locus Veritati propoſitæ perpendendæ, quæ tam neceſſaria eſt ad Praxim, quàm pernicioſum eſt Petram illam viuam & vitalem, ſanctum inquam Petrum, nonnullis fieri Petram mortis & Scandali. *Quibus ſcilicet non eſt Petra vitæ, Petra eſt mortis.* Cur porro? Expende rationem. Idcirco enim dicitur ſanctus Petrus Petra viua, non tantum quod ipſe viueret cùm dictus eſt Petra ſed quod modo etiam in Eccleſia ſic viuat tamquam eius Caput, vt qui firmiter illi adhærent, ſanâ fide viuant, ſaniſque moribus: neque illi aliter recte poſſint viuere aut ſanè ſentire de fide & moribus, quin illi tam firme adhæreant vt nulla vi ab eo poſſint dimoueri. Sic apte ſanctus Hieronymus, ex oriente vbi tùm degebat ſcribens ad Damaſium Papam: *Neque vero*, inquit, *tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ Margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala, patrimonio, apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas* (ſiue authoritas.) *Ibi ceſpite terra fœcundo, Dominici ſeminis Puritatem centeno fructu refert: hîc obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſque degenerant.* Et poſt pauca: *Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram, ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.* Itemque paulò poſt: *Non*

Tomo 1. l. 1. de Rom. Pontif.

Ep. 15. inter Selectas.

Non noui Vitalem : Meletium reſpuo ; Ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit : hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Et ſequenti epiſtola ad Eundem : *Hinc præſidiis fulta mundi, Ariana rabies fremit : hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit authoritas. Ego interim clamito : ſi quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus ibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere ſi hoc vnus aſſereret : nunc, aut duo mentiuntur aut omnes. Idcirco obteſtor Beatitudinem tuam per crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per Paſſionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito : vt mihi literis tuis apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices : Noli deſpicere animam pro qua Chriſtus mortuus eſt.* Quaſi diceret : Tanti ego duco ſcire à te tamquam ab ipſo Petro quid credere quidue agere debeam, vt in hoc vitam & ſalutem omnem conſtituam, ſi ſic credidero & vixero prout mihi ſignificaueris. Nonne tu idem cum tanto Doctore cenſes ?

II. PVNCTVM.

S*ED qui non firmiter Apoſtolicæ Petræ ſic adhærent, dicunt inter alia ipſum in fide & moribus erraſſe Petrum, quod eſt ſibi Eum facere Petram ſcandali.*

Nempe hoc dicunt Hæretici, & in peccatis obſtinati : atque ideo ſic ſibi palpant in errore ſuo, vt ſibi perſuaſum velint Hæretici, non electum à Domino Petrum, Petram & fundamentum Eccleſiæ, quod grauis peccator fuerit. Nec de peccatis cauendis aut deponendis multum moneantur peccatores, quod Petrus etiam peccauerit.

O quàm verè dictum à Sapiente : *animæ doloſæ errant in peccatis.* *Prou.* 13. Merus eſt enim dolus quo mens in ſua prauitate obfirmata, velum obtendit ſuo vel errori vel peccato, ne in ſua nuditate appareant & Conſcientiam moueant. Eſto enim, Hæretice, peccarit Petrus, non tamen fidem amiſit, neque vmquam deſtitit corde credere illum eſſe Chriſtum quem ore denegauit, cum illi Dominus expreſſe dixerit, *non defuturam eius fidem.* Peccauit tamen, & grauiter ſic ore negando Dominum ſuum ; ſed quid inde ? Non propterea fuiſſe Petram & primum à Chriſto Eccleſię fundamentum? Imò propterea ſic peccare permiſſus eſt, vt cum Paſtor ouium fu-

turus eſſet, non dedignaretur errantes recipere, & peccatores reuocare ſeu reuocatos amplecti. Sic præclarè ſanctus Gregorius: *Qua in re*, inquit, *conſiderandum nobis eſt cur omnipotens Deus eum quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magnæ actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus, vt is qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret qualiter aliis miſereri debuiſſet. Prius itaque eum oſtendit ſibi, & tunc præpoſuit cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret quàm miſericorditer aliena infirma toleraret.*

Hom. 21. in Euang.

Sic qualiſcumque illa fuerit culpa quam in ipſo Paulus arguit, ad humilitatis exemplum eueniſſe non modo patet ex eodem ſancto Gregorio, vt ſupra viſum eſt, ſed ex ipſo ſancto Auguſtino qui factum Apoſtoli contra Diuum Hieronymum vehementer tuetur: *Rarius*, inquit, *& ſanctius exemplum Petrus, Paſtoris præbuit quo non dedignarentur à poſterioribus corrigi, quàm Paulus, quò confidenter auderent minores majoribus pro defendenda Veritate, ſalua Caritate reſiſtere.* Vbi vides manifeſte, quod tametſi daretur ex Auguſtino Petrum peccaſſe & iuſte à Paulo reprehenſum fuiſſe, ſemper tamen ipſum Auguſtinum cenſuiſſe Paulo Petrum eſſe priorem, cùm aperte dicat à poſteriori & minori fuiſſe correptum.

Ep. 19. ad Hier.

Contra vero induratos peccatores & à Petri peccato Petram ſcandali, id eſt, occaſionem ſui peccati falsò & inique deſumentes ſic grauiter ſanctus Bernardus: *Væ tibi qui poſt lapſum, fortiorem te nobis exhibes! Vt quid tam rigidus es in tuam perniciem? Inclinare potius vt melius erigaris, & ne prohibeas frangi quod diſtortum eſt, vt poſſis melius ſolidari. Quid indignaris increpanti gallo? Tibi potius indignare. Pluuiam voluntariam, ait Pſalmiſta ſegregabit Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt. Bona infirmitas quæ ſegregatur hæreditati, quæ medicum non repellit. Induratos enim tamquam vas figuli in virga ferrea conteret: & hæreditas infirmata eſt, ait, tu vero perfeciſti eam.* Notanda hæc Peccatori poſtrema verba, quaſi ipſi diceretur, falsò & impiè tuam in peccatis excuſas infirmitatem, cùm in ea tu te ipſe projicis, vel cùm in eis diutius remoraris; tunc enim perficis tuam infirmitatem; quæ prius erat tantum inchoata; tunc abuteris tua infirmitate ad excuſationem peccati, cùm potius illa vti deberes ad peccati fugam & cautelam. Non idcirco peccauit Petrus vt peccares, ſed potius vt eius exemplo diſceres tibi cauendum, aut ſi forte peccaueris, cito reſipiſcendum; nec

Serm 3. de Apoſtolis.

Digitized by Google

deſperandum vmquam poſt quodlibet perpetratum peccatum, cùm ille in priſtinum ſuum ſtatum redierit; ſed neque etiam præſumendum aut perſiſtendum in peccato, cum ille ſtatim reſpectus à Domino egreſſus fuerit foras, & amare fleuerit.

O quoties illum oculum qui reſpexit Petrum, deſpexiſti?

III. PVNCTVM.

SIC ergo *Cui ſanctus Petrus Petra viua non eſt, Petra eſt ſcandali*, dùm loco exempli virtutum & pœnitentiæ, quod à ſancto Petro exprimere oportebat, ſibi potius occaſionem erroris & peccati fingit, trahitque ex Petra quandam fellis amaritudinem, vnde potius mellis & olei ſuauitatem educere poterat, ad æternam ſuam ſalutem. Sic ipſe Chriſtus Dominus qui *lapis ſummus, angularis, electus & pretioſus* dicitur, dicitur etiam *lapis offenſionis & Petra ſcandali*, quod quia crucifixus eſt, non credatur Deus: aut ſi Deus creditur pro peccatis crucifixus, iam de peccatis propriis nihil nos eſſe ſolicitos oporteat ſed ſecuros, ſed certos de ſalute, quantumcumque quiſque peccauerit, & in peccatis obierit, dum Chriſtum credat crucifixum, ſalua ſunt ei omnia. O verè Petram ſcandali, & offenſionis ei qui ſic de Chriſto ſentiret! *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Ita plane de ſancto Petro peccatore, Petra illa eſt de qua Iob, *Et petra fundebat mihi riuos olei.* Mirum enim quantæ inde in nos defluant miſericordiæ, cum inde peccatorum remiſſio, inde venia, inde pœnitentia & quidquid ad ſalutem ſpectat, volenti deriuetur. Sed nolenti & ſcandalum ſibi facienti, Petra illa eſt infœcunda in quam ſemen iactum dum decidit, deficit, exareſcit & perit. *Radicem non habet, continuo ſcandaliſatur*, inquit Dominus.

1. Pet. 2. — *Matth. 21.* — *Iob. 29.* — *Matth. 13.*

O te ter miſerum & infœlicem, qui cum poſſes eſſe fœlix alieno damno, mauis eſſe miſer tuo: & tanto majori tuo damno, quanto major eſt tua culpa quæ ſic Petram vitæ conuertit in Petram mortis & ſcandali. Exardeſce ad hæc in teipſum, & audi ſanctum Ambroſium: *Si Petrus Petra eſt ſuper quam ædificatur Eccleſia, recte primum ſignum mirabilium ſuorum Petrus fecit conſolidando plantas hominis claudi: vt ſicut in Eccleſia, fidei fundamenta continet, ita in homine, membrorum fundamenta confirmet. Recte inquam pri-*

Serm. 68.

mum in Chriſtiano pedes curat, vt iam non intrepidus nec imbecillis
Ioſue 1. *poßit ſuper Petram Eccleſiæ, ſed robuſtus & fortis incedere.* Sic confortare, & eſto robuſtus.

DE SANCTO PAVLO.

Imitatores mei eſtote, ſicut & Ego Chriſti. 1. Cor. 11.

VERITAS PRACTICA.

Licet Pauli Magnitudo vix ſit Imitabilis: vix tamen alius eſt magis Imitabilis quàm magnus Paulus.

RATIO HÆC EST INTER ALIAS, Quod vix eſt alius magis Imitabilis quàm qui exemplo ſuo majorem ſpem facit propoſitæ imitationis aſſequendæ.

Sed vix vllus eſt alius qui exemplo ſuo majorem ſpem faciat propoſitæ imitationis aſſequendæ, quàm magnus Paulus.

Ergo vix alius eſt magis imitabilis: Ac proinde audiendus, dum ad Imitationem ſui nos adhortatur.

I. PVNCTVM.

QVANTA eſſet magnitudo ſancti Pauli, ſatis patet ex eius vita, rebuſque geſtis, quæ ex Actis Apoſtolorum, atque ex Ipſius Apoſtoli Epiſtolis colliguntur. Quia tamen nonniſi ſparſim & per partes illic referuntur quæ ſunt huius Diuini hominis illuſtriora facta: ſi quis collectim ea deſideret, adeat ſanctum Ioannem Chryſoſtomum quem nobis Diuina Prouidentia non minus ſubminiſtrauit Pauli prædicatorem: quàm Paulum, Chriſti præconem. Oportebat ſane talem Apoſtolum
Ephes. 3. cui ſingularis *hæc daretur Gratia, in gentibus euangelizare inueſtigabiles Diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti*

Digitized by Google

abſconditi à ſæculis in Deo. Verùm & oportebat tale Os aureum quod ſingularem illam Apoſtoli gratiam nobis euidentius & dignius aperiret.

Et cùm multa de Paulo Chryſoſtomus, tum illud inſigne eſt & compendioſe eximium quod ait Eum velut *Paradyſum ſpiritualem*, vnde quatuor fluuij Gratiarum in vniuerſum emanent genus. Quatuor ſunt ſcilicet præcipua Capita quò Gratiæ illæ omnes referuntur. Primum eſt Diuina Sapientia ſeu rerum Diuinarum ſcientia de qua ſic ſanctus Chryſoſtomus: *Paulus, Archetypus bonorum cui omnem prædicationem, res orbis, myſteria cuncta, vniuerſamque diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe cælum ſolem habens Iuſtitiæ, Ipſe mare ſapientiæ puriſſimum & profundiſſimum.* Hom. 1. de laudib. Pauli. Rom. 4.

Secundum eſt, Efficacia in dicendo, de qua ſic Idem ſanctus Doctor: *Etenim homo ignobilis, abjectus, & circumforaneus qui artem exercebat in pellibus, intantum virtute progreſſus eſt, vt vix triginta annorum ſpatio, Romanos & Perſas, & Medos & Indos & Scythas & Aethiopas, & Sauromatas & Saracenos, & omne prorſus humanum genus ſub iugum mitteret Veritatis.* Ibid. Tertium eſt Eius ſanctitas & virtutum omnium quantumcumque diuerſarum aſſociatio. *Paulus,* inquit Idem Panegyreſtes, *cum in terris eſſet; vbi Seraphim ſunt, ibi conuerſabatur, propius Chriſto aſſiſtens quàm haſtati & ſtipatores regi aſſiſtunt; quippe cùm iſti aſpectum huc illuc circumferant, Ille vero nulla rerum ſpecie motus, vniuerſam mentis aciem ad Regem (Chriſtum) tenderet.* Hom. 55. in Matth. Et rurſum: *Paulus omnium virtutum fuit arca, adeout etiamſi quis totum contra Eum, Iuſtorum chorum ſigillatim appendat, inueniat trutinam, virtutum ponderibus à Pauli parte depreſſam.*

Quartum denique eſt infatigabilitas quædam animi & corporis dum per vniuerſas totius orbis partes Chriſtum annuntiat: *Totus factus Charitas*, inquit os aureum, *ſicut miſſum in ignem ferrum totus ignis efficitur, qui quaſi communis totius mundi eſſet Pater, ita amore hominum, ipſos eorum imitabatur parentes, imo cunctos pietate & ſolicitudine ſuperabat.* In Commem. S. Pauli. Itemque alibi fuſius: *Sicut medicus optimus, & Pater communis, & curator ac tutor, omnia agit, omnia curat, impedimenta remouet, offendentes reprimit, vbique circumcurſat. Neque enim ſicut is qui in prælio rem perficit, ſed ſicut is qui ad paratam ac promptam venit victoriam, trophæa ſtatuit, ſuffodiens, deſtruens, dejiciens Diaboli munitiones, & miniſtrorum machinationes,* Hom. 21. in 1. Corinth.

Digitized by Google

& vniuerſum tandem orbem ad Chriſti exercitum ducit: & neque parum reſpirat: ab his ad illos, ab illis ad alios tranſiliens quaſi militum Dux quidam optimus afferens trophæa: Imo ſingulis horis ſola tunica indutus irrumpens in aciem, aduerſariorumque ciuitates & tela, & lanceas & iacula, & omnia in ſuum ius cogens.

Ex quibus & aliis vberius pertractatis, vnde hæc pauca decerpta ſunt, euidenter patet quàm vix aut ne vix quidem tanta Magnitudo à nobis eſſet imitabilis: Et tamen certa eſt Veritas quæ modo proponitur expendenda, *Quod vix eſt vllus alius magis imitabilis quam magnus Paulus.* Rationes multæ poſſent afferri, ſed hæc imprimis opportuna quæ docet vix eſſe alium magis imitabilem quàm Eum qui ſuo exemplo majorem facit ſpem propoſitæ imitationis aſſequendæ. Hoc eſt enim quod vel maxime nos deterret ab imitandis Sanctis quod nobis perſuadere non poſſimus poſſe nos eos imitari, quippe qui tam longe ſimus remoti ab eorum ſanctitate; vnde & quo illi ſunt ſanctiores, tanto minus id perſuaſum habemus: Quamobrem ad tam difficilem perſuaſionem inducendam nihil poterat dici aptius, quàm quod de certa ſpe dicitur quam qui è Sanctis certiorem aut majorem facit, is ſe magis imitabilem reddit. Quod certe patuit in ſancto Auguſtino cui dubitanti nùm poſſet caſta ſanctorum ſequi veſtigia, tum inquit Ipſe, *Apparuit caſta dignitas Continentiæ, ſerena & non diſſolute hilaris, honeſte blandiens vt venirem, neque dubitarem; & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum; pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum.* Et quæ plura pergit quibus ſe mirum in modum ait eſſe excitatum, quia ſic in ſpem venerat propoſitæ ad imitandum virtutis facilius conſequendæ quàm putaret. (8. Conf. 11.)

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in Eo: & ipſe faciet: Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam. In hoc vel maxime deficis. (Pſ. 36.)

II. PVNCTVM.

SED vix vllus eſt alius qui exemplo ſuo majorem nobis faciat ſpem propoſitæ imitationis, ſeu ad imitandum virtutis aſſequendæ, quàm magnus Paulus.

Primo enim cùm nos exhortatur ad imitationem ſui, ſicut ipſe eſt Imitator Chriſti, docet nos euidentiſſime non id à nobis

imitandum quæri quod ipſe fecit: neque enim ipſe ſic Chriſtum imitatus eſt, vt quæ omnia Chriſtus geſſit, Paulus geſſerit. *Numquid Paulus crucifixus eſt?* Sed ſuo modo Chriſtum ſequutus eſt, faciendo & patiendo perfecte quæ Chriſtus volebat ab ipſo fieri & ſuſtineri, ſicut Chriſtus ſuo modo illa paſſus erat quæ à Patre ſibi erant ordinata vt pateretur. *Vnuſquiſque*, inquit, *proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* Tanti refert hoc ſemel probe intelligere, vt non ſemel ſed iterum atque iterum repetat, ſe nolle à quoquam aliud quam quod eſt proprium ſuæ vocationi, ſuæ ætati, ſuis viribus, ſuo denique ſtatui tum interno tum externo, tum animi, tum corporis & rerum etiam domeſticarum. Vnde illud ad rem noſtram peropportunum ſequitur, vt cum ad Eum imitandum appellamur, ad illa tantum quæ ſunt noſtri officij prouocemur, vt illa nempe diligenter exequamur in Chriſto, ſicut Ipſe ſuo in miniſterio gnauus & ſedulus fuit. *Vide*, inquit, *miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas*; Non meum quod accepi, ſed illud tuum quod tibi à Domino datum eſt, ſicut mihi meum, & cuius rationem reddes non mei miniſterij, ſicut nec ego tui; *Nam vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.* Quid clarius? Quid iuſtius?

1\. Cor. 1.

1\. Cor. 7.

Coloſſ. 4.

Rom. 14.

Atque ita, hoc aliud infertur quod erat præcipue demonſtrandum, cùm nempe non ſit alia tibi propoſita virtus Pauli ad imitandum, quàm quæ tibi domeſtica eſt, tibi propria eſt, & tota tua, quid eſt quod deterrearis? Quid eſt quod non ſperes? Quid eſt quod dubites vel affuturam gratiam, vel ſatis eam eſſe potentem vt tuo perinde fungaris munere, ac Paulus ſuo?

Quod ſi tamen adhuc hæres; ſi vel gratiæ vel tibi ſic diffidis vt non putes vmquam poſſe etiam in minimis quod Paulus in maximis potuit: quæſo te, Paulum cogita, quis eſſet ante acceptam gratiam, quis qualiſue factus ſit poſt acceptam; & vide num ex iſtis, ſpes tam certa excitetur, quanta eſſe poteſt cum Dei gratia ex cuiuſuis exemplo. Quanta eſt enim diſtantia Sauli perſequentis Chriſtum & Pauli Chriſtum prædicantis, tanta eſt ratio ſeu rationis efficacitas ad demonſtrandum quid poſſit in nobis gratia, ſi velimus ei conſentire; cum vnius ſit Gratiæ opus, quodcumque illud eſt grande opus, *Quòd Saulus perſequutor factus* Serm. 1.

Digitized by Google

In Conuerſ. S. Pauli. *eſt Paulus prædicator.* Propterea, inquit ſanctus Bernardus, *Conuerſionis eius memoria frequentatur quod & ipſa quoque memorantibus vtilis inueniatur. In hac enim memoria & peccator ſpem veniæ concipit, & prouocatur ad pænitentiam: & qui iam pænitet, perfectæ conuerſionis accipit formam. Quis deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum & cædis in Diſcipulos Domini, ſubitò factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere preſſus, aſſurgere iam ad ſtudia meliora non valeo: quando in ipſo itinere quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum, dirum toto corpore virus efflabat, perſecutor crudeliſſimus in fideliſſimum repente mutatus eſt Prædicatorem? Magnificè ſi quidem in hac vna conuerſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.*

Quod & ipſe ſanctus Apoſtolus ſic agnoſcebat, ſicque omnibus notum volebat, vt omnes ſuo exemplo animaret ad illam ſpem quæ eſt vel maxime neceſſaria ad formandum imitandæ virtutis affectum: Sic enim ait: 1. Tim. 1. *Chriſtus IESVS venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primò oſtenderet Chriſtus IESVS omnem patientiam ad Informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Quem in Apoſtoli locum ſic præclarè ſanctus Anſelmus, ex Diuo Auguſtino: *Si Saulus ſanatus eſt, ego quare deſpero? Si à tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non optabo? Ad illas manus non feſtinabo? Vt hoc dicerent homines ideo factus eſt Saulus de perſecutore Apoſtolus, quia cùm venit Medicus volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat: & ſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem: Ita & Chriſtus potentiam ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtendit in Saulo, vt omnes deinceps noſſent, Eum ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe.* Tune verò iam dubitare poſſes?

Adde his verò quod non parum facit ad prouocandam imitationem, non modo Paulus fuit qualem ſe dicit ante conuerſionem, blaſphemus & contumelioſus: ſed poſt ſuam etiam ad Chriſtum vocationem, & poſt acceptam baptiſmi Gratiam, ſic internis & externis agitatus eſt motibus, moleſtiis, anguſtiis & preſſuris, vt vix vllus hominum ſe infirmum magis & oppreſſum ſentiat quam ſe hic paſſim profitetur Apoſtolus: nempe vt omnes non ſolum verbo ſed facto doceat in quo potiſſimum ſita ſit virtus

hominis

Digitized by Google

hominis & operatio Gratiæ; non in apathia, non in obtuſis ſenſibus, non in corporis aut animi ficta quadam vacuitate curarum & motuum: ſed in pugna cum vitiis, in certamine cum concupiſcentia, in negando conſenſu naturæ prouocanti ad peccatum. Video, inquit in me & ſentio quidquid in aliis hominibus deprauata poſſit natura; ſed renitor, ſed reluctor cum Dei Gratia per IESVM Chriſtum. *Sic pugno non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur ſed non perimus: ſemper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes, vt & vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris.* Rom. 7. 1. Cor. 9. 2. Cor. 4.

Quaſi diceret, ſi qua mundi aut carnis vexatione vos agitari & à virtute propterea dimoueri putatis, putate & certo credite nos eadem prorſus vexari moleſtia, cùm interna tùm externa: nec tamen Diuino freti ſubſidio, virtutem abdicamus, ſed potius in illa & cum illa magis ſubſiſtimus: quæcumque virtutis impedimenta vos habere conclamatis, hæc & Paulus habet: quæcumque vero Paulus habet virtutis & gratiæ neceſſaria ſubſidia, vos habetis. Vnde & concludit; *Has ergo habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. CAPITE NOS. Neminem læſimus neminem corrupimus, neminem circumuenimus.* Id eſt, vt exponit ſanctus Thomas, Capite nos in exemplum ſeruandæ ſimul charitatis & Iuſtitiæ. Si naturæ deprauatæ motum eſſem ſequutus, læſiſſem eos certe qui me innocentem priùs læſerant; ſed Diuina iuuante Gratia neminem læſimus aut vlla in re offendimus. Sic agite, ſic naturæ reſiſtite, ſic gratiæ cooperamini. *Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hoc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.* Quando ſcilicet, vos à me imitando non excuſabitis quaſi alius eſſem à vobis, quod falſum eſt, & quod ſi prætenditis, Deus pacis non erit vobiſcum, quia non eſt cum mendacio & falſitate. *Quamobrem*, inquit, *ESTOTE SICVT EGO, QVIA ET EGO SICVT VOS.* Eſtote ſicut ego, patientes, manſueti & humiles, quia & ego ſum ſicut vos intus in animo, & extra in mundo, afflictus, agitatus & commotus. Sic *tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute quæ operatur eandem tolerantiam paſſionum* 2. Cor. 7. Phil. 4. Gal. 4.

quas & nos patimur. Id eſt, vobiſcum mala patior, vt vos mecum mala benè pati diſcatis.

l. 19. Mor. c. 5. & 6. *Ah Paule in cælo iam IESVM conſpicis, & in terra adhuc hominem fugis,* nempe gentis Aretæ regem. *In paradyſum duceris, ſecreta Dei verba agnoſcis, & adhuc à Satana Angelo tentaris! Vnde ſic fortis vt ad cæleſtia rapiaris: Vnde ſic infirmus, vt in terra hominem fugias, & adhuc à Satana Angelo aduerſa toleres?* Sic ſanctus Papa Gregorius, qui & ſibi fuſe reſpondet id ita diuinitùs factum, ad augendam virtutem Apoſtoli, & ad eius virtutis exemplum faciliùs exponendum.

III. PVNCTVM.

LICET *ergo Pauli magnitudo vix ſit imitabilis: vix tamen alius eſt magis imitabilis quam magnus Paulus.* Non enim inuitaris ad eius imitandam magnitudinem, ſicut neque ad eius officij Apoſtolici ſublimitatem: ſed tamen inuitaris ad Illum imitandum, vt ſicut ille humilis fuit & patiens, atque omni virtute commendabilem ſe ſuo in illo Apoſtolico munere præſtitit, ita tu in tuo; Et ne forte dicas te non poſſe quod debes, idcirco Ille tibi proponitur qui minus quàm tu poterat, niſi adiutus fuiſſet ab illa Gratia quæ tibi tam præſto eſt ad obeundum munus tuum quàm ad ſuum illi
1. Cor. 15. affuit perficiendum. *Gratia Dei ſum id quod ſum,* inquit ille, *& gratia eius in me vacua non fuit.* Atque vt ij ſimus etiam qui eſſe
2. Cor. 6. debemus. *Adjuuantes,* inquit, *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Hom. 2. de laudib. Pauli. Totum eſt in illo Gratiæ fideli vſu: Vnde apte ſanctus Chryſoſtomus: *Quid ſit & homo, & quanta naturæ noſtræ nobilitas, quantæque capax virtutis, in Paulo videmus, qui vitâ ſuâ docet quod inter Angelos hominesque non grande ſit medium, ſi tamen nos ipſos diligentius excolamus. Non enim aliam ille eſt ſortitus naturam, nec diſsimilem nactus animam, neque alterum habitans mundum, ſed in eadem terra, ſub eiſdem etiam legibus nutritus & moribus.*

Ad hæc quid animi? Quid virtutis? Quid melioris vitæ? Quid perfectioris Sanctimoniæ? Nihilne tali exemplo moueberis? An te adhuc poſſe negabis quod debes facere, aut refugies velle quod poſſis? Nihilne Sancto deferes? Nihil eius dictis? Nihil
Gal. 4. eius exemplis? Audi ſaltem illum: *Timeo ne forte ſine cauſa labo-*

Digitized by Google

rauerim in te. Quid reſpondes? Poteſne ſolo ſilentio tantum probrum concoquere?

Vide in 2. parte, Feria 4. Cinerum, vbi hæc proponitur Veritas:

Non quidquid Chriſtus egit, ſed quomodo.

Et Feria 3. Hebdom. 1. in Quadrageſima, vbi de internis Chriſti doloribus.

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Die 2. Iulij.

Exurgens Maria, abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda. Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Diuinæ Viſitationes rarò conueniunt cum humanis, niſi hæ raræ ſint.

RATIO EST, *Quia humanæ illæ Viſitationes quæ vltrò citroque dantur & accipiuntur, niſi ſint raræ, ſunt nimis familiares, nimis liberæ & effuſæ.*

Sed Diuinæ Viſitationes rarò conueniunt cum illis Viſitationibus quæ ſunt nimis familiares, nimis liberæ & effuſæ.

Ergo rarò conueniunt Diuinæ cum humanis, niſi hæ raræ ſint. Quæ certe ratio multum valere debet ad coercendam liberiorem illam licentiam quà multi etiam Religioſi ſunt frequentiores in viſitando, ſicque Diuinis priuantur viſitationibus & gratiis; Quod eſt valde deplorandum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

CVM ex Angelo nuntiante ſibi Diuinum Verbum incarnandum, didiciſſet Beata Virgo cognatam ſuam Elizabeth concepiſſe filium in ſenectute ſua : ſtatim atque diſceſſit Angelus, cognouit Diuinæ voluntatis eſſe vt grauidam illam ſuam cognatam, ipſa etiam Verbo Diuino fœta viſitaret, & coleret : tùm illicò paruit, ſiue vt ſic volenti Deo tantum obſequeretur, ſiue vt officium ſuum Elizabethæ deferret, ſiue vt mutuò Diuina in ſe collata beneficia recolerent; ſiue vt eſſet nobis exemplo, quo fructu quoue fine ſint habenda colloquia, & mutuæ viſitationes tranſigendæ. O certè cælitus injectam Virgini talem mentem! ò ſanctè nauatam Eius operam quæ tanto malo quale in frequentibus illis congreſſibus reperitur, modum & remedium afferre queat.

Perpendi quidem poſſunt ex Euangelica rei geſtæ hiſtoria, quæcumque pietatem tuam acuent, de quibus ſatis fuſe ſupra in Aduentu, tota ſecunda Hebdomada: ſiue promptam mireris obedientiam, ſiue feſtinum iter modeſtæ Virginis, ſiue ſuauem & Diuinum Amicæ cum Amica congreſſum, ſiue quas profert Elizabetha laudes Diuinæ matris; ſiue quos ſentit Infans Ioannes ab Infanti IESV anticipatos pietatis ſenſus; ſiue quid demum ex tanto delibes myſterio, tùm vero attentius contemplare quanta ſit huius ſanctæ Viſitationis, & earum quæ inter nos haberi ſolent differentia? Nihil illic vaniloquij, nihil otioſæ confabulationis eſt, nihil de regnorum ſtatu, nihil de Regum bellis, nihil de alienis moribus, nihil leue, nihil ridiculum, nihil deſultorium; ſed omnia religioſa, pia, ſancta, cœleſtia; de Diuinis beneficiis vnus eſt ambarum ſermo; Tota eſt Elizabeth in celebranda Virgine Matre: Tota Virgo Mater in magnificendo Domino. Quas effundit illa laudes in Virginem, Virgo refundit in ipſum Deum totius Boni fontem. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Reuolue ſingula penſiculatim: Tum vt tali ex congreſſu diſcas tuos reformare: Audi Veritatem propoſitam de Diuinis & humanis Viſitationibus opportune conferentem. Audi quantum humanæ Diuinis præjudicent; & quantum inde detrimenti totam in vitam importetur.

Digitized by Google

Raro enim Diuinæ conuenient cum humanis, niſi hæ humanæ ſint rariores. Et quidem Ratio quæ affertur eſt planior quàm vt fuſius probari debeat: nam niſi ſint raræ Viſitationes, ſunt frequentes; ſi ſint frequentes, ſunt nimis familiares, ſunt nimis liberæ, nimis effuſæ. Confracta ſunt Rationis repagula, pudor exutus eſt, licentia regnat, verecundiæ locus ſublatus; amicitiæ dicuntur permitti omnia. *Sicut vrbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Prou. 25.

Nonne hoc ita euenit? Nonne & tibi ſæpius? O quoties minor homo rediiſti ex hominibus ſic effuſe frequentatis! *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas,* Dicebat Iacob Rubeno primogenito ſuo. Tibi vero quod pejus eſt, effuſus ſicut aqua, decreſcas. Gen. 49.

II. PVNCTVM.

SED *Diuinæ ſcilicet Viſitationes rarò conueniunt cum illis humanis viſitationibus quæ ſunt nimis familiares, nimis liberæ & effuſæ.*

Primo quidem dicendum eſſet quid ſit in genere Diuina viſitatio. Deinde quot Eius ſpecies enumerentur. Ac poſtremo quàm Diuinis obſtent humanæ liberiores & effuſiores.

De primo, conſulendus eſt liber Exercitiorum ſancti Ignatij vbi de regulis agitur ad diſcernendos Spirituum motus: Inde ſub nominibus Conſolationis & Deſolationis facile diſces Diuinam tunc eſſe viſitationem quando Deus ſenſibili aliquo ſuæ præſentiæ ſigno dato, animam plenius occupare ſentitur, & in vnaquaque facultate diuerſas operationes ſic exercere, vt ipſa etiam anima moueatur ad nonnullos actus conformes Diuinis illis quas perſentit operationibus & gratiis. *Viſitaſti terram & inebriaſti eam.* Pſ. 64.
VISITA vineam iſtam. Pſ. 79.

Quod ſpectat ad ſecundum, tres præcipuæ recenſentur viſitationis Diuinæ ſpecies. Prima eſt terrens, conturbans & pauore quodam concutiens animam quæ vel in peccato eſt, vel in affectu aliquo inordinato, vel in tepido ſtatu, vel in quadam mentis incuria, vel in periculo tentationis & lapſus niſi aduertat; vel ſi denique lapſa ſit, admonetur ſuæ culpæ. *Adam vbi es? CAIN quid feciſti? Viſitabo in virga iniquitates eorum.* Secunda eſt Inſtruens, monens, docens & variis intellectum colluſtrans luminibus vt animi ſtatum melius cognoſcat; vt peccati fœditatem & virtutis Gen. 3. & 4. Pſ. 88.

Digitized by Google

præſtantiam norit acutius: vt quæ de Chriſto Domino ſunt, plenius intelligat: & quos in via virtutis progreſſus facere debeat

Pſ. 31. apertius intueatur. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac*

Eccleſi. 34. *qua gradieris.* Quò apte referas illud Sapientis; *Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum.* Tertia eſt afficiens, & appetitum ſiue rationalem ſiue ſenſitiuum diuerſis mouens affectibus in ſpem æternorum, in gaudium Diuinæ voluntatis effectæ, in deſiderium patiendi, in amorem Dei, in zelum Diuinæ gloriæ proximorumque ſalutis, & alios pro diuerſa perſonarum diſpoſitione, aut Diuina in ipſas ordinatione ac beneplacito. *Vi-*

Iob. 10. *tam & miſericordiam tribuiſti mihi: & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.*

IAM vero quod tertium eſt & præcipuum, Diuinæ illæ Viſitationes rarò conueniunt cum humanis quæ ſunt effuſiores & liberiores, quia ſic effuſe loquendo & conuerſando, anima quodammodo tota effunditur, vt nec recipiendo nec audiendo Deo ſit ca-

Iob. 9. pax; *Si venerit ad me non videbo eum: ſi abierit, non intelligam. SAEPE enim eſt gratiæ donum*, inquit ibi ſanctus Gregorius, *quod iram deputat: & ſæpe Diuinæ diſtrictionis ira eſt, quod gratiam deputat. Quoniam effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam*, inquit Propheta:

Ier. 50. *Confuſa eſt mater veſtra nimis, & adæquata pulueri quæ genuit vos*; id eſt Conſcientia. *Ecce nouiſſima erit, deſerta, inuia & arens. Ab ira Domini non habitabitur, ſed redigetur tota in ſolitudinem*, id eſt, deſtituetur Diuinis gratiis quas alioquin niſi nimis effuſa fuiſſet, recepiſſet.

Prou. 10. Adde quod cùm *in multiloquio non deſit peccatum*, peccatum autem opponat nubem Diuino ſoli ne ſe communicet, non eſt mi-

Malach. 1. rum ſi non conueniant. *Non eſt mihi voluntas in vobis. INIQVITA-*

Iſ. 59. *TES veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.*

Denique cùm in illis liberioribus colloquiis res humanæ ſoleant ſemper pluris fieri quam Diuinæ, hinc naturales appetitus & cupiditates rerum ſublunarium creſcunt & roborantur; contrà verò, rerum cœleſtium decreſcit valor & pondus. Ac proinde vel negantur eis viſitationes & communicationes Diuinæ qui res illas pluris æſtimant quam merentur: vel ſi conceduntur aliquæ, pereunt illicò velut ſemen ſecus viam iactum quod pedibus in-

Digitized by Google

cedentium conculcatur, & volucres cœli comedunt illud. Id eſt Diabolus, vt ipſe Chriſtus Dominus interpretatus eſt.

O quam ſapienter ille inſipientiam ſuam agnoſcebat quod nimis eſſet locutus, & qui ſe propterea ſic arguebat: *Qui leuiter loquutus ſum, reſpondere quid poſſum? Manum meam ponam ſuper os meum. Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem: & alterum quibus vltra non addam.* Tum paulò poſt, acrius in ſe exardeſcens: *Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Si talis illi doloris ſenſus propter vnum aut alterum verbum leuiùs dictum, qualis tibi habendus eſt propter tam multa profane fuſa? *Luc. 8.* *Iob. 39.* *Ib. 42.*

III. PVNCTVM.

DIVINÆ *igitur Viſitationes rarò conueniunt cum humanis niſi hæ raræ ſint*, Quia *quæ participatio Iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Qui frequentiores ſunt in illis humanis congreſſibus, *de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus; Qui nouit Deum audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos.* Quaſi diceret dilectus Diſcipulus: ſicut libenter mundani mundana loquutur, ſic non libenter de Diuinis audiunt, quia non quadrant ſimul Diuina & mundana; atque hoc ipſo quo mundana placent, Diuina diſplicent. Neque tantùm mundanos putes, inquit ille, qui de mundo loquuntur, ſed qui loquentes libenter audiunt; Et hæc eſt nota mundanæ vel religioſæ animæ, ſi libentius de mundo vel de Deo loquentem audiat. Quod & alter ſanctus Ioannes ſic exprimebat: *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audiuit, hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit.* Id eſt, cum terreni & mundani homines toti ſint in terrenis, loquendo, conuerſando, & viuendo; non audiunt Eum qui de cœlo venit & qui de cœlo loquitur, quia ſic terrena non conueniunt cum cœleſtibus, ſic humana diſcordant cum Diuinis. *2. Cor. 6.* *1. Ioan. 4.* *Ioan. 3.*

Atque hinc Diuinus Amator animarum, vt animam quo velit modo, viſitet; *Ducam*, inquit, *eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Neque illam tantum intelligit ſolitudinem quæ corporali *Oſee 2.*

Digitized by Google

præſentia nos ſejungit ab aliis : ſed illam etiam qua præſentes & ſimul agentes ita temperate res vniuerſas tractamus, vt ſicut monet Apoſtolus, *Qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur.*

1. Cor. 7.

Legi poſſet Diuus Gregorius in hunc Iobi locum, *Cui dedit in ſolitudine locum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis.* Videri vero debet ſanctus Bernardus ad hæc Canticorum verba : *En dilectus meus loquitur mihi.* Sermo eſt integer, & illuſtris de Viſitationibus Domini, quæ fiunt animæ ſibi rectè vacanti : Vnde hæc pauca ex multis ad coercendas deinceps liberiores illas Viſitationes quæ Diuinis obſtant, atque ad procurandum cum gratia, interiorem animi & exteriorem vitæ ſtatum, qui Sponſo venturo viam paret: *Arguit nos pro certo,* inquit, *negligentiæ & incuriæ ipſa inopia noſtra. Nam ſi quis noſtrum integrè & perfectè, iuxta verbum Sapientis, cor ſuum tradat ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecetur, ſimulque votis omnibus ſtudeat parare vias Domini, rectas facere ſemitas Dei ſui : Cui cum Propheta ſit dicere, oculi mei ſemper ad Dominum, & quia prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper : Nonne hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo? Viſitabitur profectò frequenter, nec vnquam ignorabit tempus viſitationis ſuæ, quantumlibet is qui in ſpiritu viſitat, clandeſtinus veniat & furtiuus, vt pote verecundus amator. Adhuc ergo longe agentem bene vigilans anima, ſobria mente reſpiciet, & deinceps vniuerſa comperiet quæ in Dilecti aduentu ſponſam tàm ſolerter quam ſignanter aduertiſſe monſtrauimus, quia ipſe ait, qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.* Et quæ plura proſequitur. Sed ô præclare poſitas quaſcumque vigilias, quæ tali compenſantur Dono!

Iob. 39. — Cant. 2. — Serm. 53.

Quod de comedendo ait Sapiens, Tu etiam de loquendo memineris vſurpare : *Ceſſa prior, cauſa diſciplinæ; & noli nimius eſſe, ne forte offendas.*

Eccleſi 31.

Eadem quippe eſt oris intemperantia in loquendo, quæ eſt in edendo.

Et quæ eſt regula Temperantiæ in edendo, eadem eſt in loquendo.

In hac 3. parte, Fer. 6. Hebd. 7. Vide & in 1. parte, Die 14. Ianuarij.

IN

Digitized by Google

IN FESTO SANCTÆ
MARIÆ MAGDALENÆ.

Vides hanc mulierem? Luc. 7.

VERITAS PRACTICA.

Tantùm à perfecta pœnitentia deficies, quantùm à pœnitente Magdalena diſcedes.

RATIO EST, *Quia tantùm à perfecta pœnitentia deficies, quantum aberis ab his omnibus obſeruandis, quæ ad perfectam pœnitentiam requiruntur.*

Sed quantùm à pœnitente Magdalena diſcedes, tantum aberis ab his obſeruandis quæ ad perfectam pœnitentiam requiruntur.

Ergo tantùm à perfecta pœnitentia deficies, quantùm à pœnitente Magdalena diſcedes. Quod ſanè eſt & ad pœnitentis Magdalenæ commendationem perilluſtre; & ad noſtram ſalutem peropportunum.

I. PVNCTVM.

NOTA eſt hiſtoria huius Peccatricis mulieris de qua iam ſupra in hac parte ſunt multæ Veritates propoſitæ. Nunc quod pluris omnium refert, audiendæ ſunt hæc Chriſti Domini Verba: *Vides hanc mulierem?* Quaſi diceret, vides abſolutum Exemplar perfectæ pœni- *Fer. 4. Hebd. 7.*

Exodi 30. & 38. tentiæ ? Sic eſt pœnitendum ſicut illa demonſtrat pœnitens. Hoc eſt labrum æneum de ſpeculis mulierum fabrefactum in quo lauandi ſunt quicumque ſacrificium illud quod eſt *ſpiritus contribulatus*, ſunt oblaturi. *Ps. 50.* *Tantùm denique à perfecta pænitentia deficies, quantum ab hac Pænitente quæ dicitur Magdalena diſcedes.*

Sic in ipſo primo Conſiderationis aditu, ſubjicienda nobis eſt Veritas quæ expendenda proponitur, vt ei ſcilicet declarandæ ſubſeruiant ſingula quæ de hac Pœnitente refert hiſtoria, tum Euangelica, tum Eccleſiaſtica. Quamobrem, neque diutius immorandum eſt in prima propoſitione, qua dicitur tantum te à perfecta pœnitentia receſſurum, quantum aberis ab his omnibus obſeruandis quæ ad perfectam pœnitentiam requiruntur. Nam licet hoc neceſſario fuerit præmittendum tamquam fundamentum totius diſcurſus, tam aperte tamen patet, vt probatione non ſit opus ad intelligentiam, ſed affectu Voluntatis ad Praxim & exequutionem eorum omnium quæ præſcribuntur tamquam neceſſaria volenti ſerio pœnitere. Nonne id vis aliquando ? Nonne ſcis tam neceſſariam eſſe veram & perfectam pœnitentiam, vt ſi vera non ſit, nulla ſit ſalus ; non ſit autem vera niſi concurrant ea omnia quæ ad eius formandam veritatem conducunt ? O quàm vere alioquin dicitur de his pœnitentibus qui non vere conuertuntur, *Non ſunt reuerſi in toto corde ſuo, ſed in mendacio !* *Ier. 3.* Quod dices aliis, primò tibi dictum puta.

II. PVNCTVM.

S*ED quantùm à pænitente Magdalena diſcedes, tantum aberis ab his obſeruandis quæ ad veram & perfectam pænitentiam requiruntur.*

Non exigitur quidem tanta gratia, neque talis effectus gratiæ, quantum ad omnes perfectionis gradus, qualis apparet in hac peccatrice pœnitente; ſed ſicut non dubitatur eſſe neceſſaria quædam præueniens gratia qua clamamus, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, *Thren. 5.* Ita plane dubitari non debet, quin ſecundum illam gratiam nobis communicatam, ea debeamus obſeruare quæ obſeruanda proponuntur in illa Pœnitente quæ proponitur omnibus tamquam perfectum Exemplar perfectæ pœnitentiæ.

Sis licet in minori gratiæ ſeu perfectionis gradu : at iuxta illum tamen gradum ſic conari debes eam imitando exprimere, vt non

Digitized by Google

quidem tam perfecte quam illa diligas; tuo tamen in gradu perfecte diligas & conuertaris, ſi quæ illa præſtat, obſerues: Aut certe ſi ea deſis obſeruare, tantùm deſis à vero pœnitente ſeu à vera pœnitentia, quantùm ab illis obſeruandis defueris. Idcirco etiam dictum à Domino: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:* *Zacch. 1.* Quaſi diceret, ſicut ſine me ad vos priùs conuerſo non poteſtis inchoare ſoli veſtram Conuerſionem: Ita neque ego ſolus illam perficiam niſi mecum collaboretis, Et niſi me conuerſum ad vos per primas gratias ſequamini veſtro conatu, ſicque incipiatis conuerti, non conuertar ad vos per neceſſarias conſequentes, ac proinde nulla erit Conuerſio. Atque vt manifeſte videatis quid facto vobis ſit opus, videte hanc peccatricem, videte & facite ſecundum exemplar quod vobis demonſtratur, vt ſitis ſicut illa, verè pœnitentes & verè conuerſi. Quænam autem ſunt illa? Tres vulgo pœnitentiæ partes referuntur, ſed illis tribus tria quædam alia connectuntur, quorum defectu vix forte hactenus illarum vnam partium peregiſti. Vide vt in te deficiunt, vide vt inſunt in Beata Magdalena, vt inde ad te atque ad alios transferas.

Primum eſt, audire libenter admonentem de ſalute, vel adire Concionatorem Apoſtolicum, vel legere librum aliquem efficacem, vel conuenire hominem probum & pium de Conſcientia. Hoc eſt primum quod feciſſe Magdalena narratur: quamtumcumque peccatrix eſſet, ſororem tamen ſuam Martham libens audiebat: perſuadet Martha ſorori Prophetam illum audire qui dicitur IESVS: conſentit Magdalena, prædicantem audit Dominum, tangitur audiendo, compungitur, & eece tota conuertitur. O *Hebr. 4.* quale illud Verbum quod fuit penetrabilius omni gladio ancipiti ad dirumpenda tot prauitatis vincula! Itane vero tu monentes audis? Itane viros efficaciores adis quorum verbis accendaris? Hoc eſt forte quod magis times & odiſti; ſeueriores ſunt, inquis, & arctiorem faciunt viam cœli. Hoc eſt quod te perdit quia hoc eſt quod in via perditionis te retinet. *Via ſtulti recta in oculis eius: qui* *Prou. 12.* *autem ſapiens eſt, audit conſilia.*

Secundum in quo deficis, eſt, quod licet peritos audias Concionatores, tibi tamen particulatim non applicas quod illi dicunt generatim de peccato, de Diuinis Iudiciis & horrendis pœnis quæ peccatores manent; quaſi aliis dicerentur & non tibi, quæcumque dicuntur de difficili ſalute Diuitum, vel eorum quorumlibet qui

Digitized by Google

praua mundi cupiditate tenentur, quaſi non ſis ex illis Diuitibus & mundanis ad quos Diuinus ſermo dirigitur; Nempe te non ita diuitem putas quàm velles, ſicque non putas omnino eum eſſe de quo Scripturæ loquntur: nec miſer cogites quod ſatis ſit ad æternam perditionem velle eſſe Diuitem ſicut expreſſe monet Apo-
1. Tim. 6. ſtolus: *Qui volunt Diuites fieri incidunt in tentationes & in laqueum Diaboli*, & quæ plura refert; ſicque de aliis concupiſcentiis, ſatis eſt ad peccatum, velle peccare, vel epulari & indulgere genio largius, licet non actu indulgeas, quia forte non potes commodè; quomodocumque tandem id accidat, verendum tibi maximopere eſt ne ex illis ſis qui audiebant quidem Dominum neque tamen
Luc. 16. auditis mouebantur, quia vt illis exprobrat Dominus: *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra.* Non ſic Magdalena, non ſic: non ad alios refert ſed ad ſe vnam, quæcumque audit; ſe velut vnam peti, ſe vnam vrgeri ſentit, ſicque
Pſ. 31. cum Dauide inclamat, *Conuerſa ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina; delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.*

Sed eſto mouearis aliquando, & non poſſis diſſimulare qui ſis; Tertium eſt tamen aliud in quo plurimum deficis, nempe in dies differs conuerti; quod expreſſe vetat Scriptura; *Non tardes conuer-*
Eccleſ. 5. *ti ad Dominum, & ne differas de die in diem:* Tu quaſi expreſſo voluntatis oppoſitæ actu nihil putas feſtinandum; In re, inquis, tam ſeria & momentoſa non eſt properandum; ſatis tibi videris velle modò, quod aliquando facias; atque interim vnus idemque ſemper manes, ſemper amans pecuniæ & honoris & voluptatum: neque ab his vnquam deſiſtes niſi quando deſiſtes viuere, vel quando ita dolore tuæ vitæ deficientis opprimèris, vt de ſolo dolore liceat cogitare. Itane ſalutem animæ ludis? Itane conuerti hoc eſt, an potius Deum irridere!

Quàm longe alia eſt Magdalena! Statim atque ſenſit aculeum, non ad menſem, non ad hebdomadam; non ad proximum feſtum, non ad craſtinam ſequentem diem, ſed illâ ipsâ horâ, *vt cognouit quod IESVS accubuiſſet in domo Pharizæi*, prodit illa continuo & ad pedes ſui Redemptoris ſe prona conjicit. Quod certe tempus & diuerſorium facile probant, nullam à primo conuerſionis ſenſu, interjectam fuiſſe moram; nam ſi quid retardare voluiſſet, non profecto tempus illud elegiſſet, illumue locum conuiuij

Digitized by Google

quo peccatricem vel pœnitentem mulierem apparere, inſolitum & portento ſimile foret. *Neſcit quippe tarda molimina, Spiritus ſancti Gratia*; vel ſi properantem retardas gratiam, retardata offenditur, & offenſa deſerit offendentem. Si diutius expectaſſet accedere, numquam forte acceſſiſſet. *Væ prægnantibus in illis diebus* quos ſibi quiſque ſuo præſcribit conſilio. *S. Ambr.* *Matth. 24.*

Atque vt horum trium defectu plane intelligas, quomodo tres illæ Partes quæ magis dicuntur pœnitentiam conficere, plane deficiant; Diſce ab exemplari tuo, quales eſſe deberent, & quales in te ſunt. *Vides hanc mulierem?* Vides vt lachrymas vbertim fundit, vt his lauat pedes Domini, vt capillis ſuis eos tergit, & vnguento vngit? Quorſum hæc omnia, niſi vt vehementiam interni doloris de peccato indicet, qui dolor ita neceſſarius eſt, vt ſine ipſo nulla ſit vel Contritio vel Attritio de peccato? Non eſt quidem doloris ſenſus & affectus ita neceſſarius: ſed effectus, & quem vocant appretiatiuum dolorem de peccatò, tàm neceſſariè requiritur quàm ipſa Contritio vel Attritio cum Sacramento, quæ nihil aliud eſt quàm ipſe talis dolor de peccato, vt quocumque pretio propoſito iam non liberet, nec deinceps, vllo modo peccare. Dices forte te id ita velle: ſed quid ſit verè velle, diſce à Magdalena; *Vides hanc mulierem?* Vides vt quæ fuerunt peccati quondam inſtrumenta, procul à ſe amoueat, vel ſi amouere non poteſt, quàm vehementer illa in ſe oderit & deteſtetur, nempe oculos, veſtes, capillos, torques & ſimilia peccati nutrimenta? *Quod ſibi turpiter exhibuerat*, inquit ſanctus Gregorius, *hoc iam Deo laudabiliter offerebat.* Itane tu? Non quæritur à te vt tam largiter ex dolore fleas ſi forte non id poſſis? Neque vt tua bona projicias & effundas in pauperes: ſed id tantum, aut certè præcipuè vt deponas affectum ab illo præſertim objecto quod fuit cauſa peccati. Hoc eſt quod quæritur & quod ita debes vt niſi reddas, nihil agas. Non tua ſed te quærit Dominus; at te numquam illi reddes, niſi ab objectis quibus implicaris, te retrahas & vere dicas: *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.* Vnde hæc apta Prophetæ Verba: *Et contaminabis laminas ſculptilium argenti, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ: Egredere, dices ei.* Vide quæ ſupra de his fuſius, in 1. parte, Dominica 4. Aduentus. *Hom. 33. in Euang.* *Iſ. 30.* *Pſ. 118.* *Iſ. 30.*

PARS alia pœnitentis eſt Confeſſio, cuius neceſſaria perfectio

Digitized by Google

conſiſtit in ſinceritate detegendi peccata omnia, nullo vt pudore, nullo vt timore ſciens volens quidquam omittas, ſed potius in illis ipſis firmius hæreas enarrandis quæ naturalem poſſent mouere ruborem, tùm vt magis offenſo Deo ſatisfiat, tum vt cautius conſulatur Conſcientiæ, quæ ſe alioquin niſi caueatur, tectam vellet, & leuiter idcirco delibat quod pleno funditùs dicendum eſt ore & corde, ſicut ipſi Chriſto patére non dubitatur.

Ioſue 7. *Fili mi, Da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſpondítque Achan Ioſue, & dixit ei, Vere ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic & ſic feci; Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum*; Et quæ plura ſingillatim ac diſtinctè aperit. Sic prorſus vnicuique fideliter ac ſincere procedendum eſſet. Sic Magdalena *non erubuit*, ait ſanctus Gregorius. *Nam quia*

Hom. 33. *ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit quod verecundaretur foris.* Sic peccatum ſuum confitetur & confitendo exaggerat, quaſi eſſet peccatum totius ciuitatis, ſeu quaſi vna, omnium ciuitatis eſſet cauſa peccatorum. Sic luculentè ſanctus

Serm. 93. Chryſologus expendit quod ait Euangeliſta, *Mulier in ciuitate peccatrix. Ciuitate*, inquit, *peccauerat, quia fama ſua famam totius tetigerat ciuitatis, ſicque iam non peccatrix ſolum, ſed ipſius ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum. Hæc cognouit quod niſi ab illo ſolo, ciuitatis peccatum non poſſet auferri, qui ſolus mundi venerat abolere peccatum.*

DENIQVE quod poſtremam illam ſpectat partem quæ Satisfactio dicitur, ſaltem illa eſt neceſſaria quæ Scandalum datum eluit, quæ aliena damna reparat, & ſuæ vitæ ſtatui conformes edit fructus. Quo in genere quid luculentius, quàm quod à prima illa ſuæ Conuerſionis hora ſupremum vſque ad ſpiritum Beata pœnitens fecit, de qua dicitur quod in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit, vbi triginta vixit annos ab omni hominum conſuetudine longè diſiuncta. Tu verò non dicam quid ſimile, ſed quid non diſſimile facis? Profitetur illa ſe pœnitentem: Tu vix auderes coram nonnullis quædam pietatis opera prodere, ne te forte irrideant. Denudat ſe illa ſuis pretioſis veſtibus: Tu pretioſiores quotidie pro humano more appeteres. Totam ſe illa Chriſto addicit: Tu te totum mundo & mundanis affectibus. Inhæret illa Cruci & Crucifixo, quibuſcumque ſuis periculis: Tu ne honoris leue damnum velles pro Chriſto pati. Seceſſit illa & mundo vt ſoli Chriſto viuat: Tu nihil aſperius ducis quam humanis ab-

Digitized by Google

duci congreſſibus, quàm non videre & non videri! O te nimis excæcatum ſi non vides quantum ab illa diſtes!

LII. PVNCTVM.

SIC ergo etiam manifeſte patet quantum à vera & perfecta pœnitentia deficias.

Quid eſt enim ab ea deficere, niſi ab his obſeruandis recedere, quæ ad veram & perfectam pœnitentiam requiruntur? Quænam porrò ſunt illa niſi quæ in pœnitente Magdalena, tamquam in viua pœnitentium forma ſunt declarata? Vidiſti vero quantum ab hac forma diſtares: Quid eſt ergo quod non ſimul videas quantum à vera diſtes pœnitentia? Vel ſi ſatis aperte id vides, quid animi ſentis? Quid reſtat ſenſus vere Chriſtiani, vbi res agitur tanti momenti & ponderis? *Numquid qui cadit, non reſurget? Et qui auerſus eſt, non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus iſte auerſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Ier. 8. *VVLNVS, & liuor & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque lota oleo.* Iſ. 1. *DEDIT ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Iob. 24. Hoc eſt videlicet, hoc eſt quod te retardat, quia tardat Dominus, quia expectat, quia bonus eſt, quia miſericors, quia longanimis. Itane vero propterea differendum? *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Rom. 2.

Apte vero etiam ſanctus Gregorius Sermonem de hac noſtra Pœnitente concludens, Rationem inde accipit & Motiuum non differendæ pœnitentiæ, quod Deus idcirco expectet ne differamus, idcirco bonitatem ſuam offert, vt ea moti facilius inducamur ad reditum. Hom. 33. in Euang. *Ecce*, inquit, *vocat, & quos inquinatos denuntiat. Hos etiam amplecti quærit, à quibus deſertum eſſe ſe queritur. Nemo ergo tantæ miſericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia Diuinæ pietatis abjiciat. Ecce ſuperna benignitas auerſos nos reuocat, & nobis*

Digitized by Google

reuertentibus clementiæ ſuæ ſinum aperit; Vnuſquiſque ergo penſet quo debito conſtringitur, quando Deus illum expectat ne contemptus exaſperetur. Et poſt allatum Ieremiæ locum, *Attendi & auſcultaui: Videte tantæ pietatis ſinum, conſiderate apertum vobis miſericordiæ gremium: Quos male cogitantes perdit, bene recogitantes quærit. Ad vos ergo, fratres chariſſimi, ad vos oculos mentis reducite, & pœnitentem peccatricem mulierem in Exemplum vobis Imitationis anteferte.* Et quæ plura proſequitur, quæ eò tendunt vt animus à re nimis amata vnde eſt peccatum, auertatur, quia in ea præcipue auerſione conſiſtit ſtatus animi pœnitentis, vt alibi demonſtratur.

Poſſet hæc etiam formari Veritas:

Magdalena, ſeu Anima verè pœnitens, verus eſt Chriſti triumphus.

Vel ſic aptius:

Sicut Amor de Chriſto triumphat in Cruce: ita Chriſtus de amore, in anima peccatrice, Cruci ſubjecta.

RATIO EST, Quia idcirco Amor de Chriſto triumphat in Cruce, quia Chriſtum quodammodo vincit, ſpoliat & ita ſibi ſubjectum habet, vt quidquid iubet Amor, hoc Chriſtus in Cruce faciat & patiatur. Sed in anima peccatrice vere pœnitente & Cruci ſubjecta, qualis eſt Magdalena, hoc ipſum Chriſtus facit de amore mundano. Nempe illum in ea vincit anima, & ita ſibi ſubjectum tenet vt quidquid Chriſtus velit, hoc anima vere pœnitens faciat & patiatur, aut non ſit vere pœnitens. Ergo ſicut Amor de Chriſto triumphat in Cruce, ita Chriſtus de amore in anima peccatrice Cruci ſubjecta. Vnde & aliter poſſet concipi Veritas:

Quem non perfecte pœnitet, Chriſti triumpho inuidet.

Ratio ſupponit quod per ſe eſt clarum, nempe inuidere Chriſti triumpho

triumpho nihil aliud eſſe quàm impedire ne triumphet de nobis: quo ſuppoſito ſic declarat Veritatem; Ille impedit ne de ſe Chriſtus triumphet qui ſe non ſinit perfecte Chriſto ſubjici. Sed quem non perfectè pœnitet, non ſinit ſe perfecte Chriſto ſubjici. Ergo ille impedit ne de ſe Chriſtus triumphet. Quod eſt majorem Chriſti obſcurare Gloriàm quam de te poſſit conſequi, & quam ei deberes omnibus modis procurare.

Videri poteſt Diuus Bernardus ſermone ſexageſimo quarto, in Cantica, vnde hæc fundamentalis propoſitio eſt eruta: *Triumphat de Deo amor*, nempe in Cruce, *vbi ſemetipſum exinaniuit, vt ſcias amoris fuiſſe quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt*; Quod & fuſius demonſtrare eſt facile per analogiam ad triumphi ſeu ad triumphantis proprias qualitates; quo in ſenſu dixit Apoſtolus: *Deo gratias qui ſemper triumphat nos, in Chriſto IESV.* De quo & alibi, *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Vide & ſupra in hac 3. parte, Feria 5. primæ Hebdomadæ, in Solemnitate ſanctiſſimi Sacramenti, vbi hæc habetur Veritas: 2. Cor. 2. Coloſſ. 2.

Quæ hodiernum Chriſti triumphum res vna magis illuſtrare debuerat, hæc vna magis obſcurat.

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI.

Die 25. Iulij.

Poteſtis bibere Calicem, quem Ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Matth. 20.

VERITAS PRACTICA.

Sicut poſſumus, ſic debemus.

Id eſt,

Qua ratione tenemus nos poſſe bibere Calicem Domini: eâdem tenemur bibere.

Digitized by Google

R*ATIO qua tenemus nos poſſe bibere Calicem Domini, hæc eſt inter alias, quod à Domino nobis offertur bibendus.*

Sed ipſa hæc ratio perſuadet nos teneri ad ſumendum & bibendum talem Calicem.

Ergo qua ratione tenemus nos poſſe bibere Calicem Domini, eadem tenemur bibere. Quod breuius dici poteſt, Sicut poſſumus ſic debemus. Sic debemus loqui & facere exemplo ſancti Iacobi, quod hodie proponitur imitandum.

I. PVNCTVM.

HIC eſt vnus è filiis Zebedæi dictus Iacobus major, frater germanus Ioannis Euangeliſtæ, quorum Mater accedens ad Dominum & adorans, petiit, vt vnus eorum ad dexteram Ipſius aliquando regnantis ſederet, & alter ad ſiniſtram. Quibus reſpondens Dominus: *Neſcitis*, inquit, *quid petatis; Poteſtis bibere calicem quem Ego bibiturus ſum? Dicunt ei, poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Id eſt, non ſic immeritis aut perſonis fauore datur ſicut pu-
1. de Trin. c. 12. tatis, ſed oportet vnumquemque illud ante mereri ſecundum Gratias ipſi à Deo datas. *Secundum formam ſerui loquitur*, inquit ſanctus Auguſtinus. Diuus vero Hieronymus ſic paulo fuſius: *Regnum Dei, non eſt tantum dantis, ſed etiam accipientis; quicumque ſe dignum præbuerit, accipiet quod non perſonæ ſed vitæ paratum eſt.*

Sapienter autem monet ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, non eſſe mirum ſi adeo imperfecti fuerint Apoſtoli vt primas ſedes ambierint, *nondum enim myſterium crucis erat conſummatum, nondum gratia ſpiritus in corda ipſorum infuſa. Quod ſi virtutem ipſorum diſcere cupis, quales poſt datam gratiam ſpiritus fuerint, conſidera, & videbis omnem ab illis peruerſam affectionem fuiſſe ſuperatam.* Et poſt multa, perpendendum exponit quomodo *ſtatim ab hac opinione ipſos remouit Dominus, contraria eis diſſerens. Nam vos*, inquit, *de honoribus & de coronis mecum agitis; Ego vero de luctamine atque ſudore diſſero. Non præmiorum hoc tempus eſt, nec illa gloria mea modò*

Digitized by Google

apparebit: ſed cædis & periculorum tempus præſens eſt. Perſpice autem qualiter ipſo interrogationis modo & hortatur & allicit. Non enim dixit, Poteſtiſne cædem ſubire, poteſtiſne veſtrum effundere ſanguinem? Sed quonam pacto poteſtis bibere Calicem? Deinde alliciens inquit, quem ego habiturus ſum; vt ipſa cum eo communicatione laborum, promptiores redderentur.

Quod & reipſa præſtiterunt. Nam Iacobus inter omnes Apoſtolos primus pro Chriſto ſanguinem ſuum fudit in ipſa Ieroſolymorum ciuitate, vt refertur in Actis Apoſtolorum: *Miſit Herodes Rex manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia: occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. IOANNI autem martyrij animus non defuit*, ait ſanctus Hieronymus, *Miſſus enim eſt in feruentis olei dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam, Chriſti athleta proceſſit, ſtatimque relegatus in Pathmos inſulam fuit, ſicque bibit calicem confeſſionis quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſecutor non fuderit ſanguinem.* *Act. 12.* *l. 3. Comment. in Matth. c. 20.*

Atque hinc orta Veritas quo ſenſu eſt propoſita, *ſicut poſſumus, ſic debemus*, Id eſt, qua ratione agnoſcimus & certo tenemus nos poſſe calicem Domini bibere, eadem prorſus perſuaderi debemus nos ad hoc ipſum teneri, prout occaſio patiendi ſeſe obtulerit.

Quænam eſt autem illa ratio? Nempe Calix ille ſeu illa quæuis aduerſitas quæ nos affligit, non niſi permittente Deo ſic nobis obuenit. Ille eſt qui nobis Calicem offert, dum hæc offertur patiendi occaſio: *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. DABO calicem in manu tua.* Non ſic autem daret aut offerret niſi vires daret ad ferendum quod ferendum offert. *Fidelis Deus eſt*, inquit Apoſtolus, *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Nam & propterea dicitur Calix Domini, id eſt, pars adæquata noſtris viribus ab ipſo Domino ſic ordinata, ſicut antiquitus apud Iudæos ſolebat Paterfamilias aut primus inter Conuiuas vnicuique partem calicis & potus miniſtrare, vt omnes ſecundum ætatem & vires biberent, vt iam alibi dictum eſt. Sic Dominus Calicem porrigit, id eſt, proportionatam nobis partem crucis & aduerſitatis tolerandæ ſubminiſtrat: *Quæ merito ferri vnicuique ſuadetur*, inquit ſanctus Leo, *quia propriis modis atque menſuris ab vnoquoque toleratur.* *Pſ. 74.* *Ez. 23.* *1. Cor. 10.* *Fer. 5. Dom. 2. in Quadr.* *Serm. 9. de Quadrag.*

Sic diſerte ſanctus Auguſtinus in illa Pſalmi verba: *Ignis &* *Pſ. 1..*

Digitized by Google

ſulphur, & ſpiritus procellarum; pars calicis eorum; CALICEM, inquit, *propterea puto appellatum, ne quid præter modum atque menſuram, vel in ipſis peccatorum ſuppliciis per Diuinam prouidentiam fieri arbitremur.* Et ad illum verſum, *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo: O HOMO quis tibi dedit calicem ſalutaris quem accipiens & inuocans nomen Domini retribues ei pro omnibus quæ retribuit tibi? Quis niſi Ille qui ait, Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Quis tibi dedit imitari paſſiones ſuas niſi qui propter te paſſus eſt prior? Dat itaque imitari ſi velis, qui te inuitat ad imitandum: Et tibi ſi aliquando in difficultatibus videaris deficere, non tam poteſtatis quàm voluntatis iſte defectus eſt.* Expende quàm id verum & probroſum.

Pſ. 116.

II. PVNCTVM.

AT verò illa ipſa ratio plane perſuadet nobis id eſſe volendum quod poſſumus, ſeu quod idem eſt, nos inde prorſus teneri ad ſumendum & bibendum Calicem quem porrigit Dominus.

Nam cùm ſit Dominus, noſque eius ſerui: quid æquius quàm ſeruum cognoſcentem Domini ſui voluntatem, ſeſe totum illi conformare? *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Hic vel vnus Titulus omnem omnino à nobis obſeruantiam & voluntariam exigit ſeruitutem.

1. Reg. 3.

Deinde vero, cùm voluntas eius ſit tam æqua, tam iuſta & omni ex parte ſancta, nemo certe niſi proteruus & impius, tantæ poſſit æquitati contrauenire. Vnde in hunc ſenſum apte illud deriuetur quod ait Sapiens, *Pondus æquum voluntas eius*; Nempe vt ille iniquus eſſet qui pondus non ſeruaret æquum; ſic plane qui agnitam non ſeruaret Diuinam voluntatem: quia nobis eſſe debet velut pondus æquum, velut ſolum pondus iuſtum quo res omnes noſtras appendere & æſtimare debeamus, cum præter Dei voluntatem, in rebus nihil ſit niſi falſitas, inanitas, & merum nihil.

Prou. 11.

His adde, quod cùm Diuina prouidentia certis quibuſdam mediis vnumquemque regat ad finem ſuum, ſicut nihil conſultius quam nos illis mediis quantumcumque aſperis & difficilibus ſtare & inhærere; ſic nihil deploratius quam nos inde diſcedere. *Suſtine ſuſtentationes Dei, conjungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua.* Probationes ſunt noſtræ fidei & fidelitatis, Vnde

Eccleſi. 2.

Digitized by Google

ſtatim ſequitur in eodem Scripturæ loco ſæpe reuoluendo: ***Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis.*** Nonne propterea diximus dictum à Domino, ſupremas illas ſedes quas petebat Iacobus cum Ioanne fratre, non ita dari vt petebant, ſed ante probandos eos eſſe quibus concederentur, & antè bibendum Calicem cum Chriſto Domino, quàm cum ipſo regnandum? Nonne ſic ipſi Domino patiendum fuit, vt ita intraret in gloriam ſuam? Nonne ſic ipſe Dominus vt Petro indicaret quam *Luc. 24.*
libenter vellet pati: ***Calicem,*** inquit, ***quem dedit mihi Pater, non*** *Ioan. 18.*
bibam illum? Quaſi hoc ipſum diceret quod hîc demonſtramus: aut potius quaſi ſuo Ipſe dicto & exemplo probaret quod dicimus, Hoc ipſo videlicet quo Deus eſt qui dat bibendum Calicem, bibendus eſt. Hoc eius meritum à nobis exigit: hoc illi tàm multis & validis debemus nominibus, vt vel vni ex his non poſſemus id negare: quantò minus tam multis? Profer ſi quid habes contra, & confer cum Chriſti merito.

III. PVNCTVM.

SICVT *igitur poſſumus, ſic debemus:* Sicut ſcimus eſſe patiendum, ſic eſt patiendum: ſicut ſcimus poſſe, ſic oportet velle: ſicut ſcimus idcirco nos poſſe quia Dominus eſt qui Calicem bibendum affert, quem certe non afferret niſi poſſemus bibere, & niſi daret ſimul poſſe quod vult nos pati & agere: ſic profecto quia ipſe eſt Dominus, ſic nos velle oportet quod ipſum velle nouimus. *A Domino egreſſus eſt ſermo,* dicunt ſerui probi & fideles, *Gen. 24.*
non poſſumus extra placitum eius quidquam aliud loqui. Certe poterant libera ſua voluntate reſiſtere Diuino placito, ſicut multi reſiſtunt: ſed dicunt ſe non poſſe, quaſi dicerent ſe non aliter debere facere; Hoc eſt enim non poſſe quod non potes rationabiliter, quod non potes religioſè, quod non potes Chriſtianè. *Non enim poſſumus aliquid aduerſus Veritatem, ſed pro Veritate,* ait *2. Cor. 13.*
Apoſtolus.

Et certe in multis caſibus, tam neceſſario patiendum eſt, vt velis nolis, ſic oporteat pati: At nonne tùm ſatius eſt ſic libenter pati quia ſic Deus modò vult, quàm repugnare & fugere,

cùm propterea non deſinas pati ? Hinc illa Sapientis præclarè
Prou. 14. dicta : *Impatiens operabitur ſtultitiam. Qui impatiens eſt ſuſtinebit dam-*
Ibid. 9. *num*; Quaſi diceret , ſolus impatiens ſuſtinet damnum ex aduerſitate , cum patiens ex illa proficiat.

Sed eſto , ſit tibi liberum & facile te à bibendo Calice modò auocare , quem tamen vides à Domino perrigi : Poteſne Dominum à te auocare ? Nam vnum & idem eſt porrectum fugere Calicem , & fugere porrigentem. Non auderes negare Eum eſſe , cum tibi non illud accidat niſi Eo permittente , & volente. Non auderes dicere,non poſſum ferre quod offertur, quia Dominus eſt qui nihil offert quod non poſſis. Quid ergo dices ? Quid eſt quod audebis ? Nempe hoc vnum , *Nolo*. Licet ipſe ſit Dominus qui Calicem afferat , licet velit me bibere , licet poſſim, *Nolo tamen* , O infame Verbum ! ô proteruam vocem ! Sic tamen
Matth 23. eſt , ſic propterea dictum : *Quoties volui , & noluiſti ?* Obſtupeſce, Confundere , & exardeſce contra.

Eccle. 4. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Hunc tibi funiculum facito ex his tribus ſimul conſiderandis in quolibet caſu aduerſo. Primum eſt, Diuina voluntas ſic ordinans. Secundum eſt , huius ordinationis ſeruatæ vel non ſeruatæ magnum momentum ad ſalutem & perfectionem tuam. Tertium eſt , exemplum Chriſti &
2. Tim. 3. ſanctorum omnium de quibus aſſeritur quod *omnes qui pie volunt viuere in Chriſto IESV , perſecutionem patientur. ECCE quibus non erat iudicium vt biberent Calicem , bibentes bibent : & tu quaſi in-*
Ier. 49. *nocens relinquéris ? Non eris innocens , ſed bibens bibes.* Vide in 2. parte , totam Hebdomadam 2 in Quadrageſima. Et in 4. parte, Fer. 5. Hebdom. 18. Vbi hac expreſſa declaratur Veritas :

Si non agis quod vult Deus , hoc vnum infame habes quod reſpondeas : Nolo , non placet.

Digitized by Google

IN FESTO SANCTÆ ANNÆ.

Die 26. Iulij.

Dominus mortificat & viuificat. 1. Reg. 2.

VERITAS PRACTICA.

Qui non vult mortificantem Dominum, non vult viuificantem.

RATIO EST, Quia qui non vult Dominum ordinatè, ſeu quo ſe ille modo ſuaque communicat, non vult illum abſolute.
Sed qui non vult illum prius mortificantem quàm viuificantem; non vult illum ordinate nec quo ſe ille modo communicat.
Ergo abſolute non vult illum viuificantem. Quod perinde damnoſum eſt, ac dicere: nolle Deum ſibi propitium.

I. PVNCTVM.

QVONIAM *futurum erat*, inquit ſanctus Ioannes Damaſcenus, *vt Dei Genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura Gratiæ fœtum anteuertere minime auſa eſt: Verùm tantiſper expectauit, dùm gratia fructum ſuum produxiſſet*; Itemque alibi, *Quemadmodum priſca illa Anna, cùm ſterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promiſſionem, Samuelem procreauit: eodem modo hæc etiam per obſecrationem & promiſſionem, Dei genitricem à Deo accepit, vt ne hic quoque cuiquam ex illuſtribus matronis cederet. Itaque Gratia, nam hoc ſonat Annæ vocabulum, Dominam parit, id enim mariæ nomine ſignificatur. Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta eſt, cùm Conditoris mater extitit.* Rurſumque Idem ſanctus Pater de hac quam vocat *Lectiſſimam & ſummis laudibus dignam mulierem*; *Merito igitur, Anna Diuino Spiritu plena, lato hilarique animo perſonat, Congaudete mecum quæ Promiſſionis germen ex*

Orat. de Natiuit. Virg. Mariæ.

l. 4. de Fide c. 15.

Suprà.

ſterili ventre peperi, ac benedictionis fructum vberibus meis, vt optaueram, nutrio. Sterilitatis mæſtitiam exui, & lætam fœcunditatis veſtem indui. Congaudeat mecum hodie Anna illa Phenenna aduerſaria: & nouum hoc atque inopinatum miraculum quod in me geſtum eſt, ſuo exemplo concelebret.

Alludit ſcilicet ad Canticum Annæ matris Samuelis, quod habetur primi Regum ſecundo capite, vbi hæc inter alia de ſua ſterilitate & fœcunditate: *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & ſubleuat*; Et quæ ſequuntur conformia, ex quibus deducitur quod ſicut illæ Beatæ mulieres prius ſenſerunt Dominum mortificantem quàm viuificantem, ſic & nos non niſi vnum ab altero expectemus; Aut certe, *Qui nolit Deum mortificantem*, audiat ex Veritate propoſita, *quod Eum etiam nolit viuificantem.*

Ratio eſt valde conſideranda, quotieſcumque agitur de Deo inuocando, ſeu de Diuinis petendis aut recipiendis: Nempe hæc omnia non niſi ordinate & quo ſe velit Deus modo communicare, petenda ſunt & expectanda. Cum enim vt ait Sapiens,
Sap. 11. *Omnia in menſura & numero & pondere diſponat Deus*, Sic nos etiam meritò ſibi ſuoque Diuino ſubjectos ordini & prouidentiæ accommodatos exigit; ſic vult hyeme ſeri quod æſtate colligatur;
Eccle. 3. ſic vult in iuuentute colligi quod in ſenectute poſſideatur: ſic vno Verbo ſuis omnia ſpatiis & temporibus attemperauit, vt qui vellet aliquid aliter atque ordinatum eſt, non illud velle dicendus eſſet, neque enim vellet rationabiliter, ſed inſanè, impie & infandè. Hoc eſſet enim tentare Deum, hoc eſſe petere miraculum, hoc eſſet velle Deum peruertere ſuum ordinem; Quæ non niſi temeraria præſumptione cogitari poſſunt, cum ne quidem
Iob. 21. pro ſalute animarum ordinatus rerum curſus immutetur. *Numquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos iudicat? Numquid Deo poteſt comparari homo, etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ? Numquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcarunt viri ini-*
Ibid. 22. *qui? Acquieſce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Suſcipe ex ore illius legem, & pone ſermones eius in corde tuo.* Sic apte apud Iobum, & paſſim in Scripturis.

II. PVNCTVM.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED qui non vult Dominum prius mortificantem quàm viuificantem, non vult Dominum ordinate, ſeu quo ſe illo modo & ordine communicare ſtatuit.

Hic eſt enim ordo ſeu ordinarius agendi modus Dei, vt priuſquam inſignem aliquam Gratiam cuiquam conferat, permittat eum affligi, & eo maxime laborare atque egere bono quod illi collaturus eſt, vt euidentiùs poſtea poſſit agnoſcere beneficium, nec inde glorietur niſi in Domino.

Sic Tobias agnoſcebat acceptam gratiam, *Benedico te Domine Deus Iſraël quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me. Tu flagellas & ſaluas, deducis ad inferos, & reducis.* Sic Sapiens: *Tu es Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Sic beatus Iob: *Ipſe vulnerat & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt*; Sic ipſe denique Deus: *Ego*, inquit, *occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo.* Tobiæ 11. Ibid. 13. Sap. 16. Iob. 5. Deut. 32.

Quibus Scripturæ locis conſonant ſancti Patres. *Mos eſt*, inquit ſanctus Baſilius, *ſacri eloquij, ſi quando triſtia lætaque commemorat, triſtia lætis in ordine præponere, fruitio enim boni efficitur iucundior, triſtibus iam exactis. Beneficium pœnâ eſt poſterius: percutiam & ego ſanabo: Ego occidam, & ego viuere faciam. Quæ nos affligunt, præcurrunt: quo majore cum conſtantia multiplicem gratiam nobis collatam conſeruemus.* Sic ſanctus Hieronymus: *Primum triſtia annuntiantur vt poſt malorum magnitudinem læta ſuccedant. Gratior quippe eſt ſanitas ægrotatione depulſa: & doloris magnitudo in magnitudinem vertitur gaudiorum.* Et ad Marcellam ſcribens: *Dominus te in laboribus hominum poſuit, & ſalutifero paternæ pietatis verbere viſitauit, vt in paucis vexatam in multis bene diſponeret.* In Pſ. 29. Ad caput 30. Ier. Ep. 4.

Sanctus quoque Gregorius Nazianzenus ſic eloquenter: *Dominus*, inquit, *mortificat & viuificat, qui ſola voluntate omnia facit atque immutat: qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver, ex tempeſtate tranquillitatem, ex ſiccitate pluuiam.* Et poſt allata exempla Ioſephi & Hebræorum, ſic pergit, *quid hoc admirabilius, aut illuſtrius Diuinæ magnificentiæ argumentum, cùm ex rebus perditis ac deploratis, iter ſecundis aperire voluerit?* Sanctus vero Papa Gregorius de his fuſiſſime in moralibus. Ac paucis denique ſanctus Bernardus ſiue Orat. 32.

Serm. 16. in Cantica. ad Intellectum ſiue ad affectum: *Paterna vox eſt, percutiam & ego ſanabo. Non eſt proinde quod à Patre formides, qui etſi feriat, numquam vindicat.* Id eſt, numquam ita ferit vt tantum feriat & puniat; ſed ſimul feriendo ſanat & benefacit, ſicut & ſanando ferit ac percutit. O verè paternam ſimul ac maternam manum!

III. PVNCTVM.

QVI *non vult igitur mortificantem Dominum, non Eum vult, nec Eum certe habebit viuificantem*, quia non Eum vult ordinate, non vult conformiter voluntati & ordinationi Diuinæ. Iſ. 58. *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ Iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit.* Quaſi diceret, non me inuenient quia non bene quærunt. Ioan. 7. *Quæritis me, & non inuenietis; & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire*; niſi vos videlicet cum gratia diſponatis. Iſ. 21. *Venit mane & nox: ſi quæritis quærite*, nempe vt oportet, vnde & addit *conuertimini, venite.* Quod & alibi apte exprimitur: Deut. 4. *Cum quæſieris Dominum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Quaſi diceretur, non aliter Eum inuenies; Sapien. 1. *Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum*, inquit Sapiens: & proinde ab his qui tentant illum non inuenitur. Tentant autem vt diximus, qui perperam & contra ordinatum rerum ſtatum aliquid petunt.

Eccl. 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua*; hoc eſt, vtere mediis ordinatis ad habendum quidquid petis; ſicut neceſſario ſeminandum eſt & laborandum volenti triticum: quin & oportet vt ſemen iactum in terram prius mortificetur quam viuificetur. Sic plane nobiſcum à Deo agitur. Et quidem magis gratioſe & munifice nobiſcum agitur, quàm ſi nihil à nobis expeteretur. Sic enim nos Cooperatores ſuorum donorum efficit, in quibus obtinendis major eſt gloria, de noſtro aliquid contuliſſe ad meritum, quàm ex mero fauore nobis omnia fuiſſe data.

Sic beatæ Annæ plus debemus quod dum ſterilis eſſet, ſuis obtinuit precibus nobilem illum ſuum partum, Beatam Virginem Dei matrem, quàm ſi ſterilis non fuiſſet, nec oraſſet. Quamobrem In Natiuit. B. Virg. opportune ſanctus Ioannes Damaſcenus: *O par Beatum, Ioachim & Anna, vobis omnis Creatura obſtricta eſt. Per vos enim omnium donorum præſtantiſſimum Creatori obtulit, nempe caſtam Matrem quæ ſola*

Digitized by Google

Creatore digna erat. Et alibi. *Dignum ſanè quidem ac maxime dignum eſt Eam laudare quæ Diuina benignitate oraculum accepit, ac talem & tantum nobis fructum edidit, ex quo dulcis IESVS prodiit.* Hæc eo affectu dicas quo vis à Beata impetrare Anna, vt ſicut mortificantem Dominum libens ſuſtinuit antequam viuificantem ſentiret, ſic tu ſuſtineas & ſentias. Serm. 3.

Vide in 2. parte, Die 20. Martij. De ſancto Ioachimo.

DE SANCTO IGNATIO
FVNDATORE SOCIETATIS IESV.

Ad majorem Dei Gloriam.

In gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Iſ. 43.

VERITAS PRACTICA.

Nulla operando poteſt eſſe major Gloria, quàm quærendo majorem Dei gloriam.

RATIO HÆC EST INTER ALIAS, Quod nulla operando poteſt eſſe major Gloria, quàm operando ſicut Ipſe Deus operatur.

Sed quærendo majorem Dei gloriam, operamur ſicut Ipſe Deus operatur.

Ergo nulla operando poteſt eſſe major Gloria, quàm quærendo majorem Dei Gloriam.

Ac proinde cùm ſanctus Ignatius in formando Societatis IESV Inſtituto, atque in omnibus ſuis operibus, majorem Dei Gloriam ſemper quæſierit,

Digitized by Google

patet, quanta ſit dignus gloria, & in quo Eum præcipue imitari poſſimus cum Gratia.

I. PVNCTVM.

TAMETSI nulla eſt Creatura quam Deus non fecerit ad ſuam Gloriam, *Vniuerſa enim*, vt ait Sapiens, *propter ſemetipſum operatus eſt:* dicuntur tamen aliquæ præ cæteris vt cœli, vt ſtellæ, vt Luna & Sol enarrare gloriam Dei, quia luculentius & ſplendidius notam faciunt Eius potentiam, magnificentiam, ſapientiam, & alias Diuinas perfectiones. *Vas admirabile, opus Excelſi SOL. Magnus Dominus qui fecit illum*; Quaſi diceret Sapiens, hoc eſt quod ſtatim dici debet poſt viſum tam admirabile opus; quale eſt Sol: Magnus & magnificandus qui fecit illum.

Prou. 46. Pſ. 18. Eccleſ. 43.

Sic planè dici poteſt de Sanctis, omnes præcipue ſic formati ſunt ad majorem Dei Gloriam; *Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor:* ſed tamen ſunt aliqui de quibus in particulari ait, *In gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum,* quia per ipſos magis glorificatur, magis notificatur, magis honoratur; Hoc eſt enim glorificari Deum, cùm omnis gloria ſic definiatur, *Clara cum laude notitia.* Vnde qui clarius & latius notificant Deum, dicuntur etiam Eum magis glorificare. *Date gloriam laudi eius; dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua, Domine.*

Iſ. 49. Pſ. 65.

Hos inter quàm iure merito referri debeat ſanctus IGNATIVS non modo hiſtorici eius vitæ Authores referunt, ſed & ipſi Commiſſarij Apoſtolici & Iudices ordinati ad inſtruendum quem vocant proceſſum eius Canonizationis, poſt longam & acuratam, vt fieri ſolet, inquiſitionem; poſt multa multorum teſtium iuratorum examina, poſt maturam denique omnium, vnde certa noſci poſſunt veſtigia Veritatis, diſcuſſionem, ſic diſcernunt, ſic definiunt, ſic grauiſſima Iudiciali ſententia pronuntiant: *Tanto erga Deum amore flagrabat, vt tota die Illum exquireret: & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet quàm placere Deo, & Illius obtemperare voluntati. Itaque ſe illi totum committebat, Illum omnino ſequi decreuerat, etiamſi toto cælo, terraque priuaretur. Omnes ſuas cogitationes, verba, opera in Deum tamquam in finem re-*

Digitized by Google

ferebat; ad Deum ac Dei gloriam honoremque deſtinabat: atque hoc veluti ſymbolum AD MAIOREM DEI GLORIAM, in ore ſemper habebat.

Ex abundantia quippe cordis os loquebatur, & corde ſimul ac lingua ſeſe ita exacuebat in opus, vt non modo quidquid faceret, id faceret ad Dei gloriam, ſed quidquid ad majorem Dei Gloriam ſe poſſe facere cogitaret, id omnino totum tentabat: & ſi quid non poſſet facere, hoc ipſum etiam non poſſe nec facere, referebat ad eundem finem. Hæc tria ſunt præcipua Capita vnde zelus ſancti Ignatij pro Dei gloria cognoſci poteſt, quæ quidem tria ſic patent per vniuerſum quem exigit vitæ curſum, ab ipſo primo Conuerſionis momento ad extremum vſque ſpiritum, & per eam quam in hunc finem inſtituit Societatem, vt ſit facilius ea legere vel ipſis intueri oculis, intuendo religioſum eius Inſtitutum, quàm ſcribendo vel narrando referre.

Nonnulla tamen ſuggeram ex quibus illud triplex Caput facilius declaretur. Ac primùm de primo capite quo aſſeritur Ipſum omnia ſua referre ſolitum ad majorem Dei Gloriam, tres ſunt quidam veluti fontes vnde hæc Praxis emanabat, totidemque notæ ſunt certiſſimæ quibus conſtet Eum ſeſe in illa conſtanter exercuiſſe. Primò, ſtatim atque conuerſus eſt, agnouit apertiſſime, & ſingulari affectu guſtauit vniuerſale hoc principium quod ipſe vocat *fundamentum Exercitiorum*, Nempe Hominem eſſe duntaxat natum Deo colendo, ſalutique ſuæ procurandæ. Hunc vnum illi finem eſſe propoſitum, hoc Vnum neceſſarium, hoc vnum cogitandum: cætera quæ ſunt ſuper terram tanti ducenda eſſe, quantùm ad illum finem ducunt vel abducunt.

Secundò, cùm ab illo fine propenſiones animi quas vocant naturales, nos vel plurimùm auocent, ſic illis edomandis ſtuduit, vt quæ eſt vniuerſis hominibus magis communis, ſuperbia ſeu vanitas: & quæ ex proprio temperamento particularis illi erat, Iracundia, tam fœliciter in Eo eſſent edomitæ, vt nullum earum veſtigium appareret, nihilque minus ille timeret quam vanitatem: & nihil medici minus crederent quam illum eſſe iracundum. Atque ex his fiebat vt omni exutus amore proprio, facile cerneret quod vellet à ſe Deus, & expeditè compleret.

Tertio denique, ſi forte aliquando hæreret dubius de certa Dei voluntate, majorique eius gloria, non ſe præcipitem rebus agen-

Digitized by Google

dis ingerebat, non ſuæ fidebat prudentiæ, non Zelo, non Spiritui, non feruori ſe ita permittebat quin ſemper probaret Spiritus, vtrùm ex Deo eſſent, atque vt peritus Trapezita probaret quid eſſet melius, quid eſſet potius: ſicut commendatum à Domino refert imprimis Caſſianus, *Efficiamur*, inquit, *ſecundum præceptum Domini, probabiles Trapezitæ, quorum ſumma peritia eſt ac diſciplina, probare quodnam ſit aurum puriſſimum*, Et quæ fuſius ibi proſequitur. Ac propterea ſanctus Pater præſcripſerat ſibi regulas quas vocabat *Electionis*, quarum vſu familiari ſic vtebatur, vt ad ſingulas prope actiones in quibus aliquid eſſet dubij, & ancipitis curæ, vtram ſe in partem ferret, tria hæc obſeruaret: Primo momenta rationum vtriuſque partis expendebat, & ſanctiora ſemper ſequebatur. Secundo, cogitabat quid petenti à ſe conſilium de tali negotio reſponderet, vt illud ipſum quod alteri daret conſilium acciperet. Tertiò denique, ſiſtebat ſe iudicandum in illo particulari quod à morte inſtat Iudicio, & à ſe percontabatur quid tum vellet egiſſe, moxque indubitanter eò ſe ferebat. O ſi ſic ſaperent homines, ſi ſic intelligerent & nouiſſima prouiderent, profectò ſtudioſius Diuinam gloriam quàm ſuam quærerent.

Coll. 1. c. 20.

NVNC verò quod ſecundum eſt Caput quàm ſolerter indagaret, Quid præter ſolitum poſſet aggredi quod majori cederet gloriæ, tria ſunt etiam in quibus generatim id obſeruetur, & quæ ad particularia deriuari poſſint. Primum eſt in ſeipſo excolendo & aptando cum Gratia, quid fecerit, quid laborarit, quid ſuſceperit. Nullum eſt enim genus pœnitentiæ, nulla mortificationis ſpecies; nulla paupertatis, humilitatis cæterarumque virtutum Praxis quam non in ſummo genere per triplicem perfectionis viam, & per quaternam dimenſionem in tota ſua latitudine, & longitudine, ſublimitate & profundo coluerit, exercuerit & habitum compararit: cumque animaduerteret ſe virum illiteratum minus eſſe idoneum promerendæ Diuinæ gloriæ, ſtudia literarum iam annos natus triginta tres, ſuſcepit & perfecit. Secundum eſt quid in aliis per ſeſe fecerit quamdiu vixit, quo de argumento lege caput vndecimum libelli, qui *gloria ſancti Ignatij inſcribitur*.

Tertium eſt, quid per alios ad omnem poſteritatem egerit, conuocando propterea Socios, Societatem propterea inſtituendo, &

Digitized by Google

his informando legibus quæ totæ eſſent ad majorem Dei Gloriam: nullum omittendo genus obſequij quod impendi poſſet in ſalutem animarum, nullum admittendo genus officij, quod illa poſſent impedire obſequia. Et licet vbique paterent occaſiones iuuandi proximi, Diuinæque promouendæ Gloriæ, quamcumque ſe in mundi partem daret: vt tamen illud propoſitum aſſequeretur religioſiùs & certiùs, nec in eo exequendo tantiſper deuiaret, peculiari voto ſe ſuoſque voluit aſtringere Summo Pontifici, vt vbicumque terrarum ipſe videret majorem fore Dei Gloriam, illuc eos mitteret, etiam pedeſtres ſi vellet, etiam ſine vllo viatico, etiam inter Turcas & inter certa vitæ diſcrimina, nec poſſent vllam eò proficiſcendi excuſationem prætendere. Quis mihi det hoc gemino Spiritu vel ſic poſſe iuuare alios, vel ſic ab aliis velle adiuuari?

QVOD poſtremum eſt Caput; ſi quid majus non poſſet facere, hoc ipſum ad majorem Dei Gloriam referebat, vel agnoſcendo id nolle à ſe Deum, vel aduertendo ipſum velle alia cum quibus illa repugnarent quæ alioquin pia & ſancta iudicabat. Non poterat quippe Orientem adire cum Sociis, nec ipſas ſacras Ieroſolymorum plagas reuiſere, quod è Diuina Gloria tam opportunum iudicabat ad infidelium conuerſionem: Romæ reſideat neceſſe eſt, inde ne diſcedat officij ratio exigit; Non diſcedet, ibi reſidebit, ibi vitam aget & agere deſinet; Ac tunc Ieroſolymam non petere, credet eſſe majorem Dei Gloriam. Non poterat chorum ſeu quotidianum Eccleſiæ cantum cum exercitationibus literariis conjungere; Chorus omittatur, ſed non alio fine quam vt majori ſeruiatur Dei Gloriæ. Non poterat denique Societatis inſtitutum ſartum tectum conſeruare, niſi duæ ſtruerentur portæ, quarum altera pateret dyſcolis, & altera clauderetur probatis & prouectis Viris, ne in Præſules aſſumerentur: quod vtrumque non carebat ſuis difficultatibus & incommodis, quæ ſanctus Pater certe præuidit: ſed ad majorem Dei Gloriam toleranda iudicauit.

Atque ex multis hæc pauca delibaſſe ſufficiat, vt dum Veritatem Practicam quæ perpendenda proponitur expendemus, facilius agnoſcamus quo Ille dignus ſit cultu quaue gloria, qui Diuinæ Gloriæ ſic ſtudioſus fuit, vt ea quæ poſſet agere omnia, & quæ etiam non poſſet agere, eò referret & dirigeret, quantum dirigi

poterant; Atque in ea præcipuè religionis parte quà in primis excelluit, prouocemur ad illum imitandum; Cùm & reuera nihil ſit vtilius, nihil optabilius, & vt habet Veritas, *Nulla cuiquam operando major eſſe poſſit gloria, quàm quærendo majorem Dei gloriam*. Cuius quidem Veritatis multæ poſſent afferri rationes.

Dici enim primo poſſet, nullam eſſe majorem gloriam quàm ipſius Diuinæ Gloriæ participationem, quam ſibi demeretur quiſquis illam Deo procurat. Deinde vero, cùm quærere majorem Dei Gloriam nihil ſit aliud quam offerre Deo quod Ipſe carius & præſtantius ducit; nonne hinc aperte poſſet demonſtrari, quanta ſit inde Gloria quærenti & donanti Deo tale bonum? Adde quod cùm Deus numquam patiatur ſe liberalitate vinci ab homine, dixeritque conceptis & expreſſis Verbis, *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum:* Quis non videt inde quantum Gloriæ redundare poſſit in Eius opus qui quærit Dei Gloriam? (1. Reg. 2.)

Sed his prætermiſſis, Ratio quæ affertur, videtur magis Practica & vniuerſæ rei ſpirituali magis obſecundans: Nempe nulla eſt operando major gloria quàm Ipſum ſupremum Opificem, operando imitari, & quantum homini fas eſſe poteſt, ſic Illum in agendo exprimere, vt ad eum modum & finem quo Deus operatur, ita & operari homo dicatur: non ex æqualitate quidem, quod nec fieri nec cogitari poteſt, ſed ex illa omni ſimilitudine quæ cum Deo poſſit haberi, prout intelligebat Apoſtolus, ad illam nos exhortans: *Imitatores Dei eſtote, ſicut filij chariſſimi.* (Epheſ. 5.) Tam gloriosum eſt ſic imitari Deum aut illi ſimilem fieri, vt in ea ſimilitudine Dei, ſit poſita beatificæ viſionis gloria. *Nondum apparuit quid erimus*, ait ſanctus Ioannes, *ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* (1. Ioan. 3.) Hoc eſt videlicet quod ambiebat poſſe ſuis viribus Rex ille ſuperbiæ qui dicebat: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo:* (Iſ. 14.) In quo certe peccauit, vnde & pœna ſtatim additur; *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci*; Non punitur quod pręciſe Altiſſimo voluerit eſſe ſimilis, ſed quod aliter id poſſe voluerit quàm ordinaſſet Deus. Sicut quando primis noſtris Progenitoribus propoſuit quod futuri eſſent ſicut Dij: (Gen. 3.) nihil habuit quidem pernicioſius quod illis proponeret, vt patuit ex euentu, ſed nihil habuit potentius quo illos in talem perniciem attraheret, quia nihil erat glorioſius & amabilius quam ſic eſſe ſimilem Deo. In qua quidem

ſimilitudine

Digitized by Google

ſimilitudine deſideranda non peccarunt, ſed in modo ſimilitudinis exprimendæ, nempe per ſcientiam boni & mali ſeu per illius pomi eſum quo fuerant interdicti. Nam ſi obedire præcepto, ſi operari & cuſtodire locum illum deliciarum voluiſſent, tunc Deo ſimiles tam vere extitiſſent, quam verè ſic ſancti ſic beati fuiſſent.

O quam ſapienter Dominus arguebat Iudæos gloriæ cupidos: *Ioan. 5.* non quod gloriam cuperent, ſed quod humanam tantum cuperent, non illam quæ à ſolo Deo eſt, aut non illis modis quibus illam Deus concedit: ſic plane non modo liquet quod nulla operando major eſt gloria, quàm ſic operari ſicut Deus operatur, propter Diuinam ſimilitudinem quæ ex ſimili operandi modo contrahitur; verum & patet quod nulla ſit gloria magis expetenda quàm quæ ex tali ſimilitudine prouenit.

II. PVNCTVM.

SED *quærendo Diuinam Gloriam operamur ſicut ipſe Deus operatur.*

Non quidem adæquatè, vt dictum eſt, nec completè ſicut Deus, ſed quantum humanitùs Diuina fauente Gratia dici & fieri poteſt, nempe ex eodem fine & motiuo, quæ Finis Circumſtantia ſicut vna eſt ex præcipuis quæ in operando maxime conſideratur, ita ſi per eam in operibus noſtris conuenimus cum Deo, conuenimus excellentiori modo qui optari poſſit. Quod autem vnus & idem ſit finis quærentis Diuinam Gloriam & Dei operantis, tam euidens eſt quàm certo conſtat Deum in operando nihil aliud poſſe quærere quam ſuam ipſius gloriam. Cum enim Deus ſit Finis vltimus cuius gratia fieri debent omnia, vt benè & ordinate fiant: ſi quid faceret non relatum ad Seipſum tamquam ad vltimum finem, non bene illud & ordinate faceret, nam ipſa eſt relatio actionis ad finem quæ facit ipſius ordinationem. Vnde ſi deeſſet talis relatio, deeſſet etiam ordinatio, ac proinde opus eſſet inordinatum, quod de Diuinis operibus cogitare, eſt impium.

Quando vero dicitur Deus ſe ſpectare & ſe quærere tamquam finem, perinde eſt ac ſi diceretur, quærere bonum aliquod ſuum; nullum eſt autem aliud bonum quod poſſit magis quærere quam

ſuam gloriam, id eſt, quàm vt cognoſcatur & ametur, nam nullum eſt aliud bonum quod non poſſideat. Atque ex illa etiam infinita perfectione qua cunctis bonis abundat, neceſſario infertur, nihil aliud à ſe poſſe quærere, nam quidquid extra ipſum eſt vel nihil eſt, vel vtcumque in ſe conſideretur, tam modicum bonum eſt præ ſummo bono quod eſt ipſe Deus, vt ſi ſe relicto creatum illud haberet pro fine, perperam videretur agere, & pluris quodammodo facere quod longe minus eſt: quæ inordinatio non
Iſ. 48. poteſt in Deum cadere. *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Ego ipſe, Ego primus & Ego nouiſſimus.*

O quàm id iuſtum, quàm id ſanctum & æquum! Neque eſt timendum ne quid inde nobis depereat, ne noſtra minus procuret Deus, aut minus nobis conſulat, quia in eo ponit ſuam gloriam vt bonitatem ſuam nobis oſtendat, quâ cognitâ moueamur ad Eum diligendum: Et Ipſe amore noſtro prouocatus nouis ſemper nos cumulet beneficiis.

III. PVNCTVM.

N*VLLA igitur operando poteſt eſſe major Gloria, quàm quærendo majorem Dei Gloriam.* Nam ſic Operans non tantùm operatur opus Dei, ſed illud operatur modo & fine Diuino, modo quo ipſe Deus operatur, modo tam excellenti vt Deus excellentiorem non habeat. Vnde fit vt intellectu, voluntate, & operatione Operans ſit conjunctus cum Deo: quia hoc vnum cogitat & intendit: hoc vnum vult & operatur quod ipſe Deus: quâ con-
Eccleſi. 23. junctione & vnione quid glorioſius, quid magnificentius? *Gloria magna eſt ſequi Dominum*, inquit Sapiens, *longitudo enim dierum aſſumetur ab eo*; Quaſi diceret, ſic ſequendo & imitando Deum in operando, tam multa & excellenter bona edet opera, vt vel mereatur longo viuere tempore, vel quamtulumcumque viuat, longi temporis ſemper emolumentum referat. Quia vnus duntaxat dies quo ſic opereris omnia, ſicut ipſe Deus operatur, mille annis æquiualet, merito & dignitate.

Videri poteſt Leſſius opuſculo de perfectionibus Diuinis, libro decimo quarto, capite tertio, vnde hæc ad rem noſtram pauca, ſed apta: *Quare cùm Deus*, inquit, *ordinatiſſime agat, neceſſariò de-*

Digitized by Google

bet magis intendere ſuam Gloriam quàm perfectionem Creaturæ. Gloria enim Dei pluris eſt æſtimanda quàm omne bonum creatum. Vnde etiam homo non poteſt ſibi excellentius bonum proponere in operando, quam Gloriam Dei, nec melius actiones ſuas peragere quàm referendo illas ad Gloriam Dei, ad quam etiam Beati omnes ſua referunt.

Addo, quòd inde etiam majorem Gloriam conſequuntur, quàm ſi ſuam propriam quærerent & non Diuinam. Sicut enim ſancti dicuntur dare Gloriam Deo quando illum magnificant & Diuinas eius perfectiones deprædicant; ſic à Deo ſanctis datur Gloria, quando ipſorum virtutem probat, & ſpectandam proponit Angelis atque hominibus. Quæ certe Gloria ſic à Deo ſanctis communicata, major quodammodo eſt ipſo quem ſancti Deo tribuunt, honore & gloria. Nam cum honor ſit potiſſimum in honorante, id eſt, in opinione ſeu Iudicio Illius qui honorem defert alteri: profecto hinc ſequitur vt quo Perſona honorans eſt dignior, quouè eius Iudicium eſt certius, tanto ampliorem honorata perſona recipiat honoris partem; Vnde cùm nullum Diuino Iudicio iudicium ſit certius, nullaque perſona dignior quam ipſe Deus, nulla etiam major eſſe poteſt Gloria quam quæ à Deo prouenit. *Non qui ſeipſum commendat*, inquit Apoſtolus nec quem commendant homines, *ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.* Vnde & ipſe Deus majorem ſibi ſolus Gloriam impertitur, quàm omnes Creaturæ poſſint ei conferre. Ipſe eſt ſua Gloria, Ipſe ſuus honos, ſuum decus, & omnia ſua. Sic & ſanctorum Gloria Deus eſt, qui ſanctos approbando, magis eos glorificat, quam ſi communibus omnium quotquot ſunt hominum & Angelorum encomiis prædicarentur. Et cum eos maxime probet qui ſuæ propriæ gloriæ & vtilitatis obliti, ſolam ſpectarunt Diuinam Gloriam, quanto putamus honore in cœlis honoratum Illum qui de ſolo Deo colendo & glorificando cogitauit in terris? Si danti potum aquæ tanta eſt merces & Gloria, quanta in Euangelio promittitur, quid danti Deo Gloriam, quo dono nullum eſt Deo carius? Quid danti majorem ac majorem ſemper Gloriam, quo dandi modo nullum eſt ditius? *Bono animo Gloriam redde Deo*, dicebat Sapiens, *quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi*, Id eſt, longè pluries quàm tu ipſi dederis aut quàm putes te accepturum.

2. Cor. 10.

Matth. 10.

Eccleſi. 35.

Videri poſſunt quæ in laudato libello de Gloria ſancti Ignatij

commemorantur ad Eius Gloriam, quam ex variis accipit Sanctis nempe ex ſancto Carolo: ſancto Philippo Nerio; ſancto Franciſco Xauerio; ſanctaque Thereſia: nec non quam multis etiam miraculis exiſtimationem & Gloriam ſerui ſui Deus conſeruauerit; ſed quia tempus manifeſtandæ ſanctorum Gloriæ, tempus ipſum eſt manifeſtandi Chriſti, tunc vere apparebit, tunc certo
Coloſſ. 3. manifeſtabitur quanta ſit Gloria Glorificantis Deum. *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in Gloria.* Nec minor Dei bonitas in remunerandis bonis quam ſit eius Iuſtitia in puniendis malis: Vnde ſi de mundana quadam anima dicitur:
Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum:* Quid de humili & ſolum Glorificanti Deum, dici putandum eſt, niſi quantum ſe humiliauit & Deum Glorificauit, tantum date illi honorem & gaudium.

Vtram ex illis duabus Sententiam tibi dicendam velles? Et tamen te tuæ Gloriæ major cura ſolicitat quàm Diuinæ! Caue hoc vitium vanitatis, ſoli Deo da Gloriam, imitare ſanctum Ignatium, venerare Illum propterea ſanctius, nec vnquam timeas, ne ex tuis Deo datis quidquam tibi depereat.

DE EODEM, AD ILLA VERBA
PSALMI SEXAGESIMI SEPTIMI.

Ibi Benjamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu.

VERITAS PRACTICA.

Qui excellentior mentis exceſſus eſt, ſic ad exemplum noſtrum excellit in vita ſancti Ignatij, vt tota ſit Eius vita ſimul ecſtatica, & tota exemplaris.

RATIO EST, *Quia excellentior mentis exceſſus, ille eſt qui dicitur mentis operatiuæ ſeu effectiuæ.*

Sed hic exceſſus ſic excellit in vita ſancti Ignatij, vt exprimitur in Veritate propoſita.

Digitized by Google

Ergo & certa Veritas, & certe admiranda, quæ duo nobis proponit in ſancto Viro valde diſiuncta, nempe totum eſſe ecſtaticum, & totum exemplarem, quorum ex vno quanta eſt Sancti Gloria, tanta in nos ex altero, redundat ſpiritualis vtilitas.

I. PVNCTVM.

RELIGIOSORVM Ordinum Fundatores ſi Patriarchæ dicuntur, & quod pene omnes ſentiunt, ſi quandam præ ſe ferunt ſimilitudinem cum duodecim illis Iacob filiis qui fuerunt Capita duodecim tribuum Iſraelis & populi Dei: manifeſtè patet quod ſanctus Ignatius Fundator Societatis IESV, ſicut tempore poſtremus eſt, ita Benjamini qui natu minimus inter ſuos fuit, locum & nomen poſſit vſurpare. *Ibi Benjamin adoleſcentulus.*

Numerate à magno Antonio qui primus Cœnobitas inſtituit, quotquot deinceps ſuccedentibus ſæculis celebriores condiderunt familias, Baſilium, Auguſtinum, Benedictum, Norbertum, Brunonem & cæteros conſequentes, vix plures reperietis quam duodenos, quorum ſe vltimum & longe minimum non tantum tempore, ſed & merito ſemper profitebatur Ignatius.

Accedit alia ratio, quod ſicut Benjamin filius Iacob, primo dictus eſt *Benoni*, hoc eſt *filius doloris*, tùm verò pòſt *Benjamin*, id eſt, *Gen. 35.* *filius dextræ*: ſic quodammodo ſanctus Ignatius primò fuit doloris filius quando ex accepto graui vulnere genitus eſt nouæ illi Gratiæ qua vocatus fuit à militia ſæculari ad ſpiritualem: Cuius Vocationis & Gratiæ cum ſingularis fuerit potentia & valde ſublimis ſcopus quo ad ſuam majorem gloriam Deus illum deſtinabat, nonne ſic filius dextræ dici poteſt?

Tertiò denique, ſicut Benjamin dicitur in quodam mentis exceſſu præ cæteris inſigniter exſtitiſſe, ſic ſanctus Pater in hoc tam eximius & inſignis fuit, vt cùm plures inter ſe diſtinguantur mentis exceſſus, ſintque aliis alij præſtantiores, qui præter omnes excellere dicitur, dicatur etiam excelluiſſe in vita ſancti Ignatij; neque id tantum ad concitandam de ſancto Viro admirationem, vel ad extollendam eius Sanctitatem referatur: ſed quod

magis mirum, ad ſimilis vitæ nobis proponendum exemplar, ſitque vita ſancti Ignatij non ſolum tota ecſtatica, quod certe mirum; ſed tota ſimul exemplaris & ad imitationem efformata, vt nos ad eundem mentis exceſſum eius exemplo poſſimus aſpirare; neque tantum de Illo, ſed de vnoquoque noſtrum dici poſſit ſi velimus cum Gratia; *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*. Nonne hoc ſtupendum? Nonne hoc omni ſtudio conſectandum? Quamobrem, hic ſermonis ſit ſcopus; qui vt facilius capiatur, diſtinguendi ſunt ante omnia qui dicuntur mentis exceſſus; & qui ſit eorum excellentior & ad praxim accommodatior, diligentiùs inueſtigandum.

Tres omnino ſpecies ecſtaſis ſiue exceſſus mentis referuntur ab his, qui de myſtica tractant Theologia: ſed non eodem modo proferuntur. Sunt qui non aliter eos diſtinguant quàm per diuerſas animæ facultates, Intellectum, Voluntatem & Memoriam; Quam alij diſtinctionem ſic dilucidant, vt prima ſpecies ſit lucis, ſecunda verò ardoris, & tertia dicatur operationis ſeu vitæ. Addunt denique alij, quandoquidem non de exceſſu ſimpliciter, ſed de mentis exceſſu agitur, ſic eius triplicem aptius notificari ſpeciem, ſi dicatur prima eſſe ſolius mentis in exceſſum raptæ; ſecunda mentis, ad exceſſum ſimul rapientis voluntatem ſeu affectum; tertia mentis quam vocant operatiuæ ſeu effectiuæ, cùm ſe mens raptam & rapientem ita inſinuat in ipſas totius vitæ partes & operationes, vt quidquid homo agit & patitur, quidquid homo ſentit, cogitat, loquitur, operatur; quidquid vno verbo viuit, totum hoc in exceſſu ſit vitæ; id eſt, excedat communem viuendi morem, non tantum qui naturalis dicitur, ſed qui etiam ſupernaturalis appellatur. Sicut enim ſolius mentis aut voluntatis ſimul exceſſus eſt cum ſola mens in admirationem Diuinorum rapta, conſuetos naturæ & gratiæ motus atque operationes excedit; aut cum voluntas ſimul in ardorem & affectum ſupra quàm ordinariè ſentiri ſolet, abripitur: ita exceſſus vitæ eſt quando ipſa hominis vita, ſuo modo, ſupra omnem humanum modum in omnem virtutem extollitur.

Et quia talis vitæ exceſſus ab ipſa mente diuinitus acta & affecta procedit, ſic apte dicitur mentis exceſſus, non ſolius quidem mentis quæ prima dicta eſt ſpecies, nec voluntatis ſimul cum mente, quæ aliam conſtituit ſpeciem, ſed mentis inſuper effe-

ctiuæ quæ lucem intellectus & ardorem voluntatis ad Diuinos virtutum effectus reducit, vnde tota vita exceſſus eſt, tota vita ecſtatica, cœleſtis & Diuina.

In primo mentis exceſſu fuiſſe Benjaminum Interpretes docent ad illum noſtrum verſiculum: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*, quando ſcilicet vnà cum aliis Patriarchis aliquando conueniebat ad celebrandas Dei optimi maximi laudes, & commemoranda beneficia quibus totum afficiebat mundum; Ita præ aliis omnibus Diuinæ bonitatis admiratione rapiebatur, vt extra ſe quodammodo raperetur & in ecſtaſim ſiue mentis exceſſum abiret.

In ſecundo exceſſu tunc erat Dauid, cum dixit, *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Id eſt, in feruore mentis & in ardenti voluntatis affectu quem ex Diuinis concepi verbis; ſenſi me commotum vt dicerem, *omnis homo mendax*, non tantum vt mentiri poſſit, ſed vt reuera mentiatur, quando ex humano affectu de rebus aliter ſentit & loquitur quàm de his iudicet & loquatur Deus. *Pſ. 115.*

In tertio denique ſanctus Apoſtolus, qui non tantum raptus eſt vſque ad tertium cœlum, ſed de ſuo alio mentis exceſſu manifeſte ſcribit Corinthiis, dum expreſſis ait verbis, *ſiue mente excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus, vobis*, id eſt, ſi me auditis interdum ſublimia quædam de me prædicantem quæ profecto excedunt communem viuendi morem, id ita viuimus & ita loquimur propter Deum: ſiue pauciora de his à me accipitis, ſic temperati ſumus & ſobrij propter vos, me vt vobis accommodem, ne vos ego nimis obſtupefaciam, atque vt ea etiam quæ dico facilius intelligatis. *2. Cor. 5.*

Quænam autem eſſent illa ſublimia quæ mentis exceſſum vocat, non alia ſanè ſunt quam quæ paululum ante deſcripſerat, dum de ſuo viuendi genere ſic loqueretur: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur ſed non derelinquimur: dejicimur ſed non perimus: ſemper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes, vt & vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter IESVM, vt & vita IESV manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Et paucis inter- *2. Cor. 4.*

Digitized by Google

jectis. *Propter quod non deficimus, ſed licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.*

Hoc eſt ſcilicet mente excedere, dum, vt ait S. Anſelmus, *Excedens mente omnem humanam fragilitatem & ſæculi temporalitatem, & omnia quæ naſcendo & occidendo vaneſcunt, habitabat corde in ineffabili quadam contemplatione eorum de quibus dicit, quod audiuit ineffabilia Verba quæ non licet homini loqui, vnde & ait, ſobrij ſumus vobis, ſobriè de his loquimur vt vos ea capere poſſitis.*

At vero hic mentis exceſſus non ſolius mentis aut voluntatis exceſſus eſt, ſed operationis & effectus, dum ex illa mentis ſiue ſublimium & æternarum contemplatione rerum, Apoſtolus ſuam omnem regebat vitam, vt quidquid ageret aut pateretur, tam ſublime eſſet in effectu quàm ipſe rerum affectus ſublimium, vnde talis emanabat effectus.

Ex quibus apertè patet quàm hîc cæteris excellentior mentis exceſſus ſit, nam vt fuſe & præclare deſcribit Celeberrimus ille ſanctitate & doctrina Spirituali Gebennenſis Epiſcopus, in tractatu de amore Dei, toto ſeptimo libro, quidquid mali eſſe poteſt in prima & ſecunda exceſſus mentis ſpecie, non eſt in tertia; quidquid boni reperitur in illis, reperiri poteſt in iſta; & poteſt aliquid emolumenti Spiritualis ex iſta percipi quod non ex aliis; Quæ tria certe quocumque in ſubjecto reperiantur, manifeſtam illius faciunt præ cæteris ciuſdem generis, dignitatem & excellentiam. Et verò hîc quàm vere reperiantur, patet: Primò quidem priores duas exceſſus ſpecies, poteſt Dæmon excitare, poteſt in ecſtaſim animum rapere, poteſt & voluntatem inflammare, non vero quidem amore Dei, ſed falſo & ſuppoſititio, qui cùm ſæpe pro Diuino accipiatur, ſic miſeros illudit homines.
2. Cor. 11. Vnde Apoſtolus ſuos præmonens, *Ipſe*, inquit, *ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis.*

Et quando ille abeſſet Illuſor, ſoluſque amor excellentiæ propriæ qui vix vnquam deſerit hominem, ſuas hîc partes ageret, quis neſcit quantùm ex illis exceſſibus mentis, qui vel in intellectu

vel

Digitized by Google

vel in voluntate conſiſtunt, poſſit excitari ſuperbiæ, vanitatis, & quam plurium huiuſmodi vitiorum? Nonne idcirco idem Apoſtolus, *Ne magnitudo*, inquit, *reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet?*

At vero in exceſſu mentis operatiuæ, nihil tale timendum eſt, totus enim in ſolida veræ virtutis exercitatione ponitur, totus in humilitate & patientia, quæ profectò virtutes longe à Dæmonis illuſionibus & fallaciis ſunt poſitæ.

Deinde dico, quod quidquid boni eſt in intellectu & voluntate, quidquid lucis & ardoris, quidquid vno verbo, Charitatis illius quæ animum cum Deo iungit, totum in opera diffundi poteſt, imo & debet ſi vera eſt Charitas, quæ in agendo & patiendo potiſſimum vera eſſe agnoſcitur.

Addo denique, cæteris paribus, plus, operando, virtutis & meriti poſſe comparari quàm intelligendo & volendo, ac proinde plus aliquid in hoc exceſſus genere quàm in aliis reperiri, vnde & eius ſupra cæteros excellentiam quis non videt? Quam & expreſſè docet ſanctus Thomas in illis quæſtionibus quas de vita Contemplatiua & Actiua mouet; quarum illa quidem ſi cum altera comparetur, præſtantiorem optinet locum, ſi vero mixta quæ dicitur vita in contentionem excellentiæ veniat, palmam ſine dubio referat, primaſque ſupra omnem quæ contemplando ponitur, teneat. Quid autem aliud exceſſum mentis operatiuæ dicimus, quam illam ipſam mixtam vitam, cùm non ſit exceſſus mentis niſi aliquid de contemplatione habeat, neque ſit mentis operatiuæ niſi de actione ſimul aliquid comprehendat. 2. 2. q. 182

Quod vtrumque luculenter ſanctus Gregorius in Moralibus ſuis exhibet ad illa verba Iob: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet modum ſibi? Ad præceptum Dei eleuatur aquila, dum IVSSIONIBVS DIVINIS OBTEMPERANS, IN SVPERNIS SVSPENDITVR FIDELIVM VITA.* Quibus ſane verbis, ſicut non poterat expreſſius deſignari Exceſſus mentis effectiuæ, qui totus in Diuinis conſiſtit iuſſionibus exequendis, ſic neque poterat excellentius & ſublimius prædicari quàm comparatione facta cum illa quæ ad præceptum Dei eleuatur aquila, & in arduis ponit nidum ſibi. Et vero pergit ſanctus Doctor, & exemplo Apoſtoli qui ſine dubio mixtam agebat vitam, & hoc præſertim in exceſſu mentis operatiuæ Iob. 39. l. 31. Mor. c. 34.

viuebat, vt dictum eſt, quantæ ſublimitatis & excellentiæ vita hæc ſit, ita declarat: *Quæ in arduis nidum ponere dicitur, quia terrena deſideria deſpiciens, ſpe iam de cæleſtibus nutritur. In arduis nidum ponit, quia habitationem mentis ſuæ in abjecta & infima conuerſatione non conſtruit. Videamus aquilam nidum ſpei ſibi in arduis conſtruentem, qui ait: Noſtra conuerſatio in cælis eſt: Et rurſum: qui conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cæleſtibus. In arduis habet nidum: quia profectò in ſupernis figit conſilium. Non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conuerſationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortaſſe in carcere tenebatur, cùm ſe conſedere Chriſto in cæleſtibus teſtaretur. Sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat, non illic vbi illum neceſſariò pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque eſſe ſpeciale ſpecimen Electorum ſolet, quod ſic ſciunt præſentis vitæ iter carpere, vt per ſpei certitudinem nouerint iam ſe ad alta perueniſſe, quatenus cuncta quæ præterfluunt, ſub ſe eſſe videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hinc eſt enim quod ſequenti ſe animæ per Prophetam Dominus dicit: Suſtollam te ſuper altitudines terræ. Quaſi quædam namque inferiora terræ ſunt, damna, contumeliæ, egeſtas, abjectio, quæ ipſi quoque amatores ſæculi dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non ceſſant. Altitudines autem terræ ſunt, lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum, quæ quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat. At ſi ſemel cor in cæleſtibus figitur, mox quàm abjecta ſint cernitur quæ alta videbantur. Nam ſicut qui in montem conſcendit, eò pauliſper cætera ſubterjacentia deſpicit, quò ad altiora greſſum amplius tendit, ita qui in ſummis intentionem figere nititur, dum anniſu ipſo nullam præſentis vitæ gloriam eſſe deprehendit, ſuper terræ altitudines eleuatur, & quod prius in imis deſideriis poſitus ſuper ſe credidit, poſt aſcendendo proficiens ſibi ſubeſſe cognoſcit. Quas ergo illic Dominus facturum ſe eſſe pollicetur, dicens: Suſtollam te ſuper altitudines terræ, hac apud beatum Iob ſolum ſeſe facere poſſe teſtatur, dicens: Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & ponet in arduis nidum ſibi? Ac ſi diceret: vt ad meum, qui quod exterius præcipio, hoc intrinſecus gratia occultæ largitatis inſpiro.* Quaſi diceretur, quantumcumque ſit arduum & ſublime quod proponitur, ſatis eſt potens Diuina Gratia, quæ hoc ipſo quod proponit agendum aliquid, dat agenti vires vt quod poſſit velit, & quod velit poſſit. O potentem non ſolùm Dominum,

Philip. 3. Ephe. 2. Eſaie 58.

ſed & ſeruum, qui Domini ſui potentia tam potens eſt, vt quidquid Dominus iuſſerit, ſeruus poſſit!

II. & III. PVNCTVM.

SED hic exceſſus ſic excellit in vita ſancti Ignatij, vt tota ſit ſimul ecſtatica & tota exemplaris.

Non illi certè defuerunt exceſſus alij, nam quoad primum, cùm ſæpe aliàs, tùm aliquando per totum octiduum ita exanimis iacuit, vt qui proxime aderant, ſepulchro illum condidiſſent, niſi latentis vitæ reliquias ex tenui cordis palpitatione deprehendiſſent, ac tandem velut è ſomno euigilans, ah, IESVS! ſuauiter ingeminabat, & quaſi nihil inſuetum accidiſſet, placide ſurgens, omnes admiratione compleuit.

De ſecundo, qui eſt voluntatis ſeſe quodammodo excedentis ſeu à ſe tranſeuntis in Deum, ſic aperte Relatio quam vocant Canonizationis: *Neque vero*, inquit, *tantummodo cuſtodiuit cor ſuum ab iis quæ ſunt contra dilectionem: ſed etiam à ſeipſo amorem omnium rerum quæ Deus non ſunt prorſus abjecit, atque in eundem tranſtulit Deum, omnemque affectionem ad Dei dilectionem referre conatus eſt.*

Hæc & plura paſſim vbicumque de Illo agitur, quæ certe tam manifeſtam indicant ecſtaſim voluntatis, ſiue quem diximus exceſſum mentis affectiuæ, quàm verè talis in Deum affectus vocatur ecſtaſis. Sed hæc miſſa faciamus, & in illo vno exceſſu qui non modo eſt excellentior, verum & ad imitationem accommodatior, immorantes, oſtendamus non in parte tantum, non in virtute aliqua particulari, non in quibuſdam duntaxat actionibus, ſed in tota vniuerſim ſancti Viri vita, quantùm eluxerit, quàm conſtanter & perpetuò viguerit, ac regnarit; totaque ipſa vita exceſſus vitæ ſiue mentis effectiuæ; aut vno verbo, Vita tota ecſtatica dici iure queat.

Tribus id modis indagari poteſt, nempe illius vitæ Ingreſſum, Progreſſum, & Egreſſum attentius intuendo, quæ tria mihi videntur aptiſſime ſimul connexa in his ſuprà dictæ Relationis contractis Verbis: *Ineffabilis Dei Bonitas excitauit Spiritum Ignatij Loyolæ, qui ex medio honorum curſu, atque à ſæculari terrenaque militia, admirabili quadam ratione vocatus vitam admirabili ſanctitate traductam, pio in Domino concluſit exitu.* Quod enim vocatur hic

Digitized by Google

admirabile, perinde prorſus eſt ac inſuetum & excedens ſolitum viuendi morem, vnde cum in his tribus & totus vitæ curſus comprehendatur, & in his ipſis totus dicatur admirabilis, nonne hoc ipſum relinquitur de tota vita dicendum?

Etuerò triplex illud Caput ſigillatim contemplemur. Adeamus illum lecto iacentem ex vulnere, pios quoſdam de vita Chriſti ac ſanctorum voluentem libros ſpectemus. Quid indè ſenſus, quid animi referat, percontemur. *Sequor, inquit, quò me Deus vocat*, ſed quò tandem? *Ad conciliandos Chriſto Infideles & totum ipſum conuertendum orbem.* Hic illi ſcilicet cum ſeipſo conuertendo, ſtatim ab ipſo vitæ melioris exortu, propoſitus Finis TOTIVS VNIVERSI CONVERTENDI. Tunc verò miles ignare hoc cogites? Tu mundane, mundum conuertas? Si de te ſolo ageretur, ſi de domo ac familia tua, ſi de ditione ac ſubditis apud quos Domini plurimum valet exemplum, certe & hoc mirum eſſet quod vix bene conuerſus, hanc de aliis cogitationem & curam ſuſciperes. Sed tamen id concedi poſſet zelo recenti: At de vniuerſo tu cogites terrarum orbe! Tu ſcilicet Affricam penetres, Tu Aſiam, Tu Europam; Americam & efferatas quantumuis gentes adeas; alloquaris, attrahas, & tibi ſeu Deo ſubdas? Hoc eſt enim mundum conuertere, ſic cunctas vniuerſi partes peragrare, ſubjicere, tranſmutare moribus, inſtitutis, & ſeipſis totis? An vnius hoc hominis opus ac munus? An militis hoc cogitare! An ignari hoc aggredi! Dic quibus id armis & ſumptibus? Dic quibus machinis ſic vniuerſum inuertas orbem? An putas enſe domari animas? Aut ſi verbo, ſi doctrina, ſi pietate demulcentur, quid tibi vel tantillum ex illis ſacris dotibus, qui vix ſcribere noris ac legere?

Non erat dubium quin hæc ſimul in mentem venirent militi, cum miles mentem ſuſciperet de mundo conuertendo: Et tamen à tali mente nunquam auertitur; non rei nouitas & difficultas, non ignorantia, non egeſtas, non ſolitudo, non vaſtitas, non quidquid demum dicas, mentem hanc eius mutet; Ibit vel vnus ad omnes populos; prædicabit vel ignarus ipſis Euangelium Philoſophis, expugnabit vel inermis armatas quaſlibet acies, aut certe ſocios ſibi adjunget eiuſdem animi, ſe diſciplinis erudiendum tradet, & fauente Deo ſe modis omnibus tanto idoneum operi comparabit.

Digitized by Google

Itane Lector de hoc ſenſiſſes homine? Sanuſne tibi mente viſus eſſet quem ſic audiſſes loquentem, proponentem, ſtatuentem? Nonne hic mentis exceſſus eſt, & mentis effectiuæ quæ tam arduum, tam ſublime, tam Diuinum opus audeat aggredi?

Hoc itaque primum ex tribus eſt, vnde conſtat exceſſus ille mentis de quo hic agimus, hinc nempe conſtat euidenter quod qui primus melioris Ignatio vitæ fuit ingreſſus, fuit ſimul ingreſſus vitæ ecſtaticæ. Nunc quod ſecundum eſt de progreſſu videamus. Progreſſum dico non illius Diuini operis quod de Infidelibus ad Chriſtum adducendis, & de ipſo toto, ſi Deus annuat, mundo conuertendo ſuſcepit; non hunc inquam, progreſſum intelligo declarandum: nam ipſis tam aperte patet oculis, quàm Ipſe religioſus Societatis Ordo, qui longe lateque patens per vniuerſum terrarum orbem, ad hunc vnum finem ab illo ſancto Patre eſt conditus, vt proximi ſalus comparetur. Sed illum dico progreſſum vitæ ecſtaticæ cuius ingreſſum vidimus, progreſſum dico mentis exceſſus, in quibus omnibus ſeſe deinceps Vir ille ſanctus exercuit. Scimus quid fecerit, ſcimus illum iam natu grandem, primis nauaſſe operam literarum rudimentis, nec ignoramus quem inde fructum tulerit, quos ſibi ſocios aggregarit, quas ipſe adierit plagas, vel domi reſidens quibus familiam ſuam inſtruxerit documentis: ſed an iſtis in omnibus ſic conſtanter, quemadmodum inceperat, vixerit, vt in exceſſu mentis ſemper vixiſſe dicendus ſit, hoc eſt quod quæritur, dum progreſſus vitæ inquiritur.

Nullus eſt equidem Author quem ego ſciam, qui ſic expreſſis terminis de illius vitæ progreſſu egerit: ſed nullus eſt Author qui de vita eius ſcripſerit, ex quo non facilè poſſit demonſtrari ſic omnino vixiſſe Ignatium. Nam cùm apud omnes ſit conſtantiſſimum in id maxime Virum illum euigilaſſe, toto vitæ tempore, nihil vt corruptæ naturæ motibus omnino daret, ſed totum Rationi, totum Gratiæ, totum Deo: quid eſt quod manifeſtiùs illum ecſtaticæ vitæ progreſſum manifeſtare poſſit quàm illud perpetuum & numquam intermiſſum, quod vocat Apoſtolus, *Rationabile obſequium?* Rom. 12.

Audi verò quid Orlandinus, hiſtoriæ Societatis Author in hanc rem referat: *Hoc habuit eximie Beatus Pater vt ratione plurimùm & conſilio vteretur, crebrò vſurpans à belluis hominem ratione differre.* Quod quanti referat, ita viuere, ſic explanat. *Et ſanè vti incuria,* 1. p. l. 16. n. 102.

Digitized by Google

conſiderandique negligentia vitiorum omnium ſeminarium , ita cura & conſideratio cunctarum eſt parens & alumna virtutum. Nemo quippe malum quà malum amat , ſed imagine fallacis boni deceptus , rerum illecebræ caducarum , conſuetudo ſenſuum , prauæ vulgi opiniones , Dæmonum inſtinctus cupiditates inflammant eaſque communes notitias vel naturæ vel fidei lumine comprehenſas , quibus vitanda turpia , honeſta ſectanda cognoſcimus , paulatim obſcurant , hebetaut, languefaciunt , vt ratio debilitata & quodammodo exarmata facile tot vndique oppugnantibus hoſtibus , ſuccumbat. At Conſideratio frænum eſt quo mens perturbationes atque ſenſus ne abjiciant ſe ferino impetu ad fallacem præſentis boni ſpeciem coercet ac ſuſtinet : lima eſt ac malleus quibus boni malique notitias illuſtrat , exacuit , corroborat , vnde ad ipſam mentem & voluntatem vis & vigor emanat.

Hoc Author ad verbum omnia , quorum ſenſus non eſt , ſola ratione fieri , quod eſt in viris perfectis præſtantiſſimum. Nam præterquàm quod Diuina opus eſt gratia , ſine qua nihil prorſus boni fit , opus eſt vero etiam majoribus quibuſdam gratiis , quarum præcipue nutu & imperio mens humana & voluntas illuſtrentur , inflammentur , & agantur , vt bonum aliquod ſit præſtantiſſimum, & ex illo eminentis boni genere quod in ſancto Ignatio veneramur , nec certe magna eſt Viri commendatio, niſi forte Pagani & Stoici, ſi dicatur ratione tantum naturali vel cum aliquali etiam gratia vitam ac mores ſuos componere : longe eſt alia in Chriſtianis ac ſanctis viris Ratio, nempe illa quæ Superior & Sublimior appellatur , de qua ſic S. Auguſtinus : *Sublimioris rationis eſt iudicare de ipſis corporalibus ſecundum rationes incorporales & ſempiternas , quæ niſi ſupra mentem hominum eſſent , incommutabiles non eſſent.* Hæc in ſanctis viris adſit oportet ſupernaturalis Ratio, vt ſancti ſint , hoc profitemur ; ſed ne tamen naturalis deſit , non eſt minus fatendum ; neutra ſit ſola , ſed ſimul vtraque ſic ſibi ſubordinata ; vt quantum naturalis ratio dominatur appetitui, tantùm huic naturali rationi Superior altera præſit & imperet. Sic Idem ſanctus Auguſtinus , *vt quod eſt in homine præcipuum & excellens , hoc imperet cæteris non reluctantibus quæ ſunt nobis beſtiiſque communia : atque idipſum quod excellit in homine, id eſt Mens & Ratio ſubjiciatur potiori quod eſt ipſa Veritas , Vnigenitus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt niſi ſuperiori ſe ipſe ſubjiciat. Hæc vita conſummati perfectique Sapientis.*

l. 12. de Trin. c. 1.

l. 1. de Serm Dom. in monte c. 2.

Quando itaque de Sancto narratur Ignatio quod ſit plurimum ratione vſus, non aliter quam de vtraque ſimul ad vſum applicata ratione, debet intelligi, vel de naturali ſuum munus agente cum tali ſubordinatione ad Superiorem, vt illâ ipsâ curâ & diligentiâ qua cauebat ne contra naturalem rationem appetitus quidquam in ſe Ipſo moueret, eâdem prorſus aduerteret, ne ipſa ratio ſine Superiori moueretur.

Quod quàm perfecte fieret, ſic Idem habet Author Hiſtoricus: *Hoc igitur acerrimo, ac generali telo plurimum Beatus Pater vſus eſt: atque ita vt nulla vmquam voluntatis appetitio, ac ne cæleſtis quidem dulcedinis copia intelligentiæ eius vſui officeret. Nam duo cum ſint cæleſtium Chriſti auxiliorum genera, altera ad afficiendas voluntates, ad mentes altera colluſtrandas, fere ita fit, vt cum vberius voluntati ſuperna vis infunditur, agatur homo potius, quam ducatur: eoque rationis perexiguus vſus ſit. At in Ignatij animo genus vtrumque & copioſiſſimum, & mire concors fuit, vt, cum incenderet vehementiſſime eius voluntatem flamma cæleſtis, ſuum tamen integrum regnum rationi, diuinæque luci relinqueret; ab eaque regi, ac temperari ardor ille ſe ſineret. Inde, quanquam Lainius ardentiſſimam ſancti Viri Charitatem, & immenſa Diuinæ gloriæ ſtudia, ſummamque cum ſummo Bono conjunctionem, & quàm facile ad cæleſtia auferretur, ſpectans, dicebat, in rebus Diuinis Ignatium patienti, quam agenti propiorem videri: vt Ignatius quoque ipſe de ſe erat illi profeſſus: Ita tamen Idem rationem adhibebat, ita contendebat neruos induſtriæ, vndique ſibi adminicula, cura, & arte conquirens, & ſingula circunſpecte dimetiens, vt ad ſtudia quamuis pia, nollet impetu ferri, ſed conſilio duci. Hæc autem recta eſt via, qua Deus hominem ire vult: in cuius mente, intelligentiæ idcirco lumen accendit, vt illud ſequens, rationabile offerat obſequium, matura ſcilicet conſultatione delectum, & ſuis vndique conditionibus abſolutum: atque hoc pacto ſimul ab fraudibus illudentis Dæmonis defendatur; ſimul conſtantius, ac perſeuerantius agat. Ergo, ſiue complacens ſibi ſumma bonitas in Ignatio erudiendo formare multorum magiſtrum, ſiue id generoſæ eius indoli, & capaciſſimæ conſilij menti maxime congruebat, ſuauiſſime ilum per vias rectas ad perfectam, conſumatamque iuſtitiam, regnumque ſuum deduxit ſcientia ſanctorum plenum; videntem ſingula, ac notantem, greſſuſque ſuos aſſidue præcedentem rationis oculis, ac iuſto prudentiæ pede præfinientem. Atque hinc æſtimanda ſunt Ignatij apud Deum promerita, & præclara facta numeranda.*

Digitized by Google

Quæ quidem præclara facta pergit Hiſtoricus numerare: At vero nobis quod eſt noſtri propoſiti ſufficiat inde iam dicta confirmare, quàm totus eſſet Ignatius in illo mentis exceſſu qui effectiuus dicitur, cum totus eſſet ſupra ſe, non tantum quoad inferiorem illam partem cui Ratio præſidet naturalis: ſed quantum inſuper ad hanc ſpectat Rationem quæ tota ſurſum in æternam Legem, & Diuinam transfertur Mentem.

Eſt verò & aliud in vita ſancti Ignatij non minus euidens argumentum, vnde hic eius vitæ progreſſus totus ecſtaticus colligi poſſit: Nempe, cùm à ſua Conuerſione, totum illud quo deinceps vixit tempus poſuerit in aſſequendo fine quem ſibi de ſalute proximi procuranda præfixerat, profectò non minus dicendum eſt tempus illud in exceſſu mentis eſſe traductum, quàm dum primo ſibi finem propoſuit. Neque enim minus, imo magis glorioſum & ſublime eſt, finem intentum conſequi, quàm finem ipſum intendere. Quàm multi mira proponunt, quàm pauci vero quod proponunt, efficiunt! *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit* 1. Cor. 9. *brauium*, qui nempe ſcopum attingit. Cum itaque tam excelſum ſit opus quoduis, quàm excelſus eſt finis propter quem opus agitur, cumque ſanctus Ignatius, illum ipſum in operando finem ſemper habuerit quem in opere inchoando ſibi deſtinarat, cur non progreſſus operis æque dicetur excelſus & exceſſus, atque ipſius primus ingreſſus? Quod ex eo vel maxime confirmatur, quod prima illa Gratia cuius virtute miles adhuc Ignatius, tantum potuit ſibi opus deſtinare, numquam in eo vacua fuit, ſed tam vltra ſemper progreſſa eſt quàm ipſum opus latè proceſſit. Non erat vero Gratia tantùm collata Ignatio vt opus illud faceret, ſed vt *eo fine* faceret quo ad faciendum fuerat primò excitatus, vnde ſicut manifeſtè patet Gratiam illi adfuiſſe in opere, ſic in operis fine non defuiſſe certum eſt, cum finem Deus magis reſpiciat quàm ipſum opus. Quod ſi verò totus vitæ Ignatij curſus non minus conſtanter ex illo fine proceſſerit quàm ab illo fuerat generoſe ſuſceptus, quid ſequitur niſi quod quæritur, talem eius fuiſſe progreſſum vitæ, qualis ingreſſus fuit, ſiue quod idem eſt, talem in eius vitæ progreſſu perſtitiſſe mentis exceſſum, qualis fuit in ingreſſu.

Neque dicas, non ita eſſe mirum, ſi miles factus Sacerdos, ſe in curam impendat proximi, quàm ſi miles propterea fieri velit Sacerdos. Eſto enim ſit minùs mirum, non eſt tamen minus ex-

celſum

celſum & Diuinum, imo ex quo miles Sacerdos factus eſt, quis non videt illum Intellectu & voluntate perfectiorem eſſe oportere, atque ex conſequenti fieri, vt finis ſiue Intentio ſit purior ſacratior, ſanctior.

Neque rurſum objicias, finem poſſe mutari operis, licet opus ipſum non mutetur. Id enim etſi concedatur de mundanis & parum in virtute promotis mentibus: At certe de Ignatio, tam alienum id eſſe cognoſcet quiſquis tantillum de geſtis ab eo rebus legerit vel audierit, vt nihil in eius vita frequentius repetatur, quam vel eum vniuerſim cupiditates omnes animi repreſſas habuiſſe, vel particulatim illum honoris à laudis appetitum quo à recto fine mens humana detorqueri ſolet facilius. Raro de ſe loquebatur, ſed quoties tamen ſalus animarum vel Dei gloria poſtularet, ſua non minus bona quam peccata, ſine vlla prorſus vanæ gloriæ titullatione narrabat; illudque interdum auditus eſt dicere, ſe per Diuinam gratiam à nullo ſibi minus timere quam à vanitatis vitio. Quamobrem nihil eſt huius humanæ vitioſitatis quod illum à rectitudine ſibi propoſita de conuertendis ad Chriſtum proximis vmquam inflecteret: quin potius ex illo pleno & integro cupiditatum animi quo fruebatur imperio, reddebatur in dies aptior ad illum ſublimem finem excelſius attingendum. Diceres illi eueniſſe quod olim Moſi quem Deus iuſſit ſibi dolari & parari duas tabulas, in quibus duplex illud magnum mandatum de diligendo Deo & proximo, quod cætera omnia continet, ſuo imprimeret digito: ſic plane eſt quod in ſancto admiremur Ignatio; duas Ille velut tabulas, vtrumque ſcilicet cordis appetitum ſic continua ſui mortificatione dolauit & perpoliuit, vt in eius corde Deus legem Charitatis inſcripſerit, qua Deum vnum propter ſe, & proximi ſalutem tantummodo quæreret propter ipſum Deum: quo ex inſigni dono factum eſt vt qui ante acceptam Diuinitus perfectam illam Charitatem iam erat propriis cupiditatibus expurgatus, poſt vero etiam amplius & perfectius à ſeipſo totus in Deum tranſierit, nihil vt prorſus de proprio reſideret.

Quod ſingulariter obſeruatum habemus in illa Relatione ſummo Pontifici facta, de qua iam ſupra dictum eſt, vbi cùm relatum de ſancto Viro eſſet à ſeipſo amorem omnium rerum quæ Deus non ſunt prorſus abjeciſſe, tum paulo poſt additur, *Hanc*

in Deum Charitatem adeo puram in ſuo corde aluit retinuitque, vt etiam ſuiipſius amorem à ſe prorſus amandarit. Videretur idem dici, videretur inanis eſſe verborum repetitio, ſed non ita profectò. Nam aliud eſt ex primis quibuſdam gratiis amorem à ſe proprium primùm expellere, tùm ex abundantiori dono abundantius eundem perpurgare amorem, proſcribere, amandare. Aliud eſt dum iuuando vacas proximo, nihil præter Deum quærere; & aliud prorſus eſt, nihil in cæteris quibuſuis rebus quærere, quam proximum adjuuare propter Deum. Qui proximum eo tantum fine juuet vt Deo placeat, bene quidem operatur; ſed qui ob eundem finem nihil plane aliud in cunctis ſuæ vitæ actibus quærit, melius agit; hoc eſt enim prorſus ſeipſum totum in id vnum impendere.

Hoc eſt autem vnum quod quærebat Ignatius, ſiue ſtuderet, ſiue ceſſaret, ſiue comederet, ſiue iejunaret, ſiue oraret, ſiue laboraret: ad hoc vnum omnia referebat vt ſe ſuoſque aptius ad ſalutem animorum componeret. Hic illi vnus finis & ſcopus, non in ipſo tantum propoſitus erat opere quo iuuarentur animi: ſed in ipſo toto vitæ degendæ tempore, cuius ſingulas partes & momenta tam pure reuocabat ad hunc ipſum finem quàm ſi actu cum proximis ageret. Ex qua vniuerſali mentis intentione, ſic per omnes ſparſa vitæ actus, quis non videat quod hic potiſſimum inquirimus, in Ignatij vitæ progreſſu talem fuiſſe mentis exceſſum, & ecſtaſim, qualem in ingreſſu mirati ſumus?

Erat videlicet in illo continuo mentis ſuſpendio de quo præclare ſanctus Gregorius ad illa Verba Iob, *Elegit ſuſpendium anima* (Iob. 7.)
mea, & mortem oſſa mea. OMNE inquit, *quod ſuſpenditur procul-* (l. 8. Mor. 14.)
dubio ad imis eleuatur: anima igitur ſuſpendium eligit vt oſſa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta ſubleuat, omnem in ſe fortitudinem
(6. Mor. 17.) *vitæ exterioris necat.* Et alibi: *Machina mentis, vis eſt amoris, quæ hanc dum à mundo extrahit, in alta hominem ſuſtollit.* Et rurſum:
(28. Mor. 1.) *Pondus quoddam eſt quod omnem animam quam replet, leuet.* Atque
(Ez. 8.) etiam expreſſius in illud Ezechielis: *Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me Spiritus inter terram*
(31. Mor. 7.) *& cælum:* QVIA inquit, *cum noſtra mens ſeſe per cuſtodiam colligit, vis ſuperna ſurſum nos ab infimis trahit: bene vero inter terram & cælum ſubleuatum ſe aſſerit quia quilibet ſanctus in carne mortali*

Digitized by Google

poſitus, plene quidem adhuc ad ſuperna non peruenit, ſed tamen ima dereliquit.

Quod non tantùm de contemplatione dictum à ſancto Patre intelligas, ſed multo magis de actione ſeu de vita mixta ſic Idem ſanctus Doctor declarat ad illud quod in libro Iob legitur: *Sta & conſidera mirabilia Dei: SVNT nonnulli quippe qui Dei miracula iacentes conſiderant, quia operationis eius potentiam non ſequentes admirantur; ſæpe quidem ſuperna iudicia mirantur, prædicamenta cœleſtis patriæ cum audiunt diligunt, mira opera internæ diſpoſitionis obſtupeſcunt: ſed tamen amando & viuendo ad hæc eadem opera aſſurgere negligunt. Iacentes ergo Dei miracula conſiderant qui eius potentiam ſciendo penſant, ſed viuendo non amant. Per contemplationem quidem in conſideratione oculos tendunt, ſed tamen per intentionem ſeſe à terra non erigunt, vnde benè In Balaam exprobratione dicitur, qui cadens apertos habet oculos.* Ib. 37.

Quod eſt itaque reſpectu iacentium *ſtare*, vel comparatione ſtantium *ſurſum erigi & ſuſpendi*, hoc eſt quod egit & quod fuit toto vitæ progreſſu Ignatius. Vnde quo alio aptiori vocetur nomine hic progreſſus, quam continuus mentis exceſſus?

Denique, ſi quid hanc in rem, vltrà deſideres, percurre Virtutes eius omnes ſiue Theologicas ſiue Morales, ex quibus tota eius vita contexta eſt; & quàm manifeſte videbis totas in exceſſu eſſe, tam erit facile de toto eius vitæ progreſſu, prorſus idem concludere.

Fides, vt ordinariè ſolet exerceri ſic credenda credit, ſicut & Spes ſperanda ſperat quæ ſunt ſcilicet à Deo reuelata qui eſt prima veritas, & à Deo promiſſa qui eſt ſumma bonitas & potentia, qui tam potens eſt in faciendo quàm fidelis in dicendo. At quando credenda & ſperanda tot ſunt circumſepta difficultatibus & pene ſimul oppoſitis inuoluta obſtaculis, vt quantum ex vna parte eſt quod credas & quod ſperes, tantum ex alia videtur eſſe quod non credas neque ſperes, tunc profecto Fides qua creditur, & Spes adjuncta qua ſperatur, dicuntur in exceſſu eſſe, ſeu excedere modum credendi ac ſperandi communem, quia non ſic in aliis ordinariè ſibi obſtant credenda & ſperanda. Talis fuit Abrahami Credentium Patris fides & fiducia, quod *contra ſpem in ſpem crediderit,* Rom. 4. vt loquitur Apoſtolus, contra ſpem ſcilicet ſuſcipiendæ prolis quia ſe videbat & Saram conjugem extra potentiam eius haben-

Digitized by Google

dæ, ſperauit tamen & credidit Deo promittenti, quod eſt eximiæ fidei.

Hæc autem prope eſt fides Ignatij, hæc in Deum conſtans eius fiducia, quando in ſuo mentis exceſſu de Infidelibus, atque vniuerſim de cunctis peccatoribus conuertendis conſilium cæpit & ad fœliciſſimum perduxit exitum. Quanta, vt diximus, erant obſtacula tanti conſilij? Quis crederet ignarum hominem, eò vmquam peruenturum? Quis imparatus ab illo ſubſidio quod ad tale opus omnino eſt neceſſarium, ſperaret ſe opus aliquando perfecturum? Et tamen credidit, credidit ſe à Deo vocari tale in opus, & non obſtantibus quæ tam multa ſe ingerebant retinaculis, ſperauit futurum quod euenit. Exceſſus fidei eſt, exceſſus ſpei eſt. *In Deo meo* Pſ. 17. *tranſgrediar murum:* ſuprà quàm fieri poſſe videtur, faciam.

Charitatis in Deum vel proximum hic ſummus eſſe videtur actus, ſi quantum vitæ eſt, totum in Diuinum effundatur obſequium. Quid vltra faceret qui nihil vltra videtur poſſe? At Ignatij Charitas non modo totum quod eſt vitæ propriæ Deo glorificando & proximo beatificando conſecrat, ſed modum inuenit quo talem ad finem tot homines ſeſe Deo ac praximo dedant quot ipſius inſtituto poſſunt adjungi per conſequentes & numquam niſi ad æternitatem deſituros annos: quotue adjuuari poterunt, eorum continuis & non ceſſantibus vbique locorum obſequiis & ſacrificiis. Exceſſus eſt Charitatis quæ cum illa tantum quæ poteſt debeat, facit ſe debitricem omnium in quæ non poteſt temporum.

Temperantis eſt animi, nullas exquirere delicias, paucis eſſe contentum, ſoli ſeruire neceſſitati, ſi quæ contingant aſpera, libenter ferre, aut etiam ſibi vltro interdum accerſere. Quis in hoc porro virtutis genere fuerit Ignatij animus, ſic eius vitæ Scriptores referunt: *Totam Hebdomadam excepto die Dominico, iejunabat, pane emendicato ſimplici, & aquâ contentus: humo nudâ vel aſſeribus nullâ re ſtratis, inter mendicorum quiſquilias cubabat: cibi ac ſomni parciſſimus, cilicio aſperrimo, & prætereà catena ſeu cingulo ferreo carnes atterebat: capite & pedibus initio nudis, & ſine vllis calceis; Deinde cum ſtudiis daret operam, ſoleis calceorum perforatis, vtebatur. Itinera hyeme ſæuiente ſemiamictus faciebat, quamuis è cælo denſa nix caderet, ac triſti gelu cuncta inhorreſcerent. Singulis quoque diebus ter ſeſe flagellis etiam ferreis, quam acerrime cædebat: & conſtanter id omne refugiebat, quod aliquam poſſet afflicto corpori delectationem vel le-*

Digitized by Google

uamen afferre. Itaque cùm eſſet decoro vultu, & egregiâ totius corporis firmitate, fractis paulatim viribus, omnis ille vigor acerrimi bellatoris, & forma viridis Iuuentæ prorſus elanguit. In extrema deinde ætate, pœnitentiarum ſeueritate, ſtudiis, laboribus, maliſque aſſiduis fracta, etſi ea victum exigeret meliorem, cibi potuſque fuit parcus adeò, vt domeſtici obſtupeſcerent, & guſtatum funditus perdidiſſe videretur, niſi ſi quando pauculis veſceretur caſtaneis, quæ in Italia & Hiſpania, mendicorum cibaria ſunt.

Nonne hæc ſunt virtutis exceſſus? Et quidem exceſſus tam manifeſtus vt quia nimius exceſſus eſt, vitij potius videatur exceſſus quàm virtutis. Nam cùm virtus in medio ſit poſita quod inter extrema duo continetur, quorum alterum exceſſus eſt, & alterum defectus dicitur, Nonne perinde virtus læditur ſi cadas in exceſſum, ac ſi labereris in defectum? Sed reſpondetur ex Diuo Thoma Medium illud eſſe varium pro varierate perſonarum, & finium propter quos virtus exercetur. Sic enim fieri poteſt vt quod vni erit exceſſus vitioſus, non erit exceſſus alteri, vel erit exceſſus virtutis: quod non poteſt aptius declarari quàm in ſancto Ignatio qui cùm omnem virtutem exerceret eo fine vt vocanti ſe Deo ad animarum ſalutem reſponderet, ſeque idoneum tanti operis redderet adminiſtrum; rationi conſonum & Diuinæ Iuſtitiæ congruum iudicabat ſic ſe omnibus cruciare modis tum vt præteritæ vitę contractas elueret maculas plenius, tum vt nouo ſtatui ſe conformans, inciperet à ſeipſo quod aggrediebatur munus conuertendi peccatores, atque in ſeipſo id totum ſimul experiretur quod poſtea ſingulis accommodate per partes diſtribueret, fieretque illud in praxi quod iam ante audiuimus ex Apoſtolo, *ſiue excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus, vobis.* Exceſſus noſtros aiunt Sancti, non humano ſed Diuino metimur Iudicio, cuius ſi ſtatera ponderamus quid à nobis velit Deus & à vobis, quod vobis exceſſus eſſet vitij, nobis eſt exceſſus virtutis.

[Margin: 1. 2. q. 64. a. 2.] [Margin: 2. Cor. 5.]

Quod ſi attente conſideraſſent hi qui facta ſancti Ignatij voluerunt in inuidiam trahere, non eſſent opinor auſi nomen eius violare. Quidquid enim contra effutiunt, in exceſſum virtutis eius totum effunditur. Nimiam eius carpunt prudentiam, nimiam fortitudinem, nimiam religionem, nimium zelum, nimiam denique virtutem omnem, quam idcirco probro vertunt quia nimia quia extrema quia exceſſus eſt: ſed recogitent in quo virtutis me-

Digitized by Google

dium ſit poſitum, & intelligent ſic Ignatij virtutem in exceſſum abiiſſe, vt ſuum numquam deſeruerit medium.

At vide Lector, quonam ſit deuoluta oratio, vt iam nobis virtutum Ignatij non ſit demonſtrandus exceſſus, ſed cùm ipſis pateat aduerſariis, declaranda potius eſt ratio cur talis exceſſus fuerit; Nempe ſic exigebat ille finis quem ſibi Diuinitùs propoſitum ſentiebat de ſalute omnium procuranda, ex quo fine cum omnes eius elicerentur virtutes, tam excelſas & ſublimes illas eſſe oportebat quàm finis ille ſublimis eſt & excelſus.

Videretur quidem ex vna parte, tam ſublimem & excelſum finem obſtare poſſe, quò minus tam perfectæ virtutes poſſent exerceri, cùm in eo fine attingendo tam multa Religioſos diſtrahant vt religioſæ diſciplinæ vix ſatisfaciant. Sed cum ex alia, ſic ſibi ſuiſque ſanctus Religionis Inſtitutor ſapienter prouiderit vt ſe ab humanis in Diuina totos erigerent: quæ aliis eſsent obſtacula, ſibi media faciunt & adjumenta ſuo fini conſequendo; neque minus religioſè & ſolitarie mediis in ipſis viuunt turbis, quàm ſi deſertis

Thre. 3. in locis viuerent. *Sedebit* quippe *Solitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.* Quod Prophetæ Dictum ſi de Viro ſolitariam agenti vitam, intelligendum eſset, videretur potius dicendum fuiſse à Propheta, *quia ſedit ſolitarius & tacuit, leuauit ſuprà ſe:* nam ſolitudo & taciturnitas ſunt cauſæ cur tale genus hominum ſe ſupra ſe leuet: ac proinde non tam de illo Scriptura loquitur quam de viro mixtam agenti vitam, in quo ſublimi vitæ genere quia leuauit ſuper ſe, idcirco ſedebit ſolitarius & tacebit; Id eſt, tametſi viuat inter homines, viuet tamen perinde ac ſi eſset ſolitarius; & loquetur perinde ac ſi taceret, nam ſupra quàm homo ſolet viuere vel quàm ſolet loqui, viuet ille & loquetur.

Vultis tandem videre quàm perfectè Ignatius hoc excellenti modo ſederet ſolitarius & taceret? Videte poſtremum eius vitæ actum, quod eſt etiam tertium & poſtremum Caput vnde vita eius ecſtatica tota eſse demonſtratur, nempe in egreſsu vitæ ſicut fuit in ingreſsu & progreſsu.

Non dubitarim ego quidem quin deficiente vita, duos illos priores exceſsus mentis de quibus dictum eſt, excellentius ſenſerit, cum ſibi reuelatam habuerit fœliciſſimam illam horam, qua exutus mortali corpore, frueretur Deo ſuo plenius & amantius, ſed in tertio duntaxat hæreamus mentis exceſsu qui ad

Digitized by Google

opus refertur ſupra communem operandi ſiue agendi morem. Quid magis ſolitum ac commune ſanctis Ordinum Fundatoribus quam inſtante morte ſuos omnes conuocare, amplecti, admonere, & poſtremis quæ acutius pungunt, vrgere ad virtutem Verbis? Quod ſane laudabiliter multi præſtiterunt, ſed hanc tamen laudem fugit Ignatius, nulli ſuum quem proxime ſibi norat inſtantem obitum, cuiquam prænuntiat, præterquam vni quem è tota domo elegit vt ſuo nomine ſummum adiret Pontificem, qui ſibi proximè morituro plenariam impertiri dignaretur indulgentiam. De cætero, cùm nihil etiam grauius nec ipſis medicis appareret quo inſtare illud tempus videretur: en ſe vnum cum vno Deo ſeruat: en ſolitarium & tacentem ſe ſolo ſpectante cœlo, mori prælegit: en cunctis abſentibus, & iis etiam qui ægroto ſolent adhiberi vigilibus, placidiſſimam cum Domino IESV noctem tranſigit, & poſtremum diem claudit.

Si palam ſibi moriendum eſset, optaret ſane palam vniuerſo mundo tanquam reum pro Chriſto mori. Sed quandoquidem hoc publicum & infame moriendi genus negatum eſt, morietur quo poteſt obſcuro mortis genere, vt omnem à ſe laudis & honoris ſplendorem amoliatur, non ſe Patrem, non ſe Fundatorem, non ſe Authorem ordinis audiat à filiis vel fratribus conclamari, deplorari, & paternam rogari benedictionem. Quaſi vnus aut non quaſi vnus ex illis pro nullo habeatur, & corpus etiam exanime procul ab aliorum ſepultura in ſterquilinium projiciatur. O vere mentis exceſsum quantus haberi poteſt in ſupremo vitæ exceſsu! Quod vnum in peſtilentia timent omnes acerbius ne ſolitarij moriantur, hoc acerbum mortis genus mauult Ignatius quam illuſtre & glorioſum, ne quid vel tantillum viuens aut moriens humanæ concedat cupiditati, quam prorſus mortuam & in holocauſtum penitus Deo datam ad extremum vſque ſpiritum conſtantiſſime conſecrauit.

SED numquid verendum eſt, ne dum altius illum qui ſe ita depreſſit euehimus, hunc etiam à nobis longius diſtrahamus, nec poſſimus eum imitando ſequi, quem tamen in exemplum nobis proponimus? Non eſt, mi lector, non eſt, quod hac in parte vereamur: nam quo in eminentiori loco virtus ſancti Ignatij poſita fuerit, eo erit non modo ad venerationem illuſtrior,

Digitized by Google

ſed ad imitationem paratior : Vnde illud tandem conficietur, quod propoſita Veritas continebat, vt licet vita S. Ignatij tota ſic exſtatica, tota ſit tamen exemplaris. Ratio hæc eſt ſcilicet inter alias, quod illa vita eſt magis exemplaris quæ nos ad magnam ſanctitatem facili via ducit. Duo hæc ſimul inuicem iungi debent. Nam ſi vulgaris eſt ſanctitas quantumcumque via ſit facilis, non eſt multum exemplaris vita. Sit verò magna ſanctitas, nec ſit ad illam via facilis, vix erit qui non refugiat difficultatem. Cum autem illa duo concurrunt, vt ſit exquiſita ſanctitas, & via facilis ad illam pateat, quis tùm illuſtre non videat exemplar vitæ? Hoc eſt autem quod euidenter patet in vita ſancti Ignatij, cuius ſanctitas in hoc vno præſertim elucet, in quo eſt vera & ſumma ſanctitas, nempe in fine ſpectando quo à Deo vocaretur, ſiue quod idem eſt, in vna Dei voluntate fideliter adimplenda. Modus autem quem præſertim adhibuit, hic eſt vt quæcumque media forent aptiora, conquireret, & quæcumque ſe offerrent, ac quidquid demùm ageret, eò totum purè referret, vt finem illum propoſitum attingeret, vt Diuinam illam voluntatem adimpleret. Quid præſentius ? Quid facilius ? Quid opportunius nobis ad imitandum ? Sicut enim ſanctus Ignatius non eſt ita ſanctus quod militiam deſeruerit ſæcularem, quòd ſtudiis inferioribus ſe grandæuus addixerit, quod multa denique vel egerit vel paſſus ſit, quàm quod purè propter Deum cuncta egerit, propter eius voluntatem, propter ſalutem proximi, quæ ſignificata erat Dei voluntas : Sic plane noſtra eius Imitatio non ita verſatur in his rebus præſtandis quas præſtitit, quam in quibuſuis noſtris ordinariis & domeſticis eodem quo ille fine, digerendis. Non enim à nobis eadem Deus quæ ab Ignatio voluit fieri : ſed quæ à nobis vult fieri, vult eodem recto fine à nobis fiant quo Ille ſua præſtitit.

Quod quanti ſit apud Deum meriti, quantumuę præſtet ad veræ ſanctitatis augmentum, & optatam omnibus facilitatem, ſic Societatis Hiſtoricus ſapienter obſeruauit : *Cum enim in actione honeſta, non ſpectanda ſolum materia ſit, ſed etiam modus & finis, ex quibus rei quidem per ſe bona honeſtas amplificatur, mediæ autem impertitur · cum hic ſanctus vir non modo res præſtantiſſimas ratione ſumma tractaret, ſed medias quoque & quotidianas vitæ neceſſitates, ad prudentiæ normam diligentiſſime exigeret, & ad finem altiſſimum erigeret ;*

geret; quaſi mercator, qui non pretioſarum modo mercium magna exerceret negotia; ſed viam inueniſſet, qua & quam minima faceret impendia, & quidquid attingeret faceret pretioſum, haud dubiè tot annorum aſſidua cura, theſaurum quendam prope inæſtimabilem Diuinæ gratiæ, recteque factorum congeſſit. Ex eodem metiendum eſt capite, quantos in perfecta virtute progreſſus habuerit. Cum enim ad inſignem progreſſum quolibet in ſtudio neceſſaria ea ſint, primum vt finis, ac terminus prænoſcatur: deinde vt recta ineatur via: ne ſi in incertum, vel per ambages erretur, ſit labor itineris, non profectus: poſtremo vt aſſiduitas, conatuſque progrediendi apte adhibeatur: qui totum vitæ Ignatij curſum animo luſtret, non obſcure hæc illum ſingulari Dei beneficio præſtantiſſime omnia adeptum ſentiet. Non errore viæ per ambages vagatus eſt; non ignoratione optimi defatigatus circa media, ſed ipſo ſtatim mutatæ vitæ exordio ab ſummo inchoans, ſimul vbi conſideret abſoluta virtus, ſimul rectam viam Deo monſtrante didicit, ſimul denique eam incitatiſſimo capeſſiuit impetu, quem quinque, & triginta annis non relaxauit vnquam, ſed continenter magis, magiſque contendit.

Sic itaque noſtro in ſtatu contendamus, ſic finem noſtrum attingemus. Quid potentius ad hanc contentionem excitandam? Nam in hoc fine attingendo & ſumma eſt noſtra ſanctitas, & ſumma ſanctitatis facilitas. Summa eſt inquam ſanctitas, quia ſic Diuina voluntas efficitur quæ eſt noſtra ſanctificatio: ſumma eſt autem ſanctitatis facilitas quia non aliud quam quod agimus quæritur, ſed aliter tantum fiat, non humano, ſed Diuino ductu ac fine. Qua de re cum ſint expreſſæ alibi Veritates, ſatis hîc modo ſit eas indicare.

Non aliud, ſed aliter.

In 1. parte, Die 7. Ianuarij.

Non quidquid Chriſtus egit, ſed quomodo.

In 2. parte, Feria 4. Cinerum.

Quam glorioſa eſt ſimilitudo Chriſti, tam glorioſa eſt obedientia.

In 3. parte, in fine, vbi de votis.

DE EODEM SANCTO, AD HÆC VERBA ISAIAE 49.

Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Quanto ſalutem omnium ſtudio procurauit ſanctus Ignatius, tàm ſtudioſi omnes Illius eſſe debent quibus eſt curæ ſua ſalus.

RATIO EST, Quia quanto hic ſalutem omnium ſtudio procurauit ſanctus Ignatius, tam potens eſt in cælo præ aliis ad eorum ſalutem promouendam qui fuerint ipſius ſtudioſi, quiue ad Illum propterea ſtudiosè recurrerint adjuuandi.

Sed quibus eſt curæ ſua ſalus, tam ſtudioſos eſſe par eſt illius Sancti, quàm potens eſt in cælo præ aliis ad eorum promouendam ſalutem.

Ergo quanto ſalutem omnium ſtudio procurauit ſanctus Ignatius, tam ſtudioſi omnes Illius eſſe debent quibus eſt curæ ſua ſalus.

DISCVRSVS non minus eſt facilis quàm vtilis. Prima propoſitio continet dogma commune de diuerſis Sanctorum meritis quibus par in cœlo reſpondet gloria, beatitudo, potentia, & ſingularis quædam efficacitas ad certas quaſdam hominibus communicandas gratias quas alij non conferrent. Sic vſitatum in Eccleſia cernimus, vt vel pro certis malis depellendis vel bonis quibuſdam impetrandis, ad vnum è Sanctis potius quam ad alium recurratur, quia videlicet hæc illi ſingularis à Domino data eſt Gratia & Potentia vt ſic colatur Sanctus in Deo, & Deus in Sancto glorificetur. Sic autem dicitur illa ſingularis Sancti potentia ipſius

meritis reſpondere, quatenus inter ſe habent quandam analogiam & ſimilitudinem, vt qui dum viueret, miſericordiæ, caſtitatis aut alterius virtutis & bonorum operum laude præcelluerit, parem in cœlo vim habeat ſimilis gratiæ conferendæ. Vide ſanctum Bernardum ſermone de ſancto Nicolao & de aliis ſanctis.

Cum itaque ſanctus Ignatius dum viueret, ſingulari ſalutem omnium ſtudio procurarit, quod facile eſt ex eius vita declarare, plane id ſequitur vt modò in cœlis, tantum præ cæteris poſſit in hoc genere beneficij conferendi, quantum in terris excelluit bene merendo de omnibus, & omni ſtudio ſalutem proximi conquirendo. *Euge ſerue bone & fidelis quia ſuper pauca fuiſti fidelis,* *Matth. 25.* *ſuper multa te conſtituam.* Hæc eſt videlicet remuneratio multiplicati talenti, vt in quo quis adminiſtrando fidelis fuerit, fiat potentior in eo diſpenſando. Quod & alia Parabola Dominus ex- *Luc. 19.* preſſum nobis voluit paulo diſtinctius, cum ſic negotiantem ſeruum inducit rationem ſuæ negotiationis reddentem: *Domine, Mna tua decem mnas acquiſiuit. Et ait illi: Euge bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates. Et alter venit dicens, Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait, Et tu eſto ſuper quinque ciuitates. ANIMAE ſignificantur,* inquit ſanctus Ambroſius, *quibus iure præponitur, Sicut enim Angeli præſunt, ita qui vitam meruerunt Angelorum.*

SECVNDA propoſitio eſt euidens ipſo naturæ lumine, confirmari vero etiam poteſt tùm ſanctorum Patrum dictis, tum piorum exemplis hominum qui ſua vota his potius deferunt, à quibus ſperant certius ſe quod orant obtenturos.

Sic apte Diuus Ambroſius ad ſanctos Petrum & Andream, qui *In 4. Luc.* primi ex omnibus ſua reliquerunt omnia, recurrendum ait pro cupiditatibus noſtris reprimendis, *Ama,* inquit, *propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent: & recedant cupiditates tuæ Verbo Dei pulſæ.* Quaſi diceret: Illi ſunt præcipue adeundi qui ſunt in dono quod poſtulas conferendo præcipui.

Sic itaque, ſi tibi curæ eſt tua ſalus, ſtudioſum te Illius Sancti exhibe, qui quantum in terris ſaluti omnium procurandæ ſtuduit, tantùm in cœlis modo poteſt eam procurare omnibus ſibi ſtudioſis, demerendo illis gratias efficaces, quas alioquin forte non accepiſſent & quarum defectu periiſſent.

Digitized by Google

O gratiæ nullis ſat dignis quæſitæ precibus : ô gratiæ nullis ſat multis obtentæ votis!

Die 4. Auguſti.

IN FESTO S. DOMINICI, ORDINIS FF. PRÆDICATORVM FVNDATORIS.

Surrexit quaſi ignis , & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Ecclesi. 48.

VERITAS PRACTICA.

Nec lucére tantùm , nec ardere tantùm : ſed vtrumque ſimul.

SENSVS EST, *Quod ſicut lucere tantum niſi ardeas parum eſt ; ita & ardere tantum niſi luceas , non eſt ſatis ; ſed ſimul oportet lucere & ardere.*

RATIO EST, *Quia idcirco lucere tantùm , niſi ardeas parum eſt , quod lux ſine ardore nec aliis proſit & lucenti noceat.*

Sed ardor ſine luce nec prodeſt etiam aliis , & ardenti ſæpe nocet.

Ergo nec lucére tantum nec ardere tantum. Sed vtrumque ſimul.

Sicut Elias de quo eſt Scripturæ Textus propoſitus : Sicut ſanctus Ioannes Baptiſta de quo Dominus, *Erat* , inquit , *lucerna ardens & lucens* : & ſicut ſanctus Dominicus cuius ſanctiſſima vita , lux ardens fuit & ardor lucens, in vniuerſo terrarum orbe. (Ioan. 5.)

I. PVNCTVM.

QVALES quantique futuri ſint aliquando Viri quidam Illuſtres , nonnulla ſolent ſigna portendere. Tale illud fuit quod narratur de Matre ſancti Dominici , quæ cum grauida eſſet , ſibi viſa eſt in quiete continere in aluo catulum ore

Digitized by Google

præferentem facem, qua editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Cui Diuino portento ſic vniuerſalis Eccleſia ſuffragatur, vt minime dubitet dicere, *Hoc ſomnio ſignificatum, fore vt ſplendore ſanctitatis ac doctrinæ, gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur*; additque Veritatem exitu comprobatam, *id enim & præſtitit per ſe & per ſui Ordinis Socios deinceps eſt conſequutus.* Quo Eccleſiæ teſtimonio quid illuſtrius & luculentius?

Hanc inſignem Vitæ commendationem ſuo etiam nomine videbatur præferre. Quod eſt enim ſignificatione Dominicus, hoc reipſa erat Vir totus Domini IESV, totus in Eius obſequium impenſus & expenſus. Quærit ſanctus Thomas, an ipſe Chriſtus vocari poſſet homo Dominicus, & negat poſſe, quia ipſe eſt Dominus; *Sed quæ ad Illum ſpectant*, inquit, *hoc efferuntur nomine, vt caro, voluntas & paſſio Dominica*; Vnde & nos Dominicum diem dicimus qui colendo præcipue Domino totus addictus eſt; & Antiqui Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, breuiori & vſitatiori nomine *Dominicum* nuncupabant. O illuſtre nomen! ô illuſtrem nomine Virum, ſed & reipſa illuſtriorem qui vita ſua refert quod nomen profert. *3. p. q. 16. a. 3.*

Verùm vt hæc diſtinctius illuſtrentur, reuocari hûc debent quæ iam ſuprà ex ſancto Bernardo relata ſunt, aliud eſſe lucere tantum, aliud ardere tantum, & aliud lucere ſimul & ardere. *Eſt enim*, inquit, *tantùm lucere, vanum : tantùm ardere, parùm : Lucere & ardere perfectum.* Ex quibus ſancti Patris Verbis quantæ ſanctitatis & perfectionis fuerit ſanctus Dominicus licet colligere, nam ſi lucere ſimul & ardere perfectum eſt, certe quo quis luxit ſimul & arſit vehementius, ille cenſendus eſt perfectior : Talis autem fuit ſanctus Dominicus vt & primo luxerit tanta doctrina ſcribendique peritia, cui nulla par eſſet : Deinde vero ſic ardebat dicendo, vt omnes ab impietate reuocaret ad verum Dei cultum. *Serm. de S. Ioanne.*

Numerata ſunt hominum centum millia quæ in vna Galliæ Prouincia, ſuis ſacris concionibus ad meliorem conuertit frugem. Tùm ne in vno tantùm laboraret loco, vel aliquo duntaxat tempore, ſcripſit librum contra errores ſui temporis, vt vbique & ſemper prodeſſet omnibus, cùmque aduerſarij ſuos item libellos ventitarent, hanc illis optionem propoſuit ſanctus Pater, vt omnes ex vtraque parte libri compoſiti conjicerentur in ignem, & qui

Digitized by Google

liber conſumptis aliis reperiretur integer, ille ſanam doctrinam contineret; qua optione capta, ſolum Dominici librum ſic flammæ ſunt reueritæ vt ipſam libri doctrinam & Viri ſanctitatem ad omnes conſequentes annos prædicarent.

Erat videlicet Sacratior quidam Ignis in ſancti Dominici Verbis ac Scriptis, cui noſtras inferior tanta facilitate cederet, quanta Creatori creatura. Erat quippe Diuinus ille ignis quem Dominus venerat in terram mittere, atque vt accenderetur vel maxime deſiderabat. Quamobrem quàm Chriſto carus eſſet Dominicus, vel ex hoc vno liceret cogitare quod ignem illum vbique locorum accenderet cuius accendendi deſiderium erat Chriſti ardentius. Quid enim carius cuiquam eſſe poteſt quam vt illud obtineat quod vehementius optat & ſanctius? Iam non miror ſi tantùm Dominico Chriſtus deferret, vt cum paratus eſſet Chriſtus vniuerſum delere orbem, ob infames quæ tùm vigebant cupiditates, ſolo Dominici ac Franciſci tum viuentis intuitu, poſuerit manu tela & incendia, ſeruaritque mundum incolumem in hanc vſque diem.

Luc. 12.

Certe illi noſtra debet Gallia quod grauius à ſe malum depulerit, & quod bonum optabilius impetrarit. Depulit enim hæreſim tùm graſſantem, quo malo nullum eſt pernicioſius: & impetrauit Regem ſanctum Ludouicum, quo bono non eſt aliud in regno melius. O ſi nobis hæc conferretur gratia, vt quod in mente pejus eſt deperiret: & quod melius eſt vel daretur vel augeretur! Exprome affectum Sancto: Atque vt ipſum quoquo modo imiteris, expende Veritatem propoſitam; Adjunge authoritati & Exemplo ſanctorum, Rationem allatam, cur lucere vel ardere tantum non ſufficiat. Nempe neutrum ſeorſim habitum prodeſt aliis, & habenti nocet.

Ac primò quidem lucere tantum quid eſt, niſi apparere hominibus, niſi doctum & peritum videri: niſi ex his eſſe quibus dicebat Dominus, *Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, Ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* Sic aptè ſanctus Bernardus, *Væ nobis fratres, ſi luxerimus tantùm. Nam lucemus quidem & magnificamur ab hominibus, ſed mihi pro minimo eſt, vt ab humano iudicer die. Qui enim iudicat me, Dominus eſt qui feruorem ab omnibus exigit, ſplendorem verò non item.* Sicut itaque lucere tantùm, idem eſt ac docere, & doctrinæ famam ſibi potius conci-

Luc. 11.

Serm de S. Ioan.

liare quam probitatis: ſic plane qui ſic dicunt & non faciunt, nihil aliis proſunt qui magis mouerentur factis & exemplis quàm dictis; quin potius & ipſis valde nocent, quod, vt ait ſanctus Iſidorus, *Interdum Doctoris vitio, etiam ipſa vera doctrina vileſcit: quia dum non viuit, ſicut docet, ipſam quam prædicat veritatem contemptibilem facit.* *SI non habueris opera*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *non tantum loquens non profuiſti, ſed & potius læſiſti. Melius eſt tacere. Quare? Quoniam opus mihi reddis impoſſibile. Cogito namque quod ſi tu tanta diſſerens non efficis, multò magis ego venia dignus.* L. 3. de Summo bono c. 37. Hom. 38. ad Pop.

QVANTVM vero ſibi ipſis noceant, ſic Idem acute & grauiter: *Bene viuendo & bene docendo, populum inſtruis quomodo debeat viuere: Benè autem docendo & male viuendo, Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare.* Nempe *Ille ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Hom. 43. in Matth. Luc. 12.

II. PVNCTVM.

SED *ardor ſine luce nec prodeſt etiam aliis, & ardenti ſæpe nocet.* Hoc eſt enim velle mouere alios antequam doceas quale ſit illud ad quod impellis; Quæ mera eſt cæcitas & labor caſſus & damnum illud ingens quod indicabat Dominus: *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* DICEBATQVE ſuis: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, Euntes docete omnes gentes docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quomodo enim ſeruabunt tam difficilia, niſi credant? Aut quomodo credent niſi doceantur & diſtinctè inſtruantur de omnibus? Aut denique quomodo docebuntur niſi tu lucem præferas? *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Nam ſi dilucide ſcirent homines quanto in ſalutis verſentur diſcrimine, cùm Euangelicis non ſe conformant conſiliis & præceptis, forte cauerent attentius; atque idcirco Apoſtolus tam crebro & frequenter: *Hoc ſcitote*, inquit, *intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus*, & quæ proſequitur, quaſi diceret, & ſciant omnes nos docere quæ cauenda ſunt, & intelligant quæ docemus vt caueant. Matth. 15. Marci 16. Matth. 28. Iſ. 5. Epheſ. 5.

Quod idem vt facerent ſui Timotheus, Titus & alij cùm tri- 4 Doct. Chr. c. 16.

bus datis ad ipſos Epiſtolis vehementer inculcet, idcirco ait S. Auguſtinus, *Tres illas Apoſtolicas Epiſtolas ante oculos habere debet cui eſt Doctoris perſona impoſita. Neque tantum vt Dicentem auditores audiant, ſed vt plane intelligant quid dicat*; Sic paulò ante Idem ſanctus Doctor, *Qui docere vult*, inquit, *quamdiu non intelligitur; nondum ſe exiſtimat dixiſſe quod vult, ei, quem vult docere: quia etſi dixit quod ipſe intelligit, nondum illi dixiſſe putandus eſt, à quo intellectus non eſt: ſi vero intellectus eſt, quocumque modo dixerit, dixit.* Quæ paucis dicta fuſiſſime proſequitur ſanctus Gregorius ad illa Verba Iob, *Quis dedit gallo intelligentiam? GALLO*, inquit, *Intelligentia deſuper tribuitur quia Doctori Veritatis, virtus Diſcretionis, vt nouerit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, Diuinitus miniſtratur. Non enim vna eademque cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas aſtringit.* Tum pergit copioſius id declarare; Ex quibus aperte patet quàm parum aut nihil aliis proſit ardor ſine luce, cum niſi luceas & vnumquemque accommodate & opportune doceas, Zelum Dei forte habeas, ſed non ſecundum ſcientiam: qui zelus indiſcretus & inordinatus dicitur, quo quidem nihil pernicioſius & ipſis Zelatoribus euenire poſſe affirmat ſanctus Bernardus, vt ſupra iam dictum eſt: *Facillime*, inquit, *Zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas. Nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam ſi efficere poſſit vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.* Et alibi, ad hæc ſponſæ Verba, *Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me Charitatem.* Omnino neceſſarie: *Importabilis ſiquidem abſque ſcientia eſt Zelus. Vbi ergo eſt vehemens æmulatio ibi maxime diſcretio eſt neceſſaria quæ eſt ordinatio Charitatis. Semper quidem Zelus abſque ſcientia, MINVS EFFICAX, MINVSQVE VTILIS INVENITVR; PLERVMQVE AVTEM ET PERNICIOSVS VALDE SENTITVR.*

Ib. c. 12.

Iob. 38.

30 Mor à 4 capite ad ſeq.

Serm. 19 in Cant.

Serm. 49.

Quid clarius ad rem noſtram? Aut ſi quid vltra deſideres, Vide in 2. parte, Feria 2. Quinquageſimæ, vbi hæc explicatur Veritas:

Scientia ſine zelo, arma ſiue milite: zelus ſine ſcientia, miles ſine armis.

III. PVNCTVM.

III. PVNCTVM.

N*EC igitur lucere tantùm, nec ardere tantùm : ſed vtrumque ſimul,* ad exemplum ſancti Dominici, qui ſtudebat quidem vt luceret, ſed in libro Charitatis ſtudebat, vt arderet ſimul ac luceret; ſicque mirabiles illos fructus retulit cùm ad propriam ſuam perfectionem, tum ad proximorum ſalutem, qui enarrantur fuſius in Eius vita, & quibus hi priuantur qui tantum lucent aut tantum ardent; quia tantum lucere vanum eſt, & tantum ardere, periculoſum : Non ſolæ linguæ nec ſolus ignis in Diſcipulos congregatos deſcendit, ſed linguæ igneæ vt docendo lucerent ſimul & arderent. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, dicebat Dominus, non vt vos tantum audiant, *ſed vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Quod vtrumque præclare apud Prophetam exprimitur; *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius : in pace & in æquitate ambulauit mecum, ET MVLTOS AVERTIT AB INIQVITATE. Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius : quia Angelus Domini exercituum eſt.* *Act. 2.* *Matth. 5.* *Malach. 2.*

Vide quid horum in te deſit. Forte minus audes dicendo, & minus audes arguere delinquentes, quapropter audi rurſus ſanctum Bernardum : *Ferueat etiam in nobis zelus iſte, Cariſſimi, Ferueat amor Iuſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo vitia palpet, peccata diſſimulet nemo, nemo dicat, Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Nemo quod in ſe eſt, æquanimiter ferat cum viderit ordinem deperire, minui Diſciplinam. Eſt enim conſentire, ſilere cum arguere poſſis : & ſcimus quia ſimilis pœna facientes maneat, & conſentientes.* *Serm. de S. Ioan.*

Videri etiam debent in 1. parte, quæ habentur in Communi Doctorum, Confeſſorum non Pontificum, & Fundatorum Religioſi ordinis. Et in 2. parte, Fer. 6. Hebdom. 2. poſt Paſcha.

Digitized by Google

IN FESTO
6. *Auguſti.* # TRANSFIGVRATIONIS DOMINI.

Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui : Ipſum audite. Matth. 17.

VERITAS PRACTICA.

Nullus eſt Chriſtianus qui non credat Chriſtum eſſe filium Dei; & vix vllus eſt Chriſtianus qui hoc verè credat.

RATIO quoad poſtremam Veritatis partem hæc eſt, quod qui non credit Chriſto in omnibus, non credit Chriſtum eſſe filium Dei.

Sed vix vllus eſt etiam Chriſtianus qui credat Chriſto in omnibus.

Ergo vix vllus eſt qui credat Chriſtum eſſe filium Dei; Quod certe eſt ſtupendum, & non ſilendum.

I. PVNCTVM.

ASSVMPSIT IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Videri poſſunt apud Euangeliſtas quæ plura de hoc Myſterio referuntur. Et in 2. parte, Dominica 2. Quadrageſimæ. Necnon in 4. parte, Feria 5. Hebdomadæ 15. Nunc vero, ad illam Dei Patris vocem, quæ tùm de nube audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,* Valde admiranda & fructuoſa proponitur Veritas, ſi quod in illa eſt præcipuum, attentè perpendatur.

Digitized by Google

Nam quod primò dicitur: *Qui non credit vniuerſim & in omnibus Chriſto Domino, non credit Chriſtum eſſe filium Dei*, ſic quidem præmitti debuit, ſed nullam habet difficultatem. Licet enim aliquī poſſint vni reſiſtere veritati cognitæ & non aliis ſimul propoſitis, tamen ordinatie loquendo ſi quis non credit Chriſto loquenti, vix alia poteſt eſſe cauſa, quàm quod non credat eſſe vera quæ dicit Chriſtus: ſi enim vera eſſe crederet quæ Chriſtus dicit, tum certe Chriſto crederet, cùm alicui credere nihil aliud ſit quam id eſſe verum quod dicit credere: Vnde à contrario non alicui credere nihil aliud eſt, quam non credere verum eſſe quod dicit: *Quod ſcimus loquimur*, aiebat ipſe Dominus, *& quod vidimus teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Quaſi diceret, nihil vobis dico quod non ſciam eſſe verum: vos vero ſi verum illud eſſe non credatis, neque mihi credetis. Nunc autem quod qui non credit vniuerſim & in omnibus vera eſſe quæ Chriſtus dixit, non credat Chriſtum eſſe filium Dei, tam apertum eſt & manifeſtum quàm aperte patet filium Dei nihil niſi verum dicere, aut ſi quis verum non dicat non poſſe eſſe filium Dei; Nam qui loquendo verum non dicit mendax eſt, mendacem autem eſſe filium Dei, quis niſi blaſphemus dicat? Quis Veritatem poſſe eſſe mendacem, niſi veſanus & omni prorſus ſenſu deſtitutus auſit cogitare? Sic itaque prorſus indubitata eſt hæc propoſitio, Quod qui Chriſto loquenti non credit in omnibus, non credit Chriſtum loquentem eſſe filium Dei. *Loquor vobis & non creditis! O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus!*

Ioan. 3.

Ioan. 10.

Luc. 24.

II. PVNCTVM.

SED *vix vllus eſt Chriſtianus qui Chriſto credat in omnibus.* Hæc eſt accuratius declaranda & attentius expendenda propoſitio. Cum autem multa ſint in Euangelio quæ Chriſtus dixit & quibus aperte non creditur, tùm inde Symbolum quoddam facile poteſt confici, quod diſtinctos duodecim complectatur articulos.

Primus eſt, *Beati pauperes. Beati qui nunc eſuritis. Beati qui nunc fletis. Beati cum vos oderint homines propter filium hominis. Væ vobis diuitibus qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis.* *Luc. 6.*

Digitized by Google

Væ vobis qui ridetis nunc. Væ cum benedixerint vobis homines. Nonne hæc & his ſimilia quæ plura leguntur in Euangeliis, dicta ſunt à Chriſto Domino? At quis hæc eſſe vera credat? Quis nollet eſſe pauper ſi crederet pauperes eſſe beatos, cum nullus ſit qui non eſſe beatus velit? Quis vellet eſſe diues ſi diuites crederet miſeros cum nullus eſſe velit miſer? Et tamen vix vllus eſt qui non velit eſſe diues & qui non timeat eſſe pauper: nec alia certè de cauſa quàm quod credit beatos eſſe diuites & miſeros eſſe pauperes. Nonne hoc eſt manifeſtè Chriſto non credere?

Math. 6. Secundus articulus. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Id eſt, diuitiis ſeu cupiditati habendarum diuitiarum. Hic eſt Dominus cui ſimul & Deo ſeruire, negat nos poſſe Chriſtus. At vero Chriſtianus vix vllus eſt in ſæculo qui non ſeruiat illi cupiditati, quo etiam ſenſu hic intelligitur vt ſupra oſtenſum eſt: & tamen non propterea crederet ſe non poſſe ſimul ſeruire Deo, nam id nollet profiteri; Non credet igitur Chriſto.

Math. 7. Luc. 13. Tertius articulus. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam!* In quibus Chriſti Domini Verbis, illud maxime *quia* quod vſurpat eſt obſeruandum: ſic enim reddens rationem cur ſit intrandum per anguſtam portam quia lata & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, manifeſte docet duas tantum eſſe vias per quarum alterutram nos oporteat neceſſario incedere. Vix autem hoc creditur à ſæculari Chriſtiano; nam vix vllus eſt qui ſe in arcta putet eſſe via, neque tamen fatebitur ſe in lata eſſe, & ſe propterea periturum quod in arcta non ſit via, vnde tertiam quandam viam fingat neceſſe eſt, nec proinde Chriſto credat duas tantum vias aſſerenti.

Math. 11. Quartus articulus. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* At quis hoc credit? Quis nolit requiem animæ ſuæ? Cur non igitur Chriſti iugo ſe ſubdit vnde eſt illa quies? Videſne quam pauci ſint qui reuera iugum illud ferant? Cur porro niſi quia credunt illud eſſe durius & difficilius? At quid eſt hoc credere niſi Chriſto non credere?

Digitized by Google

Quintus. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Nihil magis veretur qui ſe exaltat, quàm vt humilietur; & profectò ſi crederet ſe verè humiliandum, non ſe exaltaret: & tamen vix eſt vllus Chriſtianus in mundo qui ſe quantum poſſit non exaltet, nec vllo modo propterea timeat ſe humiliandum! Vndenam tanta illi præſumptio, niſi quia non credit Chriſto? *Luc. 14. & 18.*

Sextus. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Vix eſt vllus eorum etiam qui hæc Chriſti Verba ſæpe audierint, qui vel intelligant vel curent intelligere; tantum abeſt vt conentur ſe his conformare. An vero propterea ſi non ſint ſicut paruuli quo ſenſu Chriſtus intelligit, ſe credent non intraturos in regnum cœlorum? Non credent ſcilicet quia deſperarent. Et tamen Chriſtus dixit: Chriſto non credunt. *Matth. 18.*

Septimus. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Vide quid ſit altum hominibus: Vide quàm illud appetat pene omnis Chriſtianus: Vide quantis exultet gaudiis ſi quod appetiit, obtinet. Itane vero propterea ſe ſuumque illud gaudium credet eam eſſe quam Chriſtus dicit abominationem ante Deum? Non credet. Et tamen illud eſt quod hominibus altum eſt; & quod hominibus altum eſt, Chriſtus apertè dicit eſſe abominationem ante Deum. Sed Chriſto dicenti non creditur. *Luc. 16.*

Octauus. *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum.* Quamcumque ſuauem & facilem his Chriſti Domini Verbis, ſi modo vera ſit, afferas interpretationem, contrà tamen videbis vix vllum eſſe qui dum vni negat pauperi cui dandum eſſet, ſe Chriſto negare credat, aut ſe propterea ſupplicium illud æternum ſubiturum quod minatur Chriſtus. At ſi Chriſto crederet, quomodo id negare auderet: aut ſi negare audet, quomodo dici poteſt Chriſto Domino credere? *Matth. 8.*

Nonus. *Beatius eſt magis dare quam accipere.* Non leguntur quidem in Euangelio, hæc Chriſti Verba, ſed nulli dubium eſſe poteſt, quin ſint Eius Verba cùm ſic Apoſtolus expreſſe dicat, *Oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe Verbi Domini IESV, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare quàm accipere.* Nonne credis Apoſtolo? Nonne credis hoc eſſe Chriſti Verbum? Credisne vero Verbum hoc? Credisne beatius tibi eſſe ſi tua des quàm ſi accipias tibi data? *Act. 20.*

Digitized by Google

Itane das tam libenter ac tu accipis? Ah te miſerum & infidelem qui credis Chriſtum dixiſſe beatius eſſe magis dare quam accipere quia ſic refert Apoſtolus; & hoc ipſum non credis eſſe quod Chriſtus dixit!

Luc. 9. Decimus. *Qui me erubuerit & meos Sermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Non eſt tantummodo Chriſtum erubeſcere, quando de fide agitur apud Infideles; ſed quando etiam de cauendo peccato res eſt: ſiue omittendo ſiue committendo aliquid propter ſolos homines, ne ab eis videlicet irridearis. Quod alio loquendi modo Chriſtus dixit *ſcandalizari propter Verbum:* Id eſt confundi, non audere id facere quod alioquin faceres niſi timeres aliquod probrum. Iam vero quàm multi ſunt è Chriſtianis qui hoc timent, qui ſic ſcandalizantur, & qui ſic erubeſcunt Chriſtum? Timentne vero illi quod Chriſtus dixit fore vt ipſos erubeſceret & confunderet? Planè non timent, quia timore iſto grauiori, leuiorem expellerent alium; & mallent confundi ab hominibus quàm à Chriſto. Quid eſt autem quod hanc horrendam non timeant confuſionem à Chriſto denuntiatam, niſi quia Chriſto non credunt?

Matth. 13.

Luc. 12. Vndecimus. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Quis Chriſtianorum ſæcularium credit hunc eſſe ſtultum qui ſibi ſic theſaurizat? Quis potius non eum ſapientem prædicet qui nulli facta injuria, theſauros opum accumulet? Quis ſibi propterea credat timendum ne qua nocte non putat derepente moriatur? At nonne illud eſt tamen quod Chriſtus diſertis & expreſſis Verbis dicit? Eſt illud ſane, ſed Chriſti Verbis quantumcumque diſertis & expreſſis non creditur.

Luc. 16. Duodecimus. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* Conſtans eſt omnium Patrum ſenſus atque interpretatio, quod ex his Verbis, & ex tota quam affert Chriſtus Parabola de Villico diſſipante bona Domini ſui, voluerit nobis declarare quod ſumus omnes velut eius villici, qui quæcumque bona poſſidemus, ſiue quæ dicuntur fortunæ, ſiue quæ corporis & animi naturalia vel ſupernaturalia, ſic à Deo cuncta recepimus, vt ſit illi omnium reddenda ratio. Si quid eorum bonorum aliter aut alio fine fuerit vſurpatum, quàm ipſe ordinarat, tunc dici diſſipatum

Digitized by Google

bonum, & diſſipatori dies dictâ, qua in iudicium aduocetur: quando vel nulla viderentur alia mala perpetrata, ſolumque hoc diſſipatoris bonorum Domini crimen objiceretur; ſatis graue timendumque eſt crimen, inquit Dominus, vt vnuſquiſque merito in ſe reuertatur & dicat, *Quid faciam?*

Quis hoc vero Chriſtianus tam verè dicit, quàm vere videt ſe pene omnia diſſipaſſe bona Domini Dei ſui? Quis propterea vel tantillum mouetur vt rebus ſuis proſpiciat ſicut iſte villicus de quo laus eſt in Euangelio? *Filij*, ſcilicet, *huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Sed quare prudentiores ſunt niſi quia credunt ſæculo ſuggerenti talem prudentiam; alij vero non credunt luci & Veritati? *Hoc eſt Iudicium, quia lux venit in mundum,* Ioan. 3. *& dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera.*

III. PVNCTVM.

V*IX vllus eſt igitur Chriſtianus qui Chriſtum credat eſſe filium Dei*, Quia vix vllus eſt qui Chriſto credat in omnibus: & certum ex fide eſt, quod qui Chriſto non credit in omnibus, non credit Chriſtum eſſe Dei filium, qui non aliud poteſt loqui quàm verum; Vnde & Ipſe, vel de vno ait articulo, *Qui non credit, iam* Ioan. 3. *iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei:* Quaſi diceret, quantumuis alia crederet, ſi vel vnum quod dixit Chriſtus non credat, non alia credit ex illa fide quam debet vnigenito Dei filio, qui mentiri non poteſt: nec ipſum proinde Chriſtum eſſe Dei filium, talis dicendus eſt credere. At vero qui dici non poteſt credere Chriſtum eſſe Dei filium, dicine poterit Chriſtianus? Audi ſanctum Cyprianum contra quaſuis excuſationes aut interpretationes quas poſſis fingere: *Vnde hæc incredula cogitatio?* Serm. de Eleemoſ. *Vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? Quid facit in domo fidei, perfidum pectus? Quid, qui Chriſto omnino non credit, appellatur & dicitur Chriſtianus? Pharizæi tibi magis congruit nomen, nam cùm Dominus in Euangelio de eleemoſynis diſputaret*; Et quæ fuſius pergit.

QVIA verò licet etiam crederes, non ſufficeret ad Chriſtiani nomen adimplendum niſi fidem operibus comprobares: Videri propterea hic poſſet attentius quam longè ſis ab his operibus

Digitized by Google

quæ Chriſtus præcepit aut conſuluit, & propter quæ obſeruanda non minus à Patre dictum eſt, *Ipſum audite*, quàm vt credatur.

Sicut porrò Symbolum fidei ex numeratis articulis contextum eſt, ita & quidam Decalogus confici poteſt ex decem Chriſti præceptis ſiue conſiliis quæ in primo ſermone quem habuit præcipuè commendauit, & quæ ab ipſis Chriſtianis tam parui æſtimantur quàm ſuprà expenſi articuli. Breuius tamen referetur, quia plana ſunt omnia, vel facile poſſunt explanari.

Matth. 5. Primum contra iram, *Ego dico vobis quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit indicio. Eſto conſentiens aduerſario tuo cito, dum es in via cum eo*; Vide antecedentia & conſequentia: Vide & quam paucis hæc curæ ſint.

Ibid. Secundum contra laſciuiam, *Ego dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcide à te, & projice eam.* Additque alibi, *Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum.* De

Marci 9. quibus ſuprà fuſius. Sed his præceptis vel conſiliis quis obedit? Quis acquieſcit? Satis porrò deinceps fuerit, ſolum Chriſti præceptum producere, cùm illicò manifeſtè appareat quàm ſint pauci vel penè nulli qui præceptum ſeruent.

Ibid. Tertium itaque eſt contra perjuria & Iuramenta: *Ego dico vobis, non iurare omnino.*

Ibid. Quartum contra vindictam, *Ego dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertas.*

Ibid. Quintum contra Inimicitias & odia: *Ego dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.*

Ibid. 6. Sextum contra vanitatem: *Attendite ne Iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Ibid. Septimum contra Auaritiam: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo ne-*

que

Digitized by Google

que tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.

Octauum contra nimiam ſolicitudinem: *Ne ſoliciti ſitis animæ* Ibid. *veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima pluſquam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum? Reſpicite volatilia cæli.* Et poſt multa: *Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus? Aut quid bibemus? Aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & Iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum.*

Nonum contra temeraria Iudicia: *Nolite iudicare & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini: dimittite & dimittemini.* Ibid. 7. Luc. 6.

Decimum contra tenacitatem & acediam: *Date & dabitur vobis, menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Ibid.

Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.

Quò referri poſſunt multa his affinia variis dicta temporibus à Chriſto Domino, & diuerſis ſcripta locis ab Euangeliſtis. *Negotiamini dum venio. Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, vt ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam? ATTENDITE vobis ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ; & ſuperueniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Luc. 19. Ibid. 21.

Quæ Chriſti Domini dicta eo potiſſimum fine referuntur & recolenda modò ſunt, vt confirmetur Veritas propoſita de paucis Chriſtianis qui vere credant Chriſtum eſſe Dei filium quem nos audire iubet. Et an forte ex illis ſis, diligenter inquiras. Sicut enim Eum audire nihil aliud eſt quàm credere & facere quæ proponit: Sic plane niſi credas & facias, quomodo dices te Illum audire vt Filium Dei, vt Magiſtrum & Dominum tuum? Itane Diſcipulus contradicat magiſtro? Itane ſeruus contemnat Dominum?

Deut. 18. *Ponam verba mea in ore eius*, ait Ipſe Deus, *loqueturque omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba Eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego vltor exiſtam.*

Expende ſingula quæ tibi applices, & ad majorem fidem & fidelitatem verbis Chriſti habendam accendaris, illud habeto familiare quod ait Pſaltes: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Id eſt, iam omnibus examinata ſunt modis. Non eſt quod de his dubites. Non eſt quod illa rurſum reuoces ad examen: Fide tantùm & facto eſt opus: ſed ita omnino eſt opus, vt cui Chriſtiano fides & facta deſint, tam verè Chriſtianus eſſe deſinat quam qui Chriſtum negaret Dei filium. *Eum qui emit eos, Dominum negant.*

Pſ. 11.

2. Pet. 2.

Vide in 4. parte, Feria 2. Hebdom. 15. Vbi hæc profertur Veritas:

Niſi diligenter aduertas, ore facta Confeſſio, factis à te negatur.

IN FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS.

Die 10. Auguſti.

Noli timere, cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te. Iſ. 43.

Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, quia liberaſti me à preſſura flammæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus. Eccleſi. 51.

VERITAS PRACTICA.

Quò à ſuis Chriſtus abeſſe putatur longius, hoc ipſo propius ipſis adeſſe putandus eſt.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia tum longius à ſuis Chriſtus abeſſe putatur, cùm illi grauiora patiuntur ſine vllo prorſus humano ſolatio.*

Sed inde potius putandus eſt tùm illis adeſſe propius.

Ergo quò à ſuis Chriſtus abeſſe putatur longius, hoc ipſo propius ipſis adeſſe putandus eſt; Quod certe eſt & ad Fidem magno ſolatio, & ad Conſtantiam non minori adjumento.

I. PVNCTVM.

DE hoc Beatiſſimo Martyre ſic apte ſanctus Auguſtinus, *Tanta eius martyrij gloria extitit, vt paſſione ſua mundum illuminauerit vniuerſum. Illuminauit mundum plane Laurentius eo lumine quo ipſe accenſus eſt; & flammis quas ipſe pertulit omnium Chriſtianorum corda calefecit.* Quod quidem veriſſime dictum eſſe reperias, ſiue genus martyrij conſideres, ſiue conſtantiam Martyris. Etenim quæ duæ res atrocitatem martyrij faciunt, violentia tormentorum, & diuturnitas; eæ ambæ concurrunt in hoc ſancto Martyre. Quid enim violentius igne eſt? Et quid lentius lento igne, quo cruciari iuſſus eſt? *Nec enim occiſus eſt cito,* inquit Idem ſanctus Auguſtinus, *ſed cruciatus eſt in igne. Diu viuere permiſſus eſt, imo non diu viuere permiſſus eſt, ſed tarde mori compulſus eſt.* Quod & particularius explicans ſanctus Leo: *Laceros artus,* inquit, *& multa verberum ſectione conſciſſos, ſubjecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferream quæ iam de feruore continuo vim in ſe haberet vrendi, conuerſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.*

Serm 30. de Sanctis.

Tract. 27. in Ioan.

Quanta verò fuerit eius Conſtantia vel ex hoc liquet quod in mediis ipſis tormentis Tyrannum irridere & prouocare quodammodo videretur, *Aſſatum iam,* inquit, *eſt in vna parte, Verſa corpus in aliam & manduca; neque aliquid de facultatibus Eccleſiæ quibus inhias, à me ſperes, iam enim illas omnes in cæleſtes theſauros, manus pauperum deportauerunt.* Hoc ſi tres illi Pueri vel multi alij martyres dicerent qui in flammis illæſi ambulabant, non eſſet adeo mirum, ſed in ipſo acerbiſſimo pœnarum ſenſu ſic conſtanter loqui, certe admirandum.

Digitized by Google

Et verò, cur non æque ac illi, Laurentius à Deo liberatus & il-
Rom. 9. læſus euaſit? *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Nonne de ſuis faciat & diſponat Chriſtus quod ſibi liberum fuerit; Vt tamen ſcias non minus ab Eo protegi quos ſinit pati, quàm quos tormentis liberat, Reuolue propoſitam Veritatem, & diſce *quò à ſuis Chriſtus abeſſe putatur longius; hoc ipſo propius ipſis adeſſe putandus eſt.* Cur enim putatur abeſſe longius niſi quia Martyr dum grauiora quæque ſuſtinet, ipſum inuocat, nec tamen à cruciatu liberatur, aut vllo ſenſibili recreatur ſolatio? Sic Dauid, ſic ipſe Chriſtus
Pſ. 21. dum in cruce langueret, *Deus Deus meus, reſpice in me, quare me*
Matth. 27. *dereliquiſti, longe a ſalute mea, Verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Totus hic Pſalmus ſatis longus quem inchoare auditus eſt de cruce Chriſtus, & quem integrum ſecreto pronuntiaſſe multi affirmant, hic inquam Pſalmus nihil aliud reſonat quàm gemitus & lamenta de illo defectu auxilij & ſolatij quo relaxantur pœnæ & quod tum aberat cum pœnæ Crucis erant grauiores. Sic ſan-
Iob. 30. ctus Ille Iobus in ſuo duriori conflictu: *Clamo ad te, & non exaudis me, ſto & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* Sic interdum Apoſtoli & Apoſtolici
2. Cor. 1. quique viri: *Non enim volumus, ignorare vos fratres de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, itaut tæderet nos etiam viuere.* O Diuina Iudicia! quæ obſcura quidem eſſe poſſunt, at numquam injuſta.

II. PVNCTVM.

S*ED inde potius putandus eſt Chriſtus tùm illis adeſſe propius.* Neque enim ſic conſtanter poſſent pati, niſi tùm illis adeſſet Chriſtus cuius virtute roborantur ad conſtantiam. Et Virtus Chriſti ac Martyris multo eminentius patet quando ſic intrepidè & libenter homo alioquin infirmus diriora quæque patitur, quàm ſi per miraculum à patiendo liber euaderet. Etenim quod corpus humanum non vrat ignis, Dei eſt quidem ſumma in ignem potentia, & ignis à Deo dependentia; ſed quod ignis vrat hominem & vſtionem homo libenter pro Chriſto patiatur, Chriſti eſt poteſtas in hominem & hominis in Chriſtum cultus & obſeruantia, quâ longe magis Deus honoratur & colitur quàm cuiuſlibet Creaturæ inſenſatæ obſequio.

Digitized by Google

Magnum eſt nomen meum in gentibus. Magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Longè plus eſt apud Infideles ad cognoſcendum Altiſſimum quod Deus habet in homines Dominium, quando hi ſuam Deo vitam ſic profundunt, quàm ſi vitam ab eo ſartam tectam ſemper haberent. *Domine qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè Tu ſcis quia cùm à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundum animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Et certe plus etiam debet eſſe apud fideles ad imitandum Sanctorum exemplum, quòd paſſi ſint in tormentis, quàm ſi non omnino paſſi eſsent. *Quorum intuentes exitum conuerſationis, imitemur fidem.* Plus denique ipſis Sanctis, ad gloriam & meritum, quod *per ignem & aquam ſic educti fuerint in refrigerium*, quàm ſi ab omnibus damnis incolumes ſalui eſſent. *Quoniam Deus tentauit eos*, inquit Sapiens, *& inuenit illos dignos ſe: Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos: & in tempore erit reſpectus illorum.*

Malach. 1. 2. Macch. 6. Hebr. 13. Pſ. 65. Sap. 3.

Quando autem Deus dicit in Scripturis ſe liberaturum omni pœna ſuos, aut cùm ipſi confitentur ſe liberatos, non ſic intelligendum eſt quaſi nihil corpore paterentur: ſed hoc ſenſu affirmatur, quod quidquid patiantur, nihil inde in animam infertur damni, nihil inde deterrentur à Diuino cultu, nihil à fide conſtanter retinenda, nihil à generoſa fidelitate dimouentur; ſed perſtent immobiles; *Torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes vngulas, pulſata ac laniata membra vincant*, vt ait ſanctus Cyprianus. Fierine poſſet vt ſic vincerent, niſi Deus illis adeſſet? Quando verò ſic illis adeſt vt libentius velint cruciari quàm cruciatibus eripi, & numquam ſe beatiores putent quàm cùm apparent miſeriores: Nonne hoc eſt protectionis & auxilij genus tanto nobilius altero quod in ſolo ſeruando corpore, præſentique vita conſiſtit, quanto anima præſtat corpori, cœlum terræ, & æterna fœlicitatis gloria caducitati temporis? Sic *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. QVIS nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incendium?*

l. 2. Ep. 6. Sap. 3. S. Aug.

Quod autem Illi ſe aliquando conqueruntur deſertos, non conquerentium illa vox eſt, vt de Chriſto Domino ſpeciatim diximus, ſed quærentium æternam eorum ſalutem à quibus cernebantur tantapati vt niſi teſtati eſſent ſe verè pati, non fuiſſent

In Hebdom. Sancta. Fer. 4.

Digitized by Google

exiſtimati homines, nec in exemplum dati quorum fortitudine animi noſtra conuinceretur ignauia. Sic apertè Apoſtolus, ante-
2. Cor. 1. quam ſuas enarraret ærumnas: *Siue tribulamur*, inquit, *pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earundem paſſionum quas & nos patimur: vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quod ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Quaſi diceret, idcirco patimur & profitemur nos pati vt ſic erigamini ad patiendum: & ſpes illa veſtri profectus inde conſecuturi ſic nos ſolatur & recreat, vt propterea libenter patiamur: nec dubito quin vos participes etiam futuri ſitis illius noſtræ conſolationis, ſi ſocij pœnæ ſitis.

O qualis ſtimulus ad patientiam! ô quale probrum impatienti qui ſe negat poſſe leuia quædam tolerare, cùm videat ſibi ſimiles
Iob. 33. tam dura pati! *Reſpiciet homines, & dicet, peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi.*

III. PVNCTVM.

QVO igitur à ſuis Chriſtus abeſſe putatur longius, hoc ipſo propius ipſis adeſſe putandus eſt: Quia dum grauiora cernuntur pati ſupplicia, tunc nonnulli putant abeſſe Chriſtum quia non eos à pœnis liberat, ſed falluntur, nam tunc illis propius adeſt, cum ita libenter & conſtanter patiuntur, vt & ipſi gratias Deo agant quod ſe ſinat potius in igne viri, quam in ſe ignem extingui. *Aſſatus gratias ago:* dicebat ſanctus Laurentius: *gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.*

Obſerua hîc primò diligenter, quomodo craticulam igneam in qua iacebat & alia conjuncta ſupplicia vocet Ianuas cœli, quia videlicet certiſſimus inde eſt in cœlum introitus. Sic & de cœlo
Apoc. 14. dicitur: *Hîc patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem IESV.* Quaſi diceretur, hîc in ipſo introitu ad gradum beatitudinis vnicuique ſtatuendum, maxime conſideratur patientia quam in pœnis exercent.

Deinde vero etiam atque etiam illud obſerua quàm inſipienter oblatam fugias pœnam. Ianua cœli eſt & tu fugis! Semen Diuinæ eſt Beatitudinis & tu parcis ſemini! Certitudo eſt æternæ ſalutis, ſi quæ hic poſſit haberi, & tu mauis periclitari aut forte perire in periculo, quàm certum & ſecurum incedere! Reſipiſce

Digitized by Google

ab hac inſania, & libenter gloriare in infirmitatibus & aduerſis tuis, *Vt inhabitet in te virtus Chriſti.* 2. Cor. 12.

Quod vt præſtes fidelius: Obſerua tertiò quod ait ſanctus Bernardus in hæc Canticorum Verba, *Columba mea in foraminibus* Cant. 2. *petræ*, Nempe Chriſtum velle non tantum vt confidamus in aduerſis nos ab ipſo videri & adjuuari, ſed præterea vt ipſum etiam videamus, vt mentis oculos in ipſum conjiciamus. *Vult videri,* inquit, *vult benignus Dux deuoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli* Serm. 61. in Cant. *vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandam fortiorem. Enimuerò non ſentiet ſua dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro; non modo fortiter ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus IESV, vulneribus nimirum patentibus ad introeundem. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet, & negaret: Nunc autem in petra habitans quid mirum ſi in modum petræ duruerit? Neque hoc facit ſtupor ſed amor: ſubmittitur enim ſenſus non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur.* Nonne ſic poſſes intueri Chriſtum vt ſic poſſes dolorem vincere: non euitando pœnam ſed culpam: non ſubtrahendo te à patiendi loco, ſed ratrahendo te ab impatienti verbo & animo.

Vide in 1. parte, de Communi SS. Martyrum. In 2. Fer. 4. Paſchæ, Vbi hoc declaratur paradoxum.

In infirmitate virtus: In impotentia Potentia.

Et in 4. parte, Fer. 2. Hebdom. 21. Fer. 5. Hebdom. 22.

Digitized by Google

Die 15. Auguſti.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Porrò, vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10.

VERITAS PRACTICA.

Quod vnum eſt in Aſſumpta Virgine glorioſius, hoc eſt Aſſumptum ex Illo *Vno Neceſſario*, de quo Chriſtus.

RATIO EST, Quia quod vnum eſt in Aſſumpta Virgine glorioſius, eſt illa cœleſtis Gloria & ſingularis beatitudo, ad quam euecta eſt ſupra omnem Creaturam.

Sed ex illo Vno Neceſſario de quo Chriſtus, Aſſumpta eſt illa cœleſtis gloria, & ſingularis beatitudo ad quam euecta eſt Beata Virgo ſupra omnem Creaturam.

Ergo quod vnum eſt in Aſſumpta Virgine glorioſius, hoc eſt Aſſumptum ex Illo Vno neceſſario, de quo Chriſtus. Quæ certe Veritas manifeſtè demonſtrabit quanti ſit meriti & momenti reuocare ad Praxim illud Vnum neceſſarium, ſicut Beata Virgo reuocauit, vnde ſibi tantum meriti & gloriæ ſingularis promeruit, quantum in Aſſumptione ſua recepit.

I. PVNCTVM,

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

INTRAVIT IESVS in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit Illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi vt me adjuuet. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò, VNVM EST NECESSARIVM. MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT QVAE NON AVFERETVR AB EA. Luc. 10.

Quàm apte quadret hoc hodiernum Euangelium Aſſumptæ Beatæ Virgini dicetur in declaratione Veritatis propoſitæ, cuius Praxis quale ſit momentum & meritum ſicut patet ex illa glorioſiſſima Virginis Matris Aſſumptione, ſic quanta ſit illius Aſſumptionis gloria non poteſt melius demonſtrari quam ex ipſa Veritate propoſita, ſeu ex Vno ipſo neceſſario de quo Chriſtus Dominus; Quæ & optima pars eſt quam elegit Maria Mater eius Sanctiſſima, ratione cuius hodie ſublimem illam ad Gloriam euecta eſt cui nulla in cœlis par eſſe cognoſcatur poſt Filium.

Præmittenda eſt itaque toti Diſcurſui Veritas, *Quod quidquid eſt in Aſſumpta Beata Virgine glorioſius, quod ſane ex multis vnum eſt aliquid ſingulare, hoc eſt aſſumptum ſcilicet ex Illo vno neceſſario de quo loquitur Chriſtus.* Hoc eſt in illo fundatum. Hoc eſt inde depromptum, hoc eſt inde glorificatum.

Ratio eſt valde moralis, practica & peropportuna his qui ſuæ perfectioni vacant. Cum multa nempe conſiderari poſſint quæ ad huius triumphi magnificentiam concurrerunt, cùm repræſentari poſſint nouem illi Angelorum Chori qui certatim concelebrent reſurgentem, aſcendentem & triumphantem Virginem matrem: Cùm Ipſe Chriſtus Dominus ſua præſentia triumphum cohoneſtare & manu ducere digniſſimam Matrem ſuam in paratum ſibi thronum, ſit facile contemplari: Cùm & ipſe Thronus ad ſimilitudinem throni Salomonici deſcribi poſſit, de quo dicitur, *quod non* 3. Reg. 10.
eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Ac cùm pleraque alia pro cuiuſque pietatis ſenſu poſſint cogitari: Tùm verò vnum eſt ſingu-

lare & ſolidum, quod præ cæteris omnibus vere glorioſum, vere illuſtre eſt & vere memorandum, Singularis illa ſcilicet Gloria propriæ Beatitudinis ſeu beatificę Viſionis, quam adepta eſt, quam conſecuta eſt, quam poſſedit hodie & in æternum poſſeſſura eſt ſupra omnes Beatos alios, ſupra quoſlibet Angelorum choros, vno Chriſto inferior, cæteris omnibus eminentior & excelſior, non ſola ſolùm ſede ſeu gradu quodam ad dignitatem externam ſublimiori, ſed ipſius quam vocant eſſentialis Beatitudinis poſſeſſione tam glorioſa, tam beatifica, tam eximia & ſingulari, vt Illa vna plus illius gloriæ poſſideat quam cęteri ſimul omnes Beati, vereque de ſe dicat: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Hoc eſt Vnum videlicet glorioſius, hoc eſt illuſtrius & ad omnem memoriam inſignius. *Eccleſi, 24.*

Nam cùm vera Beatitudo veraque cœleſtis Gloria non in triumphis illis conſiſtat qui ad humanum noſtrum morem componuntur, ſed in ipſa ſola Dei viſione & amore Deifico: quid ſequitur niſi hoc ipſum etiam præ cæteris vnum eſſe quod vere glorioſum, verè beatum, vere ſit prædicandum? Atque eo magis prædicandum, eo magis glorioſum & beatum cenſendum, quò lumen gloriæ ſeu illa Dei viſio & Diuinus amor magis affluent & abundabunt?

Hoc eſt vel maxime quod ipſi mirabantur & celebrabant Angeli; *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Nempe vt *aurora conſurgens*, dum viueret, progrediebatur ſemper in amore Diuino, & ex illis Iuſtis erat de quibus Sapiens: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem. Pulchra erat vt luna*, non quæ ſuis decreſcit ſpatiis, ſed quæ ſemper plena & lucida, ſiue corpus ſiue animum Virginis ſpectes, nullus ibi defectus. *Electa vt ſol* qui cum ſit ſingularis in ſua ſpecie, & vnus in mundo recte repræſentat ſingularem illum cœleſtis gloriæ ſtatum ad quem euecta eſt, tanto claritatis ſplendore ſupra omnes Sanctorum cætus, quantus eſt ſolis ſplendor ſupra omnes aſtrorum ordines. *Nihil ſplendoris in aliis*, ait ſanctus Hieronymus, *quod non reluceat in Maria.* Sic propterea denique *vt caſtrorum acies ordinata* dicitur, quod illa vna contineat vniuerſam Sanctorum aciem, ſiue Sanctitatem conſideres, ſiue beatitudinem, ſiue potentiam qua contra Dæmones, in gratiam hominum plus Vna valet apud Fi-

Cant. 6.

Prou. 4.

Digitized by Google

lium, quàm quidquid creatum eſt. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Congaude illi plenius, & proteſtare quod ſi etiam majorem & beatiorem illam poſſes facere, faceres. Sed verè id non dices niſi ſaltem hodie quod poſſis ad eius promerendum cultum, ſic facias. Cant. 6. Prou. 31.

II. PVNCTVM.

SED ex illo vno neceſſario de quo Chriſtus Dominus in Euangelio, aſſumpta eſt illa cæleſtis gloria & ſingularis beatitudo, ad quam euecta eſt hodie Beatiſſima Virgo, ſuper omnem Creaturam.

Id eſt, ex continua illius Vnius neceſſarij Praxi promeruit vt ſic glorificaretur, Inde aſſumptum eſt eius meritum vt ſic aſſumeretur ad talem gloriam. Neque enim præciſè quod Virgo mater, vel mater Chriſti, vel plena gratia fuerit, ad tantam euecta eſt beatitudinem; ſed quod ſimul bonis ſuis operibus ſeu præclaris virtutum & perfectæ præſertim Caritatis actibus quamdiu vixit, ſe dignam fecit tali fœlicitatis æternæ Gloria. Nam cum velut merces, velut brauium, & velut corona Iuſtitiæ detur vnicuique mortalium immortalis in cœlo Gloria, ſic oportet totum antecedentis vitæ promeritum conſiderari, vt ex æquo reſpondeat illa conſequens merces, & æterna compenſatio, vt illud adimpleatur: *Vnuſquiſque mercedem propriam accipiet ſecundum ſuum laborem. Vnuſquiſque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* 1. Cor. 3. Epheſ. 6.

Iam vero quid eſt illud Vnum neceſſarium in Praxi? Quomodo Beata Virgo ſeſe in illa exercuit? Et quale inde eſt meritum aſſecuta? Tria ſunt nobis modo breuiter explananda. De primo cùm multa dici poſſint ſecundum literalem, allegoricum, moralem & anagogicum Scripturæ ſenſum, quæ patent apud Interpretes, tum eò præcipuè recidunt omnia vt dicatur eſſe voluntas Dei *bona, beneplacens & perfecta*, Id eſt, in ſubſtantia; in modo Rom. 12. & in fine: nihil vt aliud purè ſpectetur quam quod velit Deus, prout velit & quia ſic vult. Hoc enim vnum verè cenſendum eſt neceſſarium in hac vita, ſine quo ad æternam perueniri non poteſt, licet adſint cætera omnia: & quo poſito ſecure peruenitur, licet alia deſint omnia. Quod eſt autem verius illud bonum ſine

Digitized by Google

quo perueniri non poſſit ad æternam vitam, & cum quo certiſſime perueniatur, niſi voluntas Dei? Tolle hanc ab homine, quid proderit quidquid fecit, ſi non fecit quod Deus voluit? *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quam victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum.* Vnde expreſſe ſanctus Thomas: *Quæcumque alia virtutem opera ex hoc meritoria ſunt apud Deum, quod fiant vt obediatur Diuinæ voluntati. Nam ſi quis etiam martyrium ſuſtineret, vel omnia ſua pauperibus erogaret, niſi hoc ordinaret ad impletionem Diuinæ voluntatis, meritoria eſſe non poſſent, ſicut nec ſi fierent ſine Charitate.* Qui autem voluntatem Dei fecerit, quamtumcumque parua fecerit, *Ipſe intrabit in regnum cælorum*, ait ipſe Rex cœli & terræ.

1. Reg. 15. *22. q. 104. a. 3.* *Matth. 7.*

Hæc eſt optima pars quam elegerat Maria Magdalena præ ſorore ſua Martha. Nempe vt ſedens ſecus pedes Domini audiret Verbum illius, audiret quid à ſe vellet, in hoc vno tota eſſet vt quid loqui vellet, audiret, & quod audiret exequeretur. Martha autem quæ ſatagebat circa frequens miniſterium, bonam quidem partem & ipſa elegerat, ſic miniſtrando Diſcipulis & ipſi Chriſto Domino, ſed non optimam ſicut Magdalena, quia non Vnum neceſſarium ſicut Illa elegerat: non ſtabat in vno ſicut illa, non ſtabat in vna Dei voluntate audienda & facienda ſicut illa: Nimis erat ſolicita & nimis turbabatur erga plurima: volebat aliquid aliud aut alio modo & fine, quàm vellet Chriſtus. Maria autem Magdalena nihil aliud, ſed hoc vnum, atque hoc vno plane modo & fine, quo Chriſtus vellet: ſicque in Chriſto tota erat, tota illi adhærebat, tota illi viuebat, totalitate quadam indiuiſibili & inſeparabili, quæ diſtinguebat munus eius à Marthæ munere: quia Martha non ſic indiuiſa erat; Nempe quantum erat nimis ſolicita & turbata, tantum erat à Chriſto diuiſa, & ab vno neceſſario, diuiſione ſcilicet repugnanti perfectiſſimæ & vnitiuæ Charitati quæ vnum Deum pure reſpicit, pure amat, purè quærit in omnibus, purè inuenit, & inuento pure fruitur, quæ eſt pars optima quæ non aufertur à poſſidente quia perſeuerat in cœlo ad omnem æternitatem.

Serm. 17. de Verbis Dom.

Sic ſanctus Auguſtinus poſtquam dixit, non opus Marthæ fuiſſe reprehenſum à Domino, ſed munus diſtinctum: fuſe oſtendit in his duabus Mulieribus duas vitas eſſe figuratas, præſentem &

futuram, temporalem & æternam. *In Martha*, inquit, *erat imago præſentium, in Maria futurorum. Quod agebat Martha, ibi ſumus: quod agebat Maria, hoc ſperamus. Hoc agamus bene, vt illud habeamus plene.* Quaſi diceret, plenitudo & perfectio illius Vnius neceſſarij & optimæ partis non habetur niſi in Cœlo, vbi plene poſſidetur; ſed interim tamen ſimilitudo aliqua cœleſtis & beatæ illius vitæ inchoatur in hac præſenti, quando ſcilicet ad Mariam imitatione propius accedimus quam ad Martham. Id eſt, quando magis ſejungimur ab aliis omnibus vt vni Deo vacemus, vni obſequamur & ſalutem operemur. Vnde & pergens ſanctus Doctor: *Nam & modo*, inquit, *inde aliquid agimus remoti à negotiis, ſepoſitis familiaribus curis: conueniſtis, ſtatis, auditis. In quantum hoc agitis, Mariæ ſimiles eſtis.*

Quod autem alij Patres & Interpretes vitam contemplatiuam & actiuam in his duabus ſororibus eſſe expreſſam dicunt, & tanto contemplatiuam actiuæ anteferri, quantò Maria Marthæ, ſeu quantò pars optima bonæ præfertur, non aliter intelligendum eſt quàm vt exponit Diuus Thomas, id ita quidem verum eſſe de duabus illis vitis conſideratis in genere ſuo, ſed *nihilominus*, in- 2. 2. q. 182. a. 3.
quit, *poſſe tamen contingere quod aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur quàm in operibus vitæ contemplatiuæ: puta ſi propter abundantiam Diuini amoris, vt eius voluntas impleatur, propter ipſius Gloriam, interdum ſuſtinet à dulcedine Diuinæ contemplationis ad tempus ſeparari: ſicut Apoſtolus dicebat ad Romanos nono: optarim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, quod exponens Chryſoſtomus in libro de Compunctione dicit, ita totam mentem eius demerſerat amor Chriſti, vt etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus, amabilius erat, eſſe cum Chriſto, rurſus id ipſum, quia ita placeret Chriſto, contemneret.*

Ex quibus ſanctorum Patrum Verbis liquet quod ſicut cæteris paribus melius eſt, exercitio Mariæ vacare quam Marthæ, ſi tamen cætera non ſint paria, id eſt, ſi major ſit Dei Gloria, magiſque appareat eius voluntas vt quis ſe exerceat in actiua quam in contemplatiua vita, tunc melius illi eſſet exercitium Marthæ, quam Mariæ, quia nihil melius quam Diuina voluntas; quapropter ſi Martha debet Mariæ cedere, ſi actiua debet deſeri propter contemplatiuam, non alio potiori iure hoc fit, quam quia ſic melius agnoſcitur Dei voluntas & impletur: Vnde ſi vt dictum eſt agnoſceretur Deum aliter velle de aliquo, tunc propter eandem ratio-

Digitized by Google

nem, Contemplatiua deberet deſeri, & Marthæ deberet Mariā cedere.

Quod ſi ex Diuina voluntate & ordinatione, ſic ſimul miſcerentur & vnirentur illæ duæ Vitæ vt neutra præjudicaret alteri, ſed potius ſeſe mutuo adjuuarent, tunc Mixta illa Vita perfectior & excellentior eſſet quàm ſola contemplatiua vel actiua ſola. Sic expreſſe ſanctus Thomas, ex quo concluditur tanto perfectius Illud vnum attingi neceſſarium, & optimam poſſideri partem, quanto excellentius mixta illa vita tenebitur, quantóque fidelius ambæ ſorores Martha & Maria ſimul conuenient, ſicut videre eſt in Beatiſſima Virgine.

2. 2. q. 188. a. 6.

Hoc eſt ſecundum Caput nunc ita explanandum vt pateat quomodo ſanctiſſima Virgo Deipara duas duarum ſororum vitas ſimul conjunxerit, ac perfectius etiam quam ipſa Magdalena in Praxi Vnum illud neceſſarium exercuerit. Quod quidem explicari poſſet duobus modis, primo vt intelligatur ſic aliquando vacaſſe Diuinis & internis rebus, vt tùm velut Magdalena ſolis illis vacaret, nec quid vllo modo de terrenis & externis cogitaret. Interdum vero etiam ſic actiuam, velut Martha, exercebat vitam, vt tota eſſet in illo exercitio; ſicque vtramque diuerſo vitam tempore coleret, ſemper quidem perfecte in ſuo genere, ſed non ſemper in eodem vitæ genere, ſicut ſanctus Gregorius Nazianzenus refert de ſua Matre Nonna, *Rem*, inquit, *ſuam domeſticam induſtria ſua ita auxit quaſi pietatem colere neſciret, Deo autem ac Diuinis rebus ita ſe addixit, tamquam à rerum domeſticarum procuratione plurimum abeſſet, nec ab alterutro horum impedita eſt, quo minus alterum impleret; tota in domeſticis, & tota in Diuinis*. Quod certe non eſt parùm laudandum in fœmina.

Sed alter eſt agendi modus qui longe videtur nobilior & perfectior: vt ſcilicet ſimul agas contemplando, & agendo contempleris. Poteſt quidem deſeri actio ſi non ſit neceſſaria, ſed numquam deſeritur Contemplatio nec cum ipſa etiam ceſſat actione; ſicut Beati numquam deſerũt Beatitudinem & contemplationem Dei, licet circa nos operentur. Sic B. Virgo ſic indefeſſe Diuinis & humanis intendebat, vt ſi quid eſſet exterius operandum numquam omitteret, ſic etiam verò Illa opus ſuum externum operabatur vt de Diuinis contemplandis numquam remitteret. Vacabat internis & Diuinis vt Magdalena, ſed non ſicut Magdalena;

Digitized by Google

quia ſimul vacabat externis ſi eſſet opus: vacabat vero externis vt Martha, ſed non ſicut Martha, quia ſimul internis & Diuinis intendebat. Nullum eſt externi genus officij à Martha Chriſto præſtitum, nec vllum internæ pietatis officium ipſi à Magdalena redditum, quod non ſimul ex æquo Maria Virgo reddiderit. Quaſi vna illa ſimul eodem tempore, atque eodem obſequij actu, Magdalena eſſet & Martha. *In hac vna & ſumma Maria,* inquit ſanctus Bernardus, *& Marthæ negotium, & Mariæ non otioſum otium inuenitur.* Petrus vero Damiani paulo fuſius, alludens ad duas manus quæ in throno Salomonis viſebantur: *Duæ,* ait, *manus, actiuam & contemplatiuam vitam ſignificant, quæ Virginem propenſiori diligentia ambierunt. Adeout nec actio contemplationem minueret, & Contemplatio non deſereret actionem. Recordare quia non erat ei locus in diuerſorio, quomodo Filium ſuum propriis lactauerit vberibus, & omnes vagientis paruuli ſuſtinuerit actiones, & tunc intelliges quia plurimùm miniſtrauit.* Tùm vero de contemplatione: *Conſidera quia ipſa eſt quæ in contemplatiuæ dignitatis ſuperuecta dulcedinem, in ipſius Dei ſubſtantiam lucidiores infixit obtutus. Læua eius, inquit Canticorum ſecundo, ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.*

Serm. 2. de Aſſumpt.

Serm. de Natiuit. Virg.

Fuſiſſime autem ſanctus Anſelmus: *Sicut Mater eſt ſingularis,* inquit, *ita & iſtarum vitarum effectus, quarum iſtæ ſorores typum tenent, in ea extitit ſingularis. Numquam in aliqua perſona, immo in omnibus ſic Martha operata eſt: Numquam alias ſic Maria contemplata eſt, numquam illa vel hac alias quod ſuum eſt, ſic exhibuit.* Et poſt deſcriptam Marthæ actionem, per vſitata miſericordiæ corporalis opera, ſic ad beatam Virginem cuncta illa refert: *Ita non quemlibet ex minimis ſed ſummum Dei Filium hoſpitem ſuſcepit: nudum carne, vel etiam pannis operuit: eſurientem pauit: ſitientem lacte potauit: infirmum per infantiam & iacentem non ſolum viſitauit, ſed etiam balneando, fouendo, leniendo, geſtando frequentauit, vt merito de ea dicatur, Martha ſatagebat circa frequens miniſterium: Comprehenſo & crucifixo quaſi in carcere poſito affuit.* Et poſt multa de hoc actiuæ genere, ſic pergit in eius explicanda contemplatiua: *Quid de Deo non ſapiebat in qua, Sapientia Dei latebat, & in cuius vtero corpus ſibi aptabat? Chriſtus eſt, vt ait Apoſtolus, Dei virtus, & Dei Sapientia, & in eo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi. Chriſtus autem in Maria. Ergo Dei virtus & Dei Sapientia, & omnes theſauri*

Homilia in Euangeliū hodiernum.

Sapientia & Scientia in Maria. Hæc non tantum ad pedes, ſed etiam ad caput Domini ſedens audiebat Verbum ex ore eius. Hæc conſeruabat omnia verba Angelorum, Paſtorum, Magorum, nec non ipſius Filij ſui, conferens in corde ſuo. Nemo vmquam ſicut Iſta guſtauit quàm ſuauis eſt Dominus. Inebriabatur ab vbertate domus Dei & torrente voluptatis ſuæ potabatur. Nec mirum, quoniam apud eam, imo intra eam erat fons vitæ de quo manabat tanta perfectio vtriuſque vitæ. Circa plurima vt Martha occupabatur: circa vnum vt Maria delectabatur, quia vnum eſt neceſſarium; plurima auferuntur, vnum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, ſingulariter optimam partem Mariæ elegit.

Quibus ſancti Patris Verbis nil ſupereſt adjungendum, niſi quod tertio loco propoſitum fuit, quale inde meritum Beatiſſima Virgo Deipara ſit conſecuta, vt inde cœleſtis illa gloria & ſingularis Beatitudo ad quam hodie fuit euecta, deſumpta fuerit. Sic autem facile demonſtratur: Nam cum omne meritum noſtrum cui Beatitudo proportionata reſpondet in cœlis, ſitum ſit in quantitate & qualitate bonorum operum; profecto quanta extiterint numero, & qualia perfectione opera, tanta futura ſit beatitudo neceſſe eſt: Et cum ſint nonnulla principia ex parte Dei, & ex parte noſtra vnde illa quantitas & qualitas operum peti ſoleat, hinc manifeſtè ſequitur vt quod erit principium huiuſmodi quantitatis & qualitatis operũ, illud ipſum erit ſingularis huius gloriæ quam poſſidet, fundamentũ. Quodnã eſt autem illud principiũ ex parte B. Virginis, niſi Vnum illud neceſſarium, cui ſic affixa erat vt quod ſpectat ad quantitatem bonorum operum, tanta numerari poſſint quanta poſſunt recenſeri momenta, quibus à primo ſuæ Conceptionis exordio, ad ſupremum vſque ſpiritum mereri potuit. Sicut enim nunquam deſtitit actu & reipſa inhærere ſummo illi Bono in quo eſt poſitum illud Vnum neceſſarium; ita plane non ceſſauit à merito; quin potius cùm ſecundum totam gratiæ latitudinem ſemper operaretur, ſic in ſingula meritis procedebat momenta, vt vnoquoque actu, vnoquoque ſuſpirio, ſuum duplo meritum adaugeret. O quis numeret quò tandem vſque peruenerit?

Atque ita ratiocinandum eſt de qualitate tantorum eius operum. Nihil excellentius, nihil ſublimius. Quid enim excellentius pura & perfecta Charitate? Quænam vero purior & perfectior

Charitas quàm quæ ex puriori corde procedit ? Quodnam denique purius eſſe Cor poteſt intelligi, quàm quod vni Deo ſic adhæret vt nulla prorſus humana re vel ad momentum inde diuellatur ? *Dilectus meus mihi & ego illi. Tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ.* Id eſt, in cœleſtem ipſam beatitudinem, vbi numquam excidit nec decreſcit. *Cant. 2. 3.*

O quàm vere ſanctus ille Doctor qui aſſerit, *amorem Diuinum ectaſim facere, ſiue amantes ita in Deum rapere vt viuant in Deo potius quam in ſeipſis, veréque dicant, viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus*; Quaſi dicerent, quotquot ſunt actus vitæ, tam ſunt excellentes & perfecti quàm ipſe Chriſtus excellenter & perfecte viuit, qui ſic in ipſis viuit ſicut & ipſi viuunt in Eo. O vere pars animæ optima quam Maria elegit, cum illud vnum elegit neceſſarium cui toto quo vixit tempore, non adhæſit modo ſed inhæſit in ipſum transformata *Vnum. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* *S. Dionyſ. l. de Diu. Nom. c. 4.* *Cant. 7.*

III. PVNCTVM.

QVOD *vnum eſt igitur in Aſſumpta Virgine glorioſius, hoc eſt Aſſumptum ex illo Vno neceſſario de quo Chriſtus ad duas illas egit ſorores, quæ Virginem Matrem ſic expreſſerunt, vt Illa Vna ſimul fuerit & fecerit quod illæ ambæ circa Dominum IESVM*; Atque ex illa Praxi Virgo ſanctiſſima tantum eſt aſſecuta perfectionis & meriti vt quidquid in cœlis poſſidet, inde poſſideat : & quidquid in cœlis eſt poſt Chriſtum glorioſius, propterea poſſideat quia ſic vno illo neceſſario in Praxim exercito ſibi illud promeruit. Hinc rurſum ſacri Comites eius triumphi: *Quæ eſt iſta, inquiunt, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Totus illi videlicet mundus erat velut deſertum, quia nihil in mundo præter vnum Deum ſpectabat. Inde verè deliciis affluebat quia inde ſummam illam qua fruebatur beatitudinem prorſus hauſerat. Innixa denique eſt ſuper dilectum ſuum, quia totum id agnoſcit prouenire ex Illo qui humilitatem reſpexit ancillæ ſuæ, vnde illam beatam dicunt omnes generationes; & quia fecit illi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. *Cant. 8.*

O quantùm Illa iam magnificat Dominum ſuum ! ô quantum à Domino etiam & magnificatur, & magnificanda proponitur ! Quid hodie conferes ad eius magnificentiam ? Cogita quidquid

voles, nihil illi gratius, aut glorioſius, nec tibi quidquam vtilius aut facilius inuenies quàm ſi Eam velis imitari, ſecundum datam tibi gratiam, in illo vno neceſſario ad Praxim quotidianam reuocando.

Nihil illi gratius, primò quidem quia nihil Chriſto Filio & Domino ſuo glorioſius, cum id vnum præcipue commendauerit, id vnum in vitâ egerit, id vnum vt agamus ad ſuam gloriam noſtramque ſpiritalem vtilitatem vehementius deſideret. Deinde quod Ipſa ſciat ex rei Veritate, & ex propria cognorit experientia, nihil eſſe opportunius ad ingentem meritorum cumulum promerendum, quam ſi huic vni negotio inuigilemus, inſiſtamus, induremur & immoriamur. Hoc eſt quò nos inuitat cùm his Sapientiæ verbis nos allicit ad conſectandas vias ſuas: *Nunc ergo filij, audite me, Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite Diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam.* Quid ab illa petis aliud, cùm potius id tibi ſit attendendum quod Illa petit à te? Si quam etiam, eius fauore, gratiam poſtules, nonne illam facilius largietur ad id efficiendum quod ipſa ex te deſiderat, quam ſi quid aliud quantumuis pium & ſalubre cupias? Nec illud fruſtra eſt additum, *Eſtote Sapientes*, quaſi diceret, in hoc oſtendetis an ſitis ſapientes, necne; ſi quod eſt tam facile ſimul ac vtile, vobis cordi & curæ ſit, cùm in re tanti momenti quale eſt ſalutis negotium, nemo id Sapiens recuſet quod eſt iudicatum à Chriſto, & ab eius Matre, opportunius ad ſalutem.

Prou, 8.

Rectene illi iudicant & nobis conſulunt? Cur non ergo aſſentiris? Quid magis humano conforme Iudicio quàm Veritas? Et hæc eſt Veritas Euangelica præcipuè commendata? Quid magis appetit humana voluntas quam Bonum? At quale bonum aptius quam quod Veritas ait vnum hoc eſſe neceſſarium? Quid denique Memoriam magis iuuat quam rerum addiſcendarum neceſſitas & breuitas? Quid porro breuius & magis neceſſarium, cum ſit vnum & vnum duntaxat neceſſarium?

Nonne tam ſæpe audiuiſti cauendum eſſe ab homine vnius negotij, quia ſcilicet cum illud vnum habeat, totus in eo curando eſt: & hunc hominem qui ſit vnius huius negotij maxime cauet Dæmon qui contra nos eſt vigilantior quam nobis ipſi ſimus, ideoque omni modo conatur inde nos auocare, & multa interponere quæ nos auertant. Itane plus apud te valebit, quam Beatiſſimæ

Digitized by Google

Virginis conſilium & oblata Gratia? Dic Virgini, dic illi quidem vehementer, *ne id patiatur*; ſed audi etiam tibi dicentem, *Ne mihi aduerſeris dum tibi præſto ſum.* Vide in 4. parte, Feria 2. Hebdom. 23. Vbi opportunè ad ſeriem Euangelicam de hoc vno neceſſario.

IN EODEM FESTO. AD HÆC APOCALYPSIS VERBA.

Et ſignum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Apoc. 12.

VERITAS PRACTICA.

Stellam è corona Virginis extrahit, qui humilitati ſuæ partem aliquam detrahit.

SENSVS ET RATIO EST, Quod ſtellam è corona Virginis extrahit qui non ex æquo æſtimat omnes humilitatis partes & gradus ex quibus velut ſtellis Corona eius texta eſt.

Sed qui humilitati ſuæ partem aliquam detrahit, non ex æquo æſtimat omnes humilitatis partes & gradus.

Ergo & Is ſtellam è corona Virginis extrahit. Quod cùm ſit valde impium, amanda eſt humilitas omni ex parte, nec quicquam hic in terris refugiendum, quantumcumque nos humiliet & graue videatur, quod in cœlis magnam habet repoſitam gloriam.

I. PVNCTVM.

MVLIEREM illam quæ à ſancto Ioanne deſcribitur, Virginem Mariam ſignificaſſe, quæ Caput noſtrum integra integrum peperit, nullus veſtrum ignorat, inquit ſanctus Auguſtinus. *Signum magnum in cælo eſt,* Quia præ cæteris beatis omnibus emi- De Symbolo ad Catechũ.

Digitized by Google

net, ac ſpectabilis, ſpecioſa, glorioſa & Illuſtris apparet. *Amicta eſt ſole,* quia quidquid creatæ lucis & gloriæ communicatur per partes aliis, totum in eam affluit & circumlucet. *Luna ſub pedibus*
S. Bern. *eius eſt* quia toti præcipue ſic dominatur orbi terrarum, vt *nihil nos habere voluerit Deus niſi per Mariam.* Denique *in capite eius corona eſt ſtellarum duodecim*, Id eſt, tot varij cœleſtis gloriæ gradus quot Virgo dum viueret diuerſos humilitatis actus exercuit, & gradus ſibi comparauit, quibus ex æquo in cœlis, reſpondent diuerſimodè, fulgentes gloriæ radij, qui caput eius velut corona ſtellata cingunt & ornant.

Stella enim eſt Symbolum humilitatis, quæ cum parua nobis appareat, magna tamen in ſe eſt, & magnos habet effectus; Sic perfecta Humilitas quàm parua eſt in terris, tam magna in cœlo eſt. Hæc eſt virtus quæ perſeuerans vſque ad mortem coronatur in cœlis, exaltatur, ſublimatur, & tanto altius euehitur, quanto
Math. 23. hic depreſſa fuit. Rata eſt ſententia Domini, *Qui ſe humiliauerit exaltabitur, & quantùm quis ſe humiliauerit, tantum is exaltabitur.*
Phil. 2. Sic de ipſo primùm Chriſto decretum eſt: *Qui humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter*
Ephes. 4. *quod*, inquit Apoſtolus, *& Deus exaltauit illum.* Et rurſum: *Qui autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ; Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia.*

Sic & conſequenter Beata Virgo, quæ aſcendit ſuper omnes Creaturas, ipſa eſt quæ deſcendit infra omnes. O quanta fuit deſcendentis humilitas! ô quanta reſurgentis è tumulo, & aſcendentis in cœlum, & in Reginam hominum atque Angelorum coronatæ gloria! Quanto ſplendore cœlum ornat Caput illud coronatum! Quam iucundè lucet beatis omnibus corona illa ſtellarum duodecim! Sed væ tibi quiſquis es qui ad eius exemplum perfecte & integrè non vis humiliari! Audi quid pecces, audi quid audeas: *Stellam è corona Virginis extrahis: qui humilitati tuæ partem aliquam detrahis.*

Quæ propoſita Veritas vt manifeſtior fiat, ac ſimul magis appareat humilitas in Virgine exaltata, & Virgo in humilitate coronata, declarandæ ſunt illæ Virtutis partes ſiue gradus qui ſtellis duodecim deſignantur.

PRIMVS eſt, *Cognitio ſui*, Qua vnuſquiſque à ſe nihil ha-

Digitized by Google

bere cognouit ſed à Deo, cui refert totum acceptum. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt.* Hanc ſui perfectiſſimam cognitionem haud dubie Beata Virgo habuit, ſatiſque declarauit ſuo illo magnifico Cantico, quo præter vilitatem ſuam quam reſpexit Deus, cætera omnia quæ ab Elizabetha prædicabantur Deo retribuit. *Magnificat anima mea Dominum.* Iac. 1.

Iam vero huic gradui reſpondet ea gloria qua vbique ſic honoratur, & colitur, vt quæ ſunt propria Chriſto Domino, de illa per communicationem eiuſdem gratiæ cenſeantur & dicantur; vt quod ſit Ianua cœli, mediatrix, vita, ſpes noſtra, & ſimilia. *Tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in Te Beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* Sic ſanctus Auguſtinus. Serm 18. de Sanctis.

SECVNDVS gradus, *Se infra omnes ducere & reputare.* Sic illa ſe ancillam & vltimam omnium non verbo tenus, ſed corde & reipſa ſentiebat. At modo prima & ſuper omnes exaltata cognoſcitur. Nempe illa quæ dicebat, *Nardus mea dedit odorem ſuum,* Iam ipſa dicit: *quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion:* quæ ſunt arbores eminentiſſimæ, ſicut nardus, humillima. Cant. 2. Eccleſ. 24.

TERTIVS gradus, *Non ſe tantummodo reputare vltimum, ſed & reputari velle & talem libenter æſtimari,* poſtremum ſemper quærendo locum. Sic illa libentiſſimè: Sic illa quaſi vna è plebe infra omnes audiebat loquentem filium; ſic illa non modo poſt Apoſtolos, ſed poſt ipſas etiam mulieres quæ nominantur adeſſe in cænaculo poſtrema recenſetur. Nunc vero nullus eſt hominum & Angelorum cui non præſit & non præemineat, vno Deo inferior. Regina eſt Eſther cui duæ ſeruiunt famulæ, natura ſcilicet angelica & humana. Matth. 12. Act. 1. Eſther 15.

QVARTVS, *Silere & celare dona diuinitus ſibi data,* niſi purè ad gloriam Dei ſint reuelanda. Sic illa prorſus reticebat, nec quidem dilecto ſponſo Ioſepho myſterium Incarnationis Dominicæ communicauit, licet illum de ſe grauida non parum anxium & ſolicitum ſciret. Iam vero manifeſtata eſt omnibus eius gloria, nil Mariæ nomine clarius, nihil eius dignitate & merito notius: *Beatam me dicent omnes generationes.*

QVINTVS, *Singularitatem euitare, & popularis occaſiones auræ fugere.* Sic illa in purificatione & ſæpe alias cùm ſe poſſet pro-

Digitized by Google

bare Virginem & Matrem Dei, tamen abſtinuit: nec patraſſe miraculum, nec docuiſſe myſterium, aut vix à quoquam nominata dum viueret, reperitur. At modò, quot Sanctorum præconiis, quot Patrum Scriptis, quot Chriſtianorum omnium votis & vocibus celebratur? *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.* Iudith 15.

SEXTVS. Si laudes euitari non poſſint, *ſic eas audire quaſi non audias,* quaſi tuæ non ſint, ſed ipſius Dei, nec his aliter delecteris quam in Deo. Sic illa dum laudatur; *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Nunc verò videns id Deum velle, ſuas ipſa laudes ſuis inſpirat, quænam ſint ſibi iucundiores, indicat, quæ ſint gratiora obſequia: quæ munera ditiora. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis. In me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Eccl. ſi. 24.

SEPTIMVS, *Contemptum libenter pati quando ſic Deo placet.* Sic illa cum Filius in Cruce contemneretur, *ſtabat iuxta crucem,* & quantum Matri accedit de filij gloria vel ignominia, tantum illa de illatis filio probris & contumeliis, ſuam hauriebat partem. Nunc autem à filij gloria, gloria Mariæ Matris ſic eſt indiuiſa vt vix ſit dies Chriſto ſacer, vix vllæ ad Chriſtum preces deferantur, vix vlla Saluatori reddantur vota, quin ſimul Beata parens inuocetur, & colatur: nihilque demum tutius Chriſto poſſit offerri, quam per manus Mariæ matris. *Beatus homo qui obſeruat ad poſtes oſtij mei.* Prou. 8.

OCTAVVS, *Paupertatem profiteri,* carere neceſſariis, egentem vitam agere, & non niſi mendicato victitare. Sic illa frequentius, non modo cum in Bethleemitica ſpecu, & in Æegypto demorandum fuit: ſed cum Filius ageret inter homines, atque ita pauper eſſet vt non haberet vbi Caput reclinaret, miniſtrarentque illi piæ nonnullæ mulieres, credine tùm poteſt Matrem aliquid poſſediſſe? Nonne de ſuis filio communicaſſet? Aut ſi filio magis placebat pauperem vltro vitam agere, numquid & idem matri placuit? Quid quod ab ipſis egenis, preces efflagitabat & ſubſidium, vt refert ſanctus Ambroſius, *In prece,* inquit, *pauperis ſpem reponens.* At modò Illa eſt gratiarum omnium Diſpenſatrix, & Cœli Theſauraria, quæ de ſeipſa dicit: *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Luc. 8. l. 2. de Virginib. Prou. 8.

NONVS: *Subjici & obedire aliis, ex affectu humilitatis.* Sic illa non tantùm ſponſo, in omnibus, ſed cuiuis hominum, ſi cuiquam

Digitized by Google

cedendum & parendum fuiſſet, vt ſæpe contingit pauperibus qui paſſim repudiantur. Nunc vero huic obediunt & Angeli & Dæmones, nullaque eſt Creatura cui non dominetur. *Omnium, inquit, excellentium & humilium corda, virtute calcaui.* *Eccleſi. 24.*

DECIMVS, *Argui quaſi erraueris, cùm ſis tamen innocens. QVID eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ patris ſunt, oportet me eſſe. QVID mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Quibus filij verbis videbatur Virgo mater argui & errare, cum nihil tamen peccaret. At modo, inquit Petrus Damiani, *accedit ad aureum illud Diuinæ ſeueritatis tribunal, non rogans, ſed imperans, Domina non ancilla. Quomodo enim poteſtati tuæ obuiare poterit poteſtas illa quæ de tuis viſceribus traxit originem?* *Luc. 2.* *Ioan. 2.* *Serm. de B. Virg.*

VNDECIMVS. *Recuſari, aut raro accipere quod iuſte & rationabiliter videretur dandum, neque vllo modo negandum.* Sic illa ſi deſiderio ſolum ſuo ſatisfactum voluiſſet, numquam à Chriſti oculis & præſentia ſe ſeparatam voluiſſet. Et tamen tamdiu ſe ſeparatam vidit & ſuſtinuit, vt vix ab eius Reſurrectione ad ſequentes vitæ annos cum illo egerit. Nunc vero nihil plane illi recuſatur; *Pete mater, neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam. QVID vis Eſther regina? Quæ eſt petitio tua?* *3. Reg. 2.* *Eſther 5.*

DVODECIMVS, *Ejici patria, exulare, interdici ſuis bonis, & exponi omnibus miſeriarum modis.* Sic illa non modo fugiens in Ægyptum cum filio, ſed poſt eius Aſcenſionem in cœlum, cùm tantæ perſecutiones mouerentur in Iudæa, & vbique contra Chriſtianos, vt omnibus vel moriendum vel ſecedendum eſſet: nonne illa tùm ejecta eſt & in inſulam Pathmos cum Ioanne, cui à filio data erat in matrem venit exul, & multos ibi annos extorris & particeps vniuerſæ tribulationis quam ſubirent alij, demorata? Nunc autem ad eam gemunt & ſuſpirant omnes exules filij Euæ, cuius patrocinio liberentur & æterna tandem quiete potiantur. Sic ſanctus Thomas: *Sicut nauigantes*, inquit, *per ſtellam diriguntur ad portum: Ita Chriſtiani per Mariam ad ſalutis gloriam.* *Apoc. 1.* *Opuſc. de Salut. Angel.*

Quibus ita declaratis, & non minus affectu quam intellectu decurſis, Ratio Veritatis propoſitæ ſic procedit, quod ſtellam è corona Virginis extrahis ſi non ex æquo æſtimas omnes illos humilitatis gradus, ex quibus velut ſtellis corona eius texta eſt, prout ſupra deſcripti ſunt. Nam extrahere ſtellam ex illa corona, nihil aliud eſt quam in mente tua non putare vnum ex illis gradibus

tanta dignum gloria quanta hîc prædicatur. Si autem ex æquo non omnes æſtimas, perinde eſt ac ſi non putares aliquos aut ex illis vnum non ea dignum gloria quæ declarata eſt. Licet enim gradus poſſint eſſe inæquales meritis, dicuntur tamen ex æquo, id eſt, ſimiliter omnes illam mereri gloriam, quæ relucet & quæ celebratur in memorata corona: ac proinde ſimiliter merentur vt ita de his iudices & ſentias; aut certe ſi non ita ſentis & iudicas, tu inde tantum apud te ſubtrahis gloriæ & ſplendoris, quantum de æſtimatione diminuis, cùm in illa tua æſtimatione & iudicio conſiſtat tota gloria, qua dignum putas quemlibet humilitatis gradum. Sicut ſi quem diceres glorioſum & multum celebrares à diuitiis & deliciis quibus in vita potitus eſt, ego non eum propterea crederem ita glorioſum aut celebrandum, quia non multum æſtimo diuitias neque delicias, & quam modica eſt apud me diuitiarum ac deliciarum æſtimatio, tam parua & nulla eſt illorum gloria qui abundant diuitiis. Sic prorſus ratiocinari debes de illis duodecim gradibus ſeu ſtellis Coronæ Virginalis, ſi quem ex illis apud te minus æſtimas: minus etiam facis gloriam inde redundantem in Caput Beatæ Virginis, atque ita extrahis aut quantum in te eſt obſcuras illum ſplendorem, qui ex tali ſtella ſeu ex parte talis gradus in beatifica relucebat corona. Vellesne
Eccleſi. 24. ita eius obſcurare gloriam? *Qui elucidant me*, inquit, *vitam æternam habebunt.* At vero, qui obſcurant illam, quid putas habituros?

II. PVNCTVM.

SED ſi humilitati tuæ partem aliquam detrahis, non ex æquo æſtimas omnes humilitatis partes & gradus.

Nempe illam partem quam detrahis, hoc ipſo ſatis indicas te non ſimiliter æſtimare ſicut alias humilitatis partes, in quibus te exerces, aut quas non à te repellis ſicut iſtam, quæ idcirco dicitur detrahi quod illam in Praxi repudies.

Recenſeatur ille humilitatis gradus, aduocetur in mentem & diſcurſum pars illa quam auerſaris: ſit ea ſcilicet quæ ſeptimo & quæ octauo ponitur loco de contemptu tui & paupertate vitæ. Fatearis te in his humilitatis partibus deficere, nec te poſſe perſuaderi ad illas amplexandas. Nonne hoc idem eſt ac non illas æſtimare

Digitized by Google

æſtimare in Praxi ſicut alias de quibus es perſuaſus? Quid eſt enim perſuaſum eſſe de re quapiam facienda, niſi rem illam ita æſtimare factu vtilem aut neceſſarium, vt in effectum efficacem veniatur? Nonne qui perſuadere vellet tales humilitatis gradus, rationem perſuadendi depromeret ab vtilitate vel excellentia vel neceſſitate, vel aliqua demum alia Bonitatis & Commendationis parte qua ſolet animus perſuaderi? Vnde ſi tu nondum perſuaſus es ad Praxim illarum humilitatis partium, nonne hoc idem eſt ac profiteri te nondum videre illas eſſe vtiles aut neceſſarias aut aliqua ratione bonas & amplexandas? Nonne hoc denique eſt non illas æſtimare? Quid eſt enim æſtimare in Praxi virtutem aut aliquam virtutis partem? Quid eſt quod tu ipſe humilitatem æſtimes ex aliqua ſui parte, niſi quod iudices illam partem vel excellentem vel vtilem aut neceſſariam? Vnde à contrario quid ſequitur de aliis partibus à quarum Praxi abhorres, niſi quod aliud de illis iudices? Quid ſequitur niſi quod iudices illas non eſſe ita vtiles ac neceſſarias, & vno verbo niſi quod illas non ita æſtimes? *Non eſt nobis pars in Dauid,* Dicunt quidam rebelles: Id eſt, partem illam deſerimus, condemnamus, impugnamus. 2. Reg. 20.

Sitne verum aut falſum tuum iudicium, nihil hîc attinet dicere, cùm ſit ſatis ad exponendam propoſitionem id demonſtrari, quod ex humilitatis gradibus ſeu partibus ſi quid detrahis, ſi quid detrectas facere, ſi quid repudias, non illud ex æquo æſtimas ſicut alia quæ non ita refugis & auerſaris. O homo, quis te conſtituit iudicem & arbitrum in Diuinis illis decernendis?

III. PVNCTVM.

STELLAM *ergo è Corona Virginis extrahis, qui humilitati tuæ partem detrahis.* Quam enim partem detrahis, non illam in Praxi æſtimas ſicut alias: quam autem humilitatis partem non æſtimas, non illam ducis ea dignam gloria quæ celebratur in corona Beatiſſimæ Virginis, nam illa gloria eſt æqualis & vniformis, eſt vna eademque omnium ſtellarum illuſtratio; Tu vero qui aliter ſentis & iudicas de illis gradibus humilitatis, aliter etiam ſentias neceſſe eſt de illis ſtellis ſeu de illarum gloria: & prout erit modica quorundam graduum æſtimatio, tam parua & obſcura erit ſtella ſeu gloria quæ illi reſpondet gradui, ſicque

Digitized by Google

in tua mente, in æſtimatione, & in illa parte appretiatiua quæ eſt pars animi tui nobilior, tam parui facis gloriam quæ Virgini ex contemptu proprio, & paupertate vitæ acceſſit, quam tu paruī facis talem contemptum, talemque paupertatem. O te peruerſum
Act. 13. qui ſic peruertis cœleſtia! *O te inimicum omnis iuſtitiæ qui non deſinis ſubuertere vias Domini rectas!*

Nec dicas te probare & æſtimare in Virgine quod in te non probas nec æſtimas. Si enim illud æſtimares in Virgine, in te etiam æſtimares, aut teipſum condemnares. Nam ſi id probas in Virgine, non aliter probas quam quod Illa rectè iudicauit & æſtimauit. Si autem Illa recte iudicauit, tu qui oppoſitum de re eadem ſentis, nonne teipſum falſi condemnas iudicij? Aut Illa errauit aut falleris: Quia non poteſt eſſe tam diuerſum de re vna duorum iudicium quin alterutrum erret & fallatur. Nam quod eſt valde notandum, non modo Illa iudicauit talem ſibi gradum humilitatis eſſe neceſſarium, ſed & tibi etiam quando ſic vellet Deus vt contemnereris ſicut illa contempta eſt, atque idcirco etiam libenter tulit illum ſui contemptum vt ſic facilius perſuadereris eius exemplo tibi ſimilem eſſe ferendum; Vnde ſi fateris illam rectè ſenſiſſe, fatendum tibi eſt te errare in diuerſo de te iudicio; aut ſi te non putas errare, Illa decepta eſt cum iudicauit exemplum ſuum tale eſſe vt capax foret tibi perſuadendi bonum eſſe contemni & humiliari, quando ſic vellet Deus. Tunc enim tibi eſt æque neceſſarium atque illi fuit: Cur enim illi, niſi quia Deus
Rom. 9. ſic voluit? Et cur non tibi, ſi Deus æque vult? *Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?* Quis niſi erret?

Putaſne tibi vel vllas huius virtutis partes aliquando neceſſarias? Omnino putas, quia de quibuſdam tantum nobis eſt contentio? Sed cur illas dicis eſſe neceſſarias niſi quia Deus ita conſtituit & ordinauit? At quando ita permittit vt aut contemptum patienter feras, aut pecces non ferendo injuriam: Nonne ita tibi contemptum illum ordinat & conſtituit, quantum ſcis eſſe ordinatum & conſtitutum ne vmquam peccato conſentias?

Caue ne peccatum peccato adjicias, ne in Chriſtum ac Virginem ſimul pecces. Vterque enim te præmonet Verbis Sapientiæ,
Prou. 8. *Qui in me peccauerit, lædet animam ſuam.*

Digitized by Google

EODEM DIE, AD HÆC PSALMISTAE VERBA.

Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Pſ. 44.

VERITAS PRACTICA.

Reginam ſine regno dicimus, cùm Beatam Virginem dicimus huius præcipue regni Reginam, nobis non illi ſubjectis.

RATIO EST MANIFESTA, *Quia Regina ſine regno eſſe dicitur ſi regnum ei non eſt ſubjectum.*

Sed nobis non ſubjectis, regnum hoc non eſt ſubjectum Beatæ Virgini.

Ergo Reginam ſine regno dicimus, cum illam dicimus huius præcipue regni Reginam, nobis non illi ſubjectis. Quod eſt illi probroſum potius quàm honorificum, ac proinde cauendum.

I. PVNCTVM.

CONSIDERARI poſſent Tituli quibus Beata Virgo vere Angelorum ac hominum Regina eſt. Primus Maternitatis, *hoc ipſo enim,* inquit ſanctus Ioannes Damaſcenus, *quo facta eſt mater Regis regum, & Domini Dominantium, facta eſt ipſa conſors regni & Regina totius vniuerſi. Maria rerum omnium effecta eſt Domina, cum Creatoris mater extitit.* Expreſſius etiam ſanctus Athanaſius: *Quandoquidem ipſe rex eſt qui natus eſt de Virgine, idemque Dominus & Deus; eapropter & Mater quæ eum genuit & Regina & Domina proprie & verè cenſetur.*

l. 4. de Fide. c. 15.

Serm. de Deipara.

Secundus titulus deſponſationis factæ à Spiritu ſancto de qua ſic S. Anſelmus: *Ipſe Spiritus Dei venit in eam, ſingularique gratia præ omnibus Reginam & Imperatricem cæli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, fecit ſponſam ſuam.*

l. de Excell. Virg. c. 4.

Tertius titulus eſt, Excellentiæ Gratiarum & donorum Spiritalium. Nam quæ excellunt in vno genere, prima ſunt illius generis, & ita dicuntur regnare in cæteris quæ ſub illo genere continentur, vt ſint eorum regula & menſura, cui quantum ſe alia conformant, tam perfecta ſunt in ſuo genere. Nemini autem eſt dubium quin cæteris omnibus Creaturis rationalibus quæ ſunt capaces Gratiæ, ſanctiſſima Virgo præcellat. Tanta eſt Virgo, inquit ſanctus Chryſologus, *vt quantus ſit Deus ſatis ignoret ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Sanctus quoque Bernardus: *Nihil tibi ô Domina æquale, nihil comparabile. Omne quod eſt, aut ſupra te, aut infra te eſt. Supra te ſolus Deus: infra te omne quod Deus non eſt.*

Serm. 140.

Quartus eſt, Gloriæ, ſeuglorioſæ diſpenſationis Gratiarum quæ talis eſt in Beata Virgine vt nulla dicatur dari hominibus Gratia quæ per manus Mariæ non tranſeat. Sic aperte ſanctus Bernardus: *Altius*, inquit, *intuemini quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.*

In Natiuit. B. Virg.

Quintus, Electionis cùm quis in particulari aut plures vniuerſim conſenſerunt in electionem eius vt ſuiipſorum dominaretur, & ſe ſuaque omnia velut Regina regeret; qualis Electio ſingulari pietate Ludouici decimi tertij Gallorum Regis facta eſt anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, in quam vniuerſi Galli tum libentiſſime communibus omnium votis conſenſerunt, tum quot annis hac Die, paribus animis, conſenſum ſuum renouant & ratum fixum tenent.

O Galliæ dignitatem! ô Regni ſecuritatem! ô Reginæ potentiam!

Verùm quid dicimus, & quid facimus, cum illam facimus & dicimus Reginam noſtram niſi nos illi perfecte ſubjiciamus? *Reginam ſine regno dicimus & facimus*, quod certe eſt intolerandum.

Sic tamen eſt, & Ratio tàm euidens id demonſtrat vt mirum ſit ſi non intelligamus, aut ſi intelligentes non aliter eius honori proſpiciamus. Tum enim manifeſte Regina ſine regno eſt ſi quod-

Digitized by Google

cumque dicatur eius regnum non eſt ei ſubjectum, quod perinde eſt ac dicere ſi nullos habet ſubjectos quibus imperet, ſi nullum habet locum vbi regnet. Quid clarius? Eſto habeat ius & fiat illi injuria ſi iure ſuo non vtitur, interim tamen dum illo priuatur, tam verè poteſt dici ſine regno eſſe, quàm verum eſt illam non regnare. Regina Vaſthi eſt, regina nomine, nomen vacuum, inanis titulus; mera verba, res nulla. *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium.* Itane de Virgine ſentiendum? Itane de illa Virgine quæ vera eſt Eſther quæ nos morti deſtinatos liberauit?

Eſther 1. *Thren. 1.* *Eſther 15.*

II. PVNCTVM.

S*ED nobis illi non ſubjectis, regnum hoc non eſt ſubjectum Beatæ Virgini.*

Nos enim vel maxime ſumus Eius regnum, nos eius proprie ſerui & ſubditi ſumus: nobis vt imperaret, Rex Chriſtianiſſimus ſe ſuumque regnum, id eſt ſuos, id eſt, nos omnes dedit, dedidit & conſecrauit. Tolle à regno homines, quid ſuperſunt niſi feræ animantes, aut inſenſatæ creaturæ? Itane verò Virgini hæc ſunt oblata, quando illi regnum oblatum eſt? Si per Diuinas gratias quarum Illa eſt diſpenſatrix præcipuè regnat, vbinam effundet gratias, niſi adſint qui ſoli gratiarum capaces ſunt, homines? Niſi adſint humanæ voluntates quibus ſolis ditandis & regendis dona cœlitus effunduntur? *Da mihi animas*, inquit Illa, *cætera tibi tolle.* Tu vero è contra dices, Tibi cuncta ſunto, præter animas. Hoc ſi reuera diceres, nonne nos diceres non illi eſſe ſubjectos; & nonne diceres, nobis illi non ſubjectis, regnum hoc illi non eſſe ſubditum, cum nos ſimus eius regnum?

Noluerunt me regnare ſuper ſe, Id eſt, apud eos omnino non regnare. Sic loquuntur qui ſecundum Deum loquuntur, nam ſublatis hominibus ſuper quos regnent, non eſt vbi regnent. *Sede tacens & intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis vltra Domina regnorum:* Tollentur ſcilicet à te regna, cum tollentur homines quibus dominando regnabas. Quid clarius ad intellectum? Quid acutius ad affectum?

Luc. 19. *Iſ. 47.*

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

R*EGINAM igitur ſine regno dicimus cùm Beatam Virginem dicimus huius præcipue regni reginam, nobis non illi ſubjectis*, Qui regnum Eius ſumus in quibus omnibus aut regnet neceſſe eſt, aut in hoc regno non plene regnet. *Qui creauit me*, ait Illa, *requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in Electis meis mitte radices.* In quibus Verbis tria ſunt notatu digna; Primum eſt quod ab ipſo Deo quem genuit ius regnandi accepit. Secundum deinde eſt quod regnum eius eſt in Iacob, in Iſrael, id eſt, in homines. Tertium denique quod his in quibus regnat, Diuinæ ſignum eſt electionis; *In electis*, inquit, *meis mitte radices* æternæ ſcilicet vitæ. Sic Illa paulo poſt ſupra dicta: *In me gratia omnis viæ & Veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Id eſt, nihil graue & moleſtum in regno meo, cùm in id potius regnem vt ſi quid eſſet graue, mitigarem. *Tranſite vero ad me*, emphaticum eſt & energicum verbum: quaſi diceret. Tranſite à voluptate ad virtutem, à libidine ad Rationem: à natura deprauata ad gratiam: à lege mortis ad legem vitæ: ab ancilla quæ eſt caro indomita ad Reginam veſtram quæ & Mater veſtra eſt, nihil vt in ea timeatis auſterum.

Eccleſ. 24. *Ibid.*

Vide quid obſtet quo minus in te regnet, neque hinc diſcedas quin vere ei dicas quod eſt in Scriptura: *Dominare noſtri, Tu & Filius tuus.* *Iud. 8.*

Vide & in Feſto Annuntiationis, in 2. parte.

EODEM DIE, AD HÆC SALOMONIS VERBA.

Pete mater mea: neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam. 3. Reg. 2.

VERITAS PRACTICA.

Quàm Chriſtus in Matrem pius eſt, concedendo illi omnia: tam ſumus impij negando quod poſtulat.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia idcirco Chriſtus concedit Matri omnia quia Eius filius eſt; & quia pium eſt ſic filium Matri concedere quidquid petit.*

Sed nos etiam ſumus Eius filij; & à nobis nonnulla poſtulat quæ denegare filios Matri tam impium eſt, quam eſſet pium illi concedere.

Ergo quàm Chriſtus in Matrem pius eſt concedendo illi omnia quæ ab Ipſo petit: tam ſumus Impij negando illi quod poſtulat. Quod certe eſt expauendum.

I. PVNCTVM.

REVOCANDA eſt in memoriam ex libris Regum hiſtoria, qua narratur ſedente Salomone rege in throno Dauid Patris ſui, veniſſe ad ipſum Bethſabee matrem vt 3. Reg. 2.
loqueretur ei pro Adonia. *Et ſurrexit rex*, inquit Scriptura, *in occurſum eius: adorauitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matri regis quæ ſedit ad dexteram eius, dixitque ei: Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea, neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam.*

In quibus Verbis & factis tria deſignantur quæ aptè conueniunt aſſumptæ in cœlos Virgini Matri. Primum eſt veniſſe Filium in occurſum eius, & cum eo multa Beatorum ac præſertim Angelorum millia, de quorum miniſterio & celeberrimo in cœlos introitu, licet tantiſper cogitare. Secundum eſt, poſitum eſſe thronum Matri iuxta Filium, Id eſt, locum ſeparatum, excelſum, ſublimem, ſingularem de quo Ipſa ſub nomine Sapientiæ: *Thronus* Eccleſi. 24.
meus in columna nubis, admirando ſcilicet modo factus. Admirare. Tertium denique eſt ſedentem illic Beatam Virginem poſtulare pro nobis, & paratum Eius Filium tanto fœlicius illi concedere omnia quæcumque petit quàm Illa in petendo prudentior eſt Bethſabee Matre Salomonis: & quàm Chriſtus eſt melior & beneficentior Salomonè, de quo & de ſeipſo dixit: *Ecce plus quam* Matth. 12.
Salomon hic. ADVOCATAM, inquit S. Bernardus, *præmiſit pe-* Serm. 1. de
regrinatio noſtra quæ tamquam Iudicis mater, & mater miſericordiæ Aſſumpt.

Digitized by Google

ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Quia verò Praxim ſpectamus, & quia nonnulla ſunt quæ à nobis ſimul atque à Filio Beatiſſima Virgo poſtulat, quæ tam nefande & impiè illi negamus, quàm pie conſtanterque Chriſtus illi concedit omnia; idcirco tantæ impietatis ad talem comparatæ pietatem vt nos pudeat & pœniteat, ſic proponitur Veritas modò expendenda: *Quàm Chriſtus in Matrem pius eſt concedendo illi omnia, tam impij ſumus negando illi quod à nobis petit.*

Ratio allata paucis multa complectitur, quæ breuiter etiam attingemus, vel quia ſatis ex ſe patent, vel quia facile eſt vnicuique quod velit amplius aliunde ſibi comparare. Prima itaque propoſitio tria hæc diſtinctè continet: Primum, Beatam Virginem ſic de nobis eſſe ſolicitam apud Filium, vt inter rationes cur in cœlum ſit aſſumpta, hæc afferatur ab Eccleſia, vt ſic efficacius res noſtras agat. Certe ſic orat Sacerdos in ſacro Miſſæ ſacrificio: *Munera noſtra, Domine, apud Clementiam tuam, Dei genitricis commendet oratio, quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat.*

Secundum eſt, tam propenſum eſſe in Matrem Filium vt quidquid Mater petat, concedat filius, quia illa Mater eius eſt, quia hic filius eius eſt. Sic deſerte ſancti Patres: *Gaudet Filius orante Matre,* inquit Theophilus Alexandrinus, *quia omnia quæ nobis eius precibus donat, ipſi matri ſe donare putat, & accepta ab illa ſine Patre, humanitatis vices reddere.* Sic Arnoldus Carnotenſis, Abbas bonæ vallis, ſancti Bernardi Diſcipulus, tractatu de laudibus Virginis matris: *Habet homo,* inquit, *Mediatorem cauſæ ſuæ filium ante Patrem: & ante filium, matrem. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera: Maria Chriſto pectus & vbera. Nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi concurrunt & orant omni lingua diſertius, hæc clementiæ monumenta, & Charitatis inſignia.* Sanctus quoque Anſelmus poſt multa de hoc argumento, ſic concludit: *Dum igitur à quouis, ſuo nomine inuocatus Dominus non ſtatim exaudit, profectò id iuſte facit. Inuocato autem nomine Matris, etſi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur: merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.*

In Epiſtolis Tempore S. Hieron. in Bibl. Pat.

L. de Excell. Virg. c. 6.

Tertium denique, ſic conſtanter Filium Matri eſſe beneuolum ac indulgentem, quia ſic pium eſt Matri deferre filios. Certe hanc pietatem filiorum in parentes non modo ſacræ leges & profanæ

profanæ præcipiunt, ſed & ipſa profitetur natura non tantum in hominibus à vera religione alienis, ſed in feris ipſis animantibus quarum mira ſunt exempla naturalis hujus pietatis. At nullum tale eſt exemplum in hoc genere tam potens & ſuaue quàm Chriſti Domini propter rationes infra dicendas. O quantus honor Matri ſic in omnibus audiri à Filio! Quanta hinc hominum fœlicitas talem in cœlis habere Matrem quæ nec ipſos recuſat dum poſtulatur; nec recuſetur à Filio dum pro ipſis poſtulat!

II. PVNCTVM.

SED nos etiam ſumus Eius filij: & à nobis nonnulla poſtulat quæ illi denegamus: & quæ negare filios matri tam impium eſt, quàm pium Chriſto eſt illi concedere.

Tria hic etiam ſeparatim expendenda. Primum eſt, nos eſſe filios Beatiſſimæ Virginis Matris, quæ Mater noſtra triplici quadam ratione dici poteſt. Primo per adoptionis gratiam qua fratres Chriſti ſumus, & ſicut Ille, ſic ſumus Filij Dei & Filij Virginis, *Ecce mater tua: PROPTER quam cauſam non confunditur fratres eos* *Ioan. 19.* *vocare dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis:* inquit Apoſtolus. *Hebr. 2.* *Pſ. 21.*

Secundo per Moralem & Spiritualem quandam parturitionem, cùm iuxta Crucem pendentis & morientis Filij poſita, conſenſit in eius mortem, qua redimerentur homines ab æterna morte & vitam viuerent Spiritualem ac æternam. Sicut enim Deo Patri debemus hanc Spiritalem & æternam vitam, atque hoc etiam nomine Pater noſter eſt, quia nobis dedit Filium ſuum qui moriendo vitam illam mereretur nobis aliquando conferendam: Sic ſuo modo eandem debemus Virgini Matri vitam, & eo nomine mater noſtra eſt, quia eundem nobis dedit Filium pro materno iure quod in Illum habebat, & in eundem finem quo Pater dedit; neque enim Chriſtus minùs erat filius Matris ſuæ quam ſui Patris: nec minus quodam ſenſu Mater poterat ſuum filium dare in redemptionem noſtram, quàm dedit Pater, vnde ſanctus Bonauentura non dubitauit de illa dicere quod Chriſtus de ſuo dixit Patre: *Sic Maria dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret:* & addit, *Ioan. 3.* *nullo modo dubitandum eſt, quin virilis Mariæ animus voluit tradere filium ſuum pro ſalute generis humani, vt mater per omnia conformis eſ-*

Digitized by Google

ſet Patri & Filio. Sic Arnoldus qui ſupra, Carnotenſis: *Omnino tunc erat vna Chriſti & Mariæ voluntas, vnumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo, hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis: vnde communem in mundi ſalute cum illo effectum obtinuit:* Sic denique ſanctus Ioannes Damaſcenus: *Quos in partu dolores effugerat, paſſionis tempore ſuſtinuit: nempe vt quos dolores effugerat Chriſtum pariens, ſuſtineret reparturiens.* Vide Diuum Bernardum ſermone tertio In Purificatione Beatæ Virginis, vbi de duplici ſacrificio veſpertino, & matutino.

L. 4. de Fide Orthod. c. 15.

Apoc. 20.

Tertio, cùm toties poſt perpetratum peccatum indigni vita & gratia prorſus eſſemus, nihilque aliud iam nos maneret quàm mors illa ſecunda quæ Infernus & damnatio dicitur: Illa tum Virgo Sanctiſſima noſtri miſerta, fatalem illam mortem auertit: Illa peccati veniam exorauit: Illa Gratiam obtinuit & qua è peccato reſurgeremus, & qua rurſum viueremus vita filiorum Dei, atque ad illam vnde excideramus æternam beatitudinem reuocaremur; Nonne vel hoc nomine tam vere mater noſtra eſt, quam verè mater eſt miſericordiæ quâ nos ad perditam licuit redire vitam? Agnoſce & venerare.

SECVNDVM in hac ſecunda Propoſitione contentum, hoc eſt, Sanctiſſimam illam Matrem noſtram à nobis nonnulla petere quæ illi denegamus. Quod quidem mirum & auditu nouum videri poteſt, ſed tamen ita verum eſt & perſpicuum, vt non ſit verius dicere quod ait ſanctus Hilarius, *De noſtro eſt beata illa æternitas promerenda:* quàm verum eſt affirmare nonnulla Matrem noſtram à nobis petere, quo ipſo tempore illam rogamus, vel vniuerſim pro ſalute noſtra, vel particulatim pro ſingulari quadam gratia. Nam illud quod à nobis neceſſariò eſt conferendum, vel ad ſalutem vniuerſam, vel ad illud particulare donum quod petimus: illud eſt, inquam quod à nobis æque Mater poſtulat, ac poſtulamus ab Ea quidquid nobis eſſe opus arbitramur. Quod vt facilius etiam intelligatur, aduerte, vix quidquam in Praxim venire virtutis aut boni operis exercendi, in quo non ſit aliquid facilius, & aliquid ſimul difficilius. Ac quidem ad illud facilius exequendum ſufficit communis & ordinaria gratia quæ nulli deeſſe dicitur: Ad aliud vero difficilius, majori opus eſt ſubſidio, Diuinaque nobis gratia vehementius exoranda. Tum vero propterea conuertimur, aduolamus & aduoluimur ad thronum benificentiſſimæ noſtræ

In 7. Matt.

Digitized by Google

Matris; oret illa Filium, exoret illa majorem gratiam, potentius illa impetret ſine quo nihil à nobis fiet, ſubſidium. Bene habet, non deerit, non te repellet oratura pro te Filium, nec à Chriſto filio repelletur, vt diximus. Verùm, neque tu Illi nec tibi deſis. Eſt ordo quidam in gratiis & in operibus exercendis: fac prius quod eſt factu facilius cum illa gratia quæ te nondum deſeruit, tum ſic diſponéris ad majorem quam petis gratiam & ad aliud difficilius exequendum. Atque hoc eſt quod te rogat ſimul ac illam rogas. Sicut in illis nuptiis quæ factæ ſunt in Cana Galilææ, quando petiuit à filio vinum, petiuit ſimul à Conuiuis aquam: petiuit vt darent quod habebant quia ſic ordinatum erat à Filio vt non id aliter daret quo egebant. Sic plane quando tibi peccatorum veniam, vel inſignem Caſtitatem, vel feruentem orationem vel quid aliud difficilius ab Eodem ſuo filio petit, petit à te ſimul eodemque prorſus tempore, vt quod tuum eſt non omittas: vt quod eſt facilius in illa materia de qua tum agitur, non negligas. *Da quod habes ſi vis quod non habes.* Hæc Veritas fuſe probata eſt in prima parte. *Ioan. 2.* *Dom. 2. poſt Epiph.*

Nec dicas, te non Illam audire petentem ſicut Illa te audit: nam hoc ipſo quo non ignoras vnum pendere ab alio, nec aliter conſequens dari niſi prius antecedenti dato, tùm te oportet ſcire & intelligere, ſic illud à te peti quod eſt neceſſarium ad aliud, ſicut tu hoc aliud conſequens petis. Ipſa eſt rerum natura & exigentia quæ hoc petit & quam non ignoras. Si petis meſſem ad Agricola, petit à te ſementem, etiamſi nihil dicat, quia non eſt meſſis ſine ſemente. Si petis à Sacerdote peccati abſolutionem, petit ille à te peccati Confeſſionem, quia non eſt ordinaria peccati abſolutio ſine peccati confeſſione. Sic, ſi petis à Beata Virgine talem Caſtitatem vt vel nullo impuro mouearis motu, vel nulla inficiaris cogitandi macula, petit à te vt contineas linguam, oculos & congreſſus ſi quos liberiores facis; quia ſic res ipſa exigit vt animi cogitatio non ſit munda, niſi mundi ſint oculi.

Nunc ergo filij audite me, audite diſciplinam & nolite abjicere eam. *Prou. 8.*

Hoc eſt in quo deficimus, hoc eſt quod illi negamus, hæc ſola cauſa eſt cur quæ rogamus non impetremus. Nam cum vt dictum eſt, neque bonitas illi deſit vt nos audiat, nec poteſtas vt audiatur à filio: Quid poteſt ſupereſſe ad effectum, quid poteſt intereſſe ad orationis tuæ defectum, niſi quod tu tibi deſis, niſi quod

Digitized by Google

tu illi neges aquam vt vinum impetret? An accuſabis eius bonitatem quod nolit benefacere cum id poſſit? An de illius poteſtate detrahes quaſi non poſſet quod vellet? Neutrum potes ſine blaſphemia, vnde hoc ſolum ſupereſt vt illi neges quod petit: & Prou. 1. quod vetat Sapiens, *dimittas legem matris tuæ*, quam ſi obſeruares, *redderetur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*, vt Idem ait.

IAM verò quod tertium eſt, quàm ſit id impium, ſic te filium matri tuæ denegare quod illa petit, tu ipſe attentius conſidera, perpendendo qualis illa ſit Mater, quali iure quod petit, exigat: quali quantoque vinculo tenearis ad eius obſequium, quàm grauiter ferre poſſit non modo ſe à te recuſari, ſed non poſſe tibi prodeſſe, quod nolis leue neſcio quid concedere, ſine quo neque Illa nec Filius ſalutem tuam promouere poſſint. Sic videt euaneſcere preces tuas, ſic deuotionem perire, ſic periclitari ſalutem, ſic ipſas gratias inanes reddi, ſic ſe ipſam tibi velut inutilem & otioſam fieri, cùm ſine te nihil in te operetur. Nonne hoc ingratum, nonne hoc impium? *Gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris.* Eccleſ. 7.

III. PVNCTVM.

QVAM *Chriſtus igitur in Matrem pius eſt concedendo illi omnia, tam ſumus impij, negando illi quod à nobis petit*: Cùm non alio nomine concedat ei Chriſtus quàm quia poſtulat mater, quàm quia filius eius eſt; Et nos eodem gloriemur nomine, nos Eius filij ſimus, noſtra ſit illa mater cui triplicem debemus vitam, ſpiritualem, æternam & ipſam naturalem, quæ poſt peccatum toties perire debuerat quoties peccatum eſt, niſi manum illa perimentis Iuſtitiæ tenuiſſet, & reuiuiſcendi gratiam impetraſſet.
Pſ. 93. *Paulo minus habitaſſet in Inferno anima mea.*

Non ita certe Chriſtus obſtringebatur Matri ſuæ à qua vnam naturalem & ſemel tantum vitam acceperat: atque ita etiam acceperat vt quidquid Filio dedit mater, prius mater à Filio receperit. Adde quod cùm Illa Filium rogat in noſtri gratiam, quamtumcumque is qui rogatur ſit Eius filius; Eius tamen ſimul & noſter eſt Dominus, qui pro ſuo ſummo Dominio poſſet ſi vellet & illi & nobis recuſare poſtulata, poſtquam præcipue tot modis à Pſ. 134. nobis offenſus eſt, vt Diuinæ Iuſtitiæ vis quædam inferri videatur, quando ſic fulgura in pluuiam deſinunt, & pœnæ peccatorum

Digitized by Google

in veniam deflectuntur. At vero Illa eſt ita mater noſtra vt ſit etiam Domina, ſit Regina, ſit ſummæ poſt ſuum filium poteſtatis in nos omnes, quæ de nobis poſſet ſtatuere, ordinare, imperare pro ſua libera voluntate, quale illud cumque eſſet quod iuberet. Et tamen, ô quid mirer magis, an eius bonitatem an noſtram ingratitudinem! Nihil à nobis exigit niſi rogando, niſi amanter poſtulando; nec quidquam poſtulat niſi quod bono noſtro cedat, niſi quod multis nominibus debeamus, licet id non poſtularet. Et nos eò vſque ingrati ſumus & impij, vt vix aliquando quidquam concedamus, vix eius poſtulatis tantillum deferamus! *Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit!* *Deut. 21.*

Expende rem accuratius, reuolue hæc animo tuo Verba, *Recuſare tantæ Matri quod tam iuſte petit!* Nonne ipſo verborum ſono ſentis quàm id ſit plane ingratum, injuſtum, impium, imo & inconſultum ac veſanum, cùm tu alioquin fruſtra illam roges niſi ab illa rogatus tam libenter rogantem exaudias quàm cupide velis exaudiri? Dic ſodes, quid intendis, quid rogas, quorſum illam precaris, ſi quod tibi offert negas, negando condicionem qua tibi offert? Nonne hoc eſt vel præſumere ſe poſſe aliter quàm cœlitùs ſit conſtitutum, obtinere: aut deſperare ſalutem? Nonne hoc eſt hypocritam agere, cùm te diſſimules velle & petere quod reuera non vis? Nonne hoc denique præuaricari eſt, cùm vna manu deſtruas quod altera ædificas, & te illi opponas quam rogas vt ſe opponat tuo Iudici? Hoc vno magis offenditur quàm in cæteris honoretur, quia illud vnum maxime curat vt quod tuum eſt diligenter agas; Quod ſi negaueris, ſcito id illi eſſe grauius, quàm tibi foret, ſi tibi negaretur quod petis ad ſalutem, nam illa te magis ſaluum deſiderat quam tu ipſe velis.

O pete Mater, neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam.

EODEM DIE: AD HÆC CANTICORVM VERBA.

Fulcite me floribus: ſtipate me malis: quia amore langueo. Cant. 2.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Quò te minùs ſentis amare Chriſtum, hoc ipſo magis amore mori poteris.

RATIO EST, Quia quò te minus ſentis amare Chriſtum, hoc ipſo magis dolere poteris.

Sed tunc magis amore mori poteris, cum reuera magis dolebis quod minus Chriſtum ames.

Quò te ergo minus ſentis amare Chriſtum, hoc ipſo magis amore mori poteris.

QVOMODO Beatiſſima Virgo Deipara ſit ex Amore Filij mortua, fuſe habes apud Dominum de Sales Epiſcopum Gebennenſem in tractatu de amore Dei, libro ſeptimo, & libro ſexto antecedenti vbi quæcumque ad hanc materiam, atque ad propoſitæ Veritatis elucidationem ſpectare poſſint, reperies. Tu tantum ad Praxim reuoca.

Die 20. Auguſti.

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS.

Homo ſanctus manet in Sapientia, ſicut Sol. Eccleſi. 27.

VERITAS PRACTICA.

Vera Deuotio inter varietates locorum & temporum, inuariabilis.

Digitized by Google

RATIO EST, Quia vera Deuotio eſt prompta & vera voluntas ſeruiendi Deo.

Sed talis voluntas inter varietates locorum & temporum eſt inuariabilis.

Ergo & vera Deuotio, ſicut videre eſt in ſancto Bernardo, qui propterea Deuoti nomen obtinuit.

I. PVNCTVM.

QVOD in libro Eſther legitur, *Paruus fons creuit in fluuium & in lucem ſolemque conuerſus eſt*, apte applicari poteſt ſancto Bernardo qui è loco *Fontanis* dicto in Burgundia: lux magna Galliæ & Sol totius Chriſtiani orbis extitit. Hic enim non modo ſplendore virtutum & miraculorum toti luxit Eccleſiæ, ſed velut Sol vniuerſa luſtrans ſic vnus à Deo deſtinatus erat ad eius componenda negotia, vt vix vlla eſſet contentio inter Principes, Reges & Dynaſtas, cuius non eſſet arbiter; vix vllum apud ſacros Præſules & Summos ipſos Pontifices opus promouendum cui non præficeretur; vix vllum denique in Eccleſia Concilium contra Schiſmaticos & in Imperio bellum contra Infideles quò non imprimis vocaretur, & cuius nutu pene omnia gererentur. *Eſth. 10. & 11.*

Sed quod ad ſolis ſimilitudinem magis accedit, ſicut Sol inter varias anni tempeſtates aut diuerſos noctium dierumque recurſus, vnus ſemper Idemque inuariatus manet, ſic plane Deuotus ſanctus Bernardus inter tot varietates locorum & temporum, inter tot diuerſas & moleſtas negotiorum moles vnus idemque ſemper ſui ſimilis fuit, vt vere Homo ille ſanctus ſit de quo Sapiens: Qui manet in Sapientia & in deuotione ſicut Sol.

Vis audire quantis externis agitaretur motibus aut diuerſis etiam videretur indui formis? *Clamat*, inquit, ad ſuos Clareuallenſes, *clamat ad vos mea monſtruoſa vita, mea ærumnoſa conſcientia. Ego enim quædam Chimera mei ſæculi; nec Clericum gero, nec Laicum. Nam Monachi iam dudum exui conuerſionem, non habitum. Nolo ſcribere de me, quod vos per alios audiſſe exiſtimo, quid actitem, quid ſtudeam, per quæ diſcrimina verſer in mundo, imo per quæ iacter præcipitia.* *Ep. 249. 1.*

Cant. 1. Ser. 43. At vero audi ex eodem ipſo dum in illa ſponſæ Verba ex Cantico Canticorum ſcribit, *Faſciculus myrrha Dilectus meus mihi, inter vbera commorabitur*, Audi & mirare qualis intus in animo permaneret, quàm conſtans, quàm inuariatus, & vnus Idemque in Italia atque in Gallia; vnus inter Principes atque plebeios: vnus inter ſæculares atque Religioſos: vnus denique atque idem in proſperis, & in aduerſis. *Et ego*, inquit, *fratres, ab ineunte mea conuerſione pro aceruo meritorum quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei*; Et poſt multa de illis amaritudinibus patientis Chriſti, *Hac me*, inquit, *erigunt in aduerſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiaque vitæ præſentis, via regia incedenti, tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando.*

Videri poſſunt quæ fuſius ibi proſequitur, atque ex eius dictis confirmari Veritas debet, cuius exemplo formatur; *Quod ſcilicet vera Deuotio inter varietates locorum & temporum ſit inuariabilis.*

Ratio autem petitur ab ipſa Deuotionis natura, quæ vt ait
2. 2. q. 82. a. 1. ſanctus Thomas, nihil aliud videtur eſſe quàm *voluntas quædam prompta tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* Ipſa ſunt eius Verba quæ & variis Scripturæ locis & ſanctorum Patrum dictis facillime poſſent illuſtrari, ac contra falſas quaſdam deuotionis Ideas quas ſibi quiſque format, produci. Videntur porrò
2. Macch. 1. cuncta his paucis comprehenſa Verbis: *Det vobis cor omnibus vt colatis eum & faciatis eius voluntatem, corde magno, & animo volenti.* Expende Verba.

II. PVNCTVM.

SED *talis voluntas inter varietates locorum & temporum eſt inuariabilis*, Id eſt, ſemper & vbique cum Gratia poteſt eſſe prompta & parata ſe tradere ad ea omnia quæ ad Dei famulatum ſpectant.

Cum enim gratior & acceptior Dei famulatus ſit Voluntatem Dei facere, cùmque inter varietates locorum & temporum ſemper ſpectari & fieri poſſit Diuina voluntas; quid eſt quod noſtra voluntas ſi cum Gratia velit, non poſſit illam Diuinam facere tàm promptè & conſtanter in vno loco & tempore, ſicut in alio?

Dic e

Digitized by Google

Dices forſan, difficultates & implicatas occupationes interuenire & obſtare quo minùs ſemper æquali facie & animo acceptentur & gerantur: nec proinde ex æquo, Diuina voluntas fiat neque Deo ſeruiatur. Reſponſio eſt facilis, id quidem poſſe dici quoad ſenſum & primos animi motus, qui vel in poteſtate noſtra non ſunt, vel ſi ſubſint rationis imperio, poſſunt à voluntate dirigi & ſic inflecti vt quidquid ſenſus & pars inferior ſentiat, Ratio tamen & pars illa ſuperior qua verè Deo ſeruitur & eius voluntas efficitur, ſit ſemper eadem, ſemperque conformis Diuinæ prouidentiæ & voluntati, quæ ſic de rebus & euentis diſponit.

Sic Dauid in tam variis quas gerebat rerum vicibus & figuris: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. SEMPER laus eius in* *Pſ. 56.* *ore meo.* Quin quod Romanus Philoſophus de ſuo id Sapiente prædicat: *Sapiens*, inquit, *malis non premitur ſed vtitur. Nouit in ad-* *Sen. Ep. 86.* *uerſis aeque ac in ſecundis ſuam explicare virtutem. Non ex ebore tantum Phidias ſciebat facere ſimulachra: faciebat ex ære. Si marmor illi, ſi viliorem materiam quis obtuliſſet, feciſſet quale ex illa fieri optimum poſſet. Sic Sapiens: ſi licebit, virtutem in diuitiis explicabit: ſin minus, in paupertate. Si poterit, in patria: ſin minus, in exilio. Si poterit, Imperator: ſin minus, miles. Si poterit, integer: ſin minus, debilis.* Et Chriſtianus hoc non poſſet Diuina fauente Gratia? Confundere, ſi quid tale cogitaſti.

III. PVNCTVM.

VERA *ergo deuotio inter Varietates locorum & temporum eſt inuariabilis*, aut non eſt vera: Nam in hoc ſita eſt vera Deuotio vt quantum cum Diuina Gratia fieri poterit, ſemper ſit prompta & parata noſtra voluntas ad Diuinam efficiendam. Sic autem ſemper prompta & parata eſſe poteſt in quacumque varietate locorum & temporum, cum iſta varietas ſit à Diuina voluntate quæ nos circumquaque diſpergit ſicut ventus nubes; Vnde eſt illud egregium Iobi trigeſimo ſeptimo: *Frumentum deſiderat nubes, &* *Iob. 37.* *nubes ſpargunt lumen ſuum: quæ luſtrant per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum.* Sic de Apoſtolis & Apoſtolicis viris dicitur; *Qui* *Iſ. 60.* *ſunt iſti qui vt nubes volant?* At ſic volando per vniuerſum orbem & per tot varia ſuorum miniſteria munerum, nonne pietatem

colere aut Deuotionem conſeruare poterant; voluntatem ſuam ita obfirmando inter illas varietates vt in vno Deo, vna eademque
2. Cor. 4. perſiſteret? *In omnibus tribulationem patimur,* inquit Vnus pro omnibus, *ſed non anguſtiamur: aporiamur ſed non deſtituimur, ſemper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes.* Et poſt multa: *Propter quod non deficimus: ſed licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouacatur de die in diem.* Sicque
Ibid. 6. nos Idem omnes efformabat, vt *exhiberemus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in neceſſitatibus, in anguſtiis, per arma Iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris: &* quæ ibi plura proſequitur.

Serm. 43. Sic ſanctus etiam Bernardus exemplo ſui nos prouocat ad habendam memoriam patientis Chriſti & conſeruandum vbique pietatis affectum. *Hunc & vos, dulciſſimi, tam dilectum faſciculum colligite vobis, hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris, vt & vobis inter vbera commoretur. Habete illum ſemper non retro in humeris, ſed ante præ oculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat & odor non erigat. Momentote quia accepit eum Simeon in vlnas ſuas, Maria geſtauit in vtero, fouit in gremio, ſponſa ſibi inter vbera collocauit.* Et poſt pauca: *Exemplo ergo ſint vobis vt & vos ſimiliter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, leuius veſtras portabitis, ipſo auxiliante Eccleſiæ ſponſo qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.*

1. Cor. 15. *DEO gratias qui dedit nobis victoriam per D. N. IESVM CHRISTVM. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles abundantes in opere Domini ſemper.*

Vide in 2. parte, Fer. 5. Sexageſimæ. Et Fer. 3. Octau. Aſcenſionis, Vbi hæc habetur Veritas:

Sic internis externa ſunt temperanda, vt neutrum eorum importunè, & vtrumque opportunè ſibi cedat.

Digitized by Google

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Die 24. Auguſti.

Detracta pelle hoſtiæ, artus in fruſta concident. Leuit. 1.

VERITAS PRACTICA.

Mortificatione potius tibi ſunt omnia ſubtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

RATIO EST, Quia mortificatione potius tibi ſunt omnia ſubtrahenda, quàm tibi vera deſit & Chriſtiana mortificatio.

Sed ſi quid quouis modo mortificationi detraheretur, tibi vera & Chriſtiana deeſſet mortificatio.

Ergo mortificatione potius tibi ſunt omnia ſubtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum. Quod tamen rarum eſt, & exemplo huius ſancti Apoſtoli excitandum.

I. PVNCTVM.

HOC habuit ſanctus Bartholomæus Apoſtolus in ſuo Martyrio eximium & ſingulare, vt ſicut antiquitus hoſtia iubebatur offerri, detracta pelle, & in partes conciſa, ſic ille inaudito ſupplicio poſt innumeros iam exanthlatos labores in citeriori India & in majori Armenia pro Chriſto, paſſus eſt ſibi viuo pellem detrahi & caput abſcindi, ſicque ſe velut viuentem hoſtiam Deo immolari. O quale hominis pectus, quale animi robur, & amoris Diuini fortitudo! Nam ſi Ioſephi fidelitas in Dominum ſuum, ſi Ionathæ amor in Dauidem commendantur, quod *Gen. 39.* *1. Reg. 18.*

ille pallium, hic tunicam deſeruerint; quanto majori dignus commendatione & præconio ſanctus hic Apoſtolus qui pellem qui ſanguinem, qui caput, qui vitam & omnia ſua Domino tam horrendis modis conſecrauit?

O quantum poterat & valebat in Beatis illis viris amor Chriſti, pro quo talia tam libenter paterentur! O quantùm illa tanta quæ pro Chriſti amore paſſi ſunt, deberent animos noſtros commouere ad hunc Chriſti amorem in nobis excitandum, & aliquam animi noſtri teſtificationem exhibendam? Propterea hîc Veritas proponitur expendenda, quæ quantum fieri poteſt cum Gratia nos ad exemplum huius ſancti Apoſtoli conformes omnino faciat, perſuaſum illud habendo, *Quod mortificatione potius nobis ſunt omnia ſubtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.* Quod ne in primo aditu nimis nouum & arduum videatur, hoc ipſum eſt quod commendabat Ille Romanis qui ait: *Obſecro itaque vos fratres, per*
Rom. 12. *miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

Ratio verò quæ affertur, valde eſt conſideranda, quòd quæ ſpectant ad hanc materiam de vera mortificatione minùs forte nota, dilucidet, & in quotidianam Praxim adducat. Cum enim prima propoſitione dicitur Mortificatione potius tibi omnia ſubtrahenda quam tibi deſit vera & Chriſtiana mortificatio, manifeſtè indicatur falſam quandam eſſe & non Chriſtianam mortificationem, ac proinde quænam ſit vera, quænam falſa, neceſſario declarandum. Sic autem eſt, non omnes qui ſe cruciant aut mortificant, verâ ſe mortificatione exercent.

3. Reg. 18. Quantùm ſe cruciarent Prophetæ Baal, refert ſacra Regum hiſtoria. Quantis ſe Athletæ diuexarent modis, vt in ſtadio palmam poſſent conſequi, ſcribit fuſe Caſſianus in Inſtitutis. Quanti
l. 6. de Inſtit. c. 7. laboris eſſet patiens perduellis ille Catilina, quamque Apoſtolis noſtris pene ſimilis in laborando, narrat ſanctus Auguſtinus in libris de Moribus Manichæorum. Quàm multi fuerint hæretici qui
l. 2. de Morib. Manich. c. 13. Catholicos arguebant quaſi Pſychicos & animales quod non ita ieiunarent ac ipſi, ſatis compertum eſt in Eccleſiaſticis authoribus.
Tertullianus anno 200. Quàm multi etiam nunc in mundo laborant diuitiis conquirendis, & rebus augendis domeſticis! Itane vero propterea quis ſanus dicat veram illos habere mortificationem? Cur porro? Quia hæc eſt ſola vera mortificatio quæ nos totos Deo ſubjicit propter ipſum

Digitized by Google

Deum. Quantumcumque illi ſe diuexarent non ſe totos ſed ex parte tantum; non propter Deum ſed ex naturali cupiditate aut alio prauo motiuo ſe continebant. At verò qui verè, qui ex animo, qui ex virtute ſeſe mortificat, ſeſe totum Deo ſubjiciat neceſſe eſt, aut virtus non eſt: *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2. Tim 3.

Dicitur autem hæc mortificatio Chriſtiana, quia Chriſtus eam docuit Verbo & exemplo: quia Chriſtiani eam profitentur, iam inde à Baptiſmo vbi omnibus morimur, vt Chriſto ſoli viuamus; quia *ſic complantati facti ſimilitudini mortis Chriſti, ſic & eius reſurrectionis ſumus:* Rom. 6. Quia ſic vetus homo noſter exuitur, crucifigitur, & moritur, vt nouus induatur & viuat in nobis: Quæ omnia quam ſint Chriſtiani officij nullus ignorat. Ac proinde poſtquam Apoſtolus monuit vt *exhiberemus corpora noſtra tamquam viuentem hoſtiam*, Ibid. 12. addit proxime: *ſanctam, Deo placentem*, Quaſi diceret, Deo ſacratam & placitam, neque ob alium finem excogitatam. Quod & confirmat expreſſius, ſtatim addens: *Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.*

Ex quibus ipſa etiam prima Propoſitio ſatis aperte patet, quod ſatius eſſet tibi perire omnia & mortificatione ſubtrahi, quàm tibi veram deeſſe & Chriſtianam mortificationem. Cum enim ſola hæc ſit vera mortificatio, ſi tibi hæc deeſſet, tibi omnis deeſſet, & plane immortificatus habereris; nam quamtumcumque aliis te torqueres & vexares, tanto eſſes miſerior, quantò plura inconſultò, non verè, non Chriſtianè patereris. *Tanta paſſi ſine cauſa!* Gal. 3.

Adde quòd ſine vera mortificatione, nulla eſt Chriſtiana virtus, nulla religio, nulla Chriſti ſeruitus, nullum Dei obſequium: Velleſne te illò redigi? Nonne malles tibi potius perire omnia quam Chriſtianam virtutem & religionem? Nonne cum Apoſtolo tam ſæpe dicis: *Quis nos ſeparabit à Chritate Chriſti? Tribulatio?* Rom. 8. *An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius, ſicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Itane ſentis ex animo?

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED ſi quid quouis modo mortificationi detraheretur, tibi hæc vera & Chriſtiana deeſſet mortificatio.

Quâ nempe parte detraheretur, non eſſes ſubjectus Deo: quantumcumque autem ſit illa pars tui modica & exigua, qua non ſis ſubjectus Deo, veram & Chriſtianam à te aufert mortificationem quæ in eo vera & Chriſtiana eſt, vt audiuiſti, quod totum hominem, totum inquam, nullâ prorſus excluſa parte ſubjicit Deo; nam illum Deo ſubjicit tamquam mortuum, tamquam hoſtiam, tamquam holocauſtum, quæ ſane Symbola nullam hominis partem excludunt. *Hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram*
1. Tim. 5. *partem declinando.*

Non enim ita ſpectatur, ficut alibi eſt demonſtratum fuſius, quid mortificando dones quàm quid non dones, quàm quid reſerues, ſi quid reſtet ad totum donandum, quod totum tam religioſe quæritur, vt ſi deſit ex aliqua parte, totum deſit quod dandum erat, & nihil eſt datum. Nam hoc vnum in hoc dono ſpectabatur vt in eo totum daretur: *Quia ego Dominus diligens iudicium,*
Iſ. 61. *& odio habens rapinam in holocauſto.* Quantumcumque minuta ſint & pauca quæ dantur, ſi nihil ſupereſt, ſat magnum & diues eſt donum, quia totum eſt quod Deus quærit: ſed hoc etiam ita quærit, vt quantumcumque magna & numero & pondere dederis, ſi totum non dediſti, nihil dediſti. *Anania, nonne manens tibi ma-*
Act. 5. *nebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Quæ ſunt intelligenda de his ad quæ vel voto vel ex aliqua virtute obligamur, ſi quæ pars deſit, peccatur; & quantum peccato Deus offenditur, tantùm offendi dicendus eſt illo partis defectu quæ debebatur, vel ex voto vel ex alia quauis virtute.

Atque hoc ipſum eſt quod accidit quando quid mortificationi neceſſariæ ad virtutem detrahitur: hoc ipſo enim quo quid deeſt mortificationi, virtus deeſt: & defectu virtutis, vitium eſt, peccatum eſt, Dei offenſa eſt; ac tùm aperte patet quàm longe abſit vera & Chriſtiana mortificatio, quæ peccatum omne proſcindit. *Incircumciſi ſunt corde.*
Ier. 9.

Accedit quod licet abeſſet culpa, quando tamen mortificationi pars aliqua detrahitur, vix aut ne vix adeſt vera mortificatio;

Digitized by Google

quia pars illa quæ detrahitur, ſæpe eſt gratior Deo, ſæpe minùs fuiſſet detrahenda, ſæpe magis eras ex illa mortificandus parte. At vera mortificatio quod Deo magis placet, magis ſpectat & præfert cæteris, aut non eſt vera. *Et hoc oro*, inquit Apoſtolus, *vt Charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu vt probetis potiora.* *Phil. 1.*

Denique vel propter Deum te in cæteris mortificas partibus, præterquam iſtâ, quæ mortificationi detrahitur; vel non propter Deum. Si propter Deum, ais, cur non æquè hanc illi ſacrificas partem quam ex æquo vellet cum aliis? Aut ſi non propter Deum, quod verius eſt, nonne tùm euidenter deeſt vera & Chriſtiana mortificatio quæ ſolum Deum ſpectat? *In omni bonitate, & iuſtitia, & Veritate: probantes quid ſit beneplacitum Deo.* *Epheſ. 5.*

III. PVNCTVM.

MORTIFICATIONE *igitur tibi ſunt omnia potius ſubtrahenda quàm quid mortificationi detrahendum:* Quia deeſſet alioquin vera & Chriſtiana mortificatio, quæ totum ita ſubjicit hominem Deo, vt niſi ſit illi totus ſubjectus, non ſit vera mortificatio, neque ex conſequenti vera vlla virtus aut vera vlla religio, quibus bonis conſeruandis ſi neceſſe eſt omnia mortificatione ſubtrahi, nonne in hanc mortificationem potius conſentiendum eſt quàm in talem bonorum iacturam, quæ vitâ ipſâ longe debent eſſe cariora? *Ergo*, inquit Apoſtolus, *debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hæc eſt videlicet tam vera Chriſtiani vita, quam vera eſt animæ vita, Deus: Neque enim aliter vere & perfecte viuit in anima ſeu in homine Deus, niſi ſit illi homo ex omni parte ſubjectus; ſicut anima non viueret in toto corpore, ſi quæ pars eſſet corporis vitæ capax, quam non animaret. *Rom. 8.*

Quàm autem verè Deus ſit animæ noſtræ vita, rectè & aptè ſanctus Auguſtinus. *Dicebat Epicurus, mihi frui carne, bonum eſt. Dicebat Stoicus, mihi frui mea mente, bonum eſt. Dicebat Apoſtolus, mihi autem adhærere Deo, bonum eſt. Errat Epicurus, fallitur Stoicus. Tunc enim recte anima viuit, ſi non ſecundum carnem, non ſecundum ſeipſam, ſed ſecundum Deum viuit. Sicut enim anima carnis, ita Deus animæ eſt vita.* *Serm. 13. de Verbis Apoſtoli.*

Digitized by Google

Velleſne non in te toto viuere animam tuam? Et voles Deum tuum non in te toto viuere! Hoc eſt amare animam ſuam pluſquam Deum, hoc eſt fouere animalem ſuam vitam pluſquam
Matth. 10. Diuinam; hoc eſt indignum eſſe Chriſtiano nomine, & ipſo Chriſto Domino dicenti tam aperte: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Vide in ſingulis partibus, verbo *Mortificatio, Crux.* Præſertim vero in 1. parte, in Communi de ſanctis Martyribus. In 2. vbi de Paſſione Domini, tota ferè Quadrageſima. In 3. Feria 5. Hebdom. 2. Vbi hæc proponitur Veritas:

Satius eſſet nullo die velle viuere, quam non omni die, velle cum Chriſto mori.

IN FESTO S. LVDOVICI REGIS.

Die 25. Auguſti.

Certamen forte dedit illi vt vinceret. Sap. 10.

VERITAS PRACTICA.

Ille inter potentes potentiſſimus, qui contra magnam peccandi potentiam, certat & vincit.

RATIO EST, Quia ille inter potentes potentiſſimus, qui cum plurimis, acerrimis & infeſtiſſimis hoſtibus certat & vincit.

Sed in magna peccandi potentia ſunt illi hoſtes acerrimi.

Ergo qui contra talem potentiam certat & vincit, ille eſt inter potentes potentiſſimus, qualis fuit ſanctus Ludouicus Rex Gallorum.

I. PVNCTVM.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

VIX dum è pueris exceſſerat ſanctus Ludouicus, cùm illi pugnandum fuit in ſuo regno, cum perduellibus & factiosis. Vix dum etiam pacem regno attulerat, cum illi foris hoſtes & bella ſuſcepta ſunt, quæ vix vnquam ceſſarunt. At vero longe acrius illi certandum fuit cum ſeipſo, cum Regia dignitate, cum libera viuendi licentia, cum omnibus mundi illecebris, cum ipſa denique peccandi potentia, qualis in potentiſſimo Rege reperitur. Hoc eſt certamen forte quod dedit illi Deus vt vinceret, & vincendo palmam referret Chriſtianæ Fortitudinis, tùm ſanctitatis Lauream, & æternæ Coronam beatitudinis aſſequeretur.

Sic enim vere eſt apud Deum & apud quoſlibet recte ſentientes, *Quod ille eſt inter Potentes Potentiſſimus*, & conſequenter inter Illuſtres Eminentiſſimus & inter Sanctos Sanctiſſimus, *qui contra magnam peccandi licentiam & potentiam certat & vincit.* Quod ſic modò vniuerſim declarandum eſt, vt particulatim oſtendatur id ita in ſancto Ludouico contigiſſe, & inde Sanctum ac Beatum extitiſſe.

Ac primo quidem hæc eſt vniuerſalis & indubitata Propoſitio quod ex fortiori certamine, Certantis fortitudo, Vincentiſque potentia noſcitur, atque is omnium conſenſione gentium inter potentes & inter fortes nominetur Fortiſſimus, qui in eo vincat certamine vbi certandum eſt cum hoſtibus numero plurimis, robore fortiſſimis, exercitatione peritiſſimis, & crudelitate ſæuiſſimis. Adde etiam vbi hoſtibus ex loco & tempore, & aliis circumſtantiis longe major eſt vincendi facilitas, & victis damna importẽtur extrema. Nonne tum is qui crederetur vincendus ſi fortiter decertando vincat, Fortiſſimi nomen mereatur?

Lege caput viceſimum tertium libri ſecundi Regum, vbi Fortes Dauidis recenſentur, & obſerua quantum ex vno Regis deſiderio moueantur homines qui nec ipſo Dei iubentis imperio ſe patiuntur duci!

II. PVNCTVM.

SED *in magna peccandi potentia qualem habere ſolent Reges, Principes & alij Potentes ſæculi, tales ſunt hoſtes: nempe plurimi, infenſiſſimi, exercitatiſſimi, & ſupra modum acerrimi.*

Digitized by Google

Non quod Reges aut quiuis hominum majorem habeat legitimè potentiam aut ius vllum peccandi, *Nemini enim mandauit Deus impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi*, quin potius, *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio*; Sed quod illis tùm omnia ſuppetant ad peccandum; Si poteſtate abutantur, dicuntur poſſe peccare quod reuera peccent, licet non vero iure. Quæ ſunt autem illa quæ ad peccandum prouocant? Nonne pecuniæ, illecebræ, conuiuia, mulieres, adulationes, paraſiti, ludus, luxus, ſumma poteſtas in homines, impunita licentia, & ſi quid ſimile à corruptis ſenſibus, à deprauato mundo, atque à Dæmone in hominum perniciem excogitari poſſit, de quibus fuſe Sapiens: *Venite & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute, celeriter: vino pretioſo & vnguentis nos impleamus*, Et quæ plura refert ex ſenſu eorum qui quod male poſſunt, male volunt: nec aliud habent quo ſeſe vehementius acuant quam quod poſſunt quod volunt, aut ſi quis ſe opponat, opprimatur, circumueniatur. *Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ.* Quaſi dicerent, illud licere putemus quod poſſumus facere, quantumcumque ſit nefas.

Eccleſ. 15.
Sap. 6.
Sap. 2.

Hoc eſt quod vno verbo dixit Dominus: *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Vocantur quippe mollia, quæcumque emolliunt animos & inflectunt ad peccandum, & eò quidem ſunt crudeliora quò molliora, quia crudelitas in polliciendo eſt, nec dirius vmquam eſt animæ quàm cum illi eſt mollius & blandius à mundo & à carne. *Inueni amariorem morte mulierem*, inquit Sapiens: Cur porro niſi quia nihil eſt mollius? Sic enim pergit, *quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius.*

Matth. 11.
Eccle. 7.

Quàm multi ſint porro hi hoſtes, numera ſi numerare potes quam multæ in tota vita poſſint occurrere peccandi occaſiones, quæ tam crebræ & obuiæ ſunt quàm faciles ſunt oculorum motus & humanæ cordis cogitationes; Tot enim ſunt hoſtes quibuſcum ſemper certandum eſt; & illi quidem hoſtes inteſtini, indiuidui & qui non adeo fatigantur expugnando, vt magis ac magis exercitentur & acuantur. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. INFERNVS & perditio numquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. SANGVISVGAE duæ ſunt filiæ, dicentes: affer, affer. Ignis vero numquam dicit, ſufficit.*

Eccl. 1.
Pr. 27.
Ib. 30.

Digitized by Google

Denique Scriptura teſte cùm *non ſit poteſtas ſupra terram quæ comparetur poteſtati Dæmonis, qui factus eſt vt nullum timeret* : Dæmon autem ſuam illam omnem poteſtatem conjungat cum carnis & mundi blandioribus illecebris ad pelliciendas Principum animas in peccatum, vt ſic facilius eorum ſubditos in eandem trahat perniciem : Nonne illi hoſtes erunt eò infenſiores quo plures erunt peccandi illecebræ ? Nonne periculum præſentius ? Nonne damnum infeſtius ? Iob. 41.

Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem ! VAE mundo à ſcandalis ! VAE, væ, væ habitantibus in terra ! Iſ. 5. Matth. 18. Apoc. 8.

III. PVNCTVM.

ILLE eſt igitur inter potentes potentiſsimus qui contra magnam peccandi potentiam certat & vincit : Quia certamen illud præ cæteris tam potens & forte eſt propter multitudinem, potentiam & quaſlibet ſuperiores hoſtium partes, vt in illo qui vincat, nulli certando cedat. *Non eſt enim nobis colluctatio tantùm aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarùm harum, contra Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Epheſ. 6. Id eſt, contra ſpirituales nequitias quæ circa nos verſantur in aëre, & hoc vnum habent vt nos decipiant & in peccatum adducant ac perniciem ſempiternam.

Hac in pugna Sapientiſſimi & fortiſſimi quique Reges & Duces deuicti ſunt : Samſones, Salomones, Dauides & alij pene innumeri ſua in peccando infatuati potentia; Vnde & quo potentiores in malo erant, eo impotentiores in bono facti ſunt. De hac pugna expreſſe dicitur, *Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua : qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum.* Eccleſ. 31. Id eſt, tam multa & præclara bona faciet, vt nullus ſit qui non illum laudet; quia qui poteſt male facere & non facit, tanta ſit inſtructus fortitudine neceſſe eſt vt non mediocribus contentus, ad ſumma & perfecta contendat.

Talis autem fuit ſanctus noſter Ludouicus, qui mediis in di-

Digitized by Google

uitiis Euangelicam Spiritus paupertatem ſeruauit: qui caſtimoniam in deliciis domeſticis: modeſtiam in regali cultu: pietatem in armis; moderationem in proſperis; & in aduerſis conſtantiam tam æquali ſemper curſu tenuit, vt numquam non diſſimilis eſſet aliis qui ſuis abuterentur facultatibus, ſibi verò ſemper ſimilis in temperato rerum vſu & ad Virtutem compoſito. Quod vel maxime patuit cùm religioſum bellum ſuſcepit aduerſus infideles; Nonne tum poterat exardeſcere ad fœliciorem belli exitum quàm qui ſemel & iterum accidit? Quid iuſtius quam expugnare Dei hoſtes? Quid porro iniquius videbatur quam ſe ab illis videre expugnatum? Vidit tamen ſanctus Ludouicus, & tam æquo vidit oculo atque animo, vt perinde paratus eſſet vinci ac vincere, ſic volente Deo: nec minus vicit ab hoſte victus, quam ſi hoſtem viciſſet. Se victus etenim vicit, & ſeipſum ſic viciſſe glorioſius fuit quam debellaſſe barbarum.

Neque porrò ſatis Illi fuit peccato abſtinuiſſe in peccati perpetrandi potentia, quod certe tamen illuſtre eſt ad omnem ſæculorum memoriam: ſed quod inſignius fuit, illam ipſam potentiam qua multum in regno valebat ſic traducere ſolitus erat ad quodlibet pium opus, vt quo alij abutuntur ad vitium, ille ad virtutem vteretur. Diuitias alij ludo, theatris, venationi & epulis impendunt immodicis: Ille pauperibus nutriendis, noſocomiis extruendis, monaſteriis ædificandis. Alij Dignitati ſuæ volunt indulgeri ne ieiunent aut vt vetitis cibis abſtineant: Ille pro ſua dignitate vrgebat ſibi multiplicari iejunia, & ſolo pane veſci. Alij apparitores habent & ſatellites qui ab aula plebeios & proletarios arceant: Ille ſuos habebat, qui oppreſſos, qui pauperes, qui viduas & egentes ad ſe introducerent & ab omni vendicarent injuria. Alij honoribus & proſperis exaltantur: Ille ſe his deprimebat. Alij ſe ſui temporis Dominos putant vt vacent nugis & otio; Ille vt pietati vacaret, vt horas canonicas quotidie perſolueret, vt duobus intereſſet Sacris. Alij nec à Deo vellent ſibi reſiſti ſuis in prauis deſideriis & conſiliis: Ille nec pia ſua deſideria vellet conſequi niſi Deo propitio, niſi Deo volente, qui ſi aliter de ſe ſuiſque decernat, longe magis hæc Diuina decreta, quamuis grauia, quamuis infauſta, quamuis lethalia malit, quam regnum & quam ipſam vitam, Nam illi viuere, & illi regnare, Chriſtus erat.

Digitized by Google

O mirum & inſolitum certandi ac vincendi modum! Hoc eſt hoſtem armis ſuis debellare, hoc eſt Holofernem aut Goliathem ſuo iugulare gladio, hoc eſt *exhibere membra ſua non arma iniquitatis peccato* vt alij ſolent Principes, *ſed arma iuſtitiæ in ſanctificationem*, Quod eſt Chriſtianiſſimi maxime proprium Regis. Hoc enim verè eſt eſſe Chriſtianiſſimum Regem, ſic tanto eſſe ſanctiorem, quantò potentiorem: ſic tantò amplius eſſe Chriſtianum quantò eſt amplior Regis potentia. Rom. 6.

O rurſum admirandam Regis ſanctitatem quæ ex peccandi potentia coaluit in talem perfectionis cumulum, vt quot fuerint peccandi genera, & occaſiones in Regia Dignitate, tot fuerint Virtutis actus & Sãctitatis gradus! Hoc eſt, vt dixi, quot pene momenta vitæ dinumerari poſſint, tot ſint bonitatis veſtigia, quia tot ſint repreſſæ malitiæ ſigna quæ nonniſi contrario bonitatis motu reprimi potuit. Quod de alio viuendi ſtatu quàm de ſupremo & ſummo vix dici poteſt: Quia vix eſt alius ſtatus vbi natura deprauata magis acuatur ad vitium, vnde oportet Summos Principes aut eſſe optimos aut peſſimos: peſſimos quidem ſi naturæ deprauatæ obſequantur, optimos vero ſi reſiſtant. Quod quidem eſt tam arduum & difficile vt quo etiam tempore Salomon eſſet Regum Sapientiſſimus, non minus timeret abundare diuitiis quam egere. *Mendicitatem*, inquit, *& diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum & dicam, quis eſt Dominus? Aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei.* Nimis enim procliue eſt labi & perire quando in alterutro viuendi ſtatus extremo fueris, ſiue exceſſus ille ſit, ſiue defectus. Et rarus ille eſt qui æque in Praxi ſciuerit abundare, ac penuriam pati. *Non eſt minus miraculum*, inqut ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *caſtum eſſe Ioſephum in domo impudica, quàm ſaluos eſſe tres pueros in ardenti fornace Babylonica.* O quale ergo miraculum, ſanctus in regno ſuo Ludouicus, qui regnando millies poterat quod Ioſephus aliquoties: & nolendo bene, quod male poterat, tot ſe gradibus Sanctitatis ſupra quemuis euexit, quot pluribus modis & vicibus peccare potuit, & noluit. Prou. 30.

O Rex non minus Sancte quàm potens: Te libenter rogarem pro viris illis principibus qui potentes ſunt ad peccandum, ſuam illam vt potentiam tuo coercerent exemplo: ſed nimis experior meo damno, non ſolos Principes & Primates Viros, ſed & in-

Digitized by Google

ſimos quoſque ac vulgares poſſe peccare & ſua ſæpius abuti potentia: quamobrem Te pro vtriſque rogo & dimiſſè precor vt omnes hanc fructuoſiſſimam ſæpe expendamus Veritatem, *Quod ſi peccare poſſumus, poſſumus etiam cum Gratia non peccare:* Nec aliter vti debemus potentia qua valemus, quàm vt liberè & libenter nolimus illa vti. Quod enim non debemus facere, licet poſſimus; non eſt magis faciendum quam ſi non poſſemus. Neque potentia & libertate vti ad peccandum, potentiæ ac libertatis vſus eſt, ſed abuſus. Hoc etiam omnes intelligamus, non tam eſſe potentiæ quam infirmitatis, poſſe peccare. Aut ſi potentem reputamus eum qui quod velit poſſit, adjungamus illud, dum nihil velit ille Potens niſi quod bonum & ſanctum eſt. Vide in 2. parte, Die 25. Aprilis, Vbi hæc Veritas exhibetur:

Fortioris eſt animi, non vinci à bonis blandientibus, quàm ipſa vincere mala terrentia.

Die 28. Auguſti.

IN FESTO S. AVGVSTINI,

EPISCOPI ET DOCTORIS.

Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Pſ. 37.

VERITAS PRACTICA.

Sagittæ Diuini amoris quantò magis lethiferæ, tanto magis viuificæ.

RATIO EST, *Quia ſagittæ Diuini amoris tanto ſunt magis viuificæ quanto magis cor purgant ab omni alio humano affectu.*

Sed quanto ſunt magis lethiferæ tanto magis cor purgant ab omni alio humano affectu.

Ergo & tanto magis ſunt viuificæ, quanto magis lethiferæ. Quod

Digitized by Google

vtrumque miro modo excelluit in ſancto Auguſtino qui de ſe ſic Domino loquebatur : Sagittaueras Tu cor noſtrum Charitate tua. *9. Conf. 2.*

I. PVNCTVM.

QVÆ in prima parte habentur Conſiderationes & Veritates, Communes omnibus Pontificibus, Doctoribus, & Fundatoribus ordinum, eæ omnes tam ſingulariter conueniunt ſancto Auguſtino, quàm ſingularis & eximius fuit in illis Titulis & Gradibus. Quæcumque ſparſim etiam de Diuino amore proponuntur, totæ ad Illum referri poſſunt qui totum ſe ad Diuinum amorem in ſe & in nobis formandum tranſtulit. Denique qui vno velut intuitu quæ ſunt pene immenſa tanti Viri merita ſibi aut aliis repræſentare velit, depromat ex libro Eccleſiaſtici quæ de Simone illuſtri Oniæ filio, refert Sapiens: *Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum, In diebus ipſius emanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione.* Et poſt pauca: *Quaſi Stella Matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi Sol refulgens, ſic ille refulſit in templo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus redolens in diebus æſtatis. QVASI IGNIS EFFVLGENS, ET THVS ARDENS IN IGNE. Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, Quaſi oliua pullulans, & Cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri eum in conſummationem Virtutis.* *Eccleſ. 50.*

In quibus Verbis primum quod mireris eſt multiplicitas Symbolorum quæ ſingula ſancto Auguſtino apte quadrant, ſi pro *Templo* Eccleſiam vniuerſam acceperis. Secundum eſt, diuerſitas & quaſi repugnans rerum conjunctio quæ ſimul de Eodem dicuntur. Nam ſi Stella eſt, quare Sol dicitur? Si quaſi roſa, cur quaſi lilium? Si quaſi oliua, cur Cypreſſus? Quis non videt vnum pene negare aliud? Sed abſit hoc de Scriptura Sacra cogitarè: Non poterant aptius exhiberi quæ tam varia S. Auguſtinus exercuit Chriſtianæ religionis munera, quàm paruis illis ſimul &

magnis rebus, quia reuera ſic paruus humilitate & modeſtia ſemper fuit, vt magnus numquam eſſe deſineret, Virtute, Scientia, & omni laudis genere.

Tertium verò quod magis rarum & magis mirum eſt, ſic excellenter effulſit Intelligentia & Doctrina, vt Sol refulgens merito dici poſſit: ſimul vero ſic affectu & voluntate in Diuinum exarſit amorem, vt quaſi ignis & thus ardens in igne dicatur. Quod quidem de Illuſtribus aliis viris ſatis commune eſt in temperato quodam gradu, quo ſimul lucent & ardent: Sed in eo ſummo gradu quo ſanctus Auguſtinus refulſit, & Diuini flamma incendij totus exarſit, tam mirum eſt & ſingulare vt præter cauſam quam refert ſanctus Thomas ab elatione Scientiæ petitam, affirment alij id ita ſimul non reperiri, quod Doctores habeant animum in illa quibus ſtudent objecta diſtractum & diuiſum, quæ animi diuiſio non apte conueniat inflammandæ voluntati; Vnde vt dixi, tanto id magis eſt in ſancto Auguſtino mirum, quanto is ſupra Doctores alios in plura diuiſus eſt Scientiarum objecta, nec propterea tamen quidquam de ardenti eius Charitate deceſſit, quin potius ſe in Eo Scientia & Charitas ſic mutuis & reciprocis confouebant ſubſidiis, vt ab ardore Charitatis reluceret Scientia: & à luce Scientiæ Charitas inflammaretur. *Erat lucerna ardens & lucens*, Non prius lucens quam ardens, nec enim prius à luce ardor quam lux ab ardore proceſſit, vt notat ſanctus Bernardus. Præceſſit quidem tempore Scientia Charitatem, ſed Charitas dignitate, potentia, & vi quadam ſuperiore Scientiam Auguſtini ſic in ſe tranſtulit, vt non eſſet eius inflata nec inflans Scientia ſed inflammata ſimul & inflammans. Sicut enim ferrum ignitum non iam ferri ſed ignis naturam obtinet, ſic eius Scientia Charitate inflammata, quidquid humanum erat, exuit & in Diuinum tranſiit.

2. 2. q. 81. a. 3.

Ioan. 5.

Serm. in Natiuit. Ioan.

Hoc videlicet effecerunt Diuinæ illæ ſagittæ quibus transfixus eſt; hæc eſt illarum vis admiranda quemcumque feriant, vt quod eſt humanum purificent & quodammodo conuertant in Diuinum, ac propterea dicuntur lethiferæ & viuificæ, Imo *& quanto magis lethiferæ tanto magis viuificæ.* Quod quomodo in nobis etiam fieri poſſit ſicut in ſancto factum eſt Auguſtino, nunc ex Veritate propoſita, paulo attentius perpendendum. Hinc enim manifeſte apparebit, quinam ſit verus & vere Diuinus amor, hinc patebit

quibus

Digitized by Google

quibus veris indiciis ſagitta cœleſtis dignoſcatur à *ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & Dæmonio meridiano.* Nempe ſagitta Domini ſagitta ſalutis eſt, ſagitta vitæ, ſagitta viuifica, veram animæ conterens vitam, id eſt, ipſam Charitatem quæ ex Deo eſt quæ in eo eſt, & ad eum ſolum tendit. Vt autem talis ſit, vt ſit inquam ita viuifica debet prius eſſe lethifera, debet prius mortem quandam inferre cordi, quæ Mors quo magis certa fuerit, erit & vita certior. Pſ. 90.

Ratio quæ id euidenter declarat, eſt, quod vera & viuifica Charitas ſit de corde puro, vt ait Apoſtolus, puro inquam ab omni alio quouis affectu qui non ſubordinetur & ſubjiciatur Charitati. 1. Tim. 1. *Aurum eſt ignitum, probatum, locuples*, id eſt, defecatum ab omni alio quouis metallo; neque enim tam probatur aurum in igne, vt ardeat, quam vt purificetur & mundetur: ſic neque amor ita probandus eſt, quando ardet in corde nondum puro & circumciſo, quam ſi puritas cordis eſſet major, & ardor minor; qua de re plura in prima parte, in 3. Hebdomada Aduentus. Nunc ſufficiat quod aiebat Deo ſanctus Auguſtinus: *Minus te Domine amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*: Quia videlicet Deus de toto corde vult diligi, vnde quanto Cor eſt minus purum, tanto magis de toto tollitur, & tanto minus Deus diligitur. Atque idcirco quod primum & quod præcipuum requirit in corde Charitas, eſt illa cordis munditia de qua ſic rurſum ſanctus Auguſtinus, *Exinani quod implendum eſt: bono implendus es, funde malum: puta quia melle te vult implere Deus, ſi aceto plenus es, vbi mel pones? Fundendum eſt id quod portat vas, mundandum eſt ipſum vas.* Et quæ plura refert. Tum de ſe alibi. *Quam ſuaue mihi ſubitò factum eſt carere ſuauitatibus; & quas amittere metus erat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas.: ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior ſed non ſublimibus in ſe. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum.* Apoc. 3. In Solil. c. 19. In 1 Ioan. 4. 9. Confeſſ. 1.

Videſne quantùm Auguſtini pectus purificaretur à Domino? Videſne quantum etiam ipſe Dominus, tuum purificare vellet?

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED quantò ſunt magis lethiferæ ſagittæ Domini ſeu Diuini amoris, tantò magis purgant animum ab omni alio prauo affectu.

Sic enim propterea lethiferæ dicuntur ſagittæ Diuini amoris, quod alios affectus interimant, vnde & *fortis vt mors dilectio* dicitur, quia ſcilicet, vt cum noſtro ſancto Auguſtinus ait Diuus Gregorius, *Quod mors agit in ſenſibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui ſic diligunt Deum vt omnia viſibilia negligant, & dum in æterna, mente tendunt, ad omnia temporalia pene inſenſibiles fiunt. In his nimirum vt mors, dilectio fortis exiſtit, quia ſicut mors exteriores corporis ſenſus ab omni proprio & naturali appetitu interficit, ſic dilectio in talibus viris omnia terrena deſideria contemnere mentem alio intentam compellit.* Non ſic porro in omnibus Charitas vim ſuam exerit, quia non ſic omnes ſe Charitati totos dedunt, ac proinde cum dicitur, quò ſunt ſagittæ Caritatis magis lethiferæ, perinde eſt ac ſi diceretur, quo ſunt acutiores & potentiores ad illam ſuam vim & violentiam exercendam, quò ſinuntur liberius efficere & operari in animis noſtris ſenſualem illam mortem: Tum illud denique aduenit quod in propoſitione ſequitur, *tanto magis purgari animum ab omni alio prauo affectu*, quia ſic purgari animum nihil eſt aliud quam ipſum mori ſuis prauis affectibus, vnde quo his verius moritur, verius purgatur.

Aug. in Pſ. 47. Greg. in Cant. 8.

Quod luculentè admodum his Iobi verbis exprimitur: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Nempe indignatur Charitas contra noſtras cupiditates quas ſecum pati non poteſt tamquam indignas ſuo conſortio: tum vero talis indignatio ebibit ſpiritum, id eſt exhaurit, euacuat, & abſorbet quidquid impurum eſt. Quod ſi reſiſtit cupiditas, ſi ſibi ſua perire dolet, ſi quo metu terretur, *terrores Domini contra militant*, hoc eſt, timor humanus Diuino repellitur, & hoc eſt quod petebat Dauid, *Confige timore tuo carnes meas, à Iudiciis enim tuis timui.*

Iob. 6.

Pſ. 118.

Atque hoc etiam ipſum eſt quod in ſe ſentiebat & mirabatur S. Auguſtinus: *Quid eſt illud quod interlucet mihi & percutit cor meum ſine læſione, ET INHORRESCO ET INARDESCO? Inhorreſco, inquantum diſſimilis ei ſum: Inardeſco,* inquantum ſimilis

In Conf. 11. 9.

ei ſum. Quàm vero hinc plene purgatus eſſet terreno quouis affe-ctu, ſic ibidem expreſſit: *Domine amo te: percuſſiſti cor meum verbo tuo, & amaui te. Quid autem amo cùm te amo? Non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum, non florum & vnguentorum & aromatum ſuaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus, non hæc amo cum amo Deum meum.* Quæ dùm ibi plura proſequitur, non modo ſignificat Deum non eſſe aliquid ſimile terrenis illis bonis, ſed nec ſeipſum talibus bonis affici cum Deum amat, quaſi diceret ſe lethifera illa Diuini amoris ſagitta ſic eſſe vulneratum, vt tam plene purgatus eſſet aliis affectibus quàm opus eſſet ad vnum Deum plene amandum. 10. *Conf.* 6.

O Diuina dilectionis ſpicula! en paratum pectus, en Cor vobis apertum, ſic me confodite, ſic vulnerate, ſic me totum impetite, vt totus à me deficiam & veſtro numquam ſaner vulnere, in quo eſt vera ſanitas.

III. PVNCTVM.

SAGITTAE *Diuini amoris igitur quanto magis lethiferæ, tanto magis viuificæ,* Tanto magis puræ, ſeu tantò magis eſt purus amor inde proueniens, & tanto magis eſt ille amor qui mortificando viuificat, qui pauperem faciendo, ditat, qui humiliando ſubleuat, & qui auferendo Spiritum noſtrum, ſuum Diuinum conferet iuxta illud Pſalmi: *Auferes Spiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. NOLVERVNT habere Spiritum ſuum,* inquit ibi ſanctus Auguſtinus, *habebunt Spiritum Dei.* O diues commutatio! ô quis ſic mori nollet vt ſic viueret? Et tamen tam pauci ſunt qui ſic Spiritu Dei viuant, quia ſuo nolunt mori! Tam pauci ſunt qui viuificas amoris Sagittas ſentiant, quia nolunt ſentire lethiferas. Vellent ſibi & Deo viuere: nollent ſibi quidquam perire pro Deo poſſidendo. Quaſi Deus non præponderaret omnibus. Non ſic, non ſic ſanctus Auguſtinus qui quantumcumque deſertis omnibus vni Deo ſuo conjunctiſſimè viueret, ad ipſa tamen omnia magis ac magis deſerenda ſic animam ſuam frequentiſſime, ſic nos ſecum excitabat: *Ibi fige manſionem tuam, ibi commenda quidquid habes anima mea, ſaltem fatigata fallaciis. Vt quid*

1. *Reg.* 2. — *Pſ.* 103. — *L.* 4. *Confeſſ. c.* 11. & 12.

peruerſa ſequeris carnem tuam? Ipſa te ſequatur conuerſa. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem: ne in his quæ tibi placent, tu diſpliceas. Si placent animæ, in Deo amentur. Rape ad Eum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus. State cum eo, & ſtabitis. Requieſcite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aſpera? Quo itis? Bonum quod amatis, ab illo eſt. Quò vobis adhuc, & adhuc ambulare vias difficiles & laborioſas? Non eſt requies vbi quæritis eam. Quærite quod quæritis, ſed ibi non eſt, vbi quæritus. Beatam vitam quæritis in regione mortis: non eſt illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita? Et deſcendit huc Vita noſtra & tulit mortem noſtram, & occidit eam de abundantia vitæ ſua, & tonuit clamans, vt redeamus hinc ad Eum. Numquid & poſt deſcenſum vitæ non vultis aſcendere & viuere? Sed quò aſcendiſtis quando in altum iſtis, & poſuiſtis in cœlum os veſtrum? Deſcendite vt aſcendatis, & aſcendatis ad Deum: cecidiſtis enim aſcendendo contra eum. Dic eis iſta, vt plorent in conualle plorationis, & ſic eos rape tecum ad Deum, quia de Spiritu eius hæc dicis eis, ſi dicis ardens igne Charitatis.

Nonne tibi tot amoris tela videntur quot Verba? Ergo his etiam ſine te affici.

Nec timeas te nimis multis obrui.

Non his obruitur telis animus, quibus magis erigitur.

Non his multiplicatis oneratur, ſed hæc multiplicanda ſunt potius, ne oneretur animus.

Quæ certe alia poſſet eſſe Veritas vel ſeorſim vel conjunctim cum præcedente aut ſequentibus expendenda, Cuius hæc eſt Ratio, Quia obrui animum vel onerari multis, eſt impediri multiplicitate rerum, ne rectè afficiatur. Sed cum Diuini amoris tela & motiua multiplicantur, tantum abeſt vt animus illa impediatur multitudine, quin potius adjuuatur: quia varietate reficitur, renouatur, inſtauratur, & fouetur. Ergo multiplicanda ſunt potius tela & motiua Diuini amoris, quam decurtanda ne animus oneretur. Quod quomodo faceret ſanctus Auguſtinus, & vnde tanta tamque diuerſa quibus magis ac magis in Deum afficeretur, erueret, ſic paucis habeto.

Primò conſiderandum ſibi proponebat gratuitum illum Diuinum amorem qui nos etiam immerentes præuenit in benedictionibus dulcedinis ſuæ, & de vaſis iræ fecit vaſa miſericordiæ, &

vbi abundauit delictum, ibi abundet Gratia. Vide libri noui Confeſſionum caput primum, vbi hæc inter alia ſanctus Doctor: *Vbi erat tam annoſo tempore, & de quo imo altoque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicem leni Iugo tuo, & humeros leni Sarcinæ tuæ? Chriſte IESV adjutor meus & Redemptor meus.*

Secundò, dum cogitaretur hæc Diuini amoris Bonitas, tanta in Eius animo fiebat commotio quòd illam aliquando peccatis ſuis offendiſſet vt quot erant animi pœnitentis motus, tot ſentirentur tela quibus compungebatur, ac magis excitabatur ad Illum quem neglexerat diligendum. *O putredo*, inquiebat, *ô monſtrum vitæ, & mortis profunditas? An ille petiuit liberè quod non licebat? Non ob aliud niſi quia non licebat? Quid retribuam Domino quod recolit hunc memoria mea, & anima mea non metuit inde? Diligam te Domine, & gratias agam, & confitebor nomini tuo, quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, & nefaria opera mea.* 2. Confeſſ. 7.

Tertiò, quantumcumque moueretur ac doleret animus, tam parùm ſe commoueri ac dolere ſentiebat præ deſiderio dolendi vehementius, vt deſiderium illud eſſet velut alia quædam ſagitta quâ vſque ad mortem percutiebatur, quia eò vſque & vltra ſi fieri poſſet pœnitentiam continuare & augere voluiſſet: *Semper*, inquit, *doleat, & de dolore gaudeat, & non ſemper doluiſſe doleat.* L. de Vera Pœnit. c. 13.

Quartò denique, cùm Amantiſſimus Chriſti Domini, amorem ſuum videret Crucifixum, ſic configi cum Eo deſiderabat, vt ipſis quodammodo Chriſti clauis ſemetipſum Cruci affigeret, optaretque cum Apoſtolo dicere, *Chriſto confixus ſum cruci*: Sicque fiebat inter Chriſtum & Auguſtinum quod factum erat inter Dauidem & Ionatham, cùm Dauidi Ionathas dedit arcum & ſagittas, & Dauid Ionathæ defleuit mortem, hoc affectu: *Doleo ſuper te frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam.* Gal. 2. 1. Reg. 18. 2. Reg. 18.

Sic ſanctus Auguſtinus ſeſe in hoc pietatis genere magis ac magis exercebat: *Rogo te per illa ſalutifera vulnera tua quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentiſſimo telo tuæ nimiæ Charitatis. Tu Sagitta electa, & gladius acutiſſimus qui durum ſcutum humani cordis penetrare tua potentia vales; confige cor* In Medit. c. 37.

Digitized by Google

meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, Charitate tua vulnerata ſum.

Nonne ſic poſſes vulnerari? Nonne ſic affici? Nonne ſaltem deſiderare? Saltem orare? Quando cor linguam non excitat, ſæpe cor lingua mouet, cum Diuina Gratia.

EODEM DIE: AD HÆC CHRISTI VERBA.

Qui fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cœlorum. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Magnus amor, magnus eſt Doctor.

Ratio eſt, quia magnus eſt Doctor qui fecerit & docuerit: & quò plura melius fecerit & docuerit, tanto magis magnus eſt Doctor. Sed magnus Amor, hic eſt qui non modo facit facere & docere, ſed qui mouet ad plura melius facienda & docenda. Ergo magnus amor magnus eſt Doctor. Quæ quidem omnia facile eſt ex Verbis & operibus ſancti Auguſtini demonſtrare quam vera ſint, & quam verè in Illo fuerint. Perpende hæc pauca ex
Pſ. 79. multis ad illud Pſalmi, *Qui ſedes ſuper Cherubim. CHERVBIM,* inquit, *ſedes eſt Gloriæ Dei, & interpretatur plenitudo Scientiæ. Ibi ſedet Deus in plenitudine Scientiæ. Licet intelligamus Cherubim ſublimes eſſe cœlorum poteſtates atque virtutes, tamen ſi vis, eris Cherubim: Si enim Cherubim ſedes eſt Dei, audi quid dicat Scriptura: anima Iuſti ſedes eſt Sapientiæ. Quomodo, inquis, ero plenitudo Scientiæ? Quis hoc implet? Habes vnde impleas. Plenitudo legis Charitas. Noli per multa ire atque diſtendi. Terret te ramorum diffuſio, radicem tene & de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te Charitas, & neceſſe eſt plenitudo Scientiæ conſequatur. Quid enim neſcit qui Charitatem ſcit, quandoquidem dictum eſt: Deus charitas eſt?*

Vide in 2. parte, Feriam 2. Pentecoſtes.

EODEM DIE : AD HÆC VERBA, AVT SIMILIA.

Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Ecclesi. 45.

VERITAS PRACTICA.

Quò quiſquis eſt Dei amantior, eò eſt auguſtior & amabilior.

RAtio eſt euidens, quia quo quiſquis eſt Dei amantior, eò eſt ſanctior & beatior: Nam vt ait ſanctus Auguſtinus; *Ille tenet & quod patet & quod latet in Diuinis eloquiis, qui Charitatem tenet in moribus* : Et rurſum : *In omnibus Scripturis ſupereminentiſſimam viam, ſupereminentiſſimum locum Charitas obtinet: non ad eam aſpirent niſi boni. Hanc nobiſcum non communicant mali: poſſunt communicare Baptiſmum, poſſunt communicare orationem, poſſunt communicare iſtos parietes; Charitatem nobiſcum non communicant. Ipſe eſt enim fons proprius bonorum, proprius Sanctorum de quo dicitur, nemo alienus communicet tibi. Supereminens enim via Charitatis tenet eos qui propriè pertinent ad regnum cœlorum. Ergo præceptum Charitatis ſuper cœlos, ſuper omnes libros: ei enim ſubduntur libri, ei militant omnes linguæ ſanctorum, & omnis motus Diſpenſatorum Dei & animæ & corporis.* Serm. de laudib. Charitatis. In Pſ. 103.

Sed quò quiſquis eſt ſanctior & beatior, eò eſt Auguſtior & amabilior, ſeu quod idem eſt, quo quiſquis eſt ſanctior, eo majori cultu & veneratione dignior eſt; Nam ſanctitas & beatitudo eſt proxima ratio propter quam veneramur ſanctos. Vnde Regius Pſaltes, *Sanctitas & magnificentia in Sanctificatione eius*, Id eſt, vt Interpretatur ſanctus Auguſtinus, *Cum Sanctificatus fueris, eris & magnificus. Hoc annuntiamus cùm ædificamus domum.* Quaſi diceret, quando Eccleſiam ædificamus in qua Sancti colantur, hoc annuntiamus vobis idcirco eos à nobis coli quia Sancti ſunt; & quia ſanctitatem omnem ſuam acceperunt à Deo, propterea Eorum cultus ad ipſum Deum refertur qui in ſanctis colitur, ſicut in Illo Sancti coluntur. Pſ. 95.

Digitized by Google

Ergò quo quiſquis eſt Dei amantior, eò eſt auguſtior & amabilior, ſicut reuera eſt ſanctior & beatior. Ergo & ſanctus Auguſtinus qui Dei amantiſſimus fuit, fuit etiam Sanctiſſimus & eſt in cœlo Beatiſſimus, & eſt à nobis præcipuo quodam cultu colendus. Vide quid in eius honorem hodie, quidue ad eius imitationem facias.

Die 29. Auguſti.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Herodes miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco. Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in diſco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Marci 6.

VERITAS PRACTICA.

Mors Ioannis, Vox clamantis in deſerto cordis eſt, contra proprias Concupiſcentias.

SENSVS ET RATIO EST, Quia quidquid cordi noſtro repræſentatur quod ipſi manifeſtet propriæ concupiſcentiæ prauitatem & perniciem, poteſt apte dici, Vox clamantis in deſerto cordis contra proprias eius concupiſcentias.

Sed mors ſancti Ioannis Baptiſtæ talis eſt: nempe ſic repræſentatur cordi vt ipſi manifeſtet propriæ concupiſcentiȩ prauitatem & perniciem.

Ergo hȩc mors Ioannis, quȩdam eſt velut Vox clamantis in deſerto cordis contra proprias eius concupiſcentias. Quæ quidem Vox tanto nunc magis eſt audienda, quanto minus forte alias ei attenditur.

I. PVNCTVM.

I. PVNCTVM.

ARGVEBAT Ioannes Herodem Regem, quod vxorem fratris ſui Philippi Herodiadem rapuiſſet. Rex autem Ioannem incluſum carcere continebat. Tum vero accidit vt cùm in conuiuo regio filia Herodiadis ſaltaſſet & placuiſſet Herodi, obtinuit ex ſuggeſtione Matris à Rege, Caput Ioannis. En ergo abſciſſum Caput affertur in diſco. Quale ferculum! Quale conuiuium! Quæ omnia fuſius apud ſanctum Marcum legi poſſunt, vnde illud præcipue diſces ad Praxim, quanta ſit etiam in nobis Concupiſcentiæ deprauatio! Verè enim Mors Ioannis non modo contra Herodem aut Herodiadem Vox eſt clamantis in publico, ſed & in deſerto cordis noſtri contra noſtras ipſas concupiſcentias: Quæ quidem Veritas ſic modo expendi debet, vt in quamlibet reprimendæ concupiſcentiæ datam occaſionem Praxis transferatur.

Ratio vero Veritatis eſt euidentiſſima quoad illam primam partem qua dicitur, quidquid cordi noſtro repræſentatur quod ipſi manifeſtet propriæ concupiſcentiæ prauitatem & perniciem, id apte dici poteſt Vox clamantis in deſerto cordis contra proprias concupiſcentias.

Sic enim dicitur Abele occiſo, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Et, *Habemus aſperſionem ſanguinis melius loquentem quàm Abel*. Sic dicuntur panni naſcentis pueri IESV in præſepio *clamare* contra mundi vanitatem. Sic dicitur ſuam vnicuique Conſcientiam *teſtimonium reddere & inter ſe inuicem cogitationes accuſare, aut etiam defendere*. Vnde & quidquid ita Cordi noſtro ſeſe offert vnde ſe cognoſcat & arguat, tùm certe Vox illi clamans dici debet, cui ſi forte cor obſurdeſcat, Vox inde alia clamat ad *aures Domini Sabbaoth, ſicut fraudata merces operariorum*, & vindictam clamat voluntariæ ſurditatis, & obduratæ malitiæ. *Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.*

Gen. 4. *Hebr. 12.* *S. Bern. Serm. 3. In Nat. Dom.* *Rom. 2.* *Iac. 5.* *Gen. 18.*

Quàm verè autem Cor peccatoris Deſertum dici poſſit, vide in prima parte: Dominica tertia Aduentus.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED Mors ſancti Ioannis Baptiſtæ ſic repræſentatur Cordi, vt ipſi manifeſtet propriæ concupiſcentiæ prauitatem & perniciem.

Non tantum quia repræſentat nobis quod quantumque facinus eſt perpetratum in Decollato Ioanne, totum eſt à prauitate Concupiſcentiæ ſiue Herodiadis ſiue Herodis: ſed quia etiam in ipſa eorum inordinata concupiſcentia, manifeſtatur noſtræ inordinatio. Sicut enim Inordinatio Herodianæ concupiſcentiæ tum maxime apparuit, quando quod erat totius mundi pretioſiſſimum Caput S. Ioannis poſthabetur mulierculæ ſaltatrici; ſic inde ſuo modo apparet quanta ſit noſtræ deordinatio, cùm res mundanas inordinate diligimus, & ex earum affectu voluntatem Dei negligimus, aut prætermittimus, & ipſum Deum offendimus. Licèt enim non ſit tam graue noſtrum crimen quale illud Herodis fuit, occidendo Sanctiſſimum Virum; tamen ſi occiſionem illam conſideremus tantùm vt Inordinationem quandam humanam, abſtrahentes cogitationem à peccato ſiue ab offenſa Dei, nonne ſemper humano iudicio ſeu coram hominibus & ſecundum leges politicas ac ciuiles, magna foret deordinatio? Quid eſt enim deordinatio, niſi cùm inferius ſuperiori antefertur, & quò eſt major illius inferioris à ſuperiori, diſtantia, quæcumque tandem ſint illa extrema quæ ſic confunduntur, eò major eſt Inordinatio? At qualis illa quantaque diſtantia etiam humano Iudicio inter puellam & Virum illum quo inter natos mulierum non ſurrexit Major? Quem etiam Herodes magni ducebat, & quo audito multa faciebat? Magna itaque ſemper eſſet inordinatio, etiamſi nullum in ea peccatum cogitaretur.

Iam vero non ſeparemus mente & cogitatione, ſicut reipſa non eſt ſeparatum ab inordinatione cordis noſtri peccatum quod in ea reperiri poteſt, qualecumque illud fuerit, etiam veniale: & hanc ipſam inordinationem noſtram comparemus cum illa quam conſideramus tantùm, vt humanam & ciuilem in Herode: Nonne noſtra tanto major apparet quanto eſt Deus major Ioanne? Seu quanto major eſt inter Deum & res humanas diſtantia, quam inter Ioannem & puellam? Sicut enim vt dictum eſt magnitudo deordinationis Herodianæ petitur à magna diſtantia Ioannis & puellæ

Digitized by Google

quæ illi præfertur, ſic noſtræ inordinationis magnitudo peti debet ab illa quæ eſt inter Deum & res concupitas quas illi præferimus, quæ cum longè major ſit quam alia, major ſit etiam noſtræ inordinationis magnitudo neceſſe eſt, ſeu major deprauatio. *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi.* Ponderandum illud, *conſiderate vehementer,* quaſi diceretur, niſi ſic vehementer conſideres, non intelliges: Sed ſi attente conſiderare volueris, tunc aperte videbis, nihil in humanis rebus reperiri tam inordinatum, tam indignum, tam injuſtum & execrandum, quàm quod in Diuinis reperitur, cùm vel vno veniali peccato ſumma illa Diuina Majeſtas pro re leui offenditur. *Sanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis!* Ier. 2. Ezech. 5.

III. PVNCTVM.

MORS *ergo Ioannis Vox eſt clamantis in deſerto cordis noſtri contra proprias ipſius concupiſcentias,* Quia ex tali morte apparet earum malum & deordinatio, quatenus ſcilicet conſideratur humana tantum Herodis actio citra offenſam Dei, & eius deordinatio cum noſtris peccatis comparatur; In qua comparatione vidimus, noſtram tanto majorem apparere, quanto eſſet majus interuallum meriti & dignitatis inter Deum à nobis offenſum, & Ioannem ab Herode decollatum. Eſto non ſit mortale peccatum noſtrum, nec Deicidium ſicut Herodis peccatum fuit homicidium: plus eſt tamen, Deum vel minima offendi culpa quam Ioannem occidi, ſi occiſus conſideretur ſine vlla Dei offenſa, quemadmodum hic nobis conſiderandus proponitur. Major eſt denique inordinatæ noſtræ concupiſcentiæ prauitas quàm cuiuſlibet hominis inordinatio non peccantis. Hoc tibi Ioannes moriens clamat ſicut Herodi iam mortuo ſuum exprobrabat crimen. Os aureum illud exangue conticeſcendo, totum hoc damnat quod Scripturæ condemnant: *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui: POST concupiſcentias tuas non eas: & à voluntate tua auertere.* Eccleſ. 5. Ibid. 18. *NON regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius.* Rom. 6. *OMNE quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* 1. Ioan. 2. *NON concupiſces ex rebus eius aliquid.* 1. Reg. 15.

Vide in 2. parte, Feria 5. poſt Cineres, Vbi hæc explanatur Veritas:

Quà latè patet mundus, nihil eſt vſpiam ita contemnendum, quàm quod intus in te vno latet, *Nempe Concupiſcentia.*

SI quæ Septembris Feſta in huius tertiæ Partis tempus forte inciderent, habetur eorum Conſideratio in quarta ſequenti parte.

DE VOTIS RELIGIOSIS

IN DIE PROFESSIONIS EDENDÆ: VEL QVO PRIMVM VOTA RELIGIOSA NVNCVPANTVR.

Holocauſta tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Pſ. 49.

VERITAS PRACTICA.

Profeſſus idem ac profitens.

SENSVS EST, Quod ſicut profitens dum Profeſſionem edit, aut dum prima vota nuncupat, debet in eo eſſe animo vt quocumque viuat loco & tempore, velit viuere conformiter perfectioni ſtatus quem amplectitur: Ita & ſemper perſeueret in eo ipſo animo & eadem voluntate, nec minus aliquando ſe obligatum ſentiat poſt multos profeſſionis annos, ac dum actu profitetur: ſicut reuera non minus eſt obligatus coram Deo, qui propterea profitenti & vouenti dicit: *Holocauſta tua in conſpectu meo ſunt ſemper*. Id eſt, te tuaque opera omnia ſemper aſpicio ſicut dum actu te in holocauſtum offerebas, vnus & idem perinde mihi es, profeſſus ac profitens; ſicque teipſum de futuro à teipſo de præſenti, plane indiuiſum volo, & tibi prorſus idem perſuaſum.

RATIO petitur à ratione holocauſti quod totum eſt Dei, & quod offerri Deo debet in profeſſione ſeu prima votorum nuncupatione, vt ſit religioſa & legitima ſui oblatio.

Digitized by Google

Sed niſi profeſſus idem eſſet ac profitens, quo ſenſu dictum eſt, non eſſet oblatum holocauſtum, vel ipſum eſſet ablatum.
Ergo id ita fieri debet modo & deinceps, vt ſit profeſſus idem ac profitens.

I. PVNCTVM.

QVÆCVMQVE modò ſunt in vniuerſa rerum natura: quæcumque olim extiterunt; & quæ aliquando futura ſunt, ita ſunt in conſpectu Dei omnia, vt nihil illi prorſus ſit præteritum aut futurum, ſed cuncta merè præſentia, cuncta ſubjecta eius oculis, cuncta denique ſiue vniuerſim, ſiue
Hebr. 4. ſingillatim in eius mente, ſicut in eius nutu poſita. *Non eſt*, inquit Apoſtolus, *vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt in oculis eius*. Dicuntur tamen aliqua ſingulari quodam modo eſſe in conſpectu eius vel ab illo reſpici, quod illa potiſſimum cara ducat & nobis ſingulariter commen-
Pſ. 10. & 112. data velit: Sic paſſim in Scripturis: *Oculi eius in pauperem reſpiciunt: HVMILIA reſpicit in cœlo & in terra: OCVLI mei erunt*
2. Par. 7. *aperti & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit.* Id eſt, certis ſignis & effectis indicabo me præſentem illi loco vel perſonis, vel negotiis de quibus ibi eſt ſermo, vt ſic etiam diſcant homines, illud ipſum non parui facere quod audiunt à Deo magni fieri.

Cum itaque Deus vellet holocauſta quæ à populo ſuo ſibi quondam offerebantur, rite & ſanctè offerri, *Holocauſta*, inquit, *tua, in conſpectu meo ſunt ſemper*, Hoc eſt Sacrificium quod præ cæte-
Iſ. 61. ris ſpecto, & quod ſpectari volo vt integre & ſincere fiat: *Nam ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto.* Ac cùm præterea tale eſſet Sacrificium vt de hoſtia immolata nihil prorſus reſeruaretur ſicut in aliis Sacrificiis, ſed tota incenderetur in honorem Dei, periculum erat ne Sacerdotes aut alij offerentes Sacrificium, ſibi aliquid retinerent, nec plane totum daretur Deo, quod vt ſacrilegum & valde odioſum dicebatur Deus deteſtari, vt ipſi homines ab hac impietate deterrerentur.

Et vero ſicut in illis holocauſtis Moſaicis & cruentis, Deus

Digitized by Google

Chriſtianas & Spirituales hoſtias potiſſimum intuebatur, ita quando dicebat ſe in conſpectu habere ſemper holocauſta, non tam de illis veteribus quam de nouis, non tam de carnalibus quam de Spiritualibus, intelligendus eſt, ipſo teſte Pſalmiſta Regio qui ſic aperte Deo: *Holocauſtis*, inquit, *non delectaberis: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Et rurſum: *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi: holocauſtum pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quaſi diceret, hoc eſt maxime holocauſtum quod tibi placet, vt tui toti ſimus, & tuæ voluntatis obſequio mancipati. Quod & alibi clarius: *Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea:* Id eſt, hæc ſunt videlicet holocauſta quæ Tu præcipue reſpicis, vt tibi vota mea diſtinctè & attente faciam, & prout illa feci, reddam: prout animo me affectum ſenſi dum illa facerem, ſic bene ſemper affectus permaneam, & tam conſtans in omnibus meis promiſſis ac votis exoluendis perſiſtam, quàm libens & voluntarius illa profeſſus ſum.

Pſ. 50. *Pſ. 39.* *Pſ. 65.*

Hoc eſt quod paucis iſtis Verbis, *Profeſſus idem ac profitens*, proponit Veritas modo expendenda. Vnus & Idem Is qui hodie profeſſionem facit, permaneat affectu & effectu in totos conſequentes annos, qualis modo eſt affectus dum profitetur. Sic profitendo ſit affectus ſicut debet perfecte viuere, toto quod ſupereſt viuendi tempore: ſicque perfecte ſemper viuat, ſicut affectus erat profitendo.

Ratio eſt euidens ſiue ex dictis, ſiue ex ipſa rei perſpicuitate, quia profeſſio ſeu votorum nuncupatio vt ſit legitima, debet eſſe holocauſtum: nec aliam affert rationem ſanctus Thomas cur Religioſi vel religioſus ſtatus appellentur hoc nomine, vel cur hic ſtatus ſit perfectionis ſtatus, quàm quia religioſi ſe totaliter mancipant Diuino ſeruitio quaſi holocauſtum Deo offerentes, quod eſt maxime proprium virtutis Religionis, *Vnde antonomaſtice nomen hoc illi datum eſt ſtatui, in quo ſic homo ſe Deo totum immolat.* Et affert in confirmationem, hæc ſancti Gregorij Verba: *Sunt quidam qui nihil ſibimetipſis reſeruant, ſed ſenſum, linguam, vitam, atque ſubſtantiam quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant.* Vnde & ſanctus Thomas concludit ſtatum eſſe perfectionis, *Quia*, inquit, *in hoc nominis perfectio conſiſtit, vt totaliter Deo inhæreat.*

2.2. q.186. a.1. *Hom. 20. in Ezechiel.*

Digitized by Google

At vero quod hic potiſſimum agitatur de holocauſto & de profeſſionis ſimilitudine cum hoc genere Sacrificij, vt plene intelligas, adeundus ipſe eſt ſanctus Gregorius, vbi ſupra citatur, qui rem fuſe proſequitur: *Sciendum vero eſt*, inquit, *quia hoc inter Sacrificium atque holocauſtum diſtat, quòd omne holocauſtum Sacrificium eſt, ſed non omne Sacrificium, holocauſtum. In Sacrificio etenim pars pecudis, in holocauſto verò totum pecus offerri conſueuerat. Vnde & holocauſtum latina lingua totum incenſum dicitur. Penſemus ergo quid eſt Sacrificium, quid holocauſtum. Cum enim quis ſuum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, Sacrificium eſt; cùm verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt. Nam ſunt quidam qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & tamen ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus miniſtrant, oppreſſos defendere feſtinant. Iſti in bonis quæ faciunt, Sacrificium offerunt, quia & aliquid de actione ſua Deo immolant, & aliquid ſibimetipſis reſeruant. Et ſunt quidam qui nihil ſibimetipſis reſeruant, ſed ſenſum, linguam, vitam atque ſubſtantiam quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid iſti niſi holocauſtum offerunt, imo magis holocauſtum fiunt?*

Quid clarius dici poterat, quid expreſſius? Poteritne aliquid dubij ſupereſſe, aut ſi nihil poſitenti reſtat dubij, quantum ad rei intelligentiam, poteritne reſtare aliquid, quantum ad eius voluntatem, vt ſe totum non immolet, nec ſit verum holocauſtum?

II. PVNCTVM.

SED *niſi profeſſus idem eſſet ac profitens, quo ſenſu dictum eſt, non eſſet tale holocauſtum, vel non tale permaneret: non eſſet totum oblatum, vel quod oblatum eſſet, eſſet ſublatum.*

Hic eſt enim duplex ſenſus quo dictum eſt, Profeſſus idem ſit ac profitens: primò quidem vt profitens dum profeſſionem facit probe intelligat & plene velit ſe obligare ad acquirendam ſui ſtatus perfectionem, ſicut expreſſe ſanctus ait Bernardus; *Cum vouemus, promittimus operam dare, vt perfectionem vitæ attingere poſſimus: à quo conatu qui recedit, voti tranſgreſſor reputandus eſt.*

Deinde vero, vt poſtquam profeſſus eſt & quamdiu profeſſus viuit, memor ſuæ profeſſionis ſic perfectioni vacet, ſic perfecte
2. Cor. 8. viuat, ſicut promiſit & ſtatuit profitendo. *Qui velle cæpiſtis ab anno*

Digitized by Google

anno priore, inquit Apoſtolus, *nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi, ex eo quod habetis.*

Quæ duo niſi adſint, ſuo fideliter modo, & tempore, non erit profeſſus idem ac profitens, nec holocauſtum erit, aut non permanebit. Non erit certè holocauſtum niſi profitens ſe totum immolet; ac ſe non totum immolabit, niſi ſe in totam vitam, in totas actiones, in tota verba, & vno verbo in totum quidquid eſt, ſe perfectioni velit dedere & conſecrare. In hoc nempe eſt ratio holocauſti, nihil vt velit reſeruare, in præparatione, vt vocant, animi. Vnde ſunt illa egregia ſancti Bernardi iam ſupra memorata. *Age ergo qui relinquere vniuerſa diſponis, te quoque inter reliquenda numerare memento: Imò verò maxime & principaliter abnega temetipſum, ſi deſideras ſequi Eum qui exinaniuit propter te, ſemetipſum.* *In illud Ecce nos reliquimus omnia.*

Quod ſi quidem profitendo ſe totum immolat, totum ſe volendo impendere in quidquid perfectum eſt, ipſo autem deinceps tempore quo venitur ad rem, quo perfectio requiritur in orando, in conuerſando, in officio perſoluendo, in omnibus denique religioſe peragendis, non niſi negligenter & perfunctorie peragantur; tunc holocauſtum aufertur: de toto demitur aliquid, & tantum demitur, quantum de illa perfectione tollitur quam requirebat actio vt religioſe fieret. Sic enim holocauſtum intelligitur ſeſe ad omnem vitam extendere, vt pars quælibet vitæ ſit holocauſtum. Quod præclare ſanctus Gregorius in eo pergens loco vbi ſupra relatus eſt: *Iſraeliticus*, inquit, *populus primum Sacrificium in Aegypto obtulit, ſecundum vero*, id eſt holocauſtum, *in eremo. Qui itaque habet adhuc mentem in ſæculo, ſed boni iam aliquid operatur, Deo Sacrificium obtulit in Aegypto; qui vero præſens ſæculum deſerit, & agit bene quæ valet, quaſi iam Aegypto derelicta, Sacrificium præbet in eremo, quia repulſo ſtrepitu deſideriorum carnalium, in mentis ſuæ quiete atque ſolitudine, Deo immolat quidquid operatur:* Vnde & ſic concludit: *Majus eſt Holocauſtum Sacrificio, quia mente quæ huius mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis Dei Sacrificio incenditur quod habetur.*

Quod & alibi repetit, explicans illud Apoſtoli, *Exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem: HOSTIA quippe occiditur vt offeratur, ſed hoſtia viuens eſt corpus Domino ap-* *Rom. 12. Hom. vlt. in Ezech.*

plicitum: quod & hoſtia dicitur & viuens, quia viuit in virtutibus, & eſt à vitiis occiſum: hoſtia videlicet quia iam huic mundo eſt à prauis actibus mortuum: viuens vero quia cuncta quæ praualet bona operatur. Verum à contrario, hæc omnia ſancti Patris dicta reuoluamus, ſi Religioſus non immolat quidquid operatur, ſi non totum incendit quod habet, ſi non totus viuit in virtutibus, ſi non cuncta quæ præualet bona bene operatur. Nonne is tam verè non erit holocauſtum, quàm vere tale eſſe dicebatur, ſeſe totum immolando ad omne opus perfecte peragendum?

III. PVNCTVM.

P*ROFESSVS igitur idem ac profitens:* Qualis eſt profitens, talis ſit profeſſus: & qualis debet eſſe profeſſus, talis ſit profitens. Hoc intendat, hoc cogitet, hoc proponat, hoc ſtatuat, & hoc intelligat idem eſſe profiteri ſeu profeſſionem religioſam facere, quod eſſe diceretur, Hæreticum profiteri religionem Catholicam, nempe vt is ſic abjuraret hæreſim, nihil vt deinceps erroneum aut alienum à fide vellet; Ita plane Religioſus nihil ſæculare, nihil ſenſuale, nihil mundanum, quod totum profitendo ſic immolat vt immolatio per totam continuetur vitam, & per ſingulas vitæ partes, quarum ſi vel vna deſit non immolata, tum ſimul deſit immolatio per holocauſtum facta; quia quod immolatur per holocauſtum, aut totum immoletur, totum incendatur neceſſe eſt, aut non ſit holocauſtum, ſed rapina, ſed ſacrilegium, ſed incentiuum Diuini odij. *Omne*, inquit Deus, *quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino*; Id eſt, maxime & inuiolabiter conſecratum: *Et omnis conſecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte moriatur.* At quæſo te quomodo Deus volebat hominem ſibi conſecratum mori niſi morte illa qua nobis morimur vt viuamus Deo? Sic mortua & ſacrificata dicitur à Iephte Patre filia, non morte quam vocant violenta, ſed ciuili, ſed religioſa ſeparatè viuendo à communi hominum cætu & victu, cùm alioquin dubitetur an licuiſſet Patri Filiam immolare, nec tam verè dixiſſet de ſuo voto ſic cruentè adimplendo, quam verè dixit: *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.*

Leuit. 27.

Iud. 11. Vide ibi Eſtium.

Digitized by Google

Hoc eſt videlicet quod profitens debet profiteri, & ad ſingulas vitæ actiones reuocare; aperit os ſuum Domino quando profitetur ſe religioſe velle viuere, & aliud viuendo non poteſt facere; quia non debet aliud profeſſus facere quam quod profitens ſtatuit.

Anathema dictum eſt Iericho & cunctæ quæ ibi eſſet ſupellectili, quod miſer Achan infringens miſerè periit. *Memores eſtote vxoris Loth*, dicebat Dominus, quaſi diceret, ne quidem oculi conjiciendi ſunt in mundana quæ deſeruntur, ne oculum concupiſcentia, ne concupiſcentiam culpa, & ne culpam pœna ſequatur, ſicut illa Mulier periit, *Quia retroſpexit*, inquit ſanctus Ambroſius. *Et ſtatua ſalis facta eſt*, ait Diuus Auguſtinus, *vt admonendo homines ne retroſpiciant, & ſe à ſpe Diuinæ promiſſionis auertant, tamquam condiat cor eorum ne ſint fatui.* Ioſue 7. Luc. 17. Gen. 19.

Velleſne aliquid reſeruare pecuniæ? Putareſne votum paupertatis rite factum niſi pecuniam omnem eiurares? At vero *ſunt Loculi non modo pecuniæ*, inquit ſanctus Bernardus, *ſed propriæ voluntatis*. Conſecranda, conſecranda eſt illa voluntas integra, nihil vt ex illa magis ſuperſit quam ex pecunia. Sic vere Sacrificium fiet, ſic vere holocauſtum, & holocauſtum perpetuum, quale eſt illud Christi Domini qui cum ſemel tantum ſe obtulerit, ſic tamen perſeuerat illa oblatio, vt non quotidie tantum renouetur, ſed quoties in die Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebratur. In illud Ecce nos reliq.

O dignitatem religioſæ profeſſionis quæ profitentem Chriſto reddit ſimilem, ſi ſui ſimilis profitens ſic eſſe volit vt ſit idem ſemper profeſſus ac profitens! ô motiuum ita inchoandi nobiliſſimum, ô vinculum ita perſeuerandi ſtrictiſſimum! Sic incipiamus hodie ſicut volumus aliquando mori: vt ſic aliquando moriamur ſicut incipimus hodie. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata hæc atque iudicia. Et cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus, & ambules in viis eius, & obedias eius imperio. Et Dominus elegit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris ſicut locutus eſt tibi.* Nonne id ita vis? Nonne id ita ſemper velle cum Gratia profiteris? Deut. 26.

Vide in 2. parte, Feria 5. Hebdom. 3. in Quadrageſima.

Digitized by Google

DE VOTO PAVPERTATIS.

Elegi te in camino Paupertatis. Iſ. 48.

VERITAS PRACTICA.

Quò quis Pauperior, cò Ditior.

RATIO EST, Quia quò quis abundat pluribus & melioribus diuitiis, ille eſt Ditior.

Sed quò quis eſt pauperior, pluribus abundat diuitiis & melioribus.

Ergo eſt Ditior, Ac proinde ne quid extra puritatem voti paupertatis quæras, quod in ipſa paupertate melius reperies, ſi purè votum ſerues.

I. PVNCTVM.

2.2. q.186. a.6. & 7. CVM ex Diuo Thoma, tria Religioſorum vota tribus opponantur Concupiſcentiis; Illud commodi conſequitur Religioſus, vt per illa vota ſanctè obſeruata, breui facilique compendio ad perfectionem Caritatis perueniat: Sed illud ſemper reſtat incommodi, vt niſi diligenter aduertat & caueat, Concupiſcentia numquam ex toto extincta reuiuiſcat interdum, & quæ ſua ſunt eò quæret auidius quo eſt repreſſa ſtrictius. Sic videmus in multis & plangimus, amore bonorum temporalium, Paupertatem Religioſam valde labefactatam; Sic amore voluptatum, Caſtitatem non parum læſam; Sic denique amore vanitatis & gloriæ, neglectam Obedientiam.

Quamobrem vt his efficacius occurratur malis, ac puritati votorum conſulatur, ſic formantur hæ Conſiderationes & Verita-

Digitized by Google

tes de tribus votis, vt oſtendatur ex perfecta votorum obſeruatione tantum abeſſe, vt quid boni vel vtilis, vel delectabilis vel honeſti depereat, quin potius eo magis creſcat quo vota melius obſeruabuntur. Quod vt primo in paupertate pateat, ſic habet Veritas modo expendenda: *Quo quis pauperior, eò Ditior.*

Nempe ille eſt eo Ditior quò pluribus abundat & melioribus diuitiis, Sicut ille eſt Doctior qui meliori eſt inſtructus diſciplina; Ille eſt ſanior & pulchrior qui plures & nobiliores corporis partes ſaniores & pulchriores habet: Ille eſt Sanctior qui veræ Sanctitatis intenſiores habitus poſſidet & frequentiores actus edit. Quid clarius? Sed quid rarius? *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt Veritates à filiis hominum.* Pſ. 11.

II. PVNCTVM.

SED quo quis eſt pauperior, eo abundat pluribus & melioribus diuitiis.

Primo quidem non eſt dubium quin diuitiæ ſpirituales & cœleſtes ſint meliores quàm terrenæ, ſiue earum dignitatem ſpectes ſiue vtilitatem & neceſſitatem. Nam ſi de ſola Sapientia Sapiens verè dixit, *Diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius:* quid de illis Gratiarum theſauris quos ſecum aduexit Chriſtus & nobis large communicat? Audi ſanctum Petrum: *qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quam maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ.* Audi & ſanctum Ambroſium: *quid enim eſt quod conferri poſſit his de quibus Deus dixit: Et inhabitabo in illis. Quid magnificentius hoſpite cæleſti? Quid beatius poſſeſſione Diuina?* Sap. 7. 2. Pet. 1. Serm. 8. in Pſ. 118.

Deinde verò certum eſt, quò quis fuerit pauperior, id eſt, quo quis affectu circa res terrenas fuerit religioſiori & plenius mortificato, ille abundabit pluribus donis Spiritualibus, quia erit capacior illis recipiendis: hanc enim ſolum capacitatem requirit Deus vt ſe ſuaque largius impartiatur. *Dilata os tuum & implebo illud. AFFER mihi adhuc vas. EXINANI vt implearis. SCIO tribulationem & paupertatem tuam,* ait Dominus, *ſed diues es. MELIVS eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. EST homo marcidus abundans paupertate & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius.* Pſ. 80. 4. Reg. 4. S. Aug. Apoc 2. Pr. 15.

Digitized by Google

Eccleſ. 11. Sic magnifice dictum à Pſalte Regio: *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et apte huc transferas quod ſcribit Apoſtolus de Macedonibus: *Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias*, Id eſt, 2. Cor. 8. profundiſſima & ex imo fundo vacua, ac proinde capaciſſima & aptiſſima diuitiis Spiritualibus comparandis & continendis.

Adde quod illa ipſa dona cœleſtia licet ex ſe ſatis nobilia & pretioſa, fiunt tamen in eo nobiliora & pretioſiora qui eſt pauperior & minus affectus erga res humanas: Nam ſicut aurum purum & defæcatum, eſt nobilius & pretioſius quàm permixtum, ita donum cœleſte quando eſt purum in animo, eſt pretioſius; eſt autem eo purius in animo noſtro, quò animus eſt magis liber & purus ab illis terrenis affectibus qui ſunt velut ſcoria & fæces quibus non minus dona cœleſtia inficiuntur & diminuuntur, quàm aurum & argentum permixtione alterius inferioris metalli. Eapropter *elegi te*, inquit Dominus, *in camino paupertatis*; Quod & alibi repetit & Iſ. 48. declarat apertius: *Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* Id eſt, per paupertatem purificabo affectus tuos Ibid 1. ſicut in camino purificatur aurum. Sic *Dominus pauperem facit & ditat*; & *ſic de ſtercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus.* 1. Reg. 2 Pſ. 112. Hinc eſt illud Apocalypſis celebre dictum: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.* Quis? Et cui ſuadet? Quomodo? Et quid ſuadet? Contemplare attentius.

III. PVNCTVM.

QVO *quis ergo pauperior, eo eſt Ditior*, Cùm diuitiis abundet pluribus & melioribus, vereque poſſit dicere cum Patriarcha Ioſepho: *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Gen. 41. *SEMPER diues eſt Chriſtiana paupertas*, ait ſanctus Leo, *quia plus eſt quod habet quàm quod non habet. Nec pauet in iſto mundo indigentia laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino, omnia poſſidere.* Serm. 4. de Quadr. Hoc eſt videlicet *Centuplum* de quo Chriſtus Dominus: Hæ ſunt *diuitiæ ſalutis* de quibus Propheta Iſaias: Hic eſt *diues cum nihil habeat*, de Matth. 19. Iſ 33. quo Sapiens: Hi ſunt, *nihil habentes & omnia poſſidentes* de quibus Prou. 13. 2. Cor. 6. Apoſtolus: Hi ſunt *pauperes quos elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe*, vt ait Iac. 2. ſanctus Iacobus. Hi ſunt qui cum Tobia debent dicere; *Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum.* Tob. 4.

Digitized by Google

& receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè: Et iterum, *Suf-ficiebat nobis paupertas noſtra vt diuitias computaremus in ea.* Hi ſunt vel maxime *propter quos Chriſtus egenus factus eſt cùm eſſet diues, vt illius inopia diuites eſſent.* Ad quæ Apoſtoli Verba, ſcitè ſanctus Auguſtinus; *quid factura ſunt diuitiæ eius, cuius paupertas nos diuites facit?* Ib. 5. 2. Cor. 8.

Ne vero in aliquod extremorum labaris: aut negligentiæ in colenda paupertate: aut ſuperbiæ in perfecto eius cultu, ſapienter Idem ſanctus Doctor te admonet: *Quomodo ſe audebit extollere de voluntaria paupertate Chriſtianus, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam quæ perducit ad patriam, vbi veræ diuitiæ ipſe Deus eſt, cùm legat L. Valerianum qui in ſuo defunctus eſt Conſulatu, vſque adeo fuiſſe pauperem, vt nummis à populo collatis eius ſepultura curaretur: Legat Q. Cincinnatum cùm quatuor iugera poſſideret & ea ſuis manibus coleret, ab aratro eſſe abductum vt Dictator fieret, victiſque hoſtibus, ingentem gloriam conſecutum, in eadem paupertate manſiſſe?* Et poſt alia quædam exempla: *Hæc*, inquit, *propoſita ſunt neceſſariæ commonitionis exempla, vt ſi virtutes quarum iſtæ vtcumque ſunt ſimiles, quas iſti pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur: ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur.* l. 5. Ciuit. c. 18.

Vide in 1. parte, In die Natalis Domini. In 3. parte, Fer. 2. Hebdom. 3. In 4. parte, tota pene Hebdomada 17.

DE VOTO CASTITATIS.

Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis: & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium. Eccleſi. 30.

VERITAS PRACTICA.

Major eſt voluptas, voluptatem nolle quam velle: Voluptatem viciſſe, quam cæpiſſe.

Digitized by Google

RATIO EST, Quia voluptas animi & bonæ Conſcientiæ major eſt quàm voluptas corporis.

Sed voluptatem nolle & viciſſe, voluptas eſt animi ſeu bonæ Conſcientiæ: Et voluptatem velle aut cæpiſſe, voluptas eſt corporis.

Ergo major eſt voluptas, voluptatem nolle quam velle: voluptatem viciſſe quam cæpiſſe. Ac proinde cum neutra ſimul voluptas eſſe poſſit, neque tu poſſis ſine alterutra viuere; tam fugienda eſt voluptas corporis, quàm conſectandum eſt gaudium bonæ mentis.

I. PVNCTVM.

IAM in ipſo primo Conſiderationis aditu, propoſitam Veritatem contemplare. Iam incipe admirari quantum ſit Caſtitatis bonum, quæ cum ſit virtus tam honeſta tam vtilis & neceſſaria, vt per ſe patet, ſimul etiam tàm ſuauis eſt & tam iucunda vt ſit iucundius & delectabilius nolle & viciſſe voluptatem oppoſitam, quàm eam velle & cæpiſſe. Quæ certe Veritas attente conſiderata, multum valere debet ad religioſiſſimam huius Virtutis cuſtodiam, cum non niſi ex prauo voluptatis affectu violetur. At ecce, major eſt voluptas ſi prauum illum affectum repreſſeris, ſi fœdam illam voluptatem nolis & viceris.

Nam vniuerſim loquendo, hic eſt communis eorum omnium qui recte de rebus ſentiunt, ſenſus, hoc humana dictat ratio, nec non ipſa clamat experientia, quòd voluptas animi longe major eſt quàm corporis. Hoc è ſacris Authoribus nullus eſt qui non affirmet; è profanis vero qui ſcripſerunt ſanius & ſapientius Ariſtoteles, Plato, Seneca, Tullius, Epictetus & alij, in id ipſum ita conſpirant omnes, vt de his ſcribat ſanctus Hieronymus, nihil aliud eſſe profeſſos ſuis in Scholis & diſciplinis, quàm voluptatem animi præferendam eſſe voluptati corporis. Sic enim ait contra Iouinianum, Virginitatis aduerſarium, *Pythagorei frequentiam vrbium declinantes in ſolitudine, & deſertis locis habitare conſueuerunt. Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus verſabantur,*

Digitized by Google

verſabantur, vt admoniti anguſtioris habitaculi Sanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed & ipſe Plato cum eſſet diues, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt poſſet vacare Philoſophiæ, elegit Academicam villam, ab vrbe procul non ſolum deſertam, ſed & peſtilentem, vt cura & aſſiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, Diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum quas diſcerent.

Sanctus vero Thomas qua ſolet eruditione perſpicua, naturalem hanc affert rationem: *Si comparentur, inquit, delectationes intelligibiles ſpirituales, delectationibus ſenſibilibus corporalibus, ſic ſecundum ſe & ſimpliciter loquendo, delectationes ſpirituales ſunt majores: & hoc apparet ſecundum tria quæ requiruntur ad delectationem; ſcilicet bonum conjunctum, & id cui conjungitur, & ipſa conjunctio. Nam ipſum bonum ſpirituale eſt majus quàm corporale bonum, & eſt magis dilectum, cuius ſignum eſt quod homines etiam à maximis corporalibus voluptatibus abſtinent vt non perdant honorem qui eſt bonum intelligibile. Similiter etiam ipſa pars intellectiua eſt multo nobilior & magis cognoſcitiua quàm ſenſitiua. Conjunctio etiam vtriuſque eſt magis intima, & magis perfecta, & magis firma. Intimior quidem eſt quia ſenſus ſiſtit circa exteriora accidentia rei, Intellectus verò penetrat vſque ad rei eſſentiam, objectum enim intellectus eſt, quod quid eſt. Perfectior autem eſt, quia conjunctioni ſenſibilis ad ſenſum adjungitur motus qui eſt actus imperfectus, vnde & delectationes ſenſibiles non ſunt totæ ſimul, ſed in eis aliquid pertranſit, & in eis aliquid expectatur conſummandum: ſed intelligentia ſunt abſque motu, vnde delectationes tales ſunt totæ ſimul. Eſt etiam firmior, quia delectabilia corporalia ſunt corruptibilia, & cito deficiunt: bona vero ſpiritualia ſunt incorruptibilia.* 1. 2. q. 31. a. 5.

Hæc ad Verbum ſanctus Thomas: neque his obſtat quod voluptates corporis à pluribus expetantur quam animi: *Nam*, vt ait Idem ſanctus Doctor, *magis notæ ſunt corporales quam ſpirituales, quia in ſenſu & in appetitu conſiſtunt vbi vehementius delectatio ſentitur. Et ſub prætextu quodam neceſſitatis facilius aſſumuntur præſertim ab his qui naturæ corruptæ potius quam Rationi & virtuti cedunt quorum major eſt numerus: Vnde fit vt ſe ineptos ſpiritualibus deliciis reddant & vix eas norint.* Sed ſi deſpectis corporalibus ſeſe internis & ſpiritualibus dederent, tanto magis ſpirituales corporalibus præſtare noſſent, quanto animus corpori, & quanto pars noſtri nobilior præcellit infimæ.

An tu Ægyptias ollas, pepones, porros, cæpas, & ſimilia vulgi eſculenta delicatiores eſſe credas cibos, quam cœleſte illud Manna quo Hebræi quotidie veſcebantur? Et tamen illos vulgares cibos vehementius appetebant quam ſuum manna ſuauiſſimum, vnde hæc præclare ſanctus Gregorius: *Quid per pepones niſi terrenæ dulcedines? Quid per porros aut cepas exprimitur quæ plerumque qui comedunt lachrymas emittunt, niſi difficultas vitæ præſentis quæ à dilectoribus ſuis, & non ſine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? Manna igitur deſerentes cum peponibus ac carnibus porros cepaſque quæſierunt, quia videlicet peruerſæ mentes dulcia per gratiam quietis dona deſpiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laborioſa huius vitæ itinera etiam lachrymis plena concupiſcunt: contemnunt habere vbi ſpiritualiter gaudeant, deſideranter appetunt vbi & carnaliter gemant: peruerſo iudicio perturbata tranquillis, dura lenibus, aſpera mitibus, tranſitoria æternis, ſuſpecta ſecuris anteponunt.*

20. Mor. 16.

Denique aut oportet eſſe deſperatos, indolentes, cauteriatæ Conſcientiæ, & in eo ſtatu animi conſtitutos qui eſt omnium miſerrimus, vt alibi eſt demonſtratum: aut ſi ſupereſt bonæ mentis ſtimulus, illud oportet omnino profiteri, tantum intereſſe inter voluptatem corporis & animi, quantum inter perturbatam & pacatam Conſcientiam. Nam cum voluptas corporis tantiſper inordinata non poſſit capi ſine læſa Conſcientia, ſine læſo Numine, ſine ſalutis ſuæ periculo, ſine Gratiæ detrimento; tantum neceſſe eſt perturbetur Conſcientia, quantum amat aut timet Deum, quantam de ſalute ſua ſolicitudinem gerit, & quantùm Gratiæ defert. Vnde, quod dixi, aut nihil illis Diuinis mouetur, aut ſi mouetur, conturbatur: & perturbata quid ſolatij quid delectationis percipiet? Aut mediocrem certe aut vehementem voluptatem: ſi mediocrem, an putas conferendam cum illa ſecura mente quæ eſt iuge conuiuium, & cum manna illo abſcondito quod nemo ſcit niſi qui accipit? Aut cum illo ligno vitæ quod à Chriſto guſtandum offertur? Quod ſi vehementem ſentis: at nonne tanto magis commoueri debet Conſcientia quanto vehementior eſt voluptas, cùm ex illa vehementia creſcat peccatum niſi reſiſtat, ex peccato vero creſcat Conſcientiæ commotio, vel ex reſiſtentia decedat neceſſe eſt delectatio? Vnde tandem quid ſequitur niſi aut nullam eſſe Conſcientiam, nullam religionem, nullum Dei metum, nullam ſalutis curam,

In 1. parte, Hebdom. 5. poſt Epiph.

Prou. 15. Apoc. 2. Ibid.

nullam æternorum fidem, nullam ſpem futurorum: aut certe præ animi voluptate, nullam eſſe voluptatem corporis, quæ ſentiri non poteſt cum religione Conſcientiæ, cum Dei metu, cum ſalutis cura, cum ſpe ac fide æternorum? Vtrum mauis fateri?

II. PVNCTVM.

SED voluptatem nolle & viciſſe, voluptas eſt animi ſeu bonæ mentis & Conſcientiæ.

Eſt enim voluptas aliqua vt ſatis per ſe ſentitur, non eſt autem voluptas corporis, cum ſit potius eius expugnatio & victoria; quid reſtat igitur quàm vt ſit voluptas animi, & illa requies de qua Dominus: *Et inuenietis requiem animabus veſtris, Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue?* Math. 11. Nam ſicut nihil eſt aliud iugum illud Chriſti tollere quàm naturam deprauatam ſeu corporalem voluptatem ſubjugare, & Chriſtianæ legi ſubjicere: ſic ſuauitas quæ in illo tollendo iugo percipitur, ipſa eſt animi voluptas & requies quæ in ſubjuganda illa corporis voluptate ſentitur. *Quàm* 9. Conf. *ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum*, inquiebat ſanctus Auguſtinus, *& quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas: ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini.*

Certe pax animi, voluptas quædam eſt & iucunditas ipſius animi. At vero, vndenam illa pax animi niſi ex repreſſis & domitis concupiſcentiis, ſeu quod idem eſt, ex refrænata carnis voluptate quæ militat aduerſus animam & pacem eius turbat niſi refrænetur? Ac proinde quid clarius quàm refrænaſſe & viciſſe voluptates corporis, voluptas eſt animi, cum ſit pax animi, pax autem animi ſit ipſa eius voluptas?

Denique, cuinam promittitur manna illud abſconditum de quo ante, niſi vincenti? Cuinam autem vincenti niſi voluptatum corporis? Quid porro eſt illud manna niſi voluptas animi, vnde tandem quid reſtat niſi voluptatem nolle & viciſſe, ipſam eſſe animi voluptatem?

III. PVNCTVM.

EST ergo major voluptas, voluptatem nolle & viciſſe, quàm velle & cepiſſe, Cum ſit voluptas animi, quæ tanto eſt major vo-

Digitized by Google

luptate corporis, quanto non ſolum animus major eſt & præſtantior corpore, ſed quantum omni creatura Creator eſt major, à quo eſt illa voluptas animi, & contra quem eſt voluptas corporis.

De bono pudic. Sic expreſſis Verbis ſanctus Cyprianus: *Nihil*, inquit, *fidelem ſic delectat quàm integra immaculati pudoris Conſcientia. Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima, nec vlla eſt major victoria quam quæ de cupiditatibus refertur.* Serm. 5. in Quadrag. Sanctus item Bernardus apte; *Quis veſtrum eſt qui non ſæpe expertus ſit conſcientiæ bonæ delectationem? Qui non guſtauerit ſaporem Caſtitatis, Humilitatis, Caritatis? Non eſt hæc delectatio potus, neque cibi aut ſimilis cuiuſlibet rei: Delectatio tamen eſt, & major omnibus illis; Diuina enim eſt & non carnalis delectatio, & cùm* 1. Cor. 6. *in his delectamur, plane delectamur in Domino.* Hoc ipſum breuius dixerat ſanctus Hieronymus; *quanta fœlicitas, non vxoris ſeruum eſſe ſed Chriſti, non carni ſeruire ſed ſpiritui; qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.*

Sic & alij omnes ſancti Patres, quos inter ſanctus Ephrem, ſermonem integrum de hoc argumento ſcripſit. Sed recte monet Coll. 12. c. 13. Abbas Cheremon apud Caſſianum, *Vix quemquam poſſe huius virtutis de qua hic agitur, ſuauitatem ſermone exprimere: tamquam*, inquit, *ſi quis dulcedinem mellis ei qui numquam quicquam dulce guſtauerit, velit ſermonibus enarrare. Profecto nec ille ſaporis illius ſuauitatem quam numquam ore percepit, auribus capiet: nec ille dulcedinem quam guſtus voluptate cognouit, verbis poterit indicare, ſed propria tantum agnitione ſuauitatis illectus, neceſſe eſt vt experti ſaporis iucunditatem intra ſemetipſum ſolummodo tacitus admiretur.*

Eſt verò contrà quod mireris in te vel in aliis, quod cùm ſit tanta voluptas voluptatem viciſſe, non vincas ſemper cùm poſſis, nec ideo vincas quia non ſatis expugnas, nec ideo ſatis expugnes, quia plus voluptatis ſentias non expugnando quam pugnando. O te miſerum ſi non hîc ſentis tuam miſeriam! Pugna, expugna, nec deſiſte niſi vincas cum gratia. Exodi 32. *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum.* Cant. 3. *VNIVSCVIVSQVE enſis ſuper femur ſuum.* 1. Tim. 5. *TEIPSVM caſtum cuſtodi.*

Vide in 1. parte, Feria 6. Hebdom. 4. in Aduentu. Et in 2. parte, Feria 2. Hebdom. 5.

Digitized by Google

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

Quos praſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus. Rom. 8.

VERITAS PRACTICA.

Quàm glorioſa eſt ſimilitudo Chriſti, tam glorioſa eſt Obedientia.

RATIO EST EVIDENS, Si nullâ re propiùs ad ſimilitudinem Chriſti acceditur quàm Obedientia. Quam id vero ſit verum.

Ratio eſt, quia illa re propius acceditur ad ſimilitudinem Chriſti quæ eſt in Eo eminentior & nobis maxime propria.

Sed nulla res eſt quæ ſit in Chriſto eminentior, & nobis magis propria quàm obedientia.

Ergo nulla re propius ad eius ſimilitudinem acceditur quàm illa ipſa obedientia; Proindeque quàm glorioſa eſt ſimilitudo Chriſti, tam glorioſa eſt obedientia quæ hanc ſingulariter contrahit ſimilitudinem.

I. PVNCTVM.

CVM in paruis & abjectis rebus ſita ſit plerumque Religioſi obedientia, & inde ex ſuperbia ſeu ex vano amore gloriæ, difficultates naſcantur, diſcat hodie Religioſus nihil eſſe glorioſius quàm obedire, etiam in illis paruis & abjectis rebus, quia ſic propius ad ſimilitudinem Chriſti accedet, quâ ſimilitudine

nihil cuiquam mortalium poteſt eſſe glorioſius, nihil beatius, nihil tutius aut ſecurius ad futuram beatitudinem, cùm prædeſtinati deſignentur hoc potiſſimum charactere, vt *ſint conformes Imagini filij Dei.*

Ratio autem huius propoſitæ Veritatis hæc eſt, quòd nullo ſigno propiùs & veriùs vniuerſim acceditur ad ſimilitudinem perſonæ alicuius, aut particulatim ad Imaginem Chriſti, quàm re illa quæ eſt in eo eminentior, & quæ eſt nobis maximè propria. Quod vt melius intelligatur, aduerte in ſubjectis heterogeneis cuiuſcumque generis & ſpeciei, & maximè in perſonis quæ ex diuerſis qualitatibus & perfectionibus componuntur, alias aliis eſſe eminentiores, & ſingulari quadam ratione ac differentia, quam vocant indiuidua, proprias & veluti particulares, in quibus eminent & excellunt; Nam ſicut vniuſcuiuſque eſt rei natura, ita eſt vna quædam perfectio inter alias per quam in ſe particulatim conſtituitur & ab aliis differt. Sic palma præcipuè commendatur ſua firmitate, ſic Leo ſua generoſitate, Sol ſuo lumine; & homo vniuerſim Ratione ac Iudicio: in particulari autem, tali gradu iudicij, Sapientiæ vel Doctrinæ.

Atque hinc fit, vt ſi ſimilitudinem alicuius hominis cum aliis creaturis, aut alicuius creaturæ cum homine velis inſtituere, non alia ſit aptior & conuenientior quàm circa illud quod eſt eminentius in objecto cuius ſimilitudinem vis exhibere. Quapropter non quemlibet hominem comparabis cum palma aut cum leone, ſed fortem & conſtantem, quia id magis eminet in palma & leone. Non quoduis magnum & velox corpus compones cùm lucidiſſimo ſole, ſed illud duntaxat quod eſt ſplendidum & luminoſum, quia in hoc præcipuè Sol excellit & eminet. Sic non comparabis omne animal quod habet pedes cum homine, ſed illud quod habet faciem hominis, quanta quidem in bellua poteſt eſſe humana facies, quia facies in homine pars eſt eminentior, aut ſi quod animal propius accedat ad Rationem, tum vero illud eſt homini magis ſimile quia Ratio eſt in qua maximè viuit & commendatur omnis homo.

Sic proportionatè de Chriſto Domino, cum multa in eo ſint, & omnia quidem eximia & ſublimia, dici tamen poteſt vnum eſſe aliquid ſuo quodam modo eminentius, & nobis magis proprium & propoſitum ad imitandum, ad quod qui propiùs acceſſerit, is

Illi erit ſimilitudine & repræſentatione propior. Sicut ex antiquis Patribus cum pene omnes illum in aliquo repræſentarent; *Nullus enim Iuſtus fuit,* vt ait ſanctus Gregorius, *qui non eius per figuram nuncius extiterit:* Alij tamen aliis eò nobilius & expreſſius illum figurabant quo magis accedebant ad id quod erat magis proprium Chriſto Saluatori, vt Abraham & Iſaac in ſuo ſacrificio: Ioſeph, Moſes & Ioſue in ſalute populis data: Proindéque nos etiam eò propius ad eum accedemus, quò rem ſeu virtutem quæ eſt in eo ſingularis ſiue præcipua, quæue nobis præcipuè conueniat, imitatione referemus. Nam affectare aliam quæ non eſſet conueniens, hoc crimen primi eſt Angeli, primique hominis quod à nobis Deus auertat. *Dominum Deum veſtrum ſequimini: & ipſum timete,* Id eſt, videte quomodo Eum, & quo vſque ſequamini.

In Præfatione Iob. c. 6.

Deut. 13.

II. PVNCTVM.

SED *nulla res eſt quæ ſit eminentior in Chriſto, & nobis Religioſis magis propria, quàm Obedientia.*

Id quidem mirum videri poſſet. Primò quidem quia omnes virtutes Chriſtus habuit in pari gradu: & vbi eſt paritas, nulla eſt eminentia, niſi quod virtus vna in ſe excellat aliis, qualis eſt inter omnes, Charitas potius quam Obedientia. Deinde ſi quas à nobis præſertim virtutes exigit, videntur eſſe potiſſimum Humilitas, & Manſuetudo, ad quas diſerte & expreſſe nos inuitauit dicens. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*

Matth. 11.

His tamen non obſtantibus vere dicitur Obedientia in Eo eminuiſſe, quòd fuerit forma quædam & motiuum illud quod dicitur formale aliarum omnium omnino virtutum & actionum quas operatus eſt viuens & moriens. Nam ſi fuit humilis, ſi manſuetus, ſi patiens, ita fuit ex obedientia: humilitas ſeu objectum humile in quo humiliabatur & patiebatur, erat velut materia in qua exercebat obedientiam & in qua nos vult eam exercere. Non humiliabatur nec patiebatur niſi vt obediret: & in hac materia ſic obediebat quia eſt difficilior & melius indicat animum obedientem: Vnde Obedientia erat forma & motiuum humilitatis patientiæ & aliarum virtutum; ac proinde tanto excellentius eminebat præ cæteris virtutibus, quanto præſtat Forma materiæ.

De Charitate autem quia debet eſſe ordinata, ſic per obedien-

Digitized by Google

tiam ordinabatur vt diligeret obediendo & obediret diligendo.
3. p. q. 47. a. 2. Sic expreſſe ſanctus Thomas, *eadem ratione*, inquit, *paſſus eſt ex Charitate & Obedientia, quia & præcepta Caritatis ex Obedientia impleuit, & obediens fuit ex dilectione ad præcipientem.* Sic ipſe Dominus vtrumque ſimul iungens, *vt cognoſcat mundus*, inquit, *quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: Surgite, eamus hinc.* Quod quàm eſſet conuenientiſſimum vt ſic obediret, Reſpectu Patris, reſpectu noſtri & reſpectu Dæmonis, fuſius *ibidem* proſequitur ſanctus Thomas. Breuius autem Apoſtolus: *Sicut per Inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per Vnius Obedientiam iuſti conſtituuntur multi.* Et rurſum: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Vbi adhuc ſanctus Thomas egregie: *Si fuiſſet paſſus non ex obedientia, non fuiſſet ita commendabilis, quia obedientia dat meritum Paſſionibus noſtris. Sed quomodo factus eſt obediens? Non voluntate Diuina quia ipſa eſt regula, ſed voluntate humana quæ regulata eſt in omnibus ſecundum voluntatem Paternam: Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut Tu. Et conuenienter introducit in paſſione obedientiam, quia prima præuaricatio eſt facta per inobedientiam.*

Ioan. 14.

Rom. 5.

Phil. 2.

Neque vero id tantummodò verum eſt de eius Paſſione & Morte, ſed de Natiuitate, de Circumciſiône, & de ſingulis quibuſque vitæ partibus ab ipſo primo vitæ ortu ad extremum vſque Spiritum, Vnde Apoſtolus ex Pſalte Regio, *Ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quod ſæpiſſime Chriſtus Dominus repetiit: *Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. A ME ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor. EGO ex meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.* Nonne hoc eſt obedientem eſſe? Nonne hoc eſt inſignem & eminentem in obediendo præſertim eſſe? Nonne hoc eſt Obedientiam præ cæteris commendare virtutibus?

Pſ. 39. Hebr. 10.

Ioan. 6. Ibid. 8. Ibid. 12.

Quàm ſit vero hæc virtus Religioſis maxime propria tam aperte conſtat, quàm patet euidenter illis virtutes eſſe proprias, & eas maxime

Digitized by Google

maxime quæ votis continentur. *Sola autem obedientia virtus eſt*, ait l. 35. Mor.
ſanctus Gregorius, *quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cu-* c. 10.
ſtodit. SOLVM obedientiæ votum eſt, inquit ſanctus Thomas, 2. 2. q. 186
quod alia omnia religioſa contineat, quod vnum ſufficit ad religioſum a. 8.
ſtatum conſtituendum, & ſine quo nullus nec ſtatus, nec religioſus eſſe poteſt. Poteſtne aliquid magis eſſe proprium quam quod eſt ita neceſſarium & excellens?

III. PVNCTVM.

N*VLLA re igitur propius ad ſimilitudinem Chriſti acceditur quam obedientia*, Cùm ſit illa virtus quæ eſt eminentior in eius vita & morte, quamque nos imitari magis expediat & neceſſe ſit, ſi religioſe volumus viuere: *Animas veſtras caſtificantes in obedientia Charitatis*, ait ſanctus Petrus, vt ſicut ex Charitate debet procedere obedientia, ita ex obedientia Charitas exerceatur; & quidquid fit, hoc animo fiat, quia ſic Deus mandat, ſic Deo gratum eſt, *Ita Pater quoniam ſic fuit placitum ante te*; Ex quo quidem Diuino Diuini Patris placito, quidquid tandem fiat, quantumcumque ſit modicum & exile, mirum in modum nobilitatur & dignitate & merito. Sed ex Chriſti ſimilitudine nobilitas illa & dignitas actionis ſiue obedientiæ religioſæ tantum creſcit, vt nihil ſit Deo gratius. Quod enim grati ſumus Deo, noſtris in operibus, id prouenit à Chriſto Filio in quo ſibi bene complacet & propter quem ipſi placent quicumque placent, vnde fit vt qui ſunt magis conformes & ſimiles Filio, magis ipſi placeant propter Eum quem magis repræſentant: Et cum præſertim nos Filio ſimiles efficiat Obedientia, quis non videt nos inde etiam fore Patri gratiores; & id fore nobilius ac excellentius quidquid obedientes geſſerimus? Nam ſi ipſe Filius iudicauit nulla re Patri ſe futurum gratiorem quàm obedientia, quantò id magis de nobis iudicandum eſt, cum præſertim ſic Filius Patri obediens fuerit, vt ſuo nos exemplo ſic efformaret, doceretque facto & verbo ſic jungendam ſimul Charitatem & Obedientiam. *Manete*, inquit, *in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione.*

1. Pet. 1.

Matth. 11.

Ioan. 15.

O quale eſt illud *ſicut*, quàm perfectum in Chriſto; quàm mancum & imperfectum in nobis! Expende acuratè, nam hoc eſt

Digitized by Google

exemplar noſtræ obedientiæ, ſicut ille integre; ſicut in omnibus; ſicut ſemper & vbique: ſicut in abjectis & vilibus; ſicut ex corde magno & animo volenti, ſic nos *obediamus Præpoſitis noſtris, & ſubjaceamus eis.* Sic Chriſtus obediebat Patri, obediendo Cæſari, Pilato & aliis Satanæ adminiſtris, quibus eum Pater ſubjectum voluit. Et tu detrectare audebis obedientiam tuis Præpoſitis tibi à Chriſto ſapientiſſime conſtitutis! Multa certe ſunt quæ te Inobedientem arguant & accuſent: Sed nihil capitalius quàm quo fingis te excuſatum, nempe in aſperis & abjectis, cum minus rationabiliter videntur imperata. Nam in his præcipue Chriſtus obediendo eminuit, & nihil eſt excellentius, nihil ſublimius, nihil optabilius quam illud exercere in quo eminuit, cùm in eo potiſſimum ſit poſita ſimilitudo Chriſti: aut ſi quid humanum putas excellentius, vide quid putes, vide quid cogites, nempe eſſe aliquid Chriſto ſublimius, eſſe aliquid ſupra Chriſtum, eſſe aliquid quod ſit dignius quam eſſe Chriſto ſimilem. Velleſne id ſentire?

Hebr. 13.

Vide in 2. parte, Fer. 4. Cinerum, Sabbato Hebd. 4. poſt Paſcha. Et Fer. 4. infra Octau. Aſcenſionis.

DE RENOVATIONE VOTORVM.

AC PRIMVM DE TRIDVANA RECOLLECTIONE QVAE RENOVATIONEM ANTECEDIT.

Arborem fici Quidam habebat plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad Cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille reſpondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc

Digitized by Google

anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam. Luc. 13.

EX hac Parabola deſumitur Materia Conſiderationum totius Tridui, in hunc finem, vt agnoſcat Religioſus ſe vocatum in Religionem vt fructum ferat ſuæ conformem vocationi, ſe propterea interdum viſitari à Domino qui debitum repetat fructum, quem niſi Religioſus reddat, periclitetur de ſua vocatione & ſalute.

Quæ tria ſpectant tres differentias temporis, præteritum, præſens & futurum, in quibus ordinandis tota conſiſtit perfectio vt ait ſanctus Bernardus ad illa Moſis verba, *Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prauiderent. In quibus vtique verbis*, inquit, *tria video nobis commendari, ſapientiam, intelligentiam, prouidentiam. Arbitror ſane tribus ea aſſignari poſſe temporibus, vt æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præſentia moderantibus per ſapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantibus, nouiſſima prouidentibus ad cautelam. Hæc nempe ſpiritualis eſt exercitij ſumma, hæc forma ſtudij ſpiritualis, vt ſapienter diſponamus præſentia noſtra, recogitemus in amaritudine animæ noſtræ præterita, futura quoque ſolicitè prouideamus. Sobrie & iuſte & pie viuamus in hoc ſæculo, ait Apoſtolus, vt videlicet in præſenti ſobrietas obſeruetur: vt iuſta ſatisfactione præterita quæ nobis ſine fructu ſalutis præteriere tempora, redimantur; vt pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus.* *Serm. 2. de Apoſt. Petro & Paulo.*

PRIMO DIE.

DE FINE VOCATIONIS RELIGIOSÆ

QVI EST FRVCTVS VOCATIONI CONFORMIS.

Arborem fici habebat Quidam plantatam in vinea ſua. Luc. 13.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Religioſus infra vel ſupra regulam ſuam viuens, Ficus eſt ficum non ferens.

RATIO EST, Quia ficus ficum non ferens, eſt religioſus non afferens fructum conformem ſuæ Vocationi.

Sed quiſquis infra vel ſupra regulam ſuam viuit, non affert fructum conformem ſuæ Vocationi.

Ergo religioſus ſic infra vel ſupra regulam ſuam viuens, ficus eſt ficum non ferens. Quod certe eſt diligenter expendendum.

I. PVNCTVM.

1. Cor. 1. Ephеſ. 1. *BENEDICTVS Deus & Pater Domini noſtri IESV Chriſti per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius. QVI benedixit vos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in Charitate.*

Hæc & ſimilia quiuis Religioſus dicat de Beneficio ſuæ vocationis: Dan. 3. *Benedicite omnes Religioſi Domino Deo Deorum, laudate & confitemini ei, quia in omnia ſæcula miſericordia eius. MAGNA eſt ſuper nos*, Serm. de Ingrat. inquit ſanctus Bernardus, *magna valde miſericordia Dei noſtri, quos tam ineffabili ſpiritus ſui virtute, tam inæſtimabili dono gratiæ ſuæ, eripuit à vana noſtra conuerſatione huius ſæculi, in quo eramus aliquando ſine Deo, aut certe quod execrabilius eſt contra Deum, non ignorantiam habentes, ſed contemptum.* Et quæ plura fuſius habet.

Breuius vero Pſalmiſta Regius vno aut altero verſiculo: Pſ. 114. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.* Nempe à tribus grauiſſimis mundi malis, à morte peccati, à lachrymis miſeriarum, & à lapſu occaſionum peccandi. Tum quod ſequitur: *Placebo Domino in regione viuorum*, tria oppoſita bona Religioſi complectitur: Primum quidem quòd hoc vnum habeat agendum, *Placere Deo.* Deinde vero quod ſit in ſocie-

tate eorum quibus in idipſum adjuuetur. Ac denique futurus ſit aliquando cum illis qui ſemper viuant & placeant Deo.

Atque hæc quidem inſignia ſunt Religioſi ſtatus beneficia, ſed tamen hac condicione tibi collata, vt collabores Gratiæ vocationis & fructum feras illi conformem, tete continendo intra eius fines, perinde atque arbor fert fructum iuxta genus ſuum: vt expreſſe nobis proponit Dominus in illa Parabola, vnde eſt eruta Veritas modo attentius expendenda; *Quod Religioſus infra vel ſupra regulam viuens, ficus eſt ficum non ferens.*

Ratio eſt facilis quoad vtramque partem. Primo enim licet ſanctus Hieronymus, & quidam alij per ficum infructuoſam & ſuccidendam intelligant populum Iudaicum, ſiue Synagogam, aut ipſam ciuitatem Ieruſalem euertendam; tamen communis eſt aliorum Interpretum ſenſus, deſignari etiam vnumquemque eorum qui ſingulari quadam gratia vocatus ſit ad certum quoddam vitæ genus vbi Deo ſeruiat, ſibi & proximo vacet impenſius. Arbor enim plantata in vinea, vineæ Cultori commendata, & tam ſæpe ac ſolicitè à Domino ſuo viſitata, ſignificat non vulgarem aliquam Perſonam, ſed ſelectam, Dilectam, & ſingulariter charam, qualis eſt Eccleſiaſticus, Religioſus, aut ſi quis alius in ſæculo ad perfectiorem quendam vocatus ſtatum. Habet hoc etiam particulare ficus, vt bis in anno ferat fructus, quo Symbolo præſertim hi denotantur, qui ad ferendos ſpirituales fructus tam ſibi quam proximis aptum & fœcundum vitæ genus colunt.

Verùm quod præcipua conſideratione dignum eſt, ſicut arbor ficis non pyra, non poma, non ceraſa, ſed ficum affert, ſic vnaquæque Vocatio ſeu ſtatus vocationis in quo quiſque viuit Religioſus, certum quendam & proprium continet perfectionis gradum quo penè ab aliis ſtatibus diſtinguitur, ſicut ficus à ceraſo. Alia eſt perfectio ſeu alius eſt perfectionis gradus Carthuſiani, alius Franciſcani, & alius Ieſuitæ. *In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt,* *Ioan. 14.* ait Dominus: Et ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic varia *1. Cor. 15.* ſunt & diuerſa non modo ſtatuum ſed ſanctorum merita. *Nam* *ibid.* *vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo. Alius quidem ſic, alius vero ſic:* vt ſæpe dictum eſt ex Apoſtolo. Quæ ſi de ſingulis perſonis quoquo modo dici poſſunt, multo tamen magis de ſtatibus & religioſis inſtitutis intelligenda ſunt, in quibus eſt certa voca-

Digitized by Google

tionis gratia quæ eſt differentia quædam indiuiduans, quâ, vt dixi, ab aliis diſtinguitur, quam omnes illius inſtituti profeſſores ſingulariter participant, & cuius ductu ac ſpiritu moueri debent, ſicut rotæ illæ in rotis, apud Ezechielem, in quibus erat ſpiritus vitæ. *Ezech. 1.*

Atque hinc fit vt quod eſt in prima propoſitione, Religioſus non ferens fructum conformem ſuæ vocationi, ſeu non viuens conformiter ſuo ſtatui, ſit velut ficus ſine ficu. Quantumuis enim mira & ſublimia ederet, ſi non ſunt conformia ſuæ perſonæ ſuoue ſtatui, aut à ſuis ſuperioribus non approbata, non ſunt fructus, ſed folia. *Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris? NON eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino. Sed Sacerdotum qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium: egredere de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Statimque orta eſt lepra in fronte eius.* Sic Saul offerens holocauſtum quantacumque ſe neceſſitate compulſum diceret, vt placaret faciem Domini, hoc à Samuele audiit: *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, nequaquam regnum tuum vltra conſurget: quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum.* Hoc eſt ſcilicet eſſe iuxta cor Dei, quando quis conformiter ſuo ſtatui viuit: quia ſic ſe conformat Diuinæ voluntati quæ in tali ſtatu declaratur. *Vnuſquiſque in ſuo ordine.*

Iſ. 1. *2. Par. 26.* *1. Reg. 13.* *1. Cor. 15.*

II. PVNCTVM.

SED quiſquis infra vel ſupra regulam ſuam viuit, non affert fructum conformem ſuo ſtatui.

Id eſt, qui minus quàm debet, aut ſupra quàm licet, ex regula ſeu ex ordinatione & mente Superiorum aggreditur, is non viuit conformiter ſuæ vocationi; quod quidem ſatis patet in eo qui minùs quam poteſt & quàm debet, facit: minus eſt habens, ſeu numero ſeu merito; ſeu quantitate ſeu qualitate fructus. De alio vero qui ſupra quam licet, ex regula ſeu mente ſuperiorum quidquid agitat, non eſt minus certum, cum non minus peccari poſſit per exceſſum quam per defectum. *Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram: auerte pedem tuum à malo: vias enim quæ à dextris ſunt nouit Dominus.* Id eſt, Ipſe ſcit quid ſit nobis faciendum, & declarat vnicuique per ſuas regulas aut ſuperiores: quantumcumque dextrâ ſuâ bonâ intentione quiſquis ſibi videatur agere *Prou. 4.*

quod ex propria voluntate facit, non eſt propterea tutus & ſecurus, nouit Dominus quid ſit dextrum aut ſiniſtrum in nobis: Et ne quis in hoc erret, ſibi non debet ſoli fidere. *Prudentiæ tuæ pone modum. Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias quam neceſſe eſt, ne forte obſtupeſcas*, Id eſt, ne forte tibi potius obſis quam proſis. *Si à recta via paululum declinaueris*, ait ſanctus Hieronymus, *non intereſt vtrum ad dexteram vadas, an ſiniſtram: cùm verum iter amiſeris.* Prou. 23. Eccle. 7. In Iſaiam. l. 14. c. 52. Serm. 19. & 71. in Cant.

Multus eſt ſanctus Bernardus in hoc argumento qui ſupra relatus videri poteſt. Apte vero ſanctus Gregorius Nazianzenus: *Virtutem exceſſus & defectus peræque labefactant, non ſecus ac regulam additio aliqua vel ſubtractio. Nemo igitur Sapientior ſit quam conueniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior, nec norma rectior, nec præcepto Dei ſublimior:* Quaſi diceret, non minus peccat qui ſupra regulam quam qui infra viuit, quia non minus peccat in regulam quæ perinde exceſſu offenditur ac defectu. Quod ſi zelo fructus faciendi mouetur is qui exceſſu peccat, non eſt fructus vocandus, qui non eſt conformis ſtatui, nec eſt conformis ſtatui, qui ſtatus leges excedit & regulas. Orat. 26.

O quam præclare dictum & factum; *Ordinauit in me Charitatem!* Cant. 2.

III. PVNCTVM.

RELIGIOSVS *igitur infra vel ſupra regulam viuens, Ficus eſt ficum non ferens*, Quia non fert fructum conuenientem ſuo ſtatui, cui non poteſt conuenire, quod diſconuenit legi & regulæ à qua potiſſimum habet vt ſit certus ſtatus & diſtinctus ab aliis. Quantumcumque ſe moueat aut ſe agitet & tribulet Religioſus, nihil agit ſi ſupra quam licet agit. *Numquid de tribulis ficus?* Matth. 7. Numquid ex præſumptione virtus? Numquid præſumit qui ſupra quam licet, licere ſibi arrogat? Hoc eſt ſæculi vitium ſeu ſæcularium error, qui ſe regi non ſinunt, vt ſemper infrà aut ſuprà quàm debent audeant: à quo errore Apoſtolus nos reuocans, *Nolite*, inquit, *conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim vobis per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſa-* Rom. 12.

Digitized by Google

pere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.

Alia hæc eſt ſimilitudo valde apta confirmandæ Veritati & quam ſancti Patres multis illuſtrant; ſed modo ea ſufficiat quæ de arbore fici nobis proponitur, cuius hoc eſt etiam proprium & præ cæteris arboribus ſingulare, vt cum verum ſuum fructum non profert, duplex aliquod genus apparentis producat fructus, nempe immaturum, exile, quos vocant inchoatos groſſos, qui ſunt flores potius quam fructus: aliud vero eſt quod in altitudinem ſe extendit & quæ ficus celſa ſeu fatua dicitur, id eſt, inanis & vacua. Quo duplici fructus apparentis genere, quàm aperte deſignentur illi qui vel infra vel ſupra regulam viuunt, quis non videt?

Denique nec omittendum, quod illi apparentes fructus aut quæcumque ſint ficus niſi ſint bonæ, valde malas eſſe, nec eſſe fructum ſuauiorem quando bonus eſt, nec inſuauiorem quando eſt malus. Quod apte illos etiam ſignificat qui Religioſum amplectuntur inſtitutum; ſicut ex iis boni ſunt qui ſe ſuis continent regulis, & legibus, & valde boni ſunt: ita qui ſupra vel infra regulas viuunt, mali ſunt, & valde mali. Quod oſtenſum ſibi à Domino Ieremias expreſſe refert: *Oſtendit mihi Dominus, & ecce* (*Ier. 24.*) *duo calathi pleni ficis, poſiti ante templum Domini. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt ſolent ficus eſſe primi temporis: & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod eſſent malæ. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Ieremia? Et dixi, ficus, ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde, quæ comedi non poſſunt eò quod ſint malæ.* Tùm perſonis adaptat ſimilitudinem.

Ex vtris vero te putas eſſe? Agnoſces ex vocatione qua vocatus es: agnoſces ex miniſterio quod in illa geris: agnoſces ex regulis quas ad illud recte gerendum habes: Hinc tota res pendet: (*1. Tim 4.*) *Hæc meditare, in his eſto, inſta in illis.* Vide in 3. parte, Dominica 7.

SECVNDA

SECVNDA DIE

DE FRVCTV VOCATIONIS QVEM AB VNOQVOQVE REPETIT DOMINVS.

Et venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Luc. 13.

VERITAS PRACTICA.

Quod te imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere.

RATIO EST, Quia quod te imparatum magis reddit, eſt Incertitudo exigendi & reddendi fructus.
Sed ex illa incertitudine paratior eſſe deberes.
Ergo quod te imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc eſt quod te paratiorem deberet reddere.

I. PVNCTVM.

QVAM cara Domino eſſet illa Ficus plantata in vinea, ſatis ipſe indicat ſingulari cura quam præ ſe fert viſitandæ interdum arboris, & exigendi ab ea fructus. Sic ſuos Chriſtus Dominus, ſic quos ſingulariter fecit ſuos, ſingulariter etiam curat, inuiſit, fouet, arguit, & quem ab eis expectat fructum ſuo tempore repetit. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Quanti erant in mundo admonendi, reuocandi, conuertendi, cùm Dominus illos ſeptem Viros præcipua quadam ſolicitudine admonet quibus in Apocalypſi parti- *Pſ. 84.* *Apoc. 1. 2. 3.*

Digitized by Google

culatim & diuerſis dicit modis: *Scio opera tua, & laborem & patientiam, ſed habeo aduerſum te quod arguam, Eſto vigilans. Si non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.*

O vere admirandam in ſuos Chriſti curam! ô vere arguendam, ſi quæ ſit, horum incuriam! Quid reſponderes Chriſto ſi iam à te fructum exigeret tuæ vocationis, tui miniſterij, tui talenti? Habeſne parata quæ debes reddere? An clamabis inducias, dilationem, & longiora tempora? Sed quouſque tandem? Vide quid te imperatum reddat ad reddendum debitum fructum. Forte illud, quod te paratiorem deberet reddere. Conſidera vehementer ex propoſita Veritate, & Primum illud quo declaratur Veritas admirare, quàm verum & quam certum ſit illud vnum quod te imparatum magis reddit, eſſe *Incertitudinem temporis* quo venit Dominus exacturus rationem tuæ vocationis & repetendi à te fructus. Quid enim aliud te retardaret? Non ignoras quis ſit ille fructus reddendus? Aut ſi forte ignoras, non excuſaris, nam debes & potes ſcire. An ignoras quod benignitas Dei te adducit ad pœnitentiam tuæ ſuperbiæ, tuæ vanitatis, & loquacitatis? Atque ex conſequenti ad particulare ſtudium humilitatis, caritatis, patientiæ, contemptus tui, puræque Deo placendi voluntatis? Nonne id certo certius habes quod te humilem, manſuetum, & obedientem in eo perfectionis gradu quem meretur tua vocatio, Chriſtus Dominus expetit, exigit, & modis omnibus promouet?

Nec te latere poteſt quàm ſit ſolicitus, quàm iuſtus & fidelis ſiue in remuneranda virtute, ſiue in puniendo vitio. Quanti denique referat in vtramque partem aut paratum aut imparatum eſſe ad debitum reddendum fructum, nimis aperte patet. Quid ergo reſtat quod te imparatum efficiat niſi hæc incertitudo temporis, hæc incertæ mentis ſuſpenſio de hora & de modo quo exigit? Nam ſi tibi certo perſuaderes certum aliquod & definitum tempus quo res ſine mora eſſet tranſigenda, nonne tibi proſpiceres? Nonne ſi
Luc. 12. audires à Domino, *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*, magis paratus eſſes ad proximam noctem quàm forte vmquam paratus ſis, quia tibi hoc dictum non cogitas? Sic differente Domino reditum, *cæpit ſeruus percutere conſeruos ſuos, manducare & bibere cum*
Matth. 24. *ebrioſis.* Sic *moram faciente ſponſo domitauerunt virgines & dormie-*
Ibid. 25. *runt.* At væ imparatis, væ lampadibus non accenſis, væ quibus dictum eſt: *Clauſa eſt ianua, neſcio vos. Neſcio vnde ſitis.*

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

NEMPE illa ipſa eſt incertitudo temporis quo fructus eſt exigendus quæ nos paratiores deberet reddere.

Idcirco enim incertum eſt tempus, vt omni ſimus parati tempore: Idcirco enim quoſcumque Dominus de hoc præparatione ſermones habuit, tam apertis eos explanauit Parabolis quæ hanc præparationem exigerent vt nihil ſit in humanis rebus planius, nihil familiarius, nihil euidentius. Nihil porro frequentius repetitum & inculcatum quam quod ex illis Parabolis infert, *Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. De die illa, vel hora, nemo ſcit. Videte, vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit. Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat: ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. PARATOS igitur eſſe nos conuenit,* inquit ſanctus Hilarius, *quia diei ignoratio intentam ſolicitudinem ſuſpenſæ expectationis exagitat.* Luc. 12. Marc. 13. Comm. in Matth. c. 26.

Nec refert quod de morte & de iudicio particulari videantur illa potiſſimum intelligi. Nam eadem planè eſt ratio temporis quo paratum eſſe oportet, ad reddendum fructum, ſiue in morte, ſiue in vita, ſiue in morbo, ſiue in ſanitate: quia tota ratio eſt quod tunc oporteat eſſe paratum quando exigitur: Vnde ſi hac in vita & in ſanitate exigitur, tum oportet ita eſſe paratum ac ſi in morbo vel morte peteretur. Licet enim tantum non videatur imminere damnum, ſi quod Chriſtus in vita petit recuſetur, ac ſi petenti recuſaretur in mortis articulo; tamen non minus eſt audiendus: Nam Idem Chriſtus eſt & idem Dominus, qui pro iure ſuo ſua petit quando & quoties ab vnoquoque vult; & tanta eſt noſtra obligatio tum reddendi quod petit, quantum eſt eius Dominium, quanta eſt illius Poteſtas, & quantum Ius petendi ſibi debita. Contemplare quantum ſit illud Dominium, quanta illa Poteſtas, & quale Ius illud quod in te habet, quàm altum quàm abſolutum & quàm æquum.

Quod ſi etiam magis placet tuum hîc ſpectare lucrum aut detrimentum, Eſto ſane id velim ſpectes, tua enim res perinde agitur, vt ſis ſemper paratus ac aliquoties. Cur enim aliquoties? Cur

Digitized by Google

in morbo? Cur in morte, niſi quia imparato periculum eſt pœnæ alicuius ſubeundæ.; ſicut accidit imparatis illis ſeruis de quibus inſtitutæ ſunt Parabolæ ſupra dictæ? At nonne idem pœna periculum te manet omni tempore quo paratus non fueris, ac in ipſo mortis momento? Nonne te modo Chriſtus æque punire poteſt ſi te modo imparatum & infructuoſum inuenerit, ac alio quouis tempore? Nonne & ipſum quod præcipue times mortis tempus eſt incertum & dubium, vt quauis illud expectus hora, & tanta expectes ſolicitudine & cautione quaſi ſi omni hora moriturus eſſes? Nonne id agnoſcis ita imperatum nobis à Domino? At nonne ex conſequenti agnoſcis illam eſſe mortis aut exigendi fructus incertitudinem quæ nos paratiores deberet reddere? *Finis* Ez. 7. *venit, venit finis, euigilauit aduerſum te, ecce venit.*

III. PVNCTVM.

QVOD *te igitur imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere*; Nempe illa incertitudo temporis quo fructus exigatur à Domino qui tempus idcirco vitæ & mortis, ac ipſius exigendi fructus incertum eſſe voluit vt nullum eſſet tempus quo non timeres & caueres: cum præcipue Dominus toties monuerit ſe ita velle nos omni eſſe paratos tempore, vt ſi quod ſit tempus quo minus parati ſimus, tum Ille venturus ſit, ſicut fur illo venit præcipuè tempore domum furaturus vbi Apoc 3. domeſtici minus aduigilant. Sic Ille, *Si ergo*, inquit, *non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.*

Mirum certe quod ſic Dominus infame furis nomen ſibi applicare voluerit vt in quarta pòſt parte ponderatur opportunius: ſed magis mirum quod cum id ſciamus ab eo dictum, tam parùm moueamur ad illam continuam & non interruptam ſolicitudinem conſeruandam, vt potius inde minus ſoliciti ſimus, vnde nos magis vrget & vult eſſe ſolicitos.

Hoc eſt quod ſuprà deploratur, non creditur Chriſto, non creditur Chriſtus; nec ab ipſis etiam qui fidei propugnandæ conſtituti ſunt defenſores! Hoc eſt quod ipſe prædixit Dominus, *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Luc. 18. *VIRVM fidelem quis inueniet? DOMINE, oculi tui reſpiciunt fi-* Prou. 20. *dem: percuſſiſti eos, & non doluerunt. VOSMETIPSOS tentate ſi*

Digitized by Google

eſtis in fide: Ipſi vos probate. VIGILATE *, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* Ier. 5. 2. Cor. 13. 4. Cor. 16.

Vide in 4. parte, Feria 4. Hebdom. 27.

TERTIA DIE.

DE POENA RELIGIOSI, SVA IN VOCATIONE INFRVCTVOSI.

Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio; ſuccide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? Luc. 13.

VERITAS PRACTICA.

Quanto minus puniri timet Infructuoſus: tantò iam magis punitus eſt.

RATIO EST, *Quia quantò minus puniri debet Infructuoſus, tantò minus ſentit miſerum ſuum ſtatum, tantoque minus ei prouidebit.*

Sed tanto iam magis punitus eſt quanto quis minus ſentit miſerum ſuum ſtatum, quantoque minus ei prouidet.

Quanto igitur minus puniri timet infructuoſus, tanto iam magis punitus eſt. Quod ſane cuique eſt & maxime Religioſo irreligioſe viuenti perpendendum.

I. PVNCTVM.

ANTEQVAM Dominus ſimilitudinem arboris Fici referret, *Aderant quidam ipſo in tempore*, ait ſanctus Lucas, *nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit* Luc. 13. *cum ſacrificiis eorum. Et reſpondens dixit illis: putatis quod hi Galilæi*

præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Sicut illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos; putatis quia & ipſi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non, dico vobis, ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Tum vero his ita prolatis, adiunxit noſtram fici Parabolam in eundem finem & ſcopum quo ſuperiora dixerat; nempe vt qui fructum non ferrent ſuæ vocationi conformem, timerent & reſipiſcerent: aut certe ſi non timerent nec pœnitentiam agerent, punirentur & perirent ſicut arbor infrugifera ſucciditur, & igni datur. Quamobrem Tu qui præcedenti die potuiſti agnoſcere, quàm minùs eſſes habens, quàm parùm eſſes fructuoſus, aut quàm reuera infructuoſe hactenus vixeris, timeſne intentatas tibi cœleſtes minas? Timeſne ita ſeriò vt ex ſancto timore reſipiſcas & meliorem cogites frugem? Neque enim verus eſt timor ſi deſit reſipiſcentia: neque vera eſt reſipiſcentia niſi ſint certa melioris Bar. 4. vitæ conſilia. *Conuertere Iacob & apprehende.* Quod vt efficacius cum Diuina præſtes Gratia, peropportune Veritas expendenda proponitur, *Quòd quantò minùs puniri times, tanto iam magis punitus es.*

Ratio eſt tam facilis & obuia vt ſint tantum enuntiandæ propoſitiones, nec pluribus declarandæ. Quid enim apertius vel ex Scripturis, vel ex ante-dictis, vel ex ipſis terminis quàm quod primo dicitur, quanto quis minus puniri timet qui eſt pœna dignus, qualis eſt infructuoſus, tanto minus miſerum ſuum ſentit ſtatum, tantoque minus ei proſpiciet? Sicut enim timoris eſt declinare à malo, ſiue culpæ ſiue pœnæ: ſic vbi deeſt timor, malum non euitatur, non ſentitur, non agnoſcitur; Nam ſi Prou. 14. agnoſceretur, timeretur, vitaretur, Vnde apte in Prouerbiis, *Sapiens timet & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit.*

II. PVNCTVM.

S*ED tanto iam magis punitus eſt, quantò quis minus ſentit miſerum ſuum ſtatum, quantóque minus illi proſpiciat.*

Sicut enim pœnæ & miſeriæ grauiores ſunt illæ quas vocamus ſpirituales, ſic inter has pœnas illæ cenſentur damnoſiores, quæ

Digitized by Google

nos ita priuant cognitione & ſenſu miſeriæ noſtræ, vt nobis exprobretur, *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3.

Quid miſerius miſero, & non miſerante ſeipſum, inquit S. Auguſtinus. Quod & præclare Diuus Gregorius; *Prima*, inquit, *virtus eſt ne perpetrari debeant ſed vitari peccata: ſecunda autem ſaltem perpetrata corrigere: ſed plerumque culpas non ſolum imminentes minime vitamus; verum etiam nec commiſſas agnoſcimus. Et peccatoris mens tanto altius tenebreſcit, quanto nec damna ſuæ cæcitatis intelligit. NESCIERVNT neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Id eſt, ita ſunt inſeſibiles vt quidquid ad eos permouendos adhibeatur, nihil proſit, non ſi terram vniuerſam vel ab ipſis moueas fundamentis. Vel ſic forte aptius, quaſi diceretur: ex illorum ignorantia & cæcitate hoc damnum accidit, vt quæ ſunt fundamenta Religionis, inde concutiantur & diſſipentur: nempe fides, timor, & pietas, & Conſcientia & ſi quid ſimile, totum perit pereunte ſenſu ſuæ miſeriæ. *Commouebit illos à fundamentis, & vſque ad ſupremum & deſolabuntur.* 6. Mor. 13. Pſ. 81. Sap. 4.

III. PVNCTVM.

QVANTO *igitur minus puniri timet infructuoſus, tanto iam magis punitur*; Cum nulla ſit grauior pœna, quam eſſe in culpa & culpam nolle agnoſcere, nec afferre velle remedium, cuius defectu funditus pereas, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Hanc punitionem ſpiritualem & perditionis inde ſequentis periculum luculente ſanctus Gregorius declarauit, explanans hęc Iſaiæ Verba: *Deſcende, ſede in puluere, virgo filia Babylonis, ſede in terra, non eſt ſolium filia Chaldæorum. HOC*, inquit, *loco, humana mens virgo non incorrupta, vt arbitror, dicitur, ſed infæcunda. Et quia Babylon confuſio interpretatur, rectè infæcunda mens Babylonis filia vocatur, quia in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine recta vita componitur, quaſi confuſione matre generatur. Cui aptè per increpationem dicitur Diuina voce: DESCENDE; In alto quippe humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat, ſed ab hoc ſtatu deſcendit cùm turpiter victus, ſeſe defluentibus mundi deſideriis ſubjicit. Cui bene mox additur. SEDE IN* Iſa. 47. l. 6. Mor. c. 9.

[library stamp] ROMA

Digitized by Google

PVLVERE : Deſcendens enim in puluere reſidet quia Cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus, in infimis vileſcit. Vbi adhuc ingemiſcendo ſubjungitur : SEDE IN TERRA, Ac ſi aperte exprobrans dicat, quia cœleſti conuerſatione noluiſti te erigere, ſub temetipſo proſtratus in terrenis actibus humiliare. Vnde & neceſſario protinus additur, NON EST SOLIVM FILIAE CHALDAEORVM : Chaldæi namque feroces interpretantur, valde autem feroces ſunt qui voluntates proprias ſequentes nec ſuis parcere moribus ſciunt : ferocia ſunt terrena deſideria quæ non ſolum contra præcepta Conditoris ſed ſæpe etiam contra percuſſionum verbera, duram atque inſenſibilem mentem reddunt. Et poſt nonnulla : *Et quia agere intellecta diſſimulat, cæcatur etiam recte vt neſciat quod agat, & ſæpe iuſto iudicio in ſua voluntate relinquitur, & ſub ea quæ anxiè appetit, laborioſa mundi miniſteria relaxatur : Vnde aperte illic ſubditur*, Quia vltra non vocaberis mollis & tenera, tolle molam, & mole farinam ; *Quia mens prauis deſideriis dedita, in eo quo anxie appetit, huius ſæculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla ſeruiat quæ intus Deum vt filia nequoquam amat!*

At verò, nonne hoc eſt expauendum? Nonne hoc eſt iam puniri? Nonne hæc eſt pœna infructuoſæ animæ debita? Nonne idcirco præcauenda eſt talis pœna, producendo fructus vocatione noſtra dignos; aut redimendo tempus infructuoſe actum? Nec dicas, te non trahi timore, ſed duci potius Charitate quæ foras pellit timorem, nam falſum eſt te infructuoſum duci Charitate quæ non eſt otioſa & quæ magna ſemper operatur, aut Charitas non eſt. Vnde ſicut conceditur præferendam eſſe timori Charitatem, ſic negari non poteſt ſi deſit Charitas, meliorem eſſe timorem quo malum culpæ & pœnæ vitatur, quàm defectu timoris & amoris ſterilem fieri & ſterilitatis ſuæ pœnas
Luc 21. ferre. Sic Chriſtus Dominus hoc ſancto timore propoſito concludebat eſſe vigilandum & orandum : poſtquam enim de futuri die Iudicij fuſe dixit, monuitque attendendum ne *dum grauaremur curis huius vitæ ſuperueniret in nos repentina dies illa, quæ tanquam laqueus in omnes ſuperueniet*, Tùm addit, *Vigilate itaque omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* O ſtare ante filium hominis! *Hæc eſt ſumma beatitudinis*, ait Interlinearis, *In præſentia Iudicis ſui ſecurum conſiſtere.* Vt è contra, hæc eſt extrema infœlicitas, non illic

illic poſſe ſtare. O quàm conſultius hic fructuosè timere, ne illic infructuoſe tremas! *Da locum timori Altiſſimi, quia omnis ſapientia timor Dei.* Eccleſ. 19.

EODEM DIE.

AD HÆC POSTREMA VERBA PARABOLÆ.

Domine, dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam. Luc. 13.

VERITAS PRACTICA.

Fruſtra tibi Cultor, ſi culturam non pateris.

RATIO EST PLANA ET FACILIS, Quia ſi non vis excoli, fruſtra eſt tibi Cultor.

Sed ſi culturam non poteris, non vis excoli.

Ergo fruſtra tibi Cultor ſi culturam non pateris. Quòd certe eſt tam damnoſum quàm commodum fuit infructuoſæ arbori ſeu menti Cultorem habuiſſe qui pœnam ſucciſionis deprecaretur.

CVLTORES illi noſtri ſunt, vel Angeli Tutelares, vel Directores aut Superiores, vel vtrique ſimul qui ſæpe paratam auertunt negligentiæ noſtræ perniciem, eorumque precibus & cultura reſeruamur ſi forte reſipiſcamus; ſed quia reſipiſcenti neceſſaria eſt imprimis correctio, increpatio, mortificatio, humilitas & humiliatio, quæ ſunt illa mittenda ſtercora de quibus agit Cultor, nos tales increpationes & humiliationes aſpernamur, nos talem culturam non patimur, ſicque fruſtra nobis eſt. Cultor quia nolumus excoli dum Cultoris culturam non patimur. *Circumfodere eſt humilitatem & patientiam docere*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſtercus ſordes ſunt, ſed fructum dant; ſordes cultoris, dolor eſt peccatoris.* De Verbis Dom.

Sanctus vero Gregorius dum hoc ipſum fuſius ad eundem re-

Digitized by Google

fert ſenſum, quàm ſimus noſtro damno talis culturæ impatientes, ſic præclare proſequitur. *Quid eſt*, inquit, *circa ficulneam fodere niſi infructuoſas mentes increpare? Omnis quippe foſſa in imo eſt: & nimirum increpatio dum mentem ſibi demonſtrat, humiliat. Quoties ergo aliquem de peccato ſuo corripimus quaſi ex cultura debito circa infructuoſam arborem fodimus.* Et poſt multa de ſtercoratione, *Mittitur ergo cophinus ſtercoris ad radicem arboris, quando prauitatis ſuæ conſcientia tangitur memoria cogitationis, cúmque ſe per pœnitentiam ad lamenta mens excitat, & ad bona operationis gratiam reformat, quaſi per tactum ſtercoris redit ad fœcunditatem operis, radix cordis. Et fœtore ergo ad fructum reuiuiſcit arbor, quia de conſideratione peccati ad bona ſe opera reſuſcitat animus. Et ſunt plerique qui increpationes audiunt, & tamen ad pœnitentiam redire contemnunt, & infructuoſi Deo, in hoc ſæculo virides ſtant. Sed audiamus quid ficulneæ cultor adjungat:* ſi quidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam: *quia profecto qui hîc non vult ad fœcunditatem pingueſcere per increpationem, illic cadet, vnde iam reſurgere per pœnitentiam non valet: & in futurum ſuccidetur, quamuis hîc ſine fructu viridis ſtare videatur.*

Hom. 31. in Euang.

Audiſne anima quid ſit increpationem & humiliationem illi adjunctam non libenter recipere? Hoc nempe eſt culturam fugere. Fugienti vero culturam quid prodeſt Cultor? Et à Cultore deſerta ſi fueris, quid reſtat niſi à Deo deſeri, cui te ſolus Cultor immeritam hactenus conſeruarat? Expende hæc accuratè.

DE RENOVATIONE
VOTORVM ET SPIRITVS.

Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me? Iob. 29.

VERITAS PRACTICA.

Vota non rectè renouas, niſi te Vota renouent.

Digitized by Google

RATIO EST, Quia vota non rectè renouas niſi aſſequaris finem cur vota renouas.

Sed niſi te vota renouent non aſſequeris finem cur vota renouas.

Vota ergo non recte renouas, niſi te vota renouent. Quamobrem ſic conjungenda eſt ſimul Renouatio votorum & ſpiritus, vt ſi alterutrum ſeparatim renouare velles, neutrum renouares.

I. PVNCTVM.

CVM ex multis quæ à nobis agenda ſunt, alia nos aliis magis minuſue moueant, non tam ſæpe ſui merito & pretio quàm noſtro languore & faſtidio: ſic ſapienter à Diuina Prouidentia res ordinatæ ſunt, vt quæ minus naturali nos afflatu attrahunt, neceſſitate quadam his iungerentur quæ nos facilius mouent; & ita ſimul concatenata omnia nos eò placide ducerent quo nonniſi repugnantes aut remiſſi traheremur. Danda eſt Inimico venia, quis non repugnet? Sed niſi à te detur, tibi à Deo non concedetur, quis non conſentiat? Sic dandæ inimico veniæ difficultas emollitur ex illa connexione quam habet cum venia nobis à Deo concedenda. Quod cùm vniuerſim in cunctis pene agendis annotare ſit facile, tum particulatim id in Renouatione noſtra ſemeſtri vel annua licet obſeruare.

Renouandus eſt animus, reuocandus eſt primus ille feruor quo Religionem ingreſſi ſumus, reſtauranda ſunt cuncta in integrum quæ languere videntur, hoc agitur cum de Renouatione agitur, ſed in praxim adduci quod dicitur non eſt ita procliue ingenio fatiſcenti & languido; nauſeabit ad has voces, contrà renitetur & tepor ille animi qui erat renouatione hac excutiendus, hanc renouationem excutiet niſi quid adhibeas quo mens expergiſcatur & ſtimuletur acrius.

Opportune idcirco factum, & plane Diuinitus inſpiratum ſancto Ignatio Fundatori Societatis IESV, vt renouando animo iungeretur votorum renouatio, qua facile id fieret quod vix alioquin fieri poſſet. Cum enim tanta ſit & tam alte impreſſa menti noſtræ votorum Religio, vt nullus niſi perditus quidquid ad

Digitized by Google

Votum ſpectat, niſi ſanctè & Religioſe velit attrectare; Nihil poterat aptius excogitari ad perfectè inſtituendam animi renouationem, & primum Religioſi ſpiritus inflammandum feruorem, quam ſi Votis renouādis iungeretur illa Spiritus Renouatio, ſimulque omnes vota renouaturi diſcerent ac probe intelligerent non ſe recte & religioſe Vota ſua renouaturos niſi ſimul ex renouatis votis renouaretur Spiritus. Quid tibi Religioſe, Voto eſt Religioſius? At de voto agitur cum de renouando ſpiritu agitur. De Religione qua nuncupantur vota, negotium eſt cùm de renouatione ſpiritus ſpiritualiter negotiaris. Quis voti reus eſſe vellet? Reus erit, qui vota renouabit non renouato ſpiritu. Quamobrem quantus eſt metus & horror tam execrandi reatus contrahendi, tantus eſſe debet timor non renouandi animi, cùm vnum alteri cōnectatur, vt patebit apertius ex declaratione Veritatis propterea propoſitæ, & modo attentius expendendæ: *Non rectè, non Religioſe vota renouas niſi te vota renouent, niſi ſimul ex renouatis votis ſpiritu renoueris.*

Ratio paucis complectitur quidquid alij tractant de hac materia fuſius quæ videri poſſunt. Primo quidem vota non recte renouas niſi finem aſſequaris vel pretendas aſſequi cur vota renouantur. Cum enim in bono quouis opere bonus finis ſit ſibi ſemper præfigendus, tum vero maxime in votis Deo nuncupandis, in quibus tota vis, tota Religio, totus valor pendet ex mente ſeu ex fine ac Intentione vouentis & votum admittendis. Non eſt inquam, aliud in voto, quàm quod intendit votum faciens & recipiens; Vnde ſi vouendo aliud intenderet, qui votum facit, quàm qui recipit, nullum eſſet votum, non enim intendit vouendo quod debebat intendere: & tale votum nullum eſt quod caret ſuo debito fine, ſua intentione, ſua veluti eſſentia & anima: Imo eſſet graue peccatum ſic vouere, niſi quid legitime excuſaret vt ignorantia, vel metus rationabilis, aut vis illata, aut quid ſimile canonicum & regulare, ſine quo alioquin Deum irrideret, Deum contemneret, & ſe graui Religione obſtringeret qui Deo votum offerret non eo fine & animo quo eſſet offerendum.

Eccleſi. 1. *Attende in illis*, inquit Sapiens, *ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.*

II. PVNCTVM.

SED *niſi Vota te renouent, non aſſequeris finem cur vota renouantur.* Vel clarius: *Niſi renouando vota intendas te renouare, non habebis finem & intentionem quam in renouandis votis debes habere.*

Nam hæc eſt horum certa & determinata intentio, vt expreſſe habetur in Conſtitutionibus & Inſtituto Societatis IESV, à quo idem cæteræ quæ ſua vota renouant hauſerunt Religiones. Neque enim renouantur vota vt noua vel majori vouentes obligatione ſe aſtringant, cùm quanta voti poteſt eſſe obligatio, iam in prima eius nuncupatione tota contracta ſit; ac proinde nullus alius ſupereſt renouandi voti finis, quàm vt renouetur is animus quo primo factum eſt tale votum. Vnde id tandem ſequitur quod qui votum renouat niſi hunc habeat finem, non habet finem ſui voti; nam eum debet habere quem habet ipſa Religio, quem habuit eius Fundator, quem habent Superiores, eius legum ac eius mentis Interpretes.

Sicut enim cum religioſa primum vota in quolibet Inſtituto & ordine religioſo fiunt, ſic omnino fieri debent à Nouitio prout talis eſt Inſtituti ratio & regula: Vnde in ipſa Votorum formula ſæpe hæc exprimuntur verba, *ſecundum regulam*, vel *omnia intelligendo iuxta Conſtitutiones:* ſic plane in ipſis renouandis votis ſe quiſque conformare debet ſuo inſtituto, cuius cum alius finis non ſit quam renouare animum, non alius etiam eſſe poteſt vota renouantis, aut ſi alius fuerit, non erit is qui eſſe debet.

An putas quod admiſſus fuiſſes in religionem ſi finem religionis non habuiſſes in primis tuis votis? Putaſne vero te admittendum ad votorum renouationem, niſi finem eiuſdem religionis habeas in illis votis renouandis? Putaſne ſi Superior id reſciret, id indulgeret? Superiorem potes fallere, potes latere: ſed non Deum. *Ego ego ſum, ego vidi, dicit Dominus, Habitatio tua in medio doli: in* *Ier. 7.*
dolo renuerunt ſcire me, dicit Dominus. *Ibid. 9.*

III. PVNCTVM.

VOTA *ergo non rectè renouas niſi te vota renouent, niſi ſic ea renoues vt renouari velis cum Gratia in eum primum ſtatum quo ante primò facta ſunt.*

Cum enim apertè demonſtratum ſit Vota religioſa non rectè

Digitized by Google

fieri aut renouari niſi finis religionis in qua fiunt, illis à vouente præfigatur, neque alius religionis cuiuſlibet ſtatutus ſit finis quàm vt per ea renouetur animus, vt dictum eſt: profecto manifeſte patet quod ſi hunc finem tui renouandi non habeas, non recte vota renouas: denudas enim illa & ſpolias meliori bono quod in votis ineſt, nempe ſuo fine proprio, & motiuo quod vocant formali & quod audiuiſti eſſe tam neceſſarium vt niſi quid vouentem excuſet, non poſſit religioſè votum facere ſuo fine deſtitutum.

Quid eſt autem ex his quæ legitime poſſunt excuſare, quod cauſari poſſis? An ignorantia? An metus grauis? An coactio ſeu defectus libertatis? Nihil horum penitus. Neque enim potes ignorare quod eſt tam tritum & obuium. Aut certe *interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi: majores tuos & dicent tibi.* Satis porro aperte id dicunt etiam non interrogati, quando hanc indicunt votorum renouationem, quando ſeceſſum aliquem paulo ante præcipiunt, quando antecedentis vitæ recognitionem iubent, quando ſacræ lectionis, orationis, & religioſæ cuiuſlibet exercitationis frequentiorem vſum commendant. Quorſum hæc ſpectant omnia niſi vt Animo cum votis ſimul renouando, ipſe animus præparetur & accingatur?

Deut. 32.

Quid poteſt verò metui ſi dum vota renouas, te renouare intendas? Nihil tibi nouum imponitur, nihil aſperius, nihil grauius, nihil aliud quam quod tu ipſe iam voluiſti, iam vouiſti, iam feciſti, nec modo quidem detrectas facere, ſed forte languidius & negligentius quam par eſſet; atque vt hic languor curetur, & recaleſcat animus ad primum vocationis ardorem, hoc tantum quæritur quando renouandus animus quæritur; hoc tantum quæritur quod iam pridem debes, & quod negare non potes niſi teipſum neges, & te tui pœniteat quod Dei ſeruus ſis, & libertus Chriſti.

An auderes id conqueri & dolere? An te magis coactum minuſue liberum modo dices ad redonandum Deo animum tuum quàm ad illum primo donandum? Quid fecit tibi? Quid iniquitatis in eo inueniſti? Dic illi, *quanam re indiges apud Eum,* vt propterea pigeat te cum illo eſſe? Eò vſque Deus, ipſe Deus eo vſque ſe demittit, vt quærat à te cur primo, cum Illum minus noſſes non dubitaueris te ad eius obſequium corde magno & animo volenti mancipare, pòſt verò dum Ei aſſueuiſti, de corde illo & animo tantum remiſeris, vt niſi repugnanter obſequaris?

3. Reg. 11.

Digitized by Google

Audite cæli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt: Filios enutriui & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Iſ. 1. *INCRASSATVS eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum! ET DIXI: cum feciſſet hæc omnia: ad me reuertere, Reuertere auerſatrix Iſrael, & non auertam faciem meam à vobis. Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus, quia ego vir veſter*; Deut. 32. Ier. 3. Et quæ plura proponit quibus mirum in modum emollitur animus, & valde roboratur Ratio de renouatione animi adjungenda votis renouandis.

En videlicet parata ſimul cum ipſa votorum renouatione Gratia, qua & animum poſſis renouare ſi velis, qua tibi cuncta præterita condonentur delicta, & dona quibus excidiſti, renouentur; & nouum robur addatur ad omnia perfectius digerenda, nouus homo denique totus renaſcatur vetere mortuo, perinde quaſi nihil deliquiſſes. Hæc eſt plane vis illius Gratiæ quæ ad renouationem animi tam certo promittitur quàm certo excitamur ad illam renouationem quæ ſine tali gratia non poteſt perfici.

Quod ſit autem adjuncta hæc Gratia Renouationi votorum, tria ſunt quæ oſtendant. Primum eſt: Ipſa Inſtitutio faciendæ bis in anno renouationis votorum, ad hunc finem vt ſimul fiat Spiritus Renouatio. Siue enim conſideretur vt à Domino particulatim inſpirata, ſiue vt à ſancto Fundatore ordinis approbati, vnà cum ipſo fundata ordine: dubitari non poteſt quin ea ipſa Gratia quæ Fundatori data eſt ad ſtabiliendum ſuum ordinem, ſeſe extendat ad hanc eius partem quæ perfectioni acquirendæ & conſeruandæ tam apta eſt, vt quotidiana conſtat experientia.

Secundum eſt, ipſa Operis excellentia, ſeu ipſum Renouationis votorum Meritum, quod certe non eſt ex ſe minus quàm primæ votorum nuncupationis, cum ſit eadem plane vouentis & vota renouantis intentio, perfecte Deo ſeruiendi, eademque prorſus voueat quibus ei ſeruiatur. At vero certum eſt primam illam votorum nuncupationem tanti eſſe valoris & meriti, vt veteribus omnino condonatis delictis, nouam afferat nouæ degendæ vitæ gratiam.

Tertium eſt, illa quæ inter vota Religioſa & animum renouatum intercedit ſimilitudo & paritas. Quid eſt enim vouere

Digitized by Google

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM TERTIÆ PARTIS.

ABNEGATIO. Hanc præcipuè docuit Chriſtus, & eius exemplar reliquit in ſanctiſſimo Sacramento. *pag.* 83.

Acedia. Septimum vitium capitale opponitur ſeptimæ petitioni orationis Dominicæ, nec ſinit hominem velle à malo liberari. 300. V. *Negligentia.*

Aduerſitas. Ad eam tolerandam multùm iuuat ſacra Communio, quæ & iuuatur etiam ex aduerſis patienter toleratis. 117. Quàm ſit beatum aduerſa pati pro Chriſto. 195. Res aduerſæ non poſſent quemquem dejicere niſi ſe prius illis ſubjiceret. 635. Calix eſt Domini non recuſandus. 754. Qui non vult mortificantem Dominum, non vult viuificantem. 759.

Affectus. Conſtringunt voluntatem. 49. Duo ſunt præcipui Complacentiæ & Diſplicentiæ. 82. Inordinati impediunt fructum Communionis. 100. Toti ſunt Chriſto tradendi. 114. Nihil paratius ad bonam Communionem quàm eorum puritas. 118. 635. affectus erga perſonas præſertim cauendi. 227. terreni purificandi. 277. Affectum probat effectus. 420. impediunt plenam peccatorum remiſſionem. 488. corrumpunt iudicium. 679. nos à Deo diſiungunt in orationibus. 684.

B. Aloyſius. Societatis IESV. In eius die Feſto. 705.

Amor Dei. Ex cognitione Dei negatiua. 17. ex eius beneficiis. 71. De amando Deo variæ Veritates. 329. Diuini amoris ſagittæ quantò magis lethiferæ, tantò magis viuificæ. V. *Charitas.*

Amor proximi. De diligendis inimicis. 235. de condonandis debitis. 288. de aliis bonis proximo præſtandis. 588. Quo quiſquis eſt Dei amantior, eo eſt amabilior. 871.

Amor ſui. Diuino amore exhauritur. V. *Concupiſcentia.*

Anima. Quanta ſit animæ pereuntis iactura. 578. V. *Salus.*

S. Anna. In eius die Feſto. 759. 851.

Auarus. Impeditur à debita facienda eleemoſyna. 265. inordinatè mortem timet. 277.

S. Barnabas. In eius die Feſto. 705.

S. Bartholomæus. In eius die Feſto. 851

Beatitudo. Nullum affert faſtidium. 58. de illa ſub variis nominibus quæ Beatitudines Euangelicæ dicuntur, videnda eſt tota Hebdomada tertia & quarta. Quid ad illam aſſequendam præcipuè conferat ex parte noſtra. 824.

Beneficium. Quibus beneficiis Chriſtus mundum affecit. 111. quomodo ſint agnoſcenda beneficia. 621.

S. Bernardus. In eius die Feſto. 846.

Blaſphemia. Sæpe affingitur Chriſto. 128.

Caſtitas 142. Vbi de munditia cordis. Continendi ſunt propterea ſenſus. 223. quam ſit impudens Impudicus, dum etiam orat Deum. 295. De voto Caſtitatis. 887.

Digitized by Google

Certamen. Magnum certamen certare contra peccandi potentiam. 836.

Charitas. Res eſt omnium maxima. 211. quomodo operiat multitudinem peccatorum. 324. quomodo nos Diuinos faciat. 648. De corde puro eſt. 865.

Chriſtus D. Vita eius abſcondita. 42. Conuerſatio eius cum hominibus. 47. quadruplex eius thronus gratiæ. 51. vt ſe nobis communicat. 52. quanta hinc eius bonitas. 54. quàm ſit pulcher in omnibus. 57. Tituli quibus à nobis eſt colendus. 64. Triumphus eius in ſanctiſſ. Sacramento. 70. quæ conſideranda in eius miraculis. 86. de illius virtutibus. 106. de illius efficacia ad nobis aliquid perſuadendum. 235. Tituli quibus id à nobis quod iubet, exigit. 239. Negotiator eſt Euangelicus qui ſua omnia dedit pro Margarita pretioſa. 402. quam illi reddit anima ſubjectionem extra corpus, debet in corpore. 437. Iudex eſt omnium, & quam ſit Illi hoc honorificum. 608. de eius Transfiguratione. 802. Quod à multis etiam Chriſtianis non creditur eſſe filius Dei. 803. quò à ſuis abeſſe putatur longius, hoc ipſo propiùs illi adeſſe putandus eſt. 810. præter cæteras Virtutes inſignis in illo fuit obedientia. 893.

Cognitio Dei, & ſui. Duo modi cognoſcendi & amandi Deum. 12. Non minus errat qui non ſatis, quàm qui nimis Deum ſcire vellet. 19. Ad cognoſcendum Deum maxime apti ſunt mundi corde. 182. quibus modis ſe manifeſtet, & nos nobiſipſis. 560. V. *Deus*.

Communio. Si ſit infrequens, iniurioſa eſt Chriſto. 52. quæ ſit fructuoſior. 98. 112. 113. 118. 632.

Concupiſcentia, Cupiditas. Sicut nullo errore, ita nulla oportet cupiditate violari. 2. triplex concupiſcentia directe oppoſita myſterio ſanctiſſ. Trinitatis. Ibid. nihil concupiſcentia deterius. 113. 122. quo minus ex ea mortificabis, tanto magis ab ea mortificaberis. 229. quo magis oculata eſt, magis eſt cæca. 440. facit latam viam & perditionem animarum. 500. Vel Domino Deo, vel libidini ſeu concupiſcentiæ renuntiandum. 652. Quomodo augeat vel minuat peccatum. 693. ſtudium refrænandæ concupiſcentiæ certius eſt ſignum ſalutis. 616. Mors S. Ioannis Baptiſtæ vox quædam eſt clamantis in deſerto cordis contra proprias eius concupiſcentias. 872

Confeſſio. Doloſa quædam eſt, eorum ſcilicet qui nolunt agnoſcere ſe ibi peccare vbi ſe nolunt corrigere. 326. V. *Pœnitentia*.

Confirmatio. Sat multa de hoc Sacramento. 535.

Conſcientia. Miris eam modis Chriſtus illuſtrat, & quale hoc ſit beneficium. 561.

Contritio. Exemplum in Magdalena. 749. impeditur ab affectibus inordinatis. 488.

Conuerſatio. Qualis Chriſti cum hominibus. 42. 91. qualis noſtra eſſe debeat. 740.

Conuerſio. Sicut panem conſecratum, ita & nos Chriſtus in ſe vellet conuertere. 86. quanti referat omnium vel vnius peccatoris Conuerſio. 152. multum valet eleemoſyna conuertendo peccatori. 160. Multùm etiam Verba Chriſti lachrymantis. 409. Conuerſionis exemplar eſt Magdalena. 746. V. *Peccatum, Pœnitentia*.

Correctio. Eius neceſſitas. 475.

Decalogus. Ex decem Chriſti præceptis conficitur, quorum vix vni obeditur. 808.

Deus. Vnus & trinus, & cur præcipue

ſanctus dicitur. 34. Multa de Illo cognoſcendo & amando. 10. quomodo eſt abſconditus. 41. quomodo videtur in creaturis. 181. quanta eius in peccatores miſericordia. 291. Solus eſt timendus. 471. quot modis nobis loquatur. 545. Quomodo ſe illuſtriùs manifeſtet. 560. quid ſit adorare Deum in Spiritu & Veritate. 565. quomodo dicatur Deus quærere ſuam gloriam. 767. quomodo exigat rationem Villicationis & Vocationis. 358.

Deuotio. Vix vlla eſt in templis à faſtu veſtium. 68. Vera deuotio inter varietates locorum & temporum inuariabilis. 848.

Diabolus. De peccatore triumphat. 75. quod nihil poſſit contra nos niſi velimus. 332. Eius obedientia condemnat noſtram inobedientiam. 429.

Difficultas. Tota eſt ab Immortificatione. 230. tollitur à Chriſto D. 233. quænam dici poſſit in ſalute comparanda. 354. V. *Certamen.*

Dilatio. Non poteſt dici longa, quantumcumque mors tardet. 357. cauenda Confitendi dilatio. 748.

Diſcordia. Quàm ſit damnoſa. 194.

Diuitiæ, Diuites. Quàm ſit cauendus diuitiarum affectus. 265. quo quis pauperior, eò ditior. 884

S. Dominicus. In eius die Feſto. 796.

Donum. Hilariter faciendum. 267. Nos ipſi toti Deo dandi. 395.

Eleemoſyna. Ars omnium artium quæſtuoſiſſima. 257. importunis non neganda. 368.

Euchariſtia. Cur cœna magna dicatur. 98. V. *Communio. Sacramentum.*

Examen. Quam ſit exactè de ſe faciendum. 359.

Exceſſus mentis. Quam ſint varij, & quis eorum excellentior. 774.

Excuſatio. Nulla eſt ſi non facis quæ potes. 34. 94. 134. iraſcentes ſe præſertim excuſant, ſed falsò. 216. 278. Non eſt dicendum, non putabam. 380. merus eſt dolus. 729.

Executio ſeu efficacia 226. Multum propterea confert exemplum Chriſti D. 235. affectum probat effectus. 420.

Exemplum. Tenemur ad bonum dandum. 207. non omnia in exemplum ſunt danda omnibus. 675. V. *Imitatio.*

Familiaritas. Parit contemptum in humanis, ſed non in Diuinis. 55.

Fides, Fidelitas. In quo ſita fidelitas. 34. de fideli vſu gratiarum. 107. quam ſit modica fides. 162. 803. Vbi de quodam fidei Symbolo ex dictis Chriſti compoſito. Quanti ſit animi, ſe Diuinæ fidei ſupponere. 316. quantæ ſit dignitatis fides, & quomodò periret niſi pereat vana gloria. 617.

Fiducia. Qualis habenda eſt ad Deum. 254. 320. 471. quid à nobis requirat, vel non requirat. 697.

Finis. Ponitur finis vltimus in peccato mortali. 8. 9. finis noſter Deus. 271. dicitur etiam Chriſtus, & ſalus eſſe finis noſter. 629. 668. quam ſint cauendi reſpectus humani. 390. media quæ ſunt ad finem neceſſaria, pari ſunt affectu volenda ſicut ipſe finis. 594. V. *Intentio.*

Fortitudo. Roboratur exercitio. 119. ſita eſt præcipue in ſeipſo vincendo. 315. quanta in nobis eſſe poſſit per Chriſtum. 331. 465. 472. 637.

Fragilitas. Quanta ſit hominis. 355. 586.

Gaudium. Quodnam ſit beatum gaudium. 168.

Gloria. Nulla major quàm quæ eſt Chriſti. 127. tota debetur Deo. 244. tota quam quærimus, eſt à Iudicio humano quod eſt valde obſcurum & incertum. 613. Niſi vana pereat gloria, peribit fides. 613. quid ſit quærere Dei gloriam. 769. V. *Finis, Intentio, Humilitas, Laus.*

Gratia. Cooperandum Gratiæ. 39. 78.

Digitized by Google

570. Gratiæ Chriſti thronus. 51. De gratia Cõmunionis. 102. 640. Cauendus gratiarum abuſus. 135. 349. 376. 484. 543. 648. Sine Chriſti gratia nihil poſſumus. 465. 555. 570.

Gratitudo. Quò minus potes reddere quæcumque debes, eo magis debes reddere quæcumque potes. 33. Verè paucorum eſt vera gratitudo, & in quo ſita ſit. 620.

Homo. Quas ab originali peccato plagas acceperit. 586.

Humilitas. Quàm ſit Deo grata. 26. humilitas Dauidis coram arca teſtamenti. 63. quanta à nobis debeatur ſanctiſſ. Sacramento. 64. externa ſimul & interna ſit. 66. omni ex parte ſit indiuiſa. 832. maximè neceſſaria in proſperis. 187. humiliatio via eſt ad humilitatem. 343. quanti fiat à Chriſto qui ſua omnia dedit pro illa habenda. 401. quanta eſſe debeat ex cognitione noſtri. 556. quænam ſit magis laudabilis. 600. quam ſit diues & magnifica. 604.

S. Iacobus. In eius die Feſto. 753.

S. Ignatius. In eius die Feſto. 763.

Ignorantia. Quænam excuſet vel non excuſet à peccato. 383.

Imitatio. In quo conſiſtat. 735. 792. quàm ſit glorioſa Dei imitatio. 768.

Impudicus. Vt ſe inducit in tentationem, & orando Deum irridet. 295.

Indulgentiæ. Quàm pauci eas lucrentur. 488.

Ingratitudo. Apparet in vſu ſanctiſſ. Sacramenti. 113. V. *Gratitudo.*

Inimici. Diligendi propter Chriſtum. 235. condonandæ illis injuriæ. 289.

Intemperantia. Opponitur quartæ petitioni orationis Dominicæ. 284. quænam dicenda eſt in edendo & loquendo. 336.

Intentio. Quàm ſit injuſtum & injurioſum Deo aliquid aliud præter ipſum intendere. 243. quam diligenter procuranda recta Intentio. 273. 391. 624. 629. 668. 771.

S. Ioannes Baptiſta. In eius Natiuitate. 709. In eius Decollatione. 872.

Ira. Qualis in Chriſto D. contra indigne communicantes. 132. malè ſe excuſat. 218. repugnat tertiæ petitioni orationis Dominicæ & voluntati Diuinæ. 279. 426.

Iudicium. Quale exerceat Chriſtus in ſanctiſſ. Sacramento. 131. Iudicij particularis Conſideratio. 362. quàm graue ſit futurum ſuperbo Iudicium, 609. quàm ſint humana iudicia incerta & obſcura. 613. cauendum temerarium de aliis. 676. Nemo ſui bonus Iudex. 677.

Iuſtitia. Quid ſit eſurire Iuſtitiam, & quàm beatum. 174. Iuſtitia Diuina pœnam peccatis proportionatam infert. 543.

Lachryma. Quàm ſit beatus luctus. 168. De Chriſti Lachrymis. 410.

S. Laurentius. In eius die Feſto 810.

Laus. In quo ſita vera Laus. 125 200. quàm ſit timenda mundana 202. nec eius aſpectu bonum eſt agendum, nec deſpectu omittendum 209 ſic eſt fugienda Laus, vt non fugiantur laudabilia 600 V. *Gloria, Reſpectus humanus, ſuperbia.*

Libertas. Quæ ſunt in nobis libera multùm diſtinguenda ſunt à non liberis. 386 liberis & voluntariis maxime gaudet Chriſtus. 438. liberè peccare non eſt libertatis vſus ſed abuſus. 862.

Lingua, Loquela. Quæ eſt in edendo regula, hæc eadem eſt in loquendo, nempe neceſſitas. 337

S. Magdalena. Quàm multum dilexerit. 323 Et in eius die Feſto 745.

Magnificentia Sit humilis, ſicut & humilitas magnifica. 603

Manſuetudo. Quantùm à Chriſto commendetur. 426. 466. qui ſint mites, & quàm beati. 164.

Margarita. Quænam ſit Euangelica quæ dicitur pretioſa. 400.

S. Maria, Virgo. Noſtram curat ſalutem. 153. In Feſto Viſitationis. 739. Aſſumptionis 816. & ſequent. vbi multa quæ ad illam ſpectant.

Mediocritas, Moderatio. 456. In mediocritate virtus. 599.

Meritum. Vnde ſit petendum. 824.

Miſeria. Quinam præcipuè ſunt cenſendi miſeri. 173 200.

Miſericordia. Quænam ſit à nobis facienda, & quàm beatum ſit eſſe miſericordem 177. 588. in remittendis debitis. 288.

Miſſiones à pag. 478. ad multas ſequentes.

Mors. De inordinato eius timore 276. ſigna futuræ mortis in peccato. 712.

Mortificatio. Quotidie moriendum cum Chriſto. 125 mortificatio ſenſuum quàm ſit neceſſaria Caſtitati. 223 & ſaluti 227 quo ſe quis minus mortificat, tanto magis mortificabitur. 230 462 mortificatione cœleſtes homines fiunt 645

Mundus Eius iudicia Diuinis oppoſita. 200. 400 mundana omnia nihil ſunt præ cœleſtibus & æternis. 469. 706. & ſeq.

Neceſſitas Vnum eſt neceſſarium 819.

Negligentia Quanta ſit noſtra, patet ex Chriſti cura pro nobis. 144. In minimis non minima culpa. 213. 348. 390. qui negligit, negligetur. 480. De negligenti & infœcundo Religioſo ſat multa in fine, vbi de votis Religioſis, ſiue de triduana Recollectione ante votorum Renouationem. 898

Obedientia Deo reddenda, repugnante licet natura, exemplo creaturarum omnium. 241. Dæmonum obedientia noſtram condemnat inobedientiam. 428. Non minùs in corpore quàm extra corpus anima Deo deberet obedire. 437. quàm glorioſa eſt ſimilitudo Chriſti, tam glorioſa eſt obedientia quæ nos ei præſertim ſimiles facit. 893.

Oblatio. Sit integra noſtri in omnibus. 395.

Obſtinatio. 49. 410. 414. 426.

Occaſio. Opportunè, importunè prædicandum. 580.

Officium. Quinam ſuo potiſſimùm dici debeant deeſſe officio. 348. Continere ſe quiſque debet in officio ſuo. 457. 674. V, *Religio*, *Vocatio.*

Opera. Quam pauca ſint bona patet ex defectu cauſarum. 306. quantùm valeant in Iudicio poſt mortem. 370. debent eſſe conformia Vocationi. V. *Vocatio.*

Oratio. De quacumque re fiat, debet eſſe ordinata, debent ſeruari ſeruanda. 341. quàm ſit impium non orare pro ſalute proximi. 452. quò ſæpe vehementius Deum oras, ore quidem illi adſtas propius, ſed corde diſtas longiùs. 683.

Patientia. Quantùm proſit. 119. In ea poſſidentur animi. 165. ſeruandæ patientiæ motiua. 197. 755. 761. 814.

S. Paulus. In eius die Feſto. 718. 733.

Paupertas. Quæ ſit paupertas ſpiritus, & quàm beata. 261. 265. De voto paupertatis, quò quiſquis pauperior eò ditior. 884.

Pax. In manſuetudine. 164. In bona voluntate. 175. De pacificis & quàm ſint beati. 192. pacifica ſit & quieta ſolicitudo quæuis. 386. pax in pugna. 460. optabilius bonum bellum quàm mala pax. 473.

Peccatum. Quàm ſit oppoſitum Deo. 5. ſubtrahit voluntatem à Diuino ſeruitio. 73. reditus à peccato. 140. quot quantiſque præiudicet. 152. quantum proſit ad peccati remiſſionem miſericordia. 178. vt cauendum in minimis. 214. quàm doloſè quidam ſua

Digitized by Google

tegant peccata, nec confiteantur. 326. ad peccatum committendum quæ cognitio ſufficiat. 382. cauendum omni modo. 474. De malo peccati mortalis. 509. fusè, quàm iuſta & proportionata puniatur pœna. 543. quomodo augeatur vel minuatur per concupiſcentiam. 693. peccandi potentia, magna ad peccandum illecebra, magnum certamen contrà certare. 858.

Perfectio. Tota in tribus obſeruandis ſita eſt. 82. tres eius viæ ſeu gradus. 203. quàm ſit neceſſarium ſic gradatim procedere. 205. ad perfectionem conſequendam Indiuiſum eſſe oportet à Deo. 566. quàm ſit perfectè Chriſto ſeruiendum. 628. vnicuique ſua perfectio eſt ex Diuina voluntate, ſeu vocatione. 675.

Perſeuerantia. Quàm ſit ſtudioſè curanda Religioſo profeſſo. 877.

S. Petrus. In eius die Feſto. 718. 725.

Pœnitentia, pœna. Motiua pœnitendi. 156. pœnæ culpis reſpondentes. 543. Pœnitentiæ forma & exemplar, Magdalena. 745.

Præcipitatio. Quale ſit vitium. 204.

Præjudicium. Quæ ſint ſalutis periclitantis præjudicia. 356. 493. 712.

Præſumptio. Quàm cauenda. 140.

Profeſſio. Quo die ſit à Religioſis. 877.

Proſperitas. Niſi te humilies in proſperis, proſpera te humiliabunt. 187.

Prouidentia. Qui ſe à Diuina ſubtrahunt, quomodo errent. 139. 760. Non timendum ne Deus nobis deſit, ſed ne deſimus Deo. 250. 256. multum ſpectari debet Diuina Prouidentia in procuranda ſalute proximi. 456.

Prudentia. Qualis filiorum ſæculi & Lucis. 346. Vera prudentia diſcernit quodnam ſit melius bonum. 616. Ne innitaris prudentiæ tuæ. 681. 689.

Ratio. Adhibenda eſt ne peccemus. 380. V. *Vigilantia*.

Religio. Religioſus ſupra vel infra regulam viuens, ficus eſt ficum non ferens. 900. De religioſa perfectione procuranda, de religioſis votis, & de aliis eò ſpectantibus. V. in fine huius partis. 877.

Renouatio. Quotidiana ſit oportet. 37. triduana recollectio quæ præcedit renouationem votorum, & de ipſa votorum renouatione. 898.

Renuntiatio. Sit integra & perfecta eorum omnium quæ poſſidentur. 396.

Reſignatio. Se conformat Diuinæ voluntati. 282.

Reſpectus humanus. Quàm ſit cauendus. 390. V. *Finis, Intentio*.

Ruſtici. Eorum fœlicitas vel infœlicitas. 528.

Sacramentum. De conuenientia ſanctiſſimi Sacramenti cum omnibus vitæ Chriſti myſteriis. 30. & ſeq. De eius frequentia, cultu, effectis, & aliis eò ſpectantibus. In 1. & 2. Hebdomada huius partis.

Salus. Salutis noſtræ negotium, negotium eſt totius vniuerſi. 152. nullum eſſe aliud tale negotium patet ex circumſtantiis quæ negotium aliquod comitantur. 353. vnde petenda ſolicitudo procurandæ ſalutis. 226. 305. 350. 369. 433. 493. 502. 664. quàm vehementer Chriſtus ſitiat noſtram ſalutem. 550. Signa futuræ ſalutis. 716.

Sanctitas. Imitanda in Deo præ cæteris attributis. 4.

Scandalum. Vt debet euitari. 208. 575. qui nobis ſunt ſcandalo, diligenter euitandi. 225.

Scientia. In ea debet eſſe moderatio. 21.

Solicitudo. Nimia de rebus ad vitam ſpectantibus vetatur. 286. 434. ſolicitum maxime faciunt circumſtantiæ concurrentes in negotio. 353. 369. ſolici-

Digitized by Google

tudo ſic quieta. 387. major ſit animæ quàm corporis. 435. octo rationes in vno Euangelij textu contra nimiam ſolicitudinem. 659. niſi ſit prima regni cœlorum cura, nulla erit. 664. quarum rerum debeat eſſe ſolicitudo, & quarum nulla ſit. 698.

Spes. Qualis eſſe debeat. 320. V. *Fiducia*.

Spiritus ſanctus. Tantò vnuſquiſque eſt magis aut minus bonus & ſanctus, quantò magis minuſue participat de Spiritu ſancto. 703.

Superbia. Quàm ſit inuiſa Deo 26. ſtupenda in veſtibus, & noxia dum in templis oratur. 68. cauenda multum in proſperis. 187. opponitur primæ petitioni orationis Dominicæ, & noſtro fini 272. patet in Phariſæo quàm ſit damnanda. 444. multùm eam deprimit noſtri cognitio. 516. ſuperbo maxime formidandum Diuini Tribunal Iudicij. 609.

Temperantia. Commendatur in 4. petitione orationis Dominicæ. 285. Eadem eſt in loquendo quæ in edendo. 336.

Tempus. Tempore opportuno exercenda virtus. 107. 108. 570. opportunè, importunè inſiſtendum pro conuertendis peccatoribus. 579.

Tentatio. Quomodo dicatur Deus ad illam nos inducere, & quomodo potius nos ipſos inducamus. 294. Nil poteſt Dæmon contra nos, ſi velimus reſiſtere cum gratia 332.

Tepiditas. Quàm odioſa Chriſto D. 141. 650.

Timor. Quis ſit verus. 249. motiua timendæ damnationis. 305. 410. motiua timendi Dei & peccati. 471. 504 509. V. *Salus*, *ſolicitudo*.

SS. Trinitas. De hoc Myſterio à pag. 2. in multas ſequentes.

Triſtitia. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes 171 triſtitia inordinata miſeros facit. 174. ſoli peccato expiando eſt vtilis. 253.

Vanitas. Quanta ſit hominum. 128. quàm inuiſa & injurioſa Deo. 246 cauenda præcipue in magnis & ſpecioſis. 393.

Verbum Dei. Non redit vacuum, aut profit neceſſe eſt recipienti, vel obſit. 375.

Veritas. Indiuiſibilis eſt 566.

Vigilantia. Neceſſaria eſt ad vitandum peccatum & peccati excuſationem. 583. tanto major adhiberi debet, quanto incertior eſt hora reddendæ rationis 905.

Vindicta. Quàm ſit cauenda 288.

Viſitatio. De Diuinis & humanis Viſitationibus, quàm parum inter ſe conueniant. 740.

Virtus. Gradatim in ea procedendum. 204. De arcta virtutis via per quam pauci ambulant. 496. exercenda occurrenti occaſione. V. *Tempus*. Virtus in medio. 599. 598.

Vita. Quæ ſit vita ſpiritualis 43. vita abſcondita. 44. vitæ ſpiritualis compendium. 82 vitæ ſpirituali cætera cedant omnia. 112. 641 Vita mixta, vita excellentior. 777. 821.

Vnio. Magna Chriſti nobiſcum in ſanctiſſimo Sacramento. 88. quomodo nos indiuiſos eſſe oporteat à Deo. 566.

Vocatio. Vocationi conformiter viuendum, & de fructu vocationis quem ab vnoquoque repetit Deus. 905.

Voluntas. Non minus excolenda quàm Intellectus. 2. vt ſe opponit Deo 8. quæ ſit bona & efficax 35. 301. 420. 571. 594. quæ ſit obſtinata in malo. 49. voluntatem præcipue vult Deus, quæ tamen illi præcipuè negatur. 71. Nihil vere magnum niſi quod tale iudicat & vult Deus. 100. volenti nihil difficile. 234. voluntatis Diuinæ certiora ſigna 279.

Digitized by Google

Voluptas. Voluptatem viciſſe, maximа voluptas eſt 887.
Vota. Sunt holocauſta, & quæ plura de his deſiderentur, in fine huius partis. 884.
Zelus. Motiua Zeli concipiendi. 156. 452. 574. ne ſit amarus. 219. non luceat nec ardeat tantum, ſed vtrumque ſimul. 798.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google